Digitized by Google

OE
10

Col. XV. Tav. 4. N.° 5.

Digitized by Google

Scaupleti (cfr. Hurter IV 985)

204. 12. H. 1

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II ROMA
204
12H
1

Digitized by Google

SCOTVS

PHILOSOPHICVS,

ANTIQVORVM SAPIENTIA
EXQVISITVS,

ET VIRORVM NOMINATORVM
commentarijs, noviter narratus.

*AVTHORE P. Fr. IOANNE PEREZ LOPEZ,
in Seraphica Obſervantia Lectore Iubilato,
& Sancti Didaci Cæſarauguſtani
Collegij Guardiano.*

TOMUS PRIMUS.

Anno 1687.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

BARCINONE:

Ex Thyp. Antonij Ferrer, & Balthaſaris Ferrer,
Bibliopolarum.

Digitized by Google



Indui te Subtilibus
Filiam suam dabit ei
Sixtus Quintus
Clemens Quintus
Sixtus Quartus
Doctor Subtilis Scotus
Inexpugnabile Scutum Mariani honoris
Date mihi Virum qui ineat mecum singulare certamen
Ioseph del Cruz en Campfran. F. año, 1686

Digitized by Google

✠

AVGVSTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

NOSTRI SERAPHICI ORBIS PATRONÆ,

PRIMO VLTIMO, MATERNO VIRGINEO

IMMACVLATI CVRSVS INSTANTI,

SECUS DECURSUS AQUARUM, QUÆ SVPER COELOS,

MAIORI, MINORI, SVBTILI, MARIANO,

SI ÆRE, ET ORE SILENS, CHORDA, ET CORDE SALIENS,

LABIO, MENTE, SILENTIO

DICIT, DICAT, SILET

Fr. IOANNES PEREZ LOPEZ,

Quod altius dicaret, & diteſceret Fr. Ioannes Dunſius Scotus (ò puriſsima Puriſsima! Hæreditariæ tuæ radicis in electis, inter vniverſas terrarum portiones, ab initio noſtra Tibi *Portiuncula.*)

Cuius lingua, (ò Marianus vindex!) velox calamus, cuius folium non defluit, in via peccatorum non ſtetit, in Cathedra peſtilentiæ non ſedit, & in conſilio impiorum non abijt.

Sit Beatus ille vir, Gratiſsima Domina, qui florem, & fructum tuum, ſic à primo inſtanti dedit in tempore ſuo.

SA-

Digitized by Google

SACRA, Sublimis, Glorioſa, & Immaculata Domina, Cœlum cœli, Dies diei, arcanorum Arca, Vita, Dulcedo, Spes noſtra, dum parvulum declaratio ſermonum tuorum illuminat, vincla mea ſolve, & noſtra Regina ſalve. Supernę Dominationi Tuæ, has naturales opes, curſus & argumentoſæ apis, vt in capite libri de te ſcriptas, & ſcabello pedum tuorum ſufferas dicatas, quis mihi dabit pennas ſicut columbæ? Nonne Tu, quæ ſola es? Humilis, & de ſtercore pauper, oro ſis, quæ mihi tribuas vt ſcribantur ſermones mei, non plumbi lamina, ſed per tuæ pietatis lumina; ſonet vox tua in auribus meis, aut tui Cęli enarrent; ad primum gloriæ tuæ per ſolvendum inſtans, nihil enim ſunt dies mei; ad morulam namque vitæ tuæ, breves dies hominis ſunt. Omnia tempus habeant, ſed ante Luciferum & tempus, vnicum tuum inſtans, ab eo qui voluit, omnia iam habere valuit. Tu ſola quieſcis, & à primo motu; in fine, & ab initio; in ſæculo, & ante ſæcula; Munda, & in mundo; Robur, & inter rubores; Carbunculus, & inter Carbones; ſicut, & inter Evas, Avis; ſi volans, ſuper Libanos; ſi Innixa ſuper Dilectum; ſi detenta, in plenitudine Sanctorum; ſi fragrans, ſuper aromata; ſi Beata, ſuper Cœlos gloria; ſi dulcis, delicijs affluens; ſi ſapiens, & dum ignoras te; ſi Edoctrix, vno verbo Aula; & tandem ſi conſurgens, vt Aurora; ſi Excelſa, ſuper ſydera; ſi Pulchra, vt Luna; ſi Electa, vt Sol, cuncta mire ducens, cunctos, & more docens. Qui temporum dat tempora, vt allevaret faſtidium, in momento, in ictu vno oculorum tuorum, fecit potentiam in brachio, ſuoque inde ex ore, ſic Primogenita dulciter vallans, ac velociter velans & volans, quod tecum prius non prodijt dies, quam Deus; nomen, quam numen; manus, quam munus; caput quam corona, citius cingens tempora lauro, quam tempore, deſcendens de Cœlo à Deo, ſicut Sponſa ornata viro, Deoque vero. Tuum hoc ſacratiſsimum Momentum, tempus breve eſt, at, in gratia longum, in gloria latum, & in Deitate profundum; nec vſque adhuc Trina dimenſione perceptum, ſic imperceptibile punctum; & quod ſucceſsivum queat in inſtanti complere ipſo Motore motum, in hoc mirabor, & morabor.

Mo-

Momentaneum hoc,ſed non leve,viarũ Domini pręradiabat initium,quando? Quando præparabat Cœlos, quando gyro vallabat abyſſos, tunc lavit ſtollas, & ſtellas, Marianum iam aderat inſtans, eoquè erat cuncta componens, ſatque ex ipſo habens, vt delectaretur per ſingulos dies,ſic coram eo, omni tẽpore ludens, quod priusquam horas,hilares vellet poſſediſſe aras. O Momentum à quo Maria! Nonne, à quo & æternitas! Ab ipſo namque Deus homo, Cherub & Seraph, Cœlum & terra, per quod omnia,ex quo omnia,ipſi gloria & gratia,ipſique Empyrium & Imperium. Immaculatum hoc gratiæ,tuæque ſalutis exordium,erat & ex illis Momentum,quorum noſſe Pater poſuit in ſua poteſtate, in vllo namque tempore oportuerat potius Regnum Iſrael, ac in tempore hoc eius reſtituere Reginam,revelans eam parvulis,vt dignatus revelare Franciſco: *Vade Franciſce* (ſic ſemel loquutus eſt Deus) *repara domum meam,quæ labitur*;qui exaltans vt Seraph,& exultans vt Gigas,illibatam vt ſervet,duos appoſuit humeros,innumeroſque deinceps ſuæ Religionis Homeros. Primum,ò Pulcherrima ſi ignoras te, tanti candoris Myſterium, ſuper Franciſco claruit, ſciens de die illa, quod nemo ſcivit; nilque mirum,dum miſeras quaſi *mitis* Aurora tuum rorem ſupra noſtrum vellus, primævæ ſtollæ tuæ, Tuique Agni providi dans nobis nivem ſicut lanam, Myſterij nebulam ſicut cinerem ſpargens, non gelidum, etenim Seraphicis eloquium tuum, ignitum vehementer, nunc, & ſemper, ſicut erat in principio. Vnus pro mille, *fuit homo ille miſſus à Deo* (Sixtus IV.) cui nomen erat Ioannes,qui verbis ſuis,tuoque Verbo monſtra placavit,dum Pariſijs factum fuit pręlium magnum, & obumbraſti ſuper caput in die belli;hæc Audi Filia, & vide,& ad eum, vt ibi, inclina aurem tuam;nec vſque adhuc Pariſijs etiam lapideam inclinares aurem, ſi Coloniæ nunc & per omne inſtans Scotus, de medio petrarum non daret vocem. Inde, nec vltra mirandum, ſervum tuum, & Eccleſiæ Cardinalem Sarnanum, hæc, de noſtro Subtili Scoto, tuoque (Sixtus V.) *Inexpugnabili Scuto*,deſcribentem: *Reſpectu Doctorum extitit ſicut Sol inter aſtra.* Salva ſed purpuratæ lucis pace, non ſic Cœlo rutilans Luminare maius, ac Tibi, ò Cœlo-

Digitized by Google

rum Regina, Scoticum Luminare *Minus*. Sol enim, etſi in libra radiet, at non ſine macula Lunam; Myſticæ dum Lunæ, immaculatum plenilunium dedit Scotus in Libro. Sol ignito ceſſante curru, tradit à tergo noctem; Scotus tuo peracto curſu, quievit & ſemper in die. Sol ab intelligentia, Cœloque movetur; Tibi Scotus intelligentias movit & Cœlos. Nebulis Sol, & non ſine pœna ſpirat; pennis Scotus, & non ſine Aurora parat. Sic radijs it Sol, quod ſtellas relinquat errantes; ſic Stella maris it Scotus, quod nec atomum ſpargat erroris. Sol ad tot temporis fugas, plures tentat conſumere motus; conſummatus in *inſtanti* Scotus, explevit tempora multa. *Sol denique* (V. Maria de Agreda) *tuum cognovit occaſum*; Solaris dum Scotus, & valdè mane, tuum cognovit orientem. Vnde tui Minores Filij, ex Seraphico vt Patre, & ex Subtili vt Magiſtro, diffuſa labiorum tuorum gratia, annuntiamus laudem tuam, ne dum media nocte, vt Regius ille Pſaltes, aut per ſingulos dies, vt tot ſacri Ordinum chori, ſed adſtantes ut Seraphici, die, noctuque, veſpere & mane, Te benedicimus Dominam in omni tempore; requiem non habentes, ſi ad laudem, & defenſionem tuam, per aliquod inſtans habeamus requiem; in ipſo namque Nos omnes vivimus, movemur & ſumus, à ſæculo & vſque in ſæculum. Fiat tuum fiat. Amen.

SACRATISSIMA COELICOLARVM REGINA,

Inter exules filios Evæ,

Ad te clamat, omnium indigniſsimus

Fr. Ioannes Perez Lopez.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO R. A. P. Fr. JOSEPHI CARDONA in Ordine Seraphico Fratrum Minorum de Obſervantia S. Theologiæ Lectoris Emeriti; in Cathalonia Provincia Patris, & in Epiſcopatu Barchinonenſi Examinatoris Synodalis &c.

ARgutum, & ſubtile opus *Scotus Philoſophicus* titulo fulgens à R.P. Fr. Joanne Perez Lopez Lectore Jubilato, Florentiſſimę Aragonum Provinciæ Alumno, & Collegij Sancti Didaci Cæſarauguſtæ Guardiano doctiſsimé Elaboratum, iuſſu Perilluſtris Domini D. Oldegarij de Monſerrat V. J. Doctoris, Archidiaconi Maioris, & Canonici Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Sedis Tarraconæ, & in Cathaloniæ Principatu Cancellarij, avidiſsimus legi, & obſervantiſsimus perluſtravi; ſummoque addiſcendi ardore iterum, & iterum evoluo. Et quod in fronte animum pulſat, & demulcet, eſt inſcriptio: *Scotus Philoſophicus*; nam ſi opus iſtud eſt à Perezio compactum, quomodo Scotus in Epigraphe ponitur in recto, quaſi operis Author? Optimé quidem, & non ad inſpicientiam dictum; talem enim inter vtrumque Joannem Perezium, & Scotum Metamorphoſim intueor, vt quod Perezius ſcribit, videatur ſcribere Scotus. Celeberrimus ille, & nunquam ſatis laudatus Scotiſta, Illuſtriſsimus Dominus à Campanea Olim Epiſcopus Dertuſenſis, poſtea Puteolanus, & antea in Seraphica Religione meriſsimus Generalis, cum ſtudentibus agens, eoſque inſtruens, hæc erat ei frequens, & præcipua admonitio: *filioli oportet cum Scoto crucifigi.* Hanc cum Doctore Subtili crucifixionem a tam inſigni Scotiſta tantopere expetitam in noſtro experior Joanne. De ſe ipſo Chriſto confixo aiebat Paulus *Galat. 2. Chriſto confixus ſum cruci.* Quid inde? *Vivo ego iam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, id eſt, (iuxta Cornelij commentarium) *Chriſtus in me docet, laborat, concionatur, omniaque opera mea in me operatur; ita vt Paulus, non tam Paulus, quam Chriſtus, & Paulus in Chriſtum transformatus videatur.* Confixus eſt Perezius noſter Scoto, & in eum transformatus; ſicque omnia Scotus operatur in eo: ſi docet Perezius, Scotus docet, ſi diſputat, arguit, & reſpondet, omnia præſtat Scotus. Verſa eius ſcripta, & non leges niſi Scotum docentem, diſputantem, arguentem, & reſpondentem; nunquam Scotus ab ore, & calamo Perezij recedit. Unum igitur videntur Perezius, & Scotus, & adeo vnum, vt ſi vera eſſet fabuloſa animarum circulario (quam nuper, ſaltim in corpora humana, abſtrahendo á fide, & ſiſtendo in Ariſt. defendit noſter Ferchius apud Maſtrium *diſp. 5. de Generat. num. 163. & 172.*) credideris, Scotum revixiſſe in Perezio. Non ergo abs re opus hocce Scoto appropriatur, & in limine, quaſi eſſet Author inſcribitur. *Scotus Philoſophicus.* Hæc pauca dixerim de titulo.

Quid de libro? (Præterquamquod eſt vndequaque Catholicus, & quaſi alterius Scoti partus, luce, & omni laude digniſsimus) ſentio, librum hunc eſſe vnum ex illis, quos maximé commendat magnus ille Cancellarius Pariſienſis Gerſonius p. 1. col. mihi 557. in Epiſt. 1. ad ſtudentes Collegij Navarræ, quæ incipit, *ſtimulavit me*, vbi verba faciens de libris ſtudendis, ſic affatur: *Quoſdam in tranſitu raptim videamus, quaſi eos non penitus ignoraſſe ſatis ſit. Alijs verò per vices vtamur, prout neceſsitas dederit, vel delectationis congruitas. Atvero quoſdam familiares nobis aſſiduos*

advocemus, & tanquam domeſticos fideliſsimos, intra mentis noſtra cubicula, inter ſecreta, quotidianaque colloquia iugiter collocemus. Heus tu Amantiſsime Scotiſta (maximè Tyro) liber iſte ſit tibi familiaris, & domeſticus, intra mentis tuæ cubiculum repone, non raptim, & per vices legas; iterum, & iterum aſsiduè, & iugiter verſa; excentera illum, ſicut Author noſter Scotum eviſcerat; verſa, & manduca, lautiſsimum tibi Philoſophiæ paratur convivium, Scotica ſubtilitate conditum: comede volumen iſtud, & intra mentis tuæ viſcera tranſmite, & concoque, hoc namque ſubtili pabulo nutritus, brevi (crede mihi) in Philoſophia magnos efficies progreſſus; & ſi (vt fert tritum, & vulgare proverbium) *qui ſcit Scotum, ſcit totum,* ſi Perezium ſcias, facilè ſcies Scotum, & totum.

Tu vero amiciſsime Joannes, ne calamum deponas, perge vlterius, paulò maiora canas; ede tuos, non iam libellos, vt de ſuo Fauſtino canebat Bilbilitanus, ſed libros grandes, Dei magnitudinem ſpeculantes. Ede, vt edant parvuli; & qui antea erant ſub elementis mundi huius, ad ſupramundana evecti, ſolidiori Theologiæ cibo refecti, robuſtiores evadant, pleniuſque, & perfectius in eis Scotus formetur. Barchinonæ ex Ædibus Franciſcanis die 8. Septembris anno 1686.

Fr. Ioſephus Cardona.

30. *Septembris* 1686.
Attenta approbatione.
Imprimatur.

Monſerrat Cancell.

APPRO-

APPROBATIO FACTA A P. Fr. IOSEPHO BATLLE in Conventu Sancti Franciſci Barcinone. S. Theologiæ Primario Profeſſore, & in maiori SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Collegij, Compluti Vniverſitate, olim Collega.

PErilluſtris Domini Joſephi Romaguera, vtriuſque iuris Doctoris, eiuſque in Barcinonenſi Academia Primarij Interpretis, ac per Illuſtriſsimum Dominum Don Fratrem Benedictum à Salazar, Barcinonenſem Epiſcopum, Vicarij Generalis, præſcripto. Curſum Phyloſophicum Authore A. R. P. Joanne Perez Lopez Sanctæ Theologiæ Lectore Jubilato Acutiſsimo, Provinciæ Aragoniæ Minorum de Obſervantia alumno, ac celeberrimi Sancti Didaci Ceſarauguſtæ Collegij meritiſsimo Guardiano, attenté vidi, ingentique perfuſus voluptate, quanquam meo inſuperabilem captui, quantum ſufficiat, perlegi, & vt cum Divo Cirillo dicam: *Num, quia oculis ſolem comprehendere non poſſum, etiam lucis uſum, quantum ſufficit, non aſpiciam?* Solis lucém hoc in opere, etſi non ſolem, aſpexi; & nil in Orthodoxam fidem peccatum, nihil inibi de omni Scoti, cognomento ſubtilis, ſubtilitate non tactum, omniaque acutiſsimé, ſcitéque tractata; vt ſicut de Niceno olim. Photius, dicere poſsim: *ſtyllus Illuſtris, & iucundi a; em mēti, auribuſque ſtyllans*; & ſimul admixta Tyronibus & Magiſtris ſubtilitas, & fœcunditas in hoc decenter ſe oſtendunt opere. Vnum ver inter anni partes, vnus ſol inter ſidera, & vnum cœlum omnes Scoti, veluti ſtellas, ſubtilitates, ſuæ coërcens mentis complexu: qua propter typis debere mandari, quin mihi erga Authorem amor impoſturam faciat, ſentio.

D Cirillus Cathec. 6.

Photius

Quid vltra? plus vltra. Cum vnico, ſcilicet authoris nomine, omnia comprehendantur. Cum dico *opus eſt Perezij*, maximé commendatur: ſi enim de acerrimo, & infenſiſſimo duce, ad ingentiſsimum laudum cumulum commendandum, vt refert Plutarcus, ſatis fuit epigraphen nominis in ſepulcro inſculptum: *Hic ſitus eſt Annibal*; ita cum dixero: *Hic curſus eſt Perezij*, prædicavi ſatis, ſuperque opus ad aſtra evexi: nam *cum Ioannem Perez dixeris*, dicam equidem alterum, vel eundem ſuſcitatum Scotum, earumque ſubtilitatum oplentiſsimum, hoc in curſu, extare ærarium.

Plutar. in Annibali.

Plus Vltra: volumen ſcriptum fere ſupra hominem, attamen ab homine in Philoſophia, alijſque ſcientijs in brevi conſumato, temporaque explenti multa, à tota Seraphica Religione, ne dicam terrarum orbe, admirabitur; eiuſque gloriam ſubtilizantes ennarrabunt, inceſſabilique voce Authorem maximé doctum, ſubtilemque proclamabunt.

Plus vltra. Hoc opere Author ſuas in Scoto, Decachordo, & Pſalterio, decantat laudes: ſi enim Pſalterium hominem in Chriſto conſumatum intelligit Ambroſius. Pſalterij noſtri Joannis in Scotum conſumati, ſubtilitatum fila in unum convenientia in aure reſonant, huius voluminis canores tractatus. *Venter meus, quaſi Cithara ad Moab ſonabit*, ait Iſaias, Authoris labor, mentiſque ſtudium, abſque vlla ſubtilium cordarum corruptela, ad nos reſonant melos Scoti concentus, opuſque ſuum modulaté buccinat, & præclaré claret linguato ſilentio: nam teſte Phylone: *boni ex ſe ipſis naturaliter vocem emittunt; nam nec Sol, nec Luna, opus habent interprete qui nos doceat, ſed ipſi ſuo ſplendore fidem, vel abſque teſte faciūt oculis*: ſi enim, vt ait Seneca:

Ambr. in pſal. 40

Iſaias 16.

Phylon. de ſacrific. Abel.

Sa-

Seneca ep.110 *Sapiens non poteſt habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos aliquos admittat, quibus virtutes communicet.* Spero quos hoc opere feciſti gratos, doctoſque facies, alijs tui acutiſsimi, valdeque ſubtilis ingenij voluminibus, quæ typis mandari (Deo duce) curabis, gratiores, doctioreſque efficies.

Plus vltra. Hoc mirabile opus non ſæpè velociter legendum monemus lectutos, pluribus nam in locis, conceptus ſublime numen, ac vocum præpolitam harmoniam, quibus ad alia è more propenſus perfruebatur Author, etiam in Piloſophicis, quin intenderet, immixta reliquit.

Iam non plus vltra: cum inter celeberrimos doctiſsimoſque viros, qui Divi Didaci Ceſarauguſtanum Illuſtravere Collegium, ſit noſter Perezius vnicus, ne dicam maximus. Hæc vota Authori debita, Libera emitto manu, & calamo, maiora pectori meo recondo. Barcinone die 8. Decembris anno Domini 1685.

Fr. Ioſephus Batlle.

14. *Februarij* 1685.
Imprimatur.
Romaguera V. G. & Offic.

LI-

Digitized by Google

LICENTIA ORDINIS, ET APPROBATIO Cæſarauguſtani Sancti Didaci Florentiſsimi Collegij.

QUÆ in hoc integro Philoſophico curſu ſeratim, & nervosé digeſſit R. P. Fr. Joannes Perez Lopez Sacræ Paginæ celebris Moderator, & Collegij Sancti Didaci Cæſarauguſtani Antiſtes, iuſſu Reverendiſsimi Patris Noſtri Commiſſarij Generalis Patris Juliani Chumillas, ſedulò, confeſtimque perpendimus. Vbi id præcipuum vt hic Subtilis Joannes ex fonte Joannis Subtilis, doctrinam videatur fuiſſe hauſtus. Nihil propalat, niſi per itera aquarum textuum Scoti quicumque dirigens. Hic habes reſurrectum in Subtili, Subtilem, in calculo, cotem, in ſurculo, vitim, in Joanne, Joannem, haud hic aliquid eſt diſcipuli, quod Magiſtri Subtilis haud ſit. Demum examuſim ratas rationes, & dilutas congerit eiuſ-xius obiectiones contrariorum compaginat, & eliminat. Germanam Doctoris Mariani mentem reſerat, & ipſam validiſsimis fulcimentis exculpit. Ea propter præfatum opus citra vllam prorſus lituram publici præli aplauſui dignanter dicādum cenſemus: cum ſanis moribus nullibi refragetur, nec Conciliorum decretis in minimo diſſonum, obtendat, nec Regijs iuribus officiat. Sic ſentimus in hoc Cęſarauguſtano S. Didaci Collegio. Die 17. Septembris An. 1686.

Fr. Hieronymus Lorte, & Eſcartin,	*Fr. Antonius Perez,*
Seraphicæ Cathedræ Moderator.	*Subtilis Cathedræ Moderator.*

LICENTIA ORDINIS.

FR. Julianus Chumillas Lector Jubilatus, Commiſſarius Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. Fanciſci in hac Familia Ciſmontana, Generaliſque Commiſſarius Occidentalium Indiarum, & ſervus &c. Dilecto nobis in Chriſto P. Fr. Joanni Perez Lopez in Noſtra Provincia Aragonum Lectori Jubilato, & noſtri Collegij S. Didaci Cæſarauguſtani Guardiano, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum iuxta Apoſtolicas ſanctiones, necnon Ordinis Noſtri Seraphici Conſtitutiones, opus à te collectum, cuius titulus eſt: *Scotus Philoſophicus*: reviſſum, & approbatum fuerit, gravium Noſtri Ordinis Patrum iudicio, quibus examinandum commiſsimus. Præſentium tenore, cum ſalutaris obedientiæ merito, facultatem tibi concedimus, (prout ad nos attinet) vt illud typis mandare poſsis. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas dedimus in hoc noſtro S. P. N. Franciſci Conventu Matritenſi die 17. Septembris, anni 1686.

Fr. Iulianus Chumillas,
Commiſſarius Generalis.

LEC-

LECTORI LECTVRO.

DOctoris Subtilis genuinam aperire mentem, puram vertere literam,& varijs ex locis diſperſos conciliare ſenſus, dum non ſine ingenti labore, ſaltim corde & animo,totus mihi prætenſus hinc exciterit Scopus, præſentem inde Philoſophiæ curſum (aliter namque ambitioſa,& arrogans denigraret ſuperſcriptio) *Scotum Philoſophicum* inſcribere non erubeſco. Hoc itaque corroborante genio,vt intentus finis,exiguum quâ meum coronaret opus, multifariam Scoti opera legere, conferre,& meditari,pro viribus,& præ oculis poſui in corde meo, prout auditui meo ſcoticam præſtabit fidem, quicumque attente comprobare cupiar Libros Prædicabilium, Prædicamentorum, Perihermeniarum, Priorum, Poſteriorum &c. Circa Phyſicorum dumtaxat Libros, cæterorum nunquam valui ſervare ſtyllum. Dum ergo Scoti Phyſicam videre cæpi, vt pari aliorum librorum commentario elaboratam relinquerem, eam in fronte primarum quæſtionum, extra Scoti ſubtile numen, & ſecundum labium attendi; tuncque ad Prologum reverſus, inveni chartam RR. Patris Lucæ ab Uvandingo,Phyſicam eam,Joannis Scoti cognomento Subtilis, non fore multiformiter comprobantem. Eo ſic venerabundo Chronico,ipſoque opere convictus, vt ſpuriam relegavi(nonnulli Auctores ſupra Scoti Phyſicam ſcribentes,reveta decepti extitere) ſicque hanc,iuxta Libros Theologiæ Scoti, vtpotè Philoſophiam abundé inſerentes, pœnitus depromere decrevi. In Phyſicis verumtamen, maximequè in cæteris Scotici curſus prænominatis Libris,antiquorum Scotiſtarum ſapientiam exquirere conſului,ferè omnes poſsibili cura videns,& Scoticam medullam eviſcerare cupiens, ad recentiſsimorum necnon Authorum ſolidiora incrementa attendens.

Aliquando etiam,ne vnquam Scoti doctrina prædifficili captu deſeretur,ſemel ſtabilito puncto principaliter amplectendo, plures defenſandi relinquere modos, variaſque ad idem punctum ſpargere lineas, conſultò appoſui,vt oſtenſo Subtilis doctrinæ centro, arctæ vnius viæ anxietas, nequeat per aliam vtpotè ampliorem, extra Scoti lucem,delicioſo libertatis pondere Scotiſtam declinare, ſicque invertere. Hæc etenim,cum exacto indigerent examine,in elaborationis curſu,aliquod defluere tempus,nonque ſemper conciſas conſtruere lineas, opus eſt. Profundos enim Scoti ſenſus, ſubtilibus contextos venis, vno calami ſulco, & brevi linearum funiculo, nec præclarior interpres, vſque adhuc exauriri,lucratus. Vtinam,Deo dante,hæc tametſi inutilis ſervi paucula lucrentur talenta, in Dei gloriam,Religionis obſequium, Scoti tributum,& gratitudinis ſignum, dum vita comite, & Subtili Duce, Theologicum meum, præparo ſine mora curſum. Vale in Domino.

DIS-

DISTINCTIONES PRÆFIGVRANTES:

LOGICÆ

ERVDITIONIS COMPENDIUM: AMPLIORIS MENTIS CVRSVS, PRÆVIVM ITER, SEV ITINERIS ATRIVM.

PROOEMIANS ARGVMENTVM.

INGREDITUR nunc tener, puerilíſque intellectus per ſtrictam, parvulamque domus ſapientiæ ianuam, ad celſam, & elevatam rationis fabricam: ingreditur ſiquidem per compendioſam viam ad intenſam, & extenſam logicæ ſphæram; videns per ſpeculum in ænigmate, coúſque non vt parvulus, ſed vt vir, virium incremento diſcurrens, eius arcana facie ad faciem intueatur. Videt ergo nunc per ſpeculum in ænigmate; quia in his ſummularum diſtinctionibus habet, non lucem ſed vmbram; non faciem, ſed ſpeculum; non claritatem, ſed ænigma; non radios, ſed ſcintillas; non ſiquidem habet extenſos libros, ſed ſummas, ſeu ſummulas arctas. Præſens itaque d. d. notitia, meritò ſummula vociratur (ſummula, prout nomen indicit, à ſumma derivatur) num erat igitur, & reſtringit veritates Logicæ diffuſſas in q. q. vniverſ. in lib. Periherm. Prior. Poſter. Topic. Elench. &c. prout in lib. 2. d. 2. q. 1. præamb. 1. cum Scoto diviſæ manebunt, quas hinc concipit intellectus ex parte, vſque dum veniens, quod perfectum eſt, omnium evacuetur vmbra, ſic que myſterioſum diſſolvatur ænigma.

DISTINCTIO PRIMA.
De Logica terminis.

CONSULTO, priuſquam de principijs ſcientiæ agamus, de eius terminis ſermonem inſtituimus; quia vt rectè Scotus *in q. 1. Poſter. §. ad oppoſitum eſt Ariſt.* principia cognoſcimus ex eo, quod terminos cognoſcimus, &c.

QUÆSTIO I.
Quid ſit terminus Logicus.

CUm in lib. 1. de ente intentionali plenam intendam dare notitiam; hinc pro ſubſequentium captu, quid primæ, & ſecundæ intentiones ſint, propè ſupponam. Prima enim intentio dicitur, omne illud eſſe intelligibile entis, ſua prædicata poſsidentis ab omni mentis conſideratione præciſsi. Undé huiuſmodi prædicata meritó prima dicuntur; quia quidquid à parte rei exiſtens, à forma intellectiva denominatur, primó debet habere eſſe in ſe, quàm in cognitione denominante

Digitized by Google

te; non enim ſic haberet cognoſci, ſi prius in ſe nō haberet eſſe. Sic ſe habent ſubſtantia, corpus, vivens, &c.

Secundo intentionalia dicuntur omnia illa entia, quorum veritas, etſi fundamentum in rebus inveniat, ipſius tamen intelligibilitas mentis conſiderationem formaliſſimé connotat, ſub cuius vi, rebus ingenioſè attribuuntur, & applicantur: v.g. Petrum eſſe ſubiectum, animal eſſe genus, &c. Quæ ſecundó intentionalia dicuntur; quia quidquid aliquod eſſe ſupponit, ſecundarium eſſe dicitur, & intentionalia ſupponunt quæcunque à parte rei exiſtentia, ſicuti in quacunque linea debent ſupponi fundamenta.

His ita breviter expoſitis, terminus, adhuc ſub Sphæra Logicæ, manet tripliciter conſiderandus. Primó poteſt capi ſecundum propriam, etſi communem vocem, pro termino logico exprimētem omnem formalitatem ſoli Logicæ ſpecialem: in quo ſenſu, de illoqui proprijs alicujus ſcientiæ vocibus non alloquitur, ſolet dici, non eſſe in terminis facultatis. Secundo poteſt capi terminus logicus pro illa formalitate, quæ in aliquo ente logicali habet ſimpliciter eſſe partem: in quo ſenſu iuxta intentum Ariſt. 1 Prior. termini entis intentionalis enuntiativi, ſunt ſubiectum, & prædicatū. Ubi notabis, quod talibus terminis, vltra primam termini rationem convenit alia ſpecialior, quæ omnibus logicis terminis non convenit, prout eſſe terminos logicæ, nil plus exprimit, quam eſſe aliquid Logicæ ſpeciale.

Tertio modo terminus logicus poteſt capi ſecundum rigorem, & proprietatem vocis; in quo ſenſu formam complentem, & terminantem aliquod ens, eius terminum vocamus: ſic formam phyſicam entis naturalis terminum dicimus, & formam intellectivam terminum potentiæ intellectivæ, &c. Undè ſic terminus logicus vt ſic, ſpecialius ad eſſe termini contrahitur, cum ſic conſideratus non conveniat omnibus entis intētionalis principijs, ſed ſolum proprié terminanti, prout ex profeſſo dicam in diſt. 7. q. 2. de forma propoſitionis inquirens.

In ſecundo igitur ſenſu Ariſtot. terminum definivit iuxta illam 1. Prior. tritam definitionē, quam aliqui reijciunt, & poſſent impugnare ex eo, quod prius conveniat parti eſſe, quam reſolvi; ergo priuſquam conſtituatur per id in quod reſolvitur, conſtituetur per id in quo eſt. Dices, intentū Ariſt. non eſſe conſtituere terminum per reſolutionis actum, ſed per eius poſsibilitatem. Cōtra, quia ſicuti ſe habet reſolutio ad compoſitionem actualē, ſic ſe habet poſsibilis reſolutio ad compoſitionem poſsibilem; ſed actualis reſolutio exprimitur poſterior compoſitione actuali; ergo, & poſsibilis poſsibili.

Reſponderi tamen poteſt dicendo intentū Ariſt. non eſſe explicare terminos totius intentionalis per ipſius reſolutionem, ita vt eos à priori intenderet conſtituere; quia ſi terminus eſt *id in quod reſolvitur propoſitio*, iam ante reſolutionem ſupponebat *eſſe id*, ſicuti ſupponebat eſſe propoſitionem. Itaque terminum per reſolutionem explicuit, vt forté, notior ſit nobis; ſæpè enim per ea quæ ab ædifitijs auferuntur, percipimus quæ in eis poſita erant. Sic aiebat Scotus, quod rectum eſt index ſui obliqui, & è contra. His, & alijs dicendi modis derelictis.

Dico 1. terminum logicum in primó ſenſu captum ſic poſſe explicari: *Formalitas ad ens ſecundo intentionale proximè, & formaliter cōductiva.* Ponitur *formalitas*, & non ponitur dictio, quia prædicatum prout reduplicativé tale, eſt terminus, & tamen non eſt dictio, ſed dictum, vtpote de ſubiecto. Convenit deindè cum formalitatibus objectiuis, vndè habet eſſe genus. Differt ab illis; nec non à grammaticalibus per reliquas particulas. Dixi etiam notanter, *formalitas*, & non dixi *pars*; quia in hoc primo ſenſu, etiam copulæ convenit eſſe terminum, cum ſolius Logicæ ſit proprium de illa agere, prout proximé, & formaliter ad ens ſecundo intentionale conducit; & tamen copula non eſt pars. Sic enim eductio formæ, eiuſque vnio cum materia, ad ens naturale conducunt, tametſi eius non ſint partes.

Dico 2. in ſecundo ſenſu ſic poſſe terminū definiri: *Principium entis ſecundò intentionalis conſtitutivum.* Dicitur *principium*. Ut conveniat cum cuiuſvis ſcientiæ principijs. Ponuntur reliqua, vt ab omnibus differat. Noto tamen, non dixiſſe, *Principium ſecundæ intentionis*, ſed *entis ſecundo intentionalis*; quia ſicuti ens naturale proprié loquendo non dicitur natura, ſed ens ex naturis conſtitutum: ſic propriè paralogizando, totum logicum non debet dici ſecunda Intentio, ſed ens ex ſecundis intentionibus copulatum. Itaque propoſitio eſt ens ſecundo intentionale; partes veró, & eius principia, ſcilicet ſubjectum, & prædicatum ſunt ſecundæ intentiones. Sic de alijs paralogiza. Qua propter exiſtimo congrué notandum, quod ſicuti dantur aliqua principia in phyſicis, quæ in illa linea ſunt ita prima, vt nō componantur ex alijs; ſic ſervatis ſervandis in ente intētionali dantur aliqua principia, quæ in illa linea non ſupponunt alia ex quibus coaleſcant. Sic igitur ſubjectum eſt ita prima ſecunda intentio, quod ipſum ſit entis intentionalis principium, quin ipſum, aliquod principium habeat, quod ſit ſecunda intentio formaliter, ſed ſolum effective, ſicuti effectivé materia prima ſupponit aliud principium, non autem materialiter. Sic ſecunda intentio ſubjecti v. g. ſupponit effectivé principium intellectivum, non autem formaliter. Itaque ſic parificando debet diſcurri de alijs ſecundis Intentionibus reſpectu aliarum ad quas ordināntur, ſicuti de forma ſubſtantiali reſpectu primi ſubjecti.

Dico 3. quod terminus logicus ſecundum rigorem, & proprietatem vocis poteſt ſic explicari:

ri: *Principium entis ſecundo intentionalis formaliter terminativum.* Per eſſe principium convenit proximé cum ſubjecto. Per reliqua differt ab illo, cum ſolum prædicatum ſit forma. Differt etiam à copula, quia iſta nõ complet, neque determinat vt principium, ſed vt conditio. Undé ſic de alijs compoſitis ſecundo intentionalibus eſt diſcurrendum; quia ſi datur logicé ſubjectum, & logicé vnio; ergo, & dari debet logicé terminus, qui ſit in tali compoſitione forma ſecundo intentionalis. Compoſitum enim phyſicum eſt veluti mẽſura, inſtar cuius efficit agens intẽtionale cõceptibus formalibus, quod phyſicum agens efficit conceptibus objectivis; ergo cum in ente ſecundo intentionali, inſtar phyſici, veluti ſubjecti tollat indifferentiam, prædicatum erit illius entis formaliter complectivum.

Ob 1. contra primam concluſionem; voces, nec non primæ intentiones conducunt ad logicam, quia ſecundæ intentiones dari non poſſunt ſine primis, ergo ſunt termini. Diſtinguo antecedens, conducunt formaliter, & proximé, nego; fundamentaliter, & remoté, concedo, & nego conſequentiam. Itaque precisé ſunt materia ex qua logicus conducit quæ logicę ſunt ſpecialia.

Ob. 2. nulla conditio ſpectat formaliter ad aliquod exercitium; ergo copula formaliter ad artificium logicum non conducit. Diſtinguo antecedens: nulla conditio ſpectat formaliter ad aliquod exercitium, vt forma, concedo; formaliter, hoc eſt, non conducit ad lineam formalem, nego. Vel ſic; formaliter, prout contrapoſitum ad fundamentaliter, & extraneum, nego. Formaliter tamquam forma, & præcipuus actus concedo. Itaque etſi copula non ſit forma entis intentionalis, poteſt tamen dici de eius linea formali. Sufficit enim, vt aliquid formaliter conducens reſpectu alicuius lineæ, & artificij dicatur, quod ita ſpecialiter ibi ſe habeat, & nil extra ſit. Ex quibus hinc collige, quod omnis formalitas, quæ ad formam logicam ſpecialiter conducat, ſive ſit nomen, ſive oratio, in hoc primo, & generali ſenſu terminus logicus erit.

Ob. contra tertiam concluſionem, dum ſubjectum ſit pars logici entis nulla ſupereſt prædicato differentia, vt prædicatum ſecundũ rigorem vocis ſit terminus; ergo inutiliter præfata doctrina probatur. Reſpondeo negãdo antecedens, quia ad rationem partis ſufficit, quod componat, quod habet ſubjectum; ad rationem veró termini ſupereſt, quod determinet; quod habet in propoſitione prædicatũ; in diffinitione differentia. Cur autem prędicatum potius, quam ſubjectum, eſt ſic terminus reputandus? Reſpondeo præter dicta, & adhuc dicenda, de ratione cuiuſvis termini eſſe, ſaltim origine poſterius ſe habere ad ſubjectum; & ſemper ſubjectum, veluti principians ens ſecundo intentionale concipitur prius; quia prius requiritur, quod aliquid ſit, quam quod aliquid de illo dicatur, & prædicatum eſt, quod dicit, & ſubjectum eſt, quod eſt.

Inſtabis etiam: antequam prædicatum dicat, requiritur quod prædicatum ſit; ergo nullius momenti præfata ſolutio eſt. Si reſpondeatur prædicatum, non eſſe antequam dicat, cum dicere de ſubjecto, ſit ejus adæquata eſſentia. Contra, quia neque ſubjectum eſt ſubjectum, quia abſolute ſit, ſed quia eſt id de quo aliquid dicitur; ſed non poteſt de illo dici aliquid, quin iam prædicatum ſit; ergo nunquam eſt ſubiectum prius prædicato.

Reſpondeo in primis bene poſſe compati non poſſe vnum compati ſine alio, & eſſe origine poſterius illo, vt patet inter producens, & productum; & ſic, etſi vna intentio derivet aliam inſimul, bene poterit vna eſſe poſterior origine reſpectu derivantis. Deinde vt ſit prædicatum forma, avt terminus formalis, ſufficit quod ex munere habeat præbere denominationem; nec non, & aliquid dare ſubiecto, cum dare ſemper ſit præſtantius. Sic, etſi inſimul creando materiam concrearet formam, ſemper iſtius proprium eſſet ratio termini formalis, ſicuti alterius, quia receptivæ denominationis, ratio primi ſubiecti. Denique, quia intellectus primo concipere videtur ſubiectum, & vt complectivum prædicatum, propter quod hunc ordinem exterius, ſemper forſan ſervavit Philoſophus. Sufficit etiam pro fundamento ſecundæ intentionis ſic formandæ, quod vocem, vſum, & rationem ſubiecti intellectus concipiat.

Obiicies contra omnes, quod in Grammatica, Rhetorica, & in alijs ſcientijs dantur aliquæ 2æ. intentiones, v. g. quod Muſſa declinetur, quod genu indeclinabile ſit; & ſic in Rhetorica, quod pars poſsit admitti pro toto ſine mendatij nota; quod oratio procemio incipiat, tropis, & Metaphoris elevetur, epilogis claudatur &c. ergo ſecunda intentio non ſolum entis logicalis eſt terminus, & principium.

Reſpondent aliqui inter quos noviſsimé Noſter Groſſo; quod in talibus ſcientijs ſolum datur ſecunda intentio Metaphorica, & impropria, eo quod ſecundæ intentiones Grammaticæ, & Rhetoricæ ſint ſine fundamẽto in re, dependent ſiquidem à præciſo homi-

 num

num beneplacito, vel ſolum ab aliqua proportione metaphorica; at vero ſecundæ intentiones Logicæ habent proprium eſſe intelligibile, & in rebus ipſis fundamentum.

Sed revera, etſi aliqua ſecundo intentionaliter ſine fundamento in illis ſcientijs videantur denominari; non autem omnia; alias non daretur Metaphora, quæ ex quibuslibet rebus non poſsit pulchré percurri, quod falſum eſſe experimur. Deinde ſufficit pro fundamento, quod in rebus talis detur indifferentia, vt vna, aut altera ſecunda intentio: ſine ipſarum repugnantia poſsit accomodari. Denique quia forté, ſi multum examinemus ſecundas logicæ intentiones, nil plus proportionis inveniemus, quam dexterum rationis vſum.

Sentio igitur huic argumento reſpondendum iuxta deciſsionem, quam habemus in tractatu de ſecundis intentionibus. Vndé ſi ibi alias ſecundas intentiones præter logicas reſolvamus, in tali caſu addenda eſt in prædictis definitionibus aliqua particula *Logica*. Sed à dicendis præciſus, dico pro nunc, quod caſu quo prædictarum ſcientiarum intentiones, ſimpliciter, & proprié tales ſint, erit ex eo quod formaliter, & directivé logica ibi inveniatur, & ſi materialiter ita diverſi appareant actus, quod difficiliter logica percipiatur. Firmiter igitur ſtandum eſt in hoc, quod ſecundas intentiones rebus applicare, nec non cum fundamento illas efformare ſolius logicæ eſt exercitium, etſi ex hac reſolutione plura logicæ addamus. Ita expreſſe Doctor ſubtilis in *2.d.3.q.1.& 2.§. ad quæſtionem igitur concedo*, vbi ait: *Logicus enim conſiderat ſecundas intentiones applicatas primis.* Videatur etiam ſupra *q.1.Elenchor*. fere per totum.

QUÆSTIO II.

De terminorum diviſione aliqua expenditur notitia, & incidens reſolvitur dubitatio.

PRima diviſio debet apud nos fieri ex terminis primo, & ſecundo intentionalibus, de qua in primo diſt.§ manet notitia.

Dividitur deinceps terminus ſecundo intentionalis in mentalem, vocalem, & ſcriptum. Horum explicatio nulla alia debet eſſe, quam in quæſtione antecedenti data: hoc ſervato diſcrimine, quod mentalis eſt illud principium intentionale, quod intra mentem eſt; vocalis dum profertur, & ſcriptus dum ſcribitur.

Dividitur etiam in ſignificativum, & non ſignificativum, quorum explicatio ex ipſis terminis patet. Solum noto hinc, quod hæc diviſio non eſt termini logici, ſeu entis ſecundo intentionalis; quia nullus eſt terminus qui logicé non ſit ſignificativus v. g. Blictiri non eſt terminus; aut Blictiri nõ eſt ſignificativum, vbi in vna propoſitione aliquid dicitur, ſicuti in alia aliquid negatur. Sic littera A, terminus logice ſignificativus eſt; v. g. A, eſt B. vel A, non eſt B.

Dividitur deinde terminus in Categorematicum, & Syncategorematicum. Terminus Categorematicus poteſt dici, quâ logice inſpicitur: *principium per ſe entis ſecundo intentionalis conſtitutivum.* Syncategorematicus vero poteſt dici: *accidens modaliter inhærens in principio entis ſecundo intentionalis conſtitutivi.* Itaque ſic iſti termini ſunt intuendi ſicuti ſubſtantia, & accidens. Undè ſicuti ſubſtantia per ſe, & independenter exiſtit, & operatur; accidens vero neque operatur, neque exiſtit niſi in principio ſubſtantiali inhærens; ſic pariter terminus Categorematicus ita abſolutus eſt, quod de per ſe poſsit in effectum intentionalem influere; at autem Syncategorematicus ita accidentaliter exiſtit, & cauſat, quod requirat ab alio dependere, cum abſque ſubjecto nõ exiſtat.

Solet etiam dividi terminus in complexum, & in incomplexum. Incomplexus, poteſt dici, qui vnicæ ſecundæ intentionis eſt capax, v.g. Petrus, animal &c. Complexus veró poteſt dici, qui pluribus intentionibus eſt capax, v.g. animal rationale, qui terminus, & eſt capax intentionis generis, & differentiæ.

Quàm plurimas alias termini diviſiones omitto, quia cum ex omnibus perceptibilibus poſsit termino accomodari diviſio, debebamus feré infinitas hinc adducere.

Solum reſtat reſolvere dubitationem ex diviſione quarta ortam. Ratio dubitandi oritur ex eo, quod ſupra dixerimus, dari terminos Syncategorematicos, illos que eſſè, qui abſque ſubjecti inhærentia non valent aliquam ſecundam intentionem ſubjecti, vel prædicati ſortiri.

Ex quo oritur, quód ſi prædictæ rationi nitamur, nullus dabitur terminus, qui Categorematicus non ſit, ſaltim rigore logico. Quód ſic poteſt ſuaderi: ideó apud feré omnes, termini Syncategorematici dantur, quia dantur aliquæ formalitates, quæ ſine alterius inhærentia, non valent eſſe ſubjectum, aut prædicatum; ergo nulla datur, quæ ſit

ter-

Digitized by Google

terminus Syncategorematicus. Major eſt communis. Minor ſuadetur, quia ſi aliquæ eſſent, maximé, *omnis, nullus, &c.* Sed hæc ſubiectum, & prædicatum valent eſſe; ergo. Prob. minor his propoſitionibus: *v.g. Petrus eſt aliquis; nullus eſt homo; omnis eſt ſapiens &c.* Quæ propoſitiones licet phyſicé, & methaphyſicé ſint falſæ, at logicé rectæ ſunt, & aliquid de aliquo prædicant: ergo &c.

Deindé vigoratur argumentum, ſumendo vim ex eo quod ſemper, & quãdo prædictæ notę ponuntur, eſt ad formandum aliquem ſyllogiſmum in Barbara, vel in aliqua figura, quæ vniverſalibus, vel ſingularibus eget propoſitionibus. Ex quo ſic [formo] vim: ad tales formandas propoſitiones v. g. ad ſyllogiſmum in Barbara, vtpote omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo; ergo omne rationale eſt animal, non minus formalitas: *homo* indiget nota *omnis*, quam nota *omnis* indigeat formalitate, *homo*; ergo vel propoſitiones ſyllogiſmi in Barbara habent omnes terminos Syncategorematicos, vel nullum habent terminum qui Categorematicus non ſit.

Reſpondeo tamen argumento concedendo maiorem, & negando minorem, & cõſequentiam. Ad probationem minoris concedo majorem, & nego minorem, & conſequentiam, & ad exempla probantia, reſpõdeo quod in hac propoſitione, Petrus eſt aliquis, ly *aliquis* ſervat proportionem aceidentis, vt ſupra notabam, ſicuti enim accidens ſine ſubiecto dicit inclinationem ad illud, ita vt hæc a nullo agente poſſit evelli; ſic ly *aliquis* dicit implicité vnionem, & inhærentiam ad ſubſtantiam, ſeu ſubiectum individuum, quæ à nullo Intelligente, & tunc ſecundo intentionalizante poteſt non concipi; *aliquis* enim à fortiori debet eſſe *Petrus* ſub individuali ratione. Sic in hac propoſitione *omnis eſt homo*, aut in hac *nullus eſt homo*; ſi ly *nullus* masculine ſumatur prædicat *homo* de omnibus individuis de quibus natura humana negatur. Si ly *nullus* ſumatur *neutraliter*; loquitur de omnibus rebus mundi; in quo ſenſu, *omnis eſt homo*, facit hũc ſenſum: *omne eſt homo*. Quo pacto in aliquo abſoluto eſt.

Ad rationem roborantem ex ſyllogiſmo in Barbara. Reſpondeo verum eſſe quod homo reſpectivé conſideratus, poteſt etiam dici terminus Syncategorematicus, prout talis dici, ſignificat dependentiam; quia in tali caſu iam non conſideratur homo vt ſubiectum abſolute, ſed vt ſubiectum propoſitionis modificatæ, in qua vt ſit ſubiectum aliquo indiget, cum ſolum non ſufficiat. Sic paries eſt ſecundum ſe independens; attamen ſi conſideretur, vt pars concreti albi v.g. jam tunc non minus paries requirit conſortium albedinis, quam è contra. Dicitur tamen paries ens abſolutè independens, quia ſimpliciter ſine illo concreto de per ſe exiſtere poteſt. Sic pariter ſimpliciter loquendo ſemper homo dicendus eſt terminus Categorematicus, non autem notæ illæ, quia homo ſimpliciter poteſt eſſe principium alicuius entis intentionalis abſque alterius conſortio v.g. homo eſt animal, non autem illæ notæ ſic valent eſſe.

Sin autem in hac propoſitione *omnis eſt homo*, velint capere ly *omnis*, ita vt nil ſignificet præter materiale vocis; in tali caſu, & ſi irrationabilis ſit propoſitio, logica tamẽ erit, & ſic erit ſubiectum Categorematicum, quia tunc non habet vim, & expreſsionem *Notæ*. Quare ſic erit ſubiectum in illa propoſitione, ſicuti in iſta *Blictri eſt homo*.

DISTINCTIO II.

De proprietatibus termini Logici.

INTER alias proprietates termini, quæ magis à nobis percipitur eſt ſuppoſitio; de qua inquirendum venit quid, & quotuplex ſit, quod ſequẽtibus quæſtionibus decidetur.

QUÆSTIO I.

Quid ſuppoſitio ſit?

CErtum, vel commune eſt, quod ſuppoſitio vt ſic, nil aliud eſſe videtur, quam ſubrrogatio, ſeu exercitium vnius pro alio, ſeu loco alterius; ſic Prorex munus regium exercens pro illo ſupponere dicitur. Neque in hoc aliquid controveſiæ dignum ſentio. Difficultas ſtare videtur in explicanda logicæ ſuppoſitionis natura, cum difficilimum ſit inter ſuppoſitiones invenire differentiam. Ratio eſt, quia modó res logica pro alia, quæ logica ſit, ponatur; modo ponatur pro alia, quæ non ſit logica, in linea ſupponendi idem apparet exer-

exercitium; quia quod termini ſuppoſitionis ſint phyſici, vel ſint logici, videtur impertinens ad hoc vt ſuppoſitio in omnibus terminis, non ſit formaliter eadem.

Dico igitur, quod ſuppoſitio, prout ad præſens explicari ſpectat, nil aliud eſt, quam *Exercitium alicuius formalitatis pro aliqua de per ſe ad ens ſecundo intentionale conductiva*. Per eſſe exercitium alicuius formalitatis, convenit cum reliquis mentis, & rationis ſuppoſitionibus. Convenit etiam cum aliquibus ipſius logicæ exercitijs, quæ de per ſe non ſupponunt ſemper. Necnō convenit cum exercitijs primorum principiorum entis ſecundo intentionalis, quæ pro alijs ſupponere, dificile eſt; ſicuti dificile eſt Regi pro alio ſupponere, cum ſit primus in exercendis. Dixi notanter *pro aliquo conducente ad ens ſecundo intentionale*; quia copula non eſt principium formale ſecundæ intentionis, & tamen in caſu, quo pro ipſa aliquid ſupponeret, ſpecialis logicæ foret ſuppoſitio. Dixi etiam, quod ſuppoſitio logica requirit, quod logicum, ſeu ſecundo intentionale ſit, illud cuius loco ponitur aliud; non autem expreſsi, quod logicum debeat eſſe id, quod loco entis ſecundo intentionalis ponitur; quia ſi poſsibile ſit, quod res, quæ ponitur pro alia, ſit logica, & logica non ſit illa, pro qua ponitur, tunc formaliter non erit logicę ſpecialis ſuppoſitio, ſed de genere ſuppoſitionis, vt ſic; erit enim rei logicæ poſitio, non autem erit logica ſuppoſitio. Sin autem, é contra eveniat, logica erit formaliter ſuppoſitio.

Hæc ita explicui, quia ſaltim extrinſecé formæ ſumunt ſpeciem ab illis, inter quæ mediant, & ad quæ terminantur, & ſic qualia ſint extrema, quæ exercentur, tale debet eſſe, & exercitium; ergo ſi extrema ſecundo intentionalia ſint, non eſt cur logica non denominetur ſuppoſitio. Si autem extrema ſint regalia, politica erit ſuppoſitio.

Dixi etiam, quod formaliter debet denominari ſuppoſitio à termino, ratione cuius aliud ponitur, iam quia ferè ſemper denominatio ſumitur à famoſiori, & famoſius eſſe ſolet id, ratione cuius aliud ponitur. Suaderi poteſt in Rege, pro quo ponitur Prorex, in ſpecie, quæ ponitur pro obiecto, in vocibus, quæ ponuntur pro conceptibus, & in accidenti, quod ponitur pro ſubſtantia, quoad cognoſci.

Deindé, quia id quod ponitur loco alterius, tunc melius ſupponet, quanto ſtrictius faciat, quod aliud faceret, ita vt exercitium debeat accomodare pro qualitate illius, pro quo ſupponit; ergo ex eo eſt, quod ſuppoſitio formaliter debet ſumere ſpeciem à termino, quem repreſentare intendit. Suadetur in ſpecie gerente vices Deitatis, & entis infiniti, quæ repreſentativé eſt infinita.

Ob. 1. licet id, quod ſubrogat pro alio, loco illius ponatur; ponitur tamen illius loco, vt eius neceſsitatem ſuppleat; ſed perfectius eſſe debet neceſsitatem ſupplens: ergo à ſubrrogante debet ſuppoſitio ſpecificari. Reſpondeo, concedendo maiorem, & negando minorem in caſibus ſuppoſitionis. Ratio eſt, quia hoc quod eſt ſupplere formaliter, ſemper manet in linea inſtrumenti, ita vt principalitatem, quam ex ſe haberet, amittat, dum pro alio ſuppleat. Si enim Rex pro fabro ſuppleret, formaliter nunquam ad propriam perfectionem fabri perveniret. Qua propter, advertendum eſt, quod etſi in aliquibus caſibus videatur nobilius pro ignobiliori ſupponere, etſi materialiter, quod ſupponit, perfectius ſit, non autem formaliter. Ratio eſt, quia ex ſuppoſitione, quod nobilius debeat ſupponere; eſt aliud, pro quo ſupponit, motivum compellēs, vt ad ſuum modum conſtringatur.

Ob. 2. potius aliquid videtur ſpecificari ab illo, quod in exercitio eſt præſens, quā ab illo, quod in exercitio eſt abſens; ſed quod ſupplet, ſemper adeſt, ſicuti ſemper abeſt, pro quo ſupplet; ergo ab illo, & non ab iſto ſumenda videtur ſpecificatio. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, ſi exercitium ſit talis conditionis, quod vtrale exercitium ſit, vnum petat abſens, nego; ſi alterius conditionis ſit, concedo. Minor poteſt etiam diſtingui; ſemper abeſt, pro quo ſuppletur, repreſentativé, & formaliter, nego; materialiter, & entitativé, concedo, & nego conſequentiam. Itaque dico, quod aliquando exercitia ſumunt diſtinctam ſpeciem, penes alicuius extremi abſentiam. Sic appetitus deſiderij materiæ non denominatur à ſubiecto in quo eſt, ſed à termino, quē non dum habet. Sic etiam exiſtimo defendere, quod relatio tranſcendentalis ſumit diſtinctā ſpeciem, non à fundamento, in quo eſt, ſed à termino non exiſtente. Undè idem dicendum eſt de ſuppoſitione, quia ſuppoſitio logicé conſiderata, eſt de genere relativorum.

(.·.)

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De ſuppoſitione, quæ reſtabant reſolvens.

EGimus in antecedenti de ſuppoſitionis quidditate;nunc de illius diviſione agendum reſtat.

Dividi ergo ſolet ſuppoſitio in materialem, & formalem. Formalis, juxta communiter aſſerta, poteſt explicari: *Exercitium formalitatis externa pro altera, quid diſtinctum, ſignificante*, v.g. homo eſt animal, in quo exercitio iſtę voces homo,& animal ſupponunt pro conceptibus formalibus intellectus ſignificantibus naturam hominis, & animalis ab ipſis vocibus diſtinctam. Ex quibus colligitur, quod ſuppoſitio materialis debet eſſe *Exercitium pro alio rem indiſtinctam ſignificante ab ipſo exercente, & ſubrrogante:* v.g. homo eſt vox, in quo dicto voces ſupponunt pro conceptibus mentis non ſignificantibus naturam diſtinctam ab ipſis vocibus ſupponentibus.

Dices,ergo quando terminus logicus vocalis ponitur pro termino mentali logico,tunc non dabitur formalis ſuppoſitio, cum nil diſtinctum ſit, quod ponitur ab illo, pro quo ponitur. Inprimis ſupponit,quod de per ſe logicam habeant voces. Deindé reſpondeo, quod adhuc admiſſo, quod in vocibus forma logica recipiatur, tamen vt ſupponunt, ſolum dicũt de per ſe ſenſibilem, & externam articulationem; vt ſupponentes enim ſolum debent exercere id,quo indiget illud,pro quo ſupponunt, quod cum non indigeat actu repreſentante logicam, quia ipſemet interne eam repreſentat, ſed ſolum actu repreſentante ipſum, hinc eſt, quod prout voces ſupponunt, non aliter logicam exprimunt, niſi quia ipſæ ponuntur loco alterius,quod logicam exprimit. Ex quibus infertur, quod voces vt ſupponentes ſubrrogãt pro aliquo diſtincta ſignificante; ipſæ enim ſupponunt pro conceptu formali, & iſte objectum formale ſignificat.

Hinc ſolent aliqui agere de vocum ſignificatione ,& ſuppoſitione, vt prædicta magis corroborent. Reſolvam tamen de his agere, vbi de ſignis externis cum feré omnibus agitur. Omitto etiam notitiam de quinque ſuppoſitionibus proprietatibus, videlicet, de ſtatu, de ampliatione, reſtrictione, alienatione, & appellatione, iam quia ſuppoſitionis laté, & impropriè proprietates ſunt; iam quia propriè, ad Rethorem ſpectat illarum præbere notitiam.

DISTINCTIO III.

De nomine verbo, & oratione.

QUÆSTIO I.

Specialis, nominis expenditur notitia.

PHILOSOPHUS, *primo de Interpret. cap. 1.* ſic nomen explicuit: *Vox ſignificativa ad placitum ſine tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat finita, & recta.* Iuxta mentem Philoſophi,ſic poſſe explicari, ſentio. Dicitur *vox*, quia cum nomina ab hominum arbitrio pendeant, actus mentis, à ratione nominis excludere, videtur, ſiquidem hominum beneplacitum circa ſenſibilem materiam verſatur. Dicitur *Significativa ſine tempore*, vt diſtinguatur à verbo.Dicitur *cuius nulla pars ſeparata*, vt diſtinguatur ab oratione, cuius partes idem ſignificare valent ſeparatæ, ac cõiunctæ.Quare hoc nomen *Dominus* etſi ly, *do*, & ly, *minus*, ſignificent ſeparata; non tamen ſignificãt idem, ac coniuncta. Coniuncta enim ſignificant dominium; & diſperſa ſignificant dare minus. Contrarium enim in orationum partibus evenire ſentitur. Dicitur *finita*, vt nomina infinita excludantur, v. g. non lapis, non homo,& quæ nullam rem determinatam ſignificant. Dicitur *recta*, vt excludantur caſus obliqui, v.g genitivi,&c.: quia licet apud Grammaticos,nomina ſubſtantiva ſint, tamen Philoſophus, in ſua nominis explicatione,ſolum voluit nominativa comprehendere; eoquod ſolum in caſu nominativo ſubiectum, & prædicatum eſſe poſsint. Quare noto hinc, quod huiuſmodi propoſitiones v.g. hic liber eſt Petri, debet, vt logicé ſignificet, hunc facere ſenſum: hic liber eſt aliquid Petri; vel ſic melius: hic liber eſt liber Petri.

Hæc igitur definitio cum hac, vel æquivalẽti explicatione à pluribus admittitur, ſentio tamen Philoſophum ſolum latè deſcribere nomen voluiſſe; vel de nomine logico non curaſſe, quod difficilé apparet. Hoc poteſt ſuaderi ex Doctore ſubtili *q. 2. ante prædam. §. ad aliud*: vbi ait: *Nec logica eſt per ſe de vocibus*,

Digitized by Google

bus, nec vocis paſsiones conſiderat; ergo impropriè ſub voce nominis logici natura expenditur. Deinde, quia in omnibus ad logicam ſpectantibus, rationem logicę ſpecialem debemus accomodare; ita vt nomen logicum, ſicuti terminus logicus diſtinctè percipiatur.

Reſolvo ergo, nomen logicum ſic poſſe explicari: *Principium de per accidens complexũ, vt ſecunda intentionis ſit ſignificativum.* Dixi: *Principium*, vt excludatur copula, quæ eſt verbum logicum, & copula nunquam alicuius intentionalis eſt principium, ſed conditio principiorum. Convenit tamen per eſſe principium, cum omnibus principijs eſſe ſecũdo intentionale non ſignificativis.

Dixi: *De per accidens complexum vt ſecunda intentionis ſit ſignificativum.* Quia iuxta intentum Philoſophi, maior difficultas ſtare videtur in diſcriminando nomen ab oratione, & per præfatas particulas ſufficientér diſcriminare videtur. Sic ſuadetur, quia etſi aliquando nomen v.g. Dominus, Reſpublica, & alia huiuſmodi, partibus conſtent, & complexa ſint; attamen, vt ſecundas intentiones ſubiecti, vel prædicati ſignificent, valdè accidit eis; eo quod de per ſe illas ſignificarent nominatim, etſi ſimplicisſimæ formalitates forent.

Dices, quod vt aliquod nomen, logicè ſit tale, & ſecundam intentionem ſignificet, requirit eſſe in propoſitione, vel in aliquo alio ente ſecundo intentionali; ergo requirit eſſe de per ſe complexum. Reſpondeo ſuppoſito antecedenti, negando conſequentiam; quia ex eo, quod ſubiectum debeat coniungi cum alia parte, vt aliquid ſecundo intentionaliter ſignificet, non ſequitur quod ſit complexum, ſed pars complexi, quod non accidit ſubiecto; accidit verò, ſubiectum eſſe aliquod complexum ſecundum ſe cõſideratum, & vt iuxta id, quod in ſe eſt, ſecundo intentionaliter aliquid ſignificet, quod longe diverſum eſt.

Adverto maximè, notanter dixiſſe de ratione nominis eſſe ſignificare ſecundam intentionem, non autem dixi eſſe ſecundæ intẽtionis conſtitutivum, quia de ratione cuiuſvis formalitatis logicæ, vt terminus logicus eſt, principalius debet dicere conſtitutionem entis ſecundo intentionalis, quam illius ſigeificationem; prius enim debet concipi habens eſſe, quã ſignificationem; at vero de ratione formalitatis logicæ, prout nomen logicè eſt, principalius, & expreſsius debet conſtitui per ſignificationem, cum nomen non habeat aliud eſſe proprium, quam ſignificare, cum ſit index naturæ propriæ repreſentativus. Nil aliud nomina exprimere videntur.

Ex quibus, ſi mavis aliam fortè proprioτem, poteris nomini adaptare explicationem, etſi non conformem, ſicuti primam Ariſtotelicæ explicationi. Poteſt igitur ſic, omne logicum nomen explicari: *Signum aliquid dependenter à ſecundo intentionalizante ſignificans.* Iuxta quam explicationem omnibus, quæ tractantur in logica eſſe nomina convenit. Sic ſyllogiſmus, differentia, propoſitio, copula, & aliæ voces ſimiles, nomina logicæ ſpecialia debent dici; neque ad contrarium ſentio fundamentum.

Licet dixerim, quod copulæ, eſſe logicè nomen conveniat; at autem ſemper ſub diverſa formalitate, ac eſſe verbum. Copula enim ſub expreſsione verbi dicit formaliter eſſe cõditionem reſpicientem conſtitutionem entis ſecundo intentionalis; at autem ſub expreſsione nominis dicit de formali præciſam ſignificationem, ſeu *ſignationem entis ſecundo intentionalis*; quæ, vt de ſe indicatur, longè diverſa ſunt. Eodem modo, ſervata proportione, de reliquis ſecundo intentionalizatis paralogizabis.

Nequè contra iſta aliud inconueniens ſentio, quam quod nomina ſunt à puro hominum beneplacito, & non ſicentia ſecundo intentionalia eſſe videntur. Quod inconveniens facile poteſt evinci; quia, vt nomina logica nominum ſervent naturam, ſufficit, quod ſint impoſita non à voluntatis liberrimo arbitrio, ſed ab intellectus cõſulta ratione. Sicuti enim vt intellectus efficiat Petrum ſubiectum, invenit fundamentum, ſic, vt illo nomine exprimat, poteſt fundamentum habere. Exiſtimo ergo, quod antequam Philoſophi aggregatum ex triplici figura ſyllogiſmum vocarét, quod nominis expreſsionẽ conſideratũ fundamẽto.

Deindè quia dato quod ex præciſo hominum beneplacito logicæ formalitates prædicta nomina ſortiantur, ſemper ſalvatur, quod etſi dependenter à forma moraliter ethimologizante; tamen, ſi moraliter ſemper peculariter nomina logicæ propriè erunt, ſiquidẽ iuxta modum, iuxta quem poſsibilis eſt nominis ſignificatio; quod logicæ proprium ſit, tantummodo ſignificabunt. Undè ſi proprius non ſignificant, erit, quia nulli nomini in vlla linea proprius ſignificare competit. Quare hinc dico, quod ſicuti ab eodem intellectu poſſunt oriri formalitates ad diverſas artes pertinentes; ſic & ab eadem moralizante volũtate poſſunt oriri diverſæ nominationes, ſpeciales ſignationes exprimentes. Sufficiant dicta ad quæſtionem de nomine.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

De Verbo Logico.

NOtanter de verbo logico inquirit titulus; quia tam Ariſtoteles 2. de interpretatione verbum explicans; *Vox ſignificativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, &c.* Quam pluresalij, non videntur alloqui de verbo logico, ſaltim ſtrictè, eo quod verbum logicum per aliquem ordinem ad tempus conſtituunt.

Verbum igitur logicum (ſalvo meliori iudicio) per *ſignificare cum tempore*, nullatenus conſtitui ſentio. Sic probari poteſt; quia verbum logicum eſt illud, quod inter ſubiectum, & prædicatum invenitur, nota *eſt*: vt in hac propoſitione *Petrus eſt animal, &c.* Sed hoc nullum tempus de per ſe ſignificat: ergo tempore ſignificare, verbi logici non eſt proprium. Prob. minor; quia in hac propoſitione *Petrus eſt animal*, ly *eſt* ſolum dicit copulationem, ſeu logicam idemptitatem prædicati cum ſubiecto; ſed talis logica copulatio, nullum tempus de per ſe ſignificat; ergo verbum logicum nullum tempus de per ſe ſignificat. Prob. minor, quia talis logica copulatio ſolum eſt idemptitas formalis, quæ vt vera ſit, repreſentat conceptum obiectivum, cum quo conformatur; ſed propoſitio obiectiva Petri, & animalis, nullum tempus de per ſe ſignificat: ergo neque formalis. Prob. amplius; quia illa propoſitio; Petrus eſt animal, eiuſdem ſpeciei eſt logicé, ac iſta Deus eſt omnipotens; ſed hæc propoſitio eadem eſt nunc, ac fuit ab æterno; vbi ſine tempore reali copularet; ergo de ratione verbi logici non potuit eſſe cum tempore ſignificare.

Dices; hæc eſt propoſitio logica, *Petrus eſt hic*, ſed verbum, *eſt*, nunc ſignificat cum tempore; ergo de conditione verbi logici eſt cum tempore ſignificare. Reſpondeo ad antecedens, quod ſi ly, *eſt*, ſignificat *adeſt*, & ly *hic*, ſignificat, *hinc*, tunc non eſt logica propoſitio, neque logicé datur verbum, nec prædicatum. Si ly *eſt* ſignificat, *eſt*, & ly *hic*, ſignificat, *iſte*; tunc logica eſt propoſitio; facit enim hunc ſenſum: Petrus eſt iſte; in quo ſenſu non ſignificat tempus.

Itaque pro aliquibus fallatijs advertendum eſt, quod *ſum, es, fui*, logicé acceptum, ſolum dicit eſſe vinculum inter aliqua, ab omni tempore præciſum; etſi in ſenſu grammaticali, vel in quovis alio, ſemper tempus connotare videatur. En Sophiſmatum exemplar in hac propoſitione, *Petrus fuit Sanctus*, vbi ly *fuit* prout ad logicam ſpectat, non dicit plus de tempore, quam iſta, *Petrus eſt Sanctus*; in ſenſu enim logico in vna, & altera propoſitione, verbum non dicit aliud, quam copulam inter ſanctitatem, & Petrum, ita vt per quamlibet propoſitionem actu vniatur ſanctitas cũ Petro; actu ſiquidem ſanctitas de Petro prædicatur, etſi ex diſformitate ad veritatem obiectivam falſa eſſet, eo quod per ſanctitatem nõ habeat hunc; quod nil refert, ſicuti non refert in iſta; Petrus non eſt ſanctus, dum ſanctus ſit.

Dices 2; in hac propoſitione *Petrus eſt hodie*, ly *hodie*, quod eſt prædicatum, licet logicum ſit, non repugnat ei ſignificare tempus; ergo neque ly, *eſt*, quod verbum logicum ſit, impediet, quod tempus ſignificet. Reſpondeo, quod ſi ly *eſt*, ſumatur logicé, tunc ly *hodie* non ſignificat tempus; facit enim hunc ſenſum: *Petrus eſt iſte dies.* Si ſumatur grammaticaliter ſignificat tempus, quia facit hunc ſenſum; *Petrus eſt in iſto die.* Sic in hac propoſitione; *Petrus eſt amans*, grammaticaliter poteſt dicere tempus, cum poſsit hunc ſenſum facere: *Pedro eſtà amando*: at logicé nunquã de per ſe dicet tempus, cum debeat facere hũc ſenſum: *Pedro es amante.* Ex quo infero verbum logicé diverſimode à verbo grammaticé inſpiciendum.

Deindé quia vt noſtrum intentum ſalvetur, ſufficit, quod verbum logicum, de per ſe tempus non ſignificet, etſi ex ſuppoſitione eſſendi nunc tempus, cum tempore debeat eſſe; hoc enim valdé accidit; vt primæ rationes probant. Et etiam quia etſi, idemptitas metaphyſica, ex iſta ſuppoſitione non poſsit eſſe ſine tempore, tamen de per ſe tempus non dicit. Præterquam quod ſi eſſe in tempore, ſit de per ſe tempus ſignificare, nullum erit nomen, quod tempus non ſignificet, cum omnia cum tempore ſint. Denique hinc dico, quod ſicuti in hac propoſitione: *Tempus eſt tranſactum*; ſolum materialiter ſubiectum, & prædicatum tempus dicunt; ſic in propoſitionibus, quas de Petro, & ſanctitate ſupra efformabamus, poteſt dici, quod verbum logicum, ſolum materialiter dicit tempus, quod præteritum videbatur.

Reſolvo igitur ex dictis, quod verbũ, prout ad logicam ſpectat, ſic venit explicandum: *Formalitas qua de per ſe ſine tempore ſignificans, copulat intentionaliter partes propoſitionis.* Hæc definitio ſatis propugnata videtur ex ſupra dictis, &c.

QUÆSTIO III.

De Oratione.

ARiſtot. 4. de Interp. Sic orationem definivit: *Vox ſignificativa adplacitum, cuius pars aliqua ſeparatim ſignificat, vt dictio, & non vt affirmatio, aut negatio.* Quæ ab aliquibus ſolet explicari penes differantiã cum nomine. Oratio enim debet eſſe vox ex talibus partibus coadunata, quod earum quælibet ſecundum ſe ſumpta, idem ſignificet ſeparata, ac cum alijs coniuncta. Suadetur his orationibus, videlicet, *animal rationale; Deus fortis, &c.* Quarum orationum partes eandem ſignificationem retinent ſeparatæ. Non ſic nomina, quorum partes diſtinctæ, diſsimilem ſenſum inducunt, vt in quæſtione de nomine, dicebatur de hac voce, *Dominus.*

Sed tamen cum præfata explicatio deficí videatur in omnibus illis, in quibus nomini, & verbo defectum annotavimus; ideo ſpecialioribus conceptibus orationem, quâ logicam explicare intendemus.

Dico igitur orationem logicam, ſic poſſe explicari: *Complexum conſonantiam ſecundo intentionalem exprimens.* Dicitur *complexum*, & non dicitur *dictio*, vel aliqua alia particula, per quam proximé conveniat cum termino logico, aut cum nomine, & verbo; quia prætetquam quod dictio ſimplicitatẽ de per ſe exprimat, nunquam poteſt inveniri particula, quæ genus eſſe poſsit reſpectu nominis, verbi, & orationis. Ratio eſt, quia ſi particula dicat ſimplicitatem, iam orationi diſconveniet, cum partes debeat de per ſe habere. Si particula dicat aggregatum, iam tunc nomini de per accidens conveniet, cum ſimplicíſsima entitas nomen eſſe poſsit, & verbo logico neque de per ſe, neque de per accidens conveniet, cum ab intrinſeco petat eſſe ſimpliciſsimam idemptitatem. Qua propter ponitur *complexum*, etſi ſolum cum complexis aliarum ſcientiarum ſervet convenientiam.

Ponitur pro differentia, *conſonantia ſecundo intentionalis.* Quia ſoli orationi logicæ, recta & conſonans ſecundarum intentionum armonia convenire videtur. Oratio enim nil aliud exprimere videtur, quam partium diſpoſitionem, & conceptuum formalium Symetriam. Undé orationis logicæ definitio convenit indifferenter omnibus entibus ſecundo intentionalibus, ex quorum partibus compoſitione, logicæ conſonantiæ reſultant. Sic propoſitio erit Oratio. Quia ex copulatione, & poſitione ſubiecti cum prædicato, illud ens ſecundo intẽtionale exprimit rectam partium diſpoſitionem, & conſonantiam. Et ſic de omnibus alijs entibus intentionalibus eſt diſcurrendum; ita vt ex omnibus poſsit abſtrahi ratio communis conſonantiæ; quæ erit diverſa ſecundum rationes ſpeciales, per quas à quolibet contrahatur. Neq; contra dicta ſentio aliquod inconveniens, quod vrgeat.

DISTINCTIO IV.

De modo ſciendi, & de aliquibus ſpeciebus illius in communi.

QUÆSTIO I.

Quid modus ſciendi ſit?

CIRCA hanc quæſtionem punctum maioris difficultatis, non videtur, ſtare in ſciendo, quid modus ſciendi ſit: ſed in reſolvendo: an modus ſciendi, vt ſic conſideratus, debeat eſſe operatio principiorum logicæ ſpecialis? quod enim logica modum ſciendi ſpecialem habeat, à nullo videtur poſſe dubitari. Quod vero omnis ſciendi modus logicæ ſpecialis debeat eſſé, quam plures inducit dubitationes.

Deinde augetur difficultas, quia modus ſciendi non videtur importare aliud, quam modum manifeſtandi, quod ignotum erat; ſed dantur plures manifeſtationes ignoti, quarum modi manifeſtandi ad logicam, non ſpectant; ergo modus ſciendi non videtur abſtracté ſumptus logicæ proprius. Prob. minor, in quocunque ſigno, quia ſive ſit formale, ſive inſtrumentale, manifeſtat ignotum, ſpecies enim impreſſa manifeſtat obiectum, aquo immititur; imago filij manifeſtat Patrem, quæ omnia ignota erant; ſed huiuſmodi manifeſtandi modi, non ſunt logicæ ſpeciales; ergo non omnis modus manifeſtandi ignotum ſpecialiter ad logicam ſpectat.

Reſpondet noſter Groſſo dicendo, quod alius eſt modus ſciendi, & alius eſt modus cognoſcendi, & ſignificandi. Vnde ait, quod imago Cæſaris Cæſarem manifeſtans, & ramus

Digitized by Google

mus vinum vendibile repreſentans, non ſunt modi ſciendi, ſed modi ſignificandi, quod valdé diverſum eſt. Deinde ait, quod inſtrumenta præcisé cognoſcendi aliquid, quod latebat, non ſunt modi ſciendi, ſed modi cognoſcendi, qui modi diſtinguntur, ſicuti cognitio diſtinguitur à ſcientia, ex quarum vna derivatur modus cognoſcendi, ſicuti ex earũ alia ſciendi modus derivatur.

Sed contra; quia modus ſciendi non debet eſſe ſcienrificandi inſtrumentum; tum quia in tali caſu ſolum perfectiſsimé argumẽtationi eſſe modum ſciendi conveniret, quod ipſe non admittit; tum quia ſciendi modus, ſecundum logicorum vſum, non dicit omni poſsibili claritate manifeſtare ignotum; aliàs nulla definirio foret ſciendi modus reſpectu definiti; cum exiſtimemus omnes res mundi expreſiores ſuarum naturarum habere definitiones, nobis ignotas; & tamen ſi modus ſciendi diceret, præcisé eſſe inſtrumentum ſcienrificé manifeſtandi, quod latebat, nil amplius, neque perfectius habenti modum ſciendi, manifeſtare poſſet.

Et etiam, quia ipſe Groſſo ſuam modi ſciendi definitionem, vt rectam explicat, ex eo quod modus ſciendi, ſit præcisé actus diſcooperiens obiectum, ab eo tollens omnem nebulam; ſed ſuppoſita hominum inſtitutione ramus diſcooperit vinum, tollens ab eo nebulam ignorantiæ; & imago Cæſaris, ſi genuiné, & rectéſit ſculpta, diſcooperiet Cæſarem ſimiliter; ergo vt ſtricté modi, & inſtrumenta ſciendi ſint, nil eis deficere videtur. Suadetur minor, quo ad Cæſaris imaginem in Chriſto Domino, qui ex eo, quod perfecta imago Patris foret, aſſervit Philippo, ipſum eſſe modum ſciendi Patrem; iuxta illud: *Qui videt me, videt, & Patrem meum*; ergo ſi imago Cæſaris, Cæſarem recté imaginaret, non apparet ex quo modum diſcooperiendi, latens obiectum non haberet.

Nec non; quia modus cognoſcendi præciſus à claritate, non minus diſtat apud Groſſum à modo ſciendi, quam modus ſignificandi diſtat; ſed modus cognoſcendi ignotum, cum clarirate cognoſcendi coniunctus, eſt apud ipſum modus ſciendi; ergo, & modus ſignificandi coniunctus cum clarirate erit etiam modus ſciendi. Nunc ſic; ſed ſigna claré ſignificantia non repugnant; ergo non datur, ex quo ſignis inſtrumenta eſſe ſciendi repugnent. Prob. min. in fumo clariſsimè ignem ſignificante, & in gemitu, cordis occultam, ignotamque triſtitiam expreſsé diſcooperienre; ergo &c.

Ex dictis, qui vellit, poteſt inferre, quod modus ſciendi non ſiſtit præcisé in cognitione; ſin autem ſcire in actibus cognoſcitivis precisé ſiſtit. Vt enim aliquid modum ſciendi habeat, non requirit ipſum ſcire, ſed ſufficit quod habeat in ſe modum, ex quo, vel ratione cuius aliquis ſciat. Itaque etiamſi modi ſciendi ſint cognitiones abſoluté, ramen alijs à cognitionibus modus ſciendi convenier, cum alijs à cognitionibus eſſe rerum expreſsiones, & manifeſtationes à parte rei conveniat.

Ex quibus reſolvi poteſt, quod modus ſciendi vniverſaliter ſumptus, non ita proprius videtur logicę, quod & alijs à logica non poſsit convenire. Nec valet, quod ſolius logicæ eſt proprium; eo quod hæc ſola tradat præcepta ad alias ſcientias acquirendas. Non enim valet, quia difficilé refutabitur, quod ars inſtruendi in vocum concordantiam, & perfectam proprietatem, non ſit modus ſciendi, & quod ad ipſam logicam ſciendam, non det diſpoſitionem. Nec non pueri vnam literam cum alia copulantes, quod eſt vulgo *letrear*, modum ſciendi habent: & indignum videtur, quod tunc logicæ ſint capaces.

Hæc præcipué dixi contra tenentes modum ſciendi, non eſſe modum cognoſcendi ignotum, ſed modum ſciendi eſſe, quod ipſa vox *ſciendi* exprimit, & deinceps aſſerentes plura, præter argumentationem, eſſe modum ſciendi, quod falſum eſt; cum modi ſciendi voce abutentes, ſoli argumentationi debeant præſtare, eo quod ſcienrificus modus in illa ſolum reluceat. At autem qui ſic vtantur voce, & deinceps ſoli argumentationi modum ſciendi præbeant, ſolius logicæ modum ſciendi proprium facient; ſed non in quarto modo dicendi per ſe, cum plura ſint preter argumentationem ſpecialia logicæ, & illa modum ſciendi non haberent. Ut igitur hæc omnia vitentur.

Dico, quod modus ſciendi ſolius logicæ proprius, eſt *inſtrumentum manifeſtandi ignotum dependenter á ſecunda intentione.* Claret ex ipſis vocibus definitionis explicatio. Comprobari poteſt, quia per illas operationes, logico occulta pandunrur, per quas modum logicé ſciendi habet, quæ ignorabat; ſed talem ſciendi modum habet per operationes contractas ad genus, & differentiam, ad ſubiectum, & prædicatũ, &c. ergo, quia eius proprior ſcié di modus eſt inſtrumentum ſciendi à ſecundis intentionibus dependens. Quæ omnia ſequenti queſtione roborabuntur.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

Quot ſpecies Modus ſciendi habeat?

APud tenentes ſolam argumentationem non eſſe modum ſciendi, communiter aſſeritur definitionem,& diviſionem eſſe modum ſciendi. Solum de propoſitione, aliqui dubitari ſolent, inter quos ex noſtris Pater Pontius hic, & noviſsimè Pater Antonius Groſſo, qui ſpeciem modi ſciendi à propoſitione avertunt. Quod igitur tam definitio, quam diviſio modi ſciendi ſint, ſuadet, eo quod prima per genus, & differentiam, vel eſſentiam ignotam declaret, vel aliquo modo notam, magis, aut melius explicet. Sic ſuadet, quod ſecunda membra, quæ latebant, declaret; vel quæ ad inſtar vnius erant nota, vnumquodque ad inſtar ſui, magis notum relinquat. Ita ſentire videtur Doctor ſubtilis in 4. diſt. 12. q. 1. aſſerens, quod intellectus definitione rei quietatur, & iuxta Philoſophi axioma, Intellectus ſolo ſcire perfruitur. His ita relictis.

Dico igitur, etiam propoſitionẽ eſſe modi ſciendi ſpeciem. Prob. quia per hanc propoſitionem, *homo eſt animal*, per ſubiectum, copulam, & prædicatum cognoſco idemptitatem hominis cum animali, quam ex præciſa intuitione terminorum tanta claritate non cognoſcebam; ergo non eſt cur propoſitio, modi ſciendi non ſit ſpecies. Prob. antecedens, præcipuam contrariorum infringendo rationem. Si ob aliquod motivum illa propoſitio non foret modus ſciendi, maximè, quia iam præceſit ad ipſam, notitia hominis, idemptitatis, & animalis, ſed præterquam, quod talis notitia difficile convincitur, nil impedit modus ille præcedendi, vt modus ſciendi non ſit: ergo. Probatur minor quoad primam partem; quia etiamſi apprehenſionem idemptitatis veluti vt ſic, habuiſſet aliquis; non vero idemptitatis hominis cum animali; ergo illa notitia, quæ præceſsit, falſo præceſsiſſe exiſtimatur, quoad iuditij, & ſingularis idemptitatis deciſionem. Prob. eadem minor, quia ſi de idemptitate individua Petri cum animali habuiſſem ego notitiam, tunc nõ præciſe apprehenſio, ſed & iuditium præceſſiſſet; ergo ante propoſitionem falſo exiſtimatur talem notitiam præceſiſſe.

Quod licet notitia hominis, idemptitatis, & animalis præceſiſſet, non impediat modum ſciendi eſſe actum formalem iuditij, ſic probare intendam: dum homo definit, & explicat ſuam eſſentiam per eſſe animal rationale, etſi antequam exprimat actum formalem eſſendi animal rationale, habeat ſimplicem notitiam terminorum definitionis, hoc non impedit, quod actus formalis expreſivus animalitatis, & rationalitatis, ſit modus ſciendi; ergo licet antequam ſciat an ipſe ſit animal, habeat ſimplicem terminorum propoſitionis notitiam, hæc non impediet, quod actus formalis expreſsivus idemptitatis cum animali ſit modus ſciendi.

Si dicas, quod vt detur actus formalis expreſsivus eſſentiæ hominis, non requiritur pluſquam illa prima ſimplex terminorum notitia. Contra, quia difficilimum eſt, quod ego apprehendam animal, & rationale, & eſſentiam eſſe hominis percipiam, quin illas apprehenſiones terminorum, definito applicem; ſed eſt impoſsibilis coniunctiva, & converſiva applicatio ſine maiori expreſsione, quam ſimplicium apprehenſionum; ergo ad actum expreſivum definitionis, pluſquam illa prima ſimplex notitia requiritur.

Contra 2. quia mihi, ſaltim imperceptibile eſt, quomodo actum formalem, cuiuſcunque rei ſit, poſsit efformare recta ratione intellectus, quin prius aliqua terminorum notitia præcedat; aliàs ſi exprimere, & percipere terminos alicuius entis idem foret, non eſt cur hac velut velocitate commotus intellectus, plus definiat hominem v.g. per animal rugibile, quam per animal rationale; ergo ante actus formales obiectorum expreſivos, aliqua ipſorum ſimplex debet præcedere notitia.

Si dicas ſufficere ad applicationem terminorum actus definitionis cum obiecto definito, implicita mentis coniunctio. Contra, & melius; ergo cum actus formalis explicitæ applicationis expreſsius daret percipiendi modũ, & hic propoſitionem ſapiat, potius ſuam expreſsionem in percipiendo eſſentiam ex propoſitione corroboraret. Contra 2. quia etiamſi dicas ad actum eſpreſsivum definitionis, implicitam applicationem ad obiectum ſufficere, tamen multo minus quam naturæ, nil ſuperfluum dedit rationi, Auctor rationis, ſicut naturæ; ergo cum præter implicitas applicationes ad obiecta, ſeu primas intentiones dediſſet, & explicitas, ſi ad expreſsiorem notitiam non dediſſet, ſuperfluo data reſolvam.

Dicunt aliqui, & noviſsimè noſter Groſſo, quod propoſitio ſolum poteſt eſſe expreſſa manifeſtatio obiecti, ſi includat definitionem, & diviſionem. Contra; quia ſi hoc dicant, ex eo quod definitio, & diviſio requirantur à propoſitione, vt termini; etiam, imo ſtrictius cõvincitur, quod definitio, & diviſio ad claram

ob-

obiecti manifeſtationem , dum propoſitione indigeant, non erunt obiecti expreſſę manifeſtationes, niſi ratione propoſitionis.

Contra deinde, quia ſi propoſitio eſt modus ſciendi, quia habet pro termino definitionem, v.g. homo eſt animal rationale, dum propoſitio habeat pro termino ſolum animal, v.g. homo eſt animal, in tali caſu, ſciet de homine aliquis, animalitatem, quin ratione terminantis definitionis, hoc ſciat. Sic pariter, dū ſciat, quod homo eſt albus, aut riſibilis.

Si dicas quod prędicta propoſitio erit modus ſciendi, quia habet in ſe animal, quod ſi non definitio, eſt tamen definitionis pars. Contra; in primis ex exemplis propoſitionis habentis pro prædicato terminos contingentes. Contra ſecundo, & melius, quia ſicuti propoſitio terminos logicos, ſic, & definitio ſuos terminos, & partes habet; ergo ſicuti tu dicis, quod propoſitio eſt modus ſciēdi ratione terminorum; ſic, & ego dicam, quod definitio, eſt modus ſciendi ratione partium, & logicorum terminorum. Ergo ſicuti, quod definitio ex terminis, ex quibus conſtituitur, ſit modus ſciendi, non impedit, vt ipſa conſtituta ex illis, ſit de per ſe modus ſciendi; neque propoſitioni impediet, vt ſit ſciendi modus quod ex illis terminis conſtituatur.

Neque vt Groſſo cum Poncio dicat, quod propoſitio erit modus ſciēdi ratione prędicati, ſi hoc ſit definitio, eſt ſufficiens motivum, quod intellectus definitione quietetur. Verum enim eſt, quod in actu, ſeu termino definitionis quieſcit ſcientificus motus; ſed tamen alij ſunt termini, ex quorum notitiæ acquiſitione, quietem intellectus habere poſsit. Poteſt enim intellectus ſuę ignorantiæ motum perficere, per notitiam ſanctitatis, de eius anima prædicare, v.g. mea anima eſt ſancta. Nec non de notitia præciſa animalitatis; ergo non eſt cur iſtæ notificationes non ſint motus ſciendi modi.

Reſpondent alij, omnia dicta negantes; ſed ex alio motivo, cum teneant ſolum ſyllogiſmum, & demonſtrationem eſſe modum ſciendi; et ſic, tam de propoſitione, quam de definitione, & alijs, modum ſciendi rejiciunt, dicentes omnia iſta ad ſyllogiſmum, & demonſtrationem reduci, & ordinari. Ad hunc dicendi modum aliquando fui propenſus, & in illo à primo religionis curſu, à meo ſemper venerando Magiſtro edoctus; ſed tamen videtur Scoto contraria deciſio, tum in loco ſupra citato, tum in 1. *prior. q.* 2. Ubi definitionem, & diviſionem à modo ſciendi non videtur relegare.

Deindé, quia ſi definitio independenter à ſyllogiſmo eſt definitio, infallibiliter erit, & modus ſciendi independenter ab illo. Ratio eſt, quia definitio, eſt eſſentię obiectivæ commiſsio, & expreſsio; ſed definitio indepēdenter à ſyllogiſmo eſt definitio; ergo, & independenter ab illo eſt eſſentiæ cognitio, & formalis expreſsio.

Quod autem definitio, independenter à ſyllogiſmo ſit definitio, in quo ſiſtit tota vis rationis contrariæ, ſuaderi poteſt; quia definitiones ſunt primi actus formales, rerum expreſivi, qui alios actus, & principia, ex quibus inferantur, nequeunt ſupponere, aliàs in infinitum procederemus. Undè, etſi Petrus inferatur rationalis, quia homo; non autem ad hominis eſſentiam comprobandam, datur aliud principium, quam ipſorum principiorum penetratio, quæ cum eſſentiæ ſit expreſio, nil impedit, quod efformativé ſit prima, vt valeat eſſe, non bené noti manifeſtatio.

Ex quibus in ſuperiorem expoſitionē, dicam, quod etſi ad cognitionem definitivam eſſentiæ videatur præcedere ſyllogizatio, tamen in rei veritate ſolum eſt illa inveſtigatio cognitionis ipſorum terminorum definiti, pura, & ſimplex quæſtio. Ratio eſt, quia ad hoc, vt per illationem certam definitionem intellectus produceret, præmiſſas, & principia certa requirebat, ſed ad declarationem principiorum, & ipſius definitionis nulla poſſunt præire principia, extra ſimplices terminorum apprehenſiones; ergo neque illa ſyllogizatio.

Deindé in omni caſu dicam, quod ſi talis illatio requiratur; illatio tamen, quę definitiva ſit, ita vt argumentatio definitiva, ſit ſtricta argumentationis ſpecies: quo pacto formaliter, & ſpecificè talis illatio eſſet perfectior ſciendi modus ex contractione ad definitionem, ita vt ſic perfectius aliquid manifeſtare, non ſit ex præciſa ratione illationis, vt ſic, ſed ex ſpeciali ratione illationis definitivæ; & ſic ſemper formalitati definitionis, aliqua formalitas modi ſciendi ſpecialiter conveniret, etſi formaliter diſtincta à formalitate illationis, ſicuti de animali, & rationali logizabimus.

Objicies contra ſecundam concluſionem: iſta propoſitio, v.g. *Petrus eſt lapis*, eſt logica propoſitio; ſed hæc non eſt ignoti manifeſtativa; ergo de ratione propoſitionis logicæ, non eſt ſcientiſica manifeſtatio. Probatur minor; quia Petrus nullo modo poteſt eſſe lapis; ergo cum, quod propoſitio repreſentat, nullo modo ſit, non poterit eſſe alicuius ignoti manifeſtativa. Reſpondeo argumento,

data

data maiori, negando minorem, vel ſic illam diſtinguendo; non eſt ignoti obiecti manifeſtativa, quod tantum habeat eſſe obiectivé in intellectu, nego. Obiecti realis conditionis non eſt manifeſtativa, concedo; & ſic conſequentiam omitto. Itaque ſufficit, vt talis propoſitio, ſciendi modum habeat, quod ipſi propoſitionanti manifeſtet, Petrum fictè eſſe lapidem, quod ipſi ignotum, aut non claré notum erat.

Dices ex Poncio, & Groſſo, quod nulla propoſitio manifeſtat ignotum, ſive fictum, ſive reale, niſi ratione definitionis, aut diviſionis: ergo. Jam huic rationi exiſtimo rationẽ tradidiſſe. Sedtamen contra hos ſpecialiter dico, quod ſi ipſi aſſerunt, quod diviſio eſt diſtinctus, de per ſe, ſciendi modus à definitione, quia etſi materiam definitionis attingat, eam tamen diſtincto modo attingit, cur & propoſitio modus ſciendi de per ſe non erit, etſi per prædicati modum declaret, quod definitio per genus, & diferentiam, dum diſtinctus declarandi modus de per ſe ſit?

Si dicas, accidere propoſitioni, quod in prædicatione ſit definitio. Contra, quia hoc non ſolvit rationem, dum modus prædicandi non accidat. Contra 2, quia etiam accidit diviſioni definitio, ſiquidem non petit diviſio ex natura rei, quod eius membra ſint genus, & diferentia, vt patet in concreto albo ſic dividens, vna pars albi, eſt paries, & alia albedo. Sic etiam in diviſione paſsionum alicuius ſubiecti.

Infero ex dictis pro tota quæſtióne, omnem argumentationem eſſe modum ſciendi; etiam probabilem, & ſophyſticam. Quoad ſecundam partem illationis, ſolum poteſt aliqua verſari difficultas; ſiquidem ſyllogiſmus ſophyſticus potius videtur modus ignorandi, & errandi, quam ſciendi. Sedtamen dico, quod per ſyllogiſmum probabilem, & ſophyſticum poteſt aliquis cognoſcere, ſeu venire in notitiam ſpecialis probabilitatis, & ſophyſmatis; & cum per illum attingatur ſophyſma ignotum dependenter à ſecũdis intentionibus modorum, ſat eſt prædictus ſyllogiſmus, vt modus ſciendi dicatur.

Neque eſt modus errandi logicè, dum ſecundæ intentiones logicæ modum ſciendi errorem tribuant. Erit enim error ille phyſicus, vel moralis, nunquam tamen erit error logicus; aliàs iſta propoſitio, *Petrus non eſt animal*, non erit logica propoſitio, quod falſum eſt, cum terminos logicos habeat. Sic etiam abutendo vocibus, neque ſyllogiſmus vnam fidei præmiſſam habens, erit modus ſciendi logicè, ſed modus logicé credendi, quod falſum eſt, cum modum credendi logica non habeat.

Objicies vltimo, argumentationem nõ eſſe modum ſciendi à propoſitione diſtinctum, cũ modũ ſciendi habeat rationẽ cõcluſionis, quæ pura propoſitio eſt; ergo. Reſpondeo abſoluté negando antecedens. Ad partem rationis illius dico, quod licet propoſitio, concluſio ſit; vt tamen eſt modus ſciendi in argumentatione, expreſſum, & formalem reſpectũ dicit ad præmiſſas, quem ſic, vt propoſitio præciſè, non dicit.

DISTINCTIO V.

De Definitione.

CUM egiſſem ſupra de ſpeciebus modi ſciendi in communi, iuxta rectum ordinem, agẽdum venit de ipſis in particulari; inter quas, maiori deciſionis claritate, primum locum definitionem tenére, decerno.

QUÆSTIO I.

Quid ſit definitio?

ANte concluſionis poſsitionem, ex doctrina communiter recepta ſupponendum eſt, quamlibet eſſentiam, duplicem entitatem intrinſecé importare; vnam, ſcilicet, materialem, & formalem alteram. Quare intellectus cuiuſvis rei eſſentiam explicans, duplicem conceptum formalem, quo duplici entitati eſſentiæ correſpondeat, debet efformare, vt ipſam intelligibiliter exambiat. Primus conceptus ita debet eſſe formatus, quod ſe teneat ex parte entitatis materialis, ita vt per illum exprimatur convenientia, & cõmunicatio eſſentiæ; eo quod de ratione materialitatis ſit, maiorem dare ſubiecto extenſionem. Alter vero conceptus, ita debet eſſe formatus, quod ſe teneat ex parte entitatis formalis, per quem differat ab illis, cum quibus in materia communicabat; eo quod videatur proprium formæ, materiam ſpecialiter perficere, indifferentiam tollere, & communicatio-

cationem, ſeu dilatationem reſtringere.

His ita ſuppoſitis, varijs definitionis definitionibus omiſsis, ſolum Doctiſsimorum, noſtri temporis, Recentiorum referam definitionem. Aiunt enim, definitionem, eſſe *modũ ſciendi eſſentia declarativum*. Quibus ſi objiciatur, quod diviſio eſt modus ſciendi declarativus eſſentiæ. Reſpondent, quod diviſio declarat hominem, eius eſſentiam ſeparando, & eſſentia hominis non eſt animal à rationali diviſum. Fateor, quod eſſentia hominis v. g. nõ eſt animal à rationali ſeparatum, at non poteſt negari, quod per ſeparationem cognoſcatur, quod conjunctum erat, quod ſufficit, vt ſeparatio, eſſentiam præciſe declarare, habeat. Debent igitur in explicatione definitionis, rationem illam, vel alteram ponere, per quam definitio ſuum modum declarandi ſpecialiter exprimat.

Dico igitur, ſic poſſe definitionem explicari: *Oratio logicè continua per conceptus primarios, eſſentiam manifeſtans*. Dicitur, *Oratio logicè*, vt conveniat cum diviſione, quæ etiam logicé oratio eſt. Dicitur continua logicé, vt à diviſione, differat. Diviſio enim logicé eſt diſcreta. Dicitur: *Per conceptus primarios, eſſentiam manifeſtans*, vt differat ab improprijs, & deſcriptivis explicationibus, quę per proprietates, vel per accidentia, eſſentiam declarant.

Objicies 1. per illa prædicata, debet quævis eſſentia declarari, per quæ principaliores denominationes competunt eſſẽtiæ; ſed homini v.g. principaliores denominationes cõpetunt per rationalitatem, & paſsionem, quam per gradum convenientiæ, qui eſt animal; ergo per formam diſcurſivam, & riſibilem potiùs quam per ſenſitivam debet homo, & quævis eſſentia definiri. Maior videtur certa; minor probatur; quia ſecundum ſe perfectior videtur quævis denominatio à riſibili, & admirabili proveniens, quam à puro animali; melius enim eſt ridere, & admirari, quam ſentire.

Reſpondebit aliquis, quod abſtrahendo à perfectiori denominatione ex paſsione, & ex gradu convenientiæ proveniens, ſemper dari poteſt ratio, propter quam, non tam ex paſsione, quam ex gradu convenientiæ debeat quævis eſſentia conſtitui. Ratio eſt, quia ad eſſentiam conſtituendam requirũtur prædicata conſtitutiva, & implicat ſine gradu convenientiæ, & diſconvenientiæ metaphyſicam conſtitutionem percipere.

Sed contra, quia hæc ratio non poteſt habere robur, niſi ex eo quod prædicata conſtitutiva ſint maioris perfectionis; quia ſi paſsio foret ſecundum ſe perfectior, gradu convenientiali, nil obſtaret, quod ens gradum convenientiæ non haberet ex paſsione, ad hoc vt per ipſam, & per primam formam conſtitueretur.

Reſpondeo tamen argumento concedendo maiorem, & negando minorem, & cõſequentiam. Ad probationem minoris; negari poteſt minor; ſed ſic illam diſtinguo; perfectius eſt ridere quam ſentire, & vivere; reſpectu ſenſationis, & vitæ ſine quibus poteſt expleri riſus, tranſeat; reſpectu ſenſationis, & vitæ ſine quibus non poteſt riſus expleri, nego. Itaque dico, quod etiamſi riſus, & admiratio ſint actus perfectiores, quam actus vitæ, & ſenſationis jumenti, non tamen ſunt æqué perfecti, ac actus vitę, & ſenſationis hominis. Ratio eſt, quia in linea metaphyſica, illa ſunt perfectiora, à quibus reliqua dimanare debent, vt ſint. Undé cum neque riſus, neque vllus alter actus paſſionis poſsit expleri abſque animalitate, hinc eſt, quod ex independentia, perfectius infertur animal, quam riſibile, prout animal in homine contractum inſpicitur.

Deindé abſolute nego, quod perfectius ſit riſibile, quam animal in homine. Ratio eſt, quia in metaphyſicis illa perfectius denominant, quæ prius eſſe intelliguntur, & prius eſſe intelligitur animal in homine, quam riſibilitas; ſiquidem ſi homo, non foret riſibilis, foret homo; ſin autem non foret animal, neque foret riſibilis, neque homo, ſed Angelus, vel nihil.

Objicies 2. quod præfata definitio nõ convenit omni definitioni; ergo non eſt omnium definitio. Prob. antecedens, eo quod definitio ſe ipſam non definiat, aliàs idem foret definitum, & definitio. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quod ſub diverſis conſiderationibus, non repugnat eidẽ enti denominatio, quæ videtur activi, & paſſivi. Quod convincitur in intellectu, qui omnia intelligibilia intelligens, ſe ipſum intelligeret, in quo caſu foret idem intelligens, & intellectum. Sic pariter dum ſe ipſum definiret, nil repugnaret, quod idem foret definiẽs, & definitum. Ratio eſt, quia formæ vniverſales, eo quod virtualiores ſint, poſſunt explere erga idem, quod particulares erga plura. His ita.

Proponi ſolent deinde bonæ definitiones, & definiti conditiones, quas conſulto omitto, tum quia communiſsimæ omnibus, tum quia ſi aliquas impugnare, & retardare vellimus, logicorum vſus confunderetur, ita vt

no-

notarem, quod pro aliquibus potius logica fides ſit magiſtra; tum quia de principalioribus paſsim agemus, nec non in lib. Poſter.

DISTINCTIO VI.

De Diviſione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Diviſio, & quales eius conditiones?

DIVISIONIS explicatio propter dialectici muneris eſt, ſic daptari poteſt: *Oratio logicè diſcontinua.* Per eſſe orationem logicè, convenit immediatiſsimè cum definitione, per reliquum differt ab illa. Notanter non dixi *per conceptus diſtributiva eſſentia*, in contrapoſitionem definitionis, quæ ſolius eſſentiæ extitit manifeſtativa; quia dividere ſecundum conceptum intrinſecum diviſionis, non dicit eſſe eſſentiæ diſtributivum, eo quod quodlibet totum, quomodocunque ſit, rectè, & intrinſecè poſsit eſſe in omnes ſuas partes diſtributum, tametſi totum ſit ſubiectum ex accidentibus conſlatum. At autem definitio ex munere proprio, reſpicit explicationem eſſentiæ, nõ vt cunque, ſed per primarios conceptus, vt dicebamus in quæſtione definitionis conſtitutivo.

Ex quibus inferenda venit diviſionis multiplicitas. Si enim totum ſit logicum, diviſio erit oratio logicè totum logicum diſcontinuans. Si totum ſit metaphyſicum, diviſio erit oratio, logicè totum metaphyſicum diſcõtinuans; & ſic, ſi diviſio ſit facienda de ſubiecto in accidentia, & de accidentibus in ſubiecta, formanda erit diviſio.

Circa ſecundum in titulo petitum (Diviſionis conditiones, quia non ſic facile perceptibiles, recitare placuit) reſponderi ſolet quod vna ex conditionibus eſſentialis diviſionis eſt, quod diviſio exauriat, & adæquet diviſum; ſicuti enim eſt conditio perfectæ definitionis convertentia fortiſsima partium definientium, cum ente definito; ſic etiam requiritur ad bonam diviſionem, quod partes diſcontinuantes, ita adæquent totum diſcontinuum, quod diſcontinua convertentia valeat. Defectu iſtius conditionis, hæc diuiſio, v. g. animal aliud homo, aliud equs, communiter reprobatur.

Pro ſecunda conditione aſſeritur, quod vnum membrum dividens, non includatur in alio; v. g. animal, aliud homo, aliud Petrus. Quæ conditio meritó requiri videtur; quia diviſio debet ex munere eſſe excluſiva entis diviſi; ergo dum vna pars entis maneat incluſa in alia, ſicuti neque phyſicé daretur diviſio per actum phyſicé includentem, neque logicé dari debet perfecta diviſio per actum logicum, vnum prædicatum in alio incluſum relinquẽs, dum ſeparatum debebat.

Pro tertia conditione ſolet ſignari quod latius pateat diviſum, quam quodlibet membrum dividens. Quæ conditio rectè etiam expoſci videtur; quia quodlibet membrum dividens, eſt pars totius diviſi; ergo illam debet dicere diviſum; ergo cum illam ſine alia non poſsit diviſum dicere, non poterit diviſum non dicere pluſquam illam.

Pro quarta conditione ſolet ſignari, quod diviſum non efficiatur per vnum membrum poſitivum, & per aliud, quod illius præciſé ſit negatio; v.g. animal aliud homo, aliud nonhomo. Quæ etiam conditio non ſine fundamento requiritur. Ratio eſt, quia cum mẽbra dividentia, debeant in ipſa reſolvere, quod preciſé eſt diviſum; hinc eſt, quod ſi aliquod membrum dividens eſſentiam rei, illam ampliet, non erit rectè dividens; ſiquidem dividẽdo, alijs à diviſo, eſſentiam diviſi communicat: v.g. animal, aliud homo, aliud non homo: quod membrum vltimum, vſque ad lapides, qui non homo ſunt, eſſentiam animalis diſtribuit.

Neque hoc impedit, quod aliquando vnum ex membris dividentibus ſit negativum, quoad nos; vtpotè quando tanta ſunt membra, quod deficiant voces diſtribuenti cognitione. Propter hoc licére videtur, animal dividere in rationale, & in irrationale. Sed noto hinc, quod irrationale eſt quoad ſe membrum poſitivum, non minus ac rationale; quia pro irrationali, non intelligimus non rationale præciſé, ſed intelligimus principium poſſitivum ſolius vitæ, & talis ſenſationis. Sicuti enim irrationale dicit ex poſitivis prædicatis negationem rationalis; ſic etiam rationale æqualem negationem dicit ex poſitivis. Eſt tamen quoad nos differentia, penés hoc, quod de rationali habeamus poſitivã vocẽ, cuius eſt nobis inopia pro irrationali; ſi iã brutũ nõ ſit vox, omnia irrationalia poſsitivé repreſẽtans.

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

In qua duplex dubium expenditur.

QUod ex primo dubio petitur eſt, an actus diviſionis ſit à definitionis actu diſtinctus? Circa quod iuxta dicta in ſuperioribus quæſtionibus, nulla nobis adeſt ratio dubitandi. Contrarium tenent aliqui graves Auctores, inter quos Hurtadus dp. 10. logicæ ſect. 6. §. 25. Arriaga dp. 3. ſummul. ſect. 2. Oviedo controv. 4. punc. 2. num. 7.

Sic argui poteſt in contrarium: ſi aliquid obſtaret, vt non forent actus diſtincti, præcipuè identitas, & indiſtinctio terminorū; ſed iſtæ nil obſtant ad diſtinctionem actuum; ergo. Maiorem contrariorum exiſtimo. Min. prob. quia erga idem indiviſibile obiectum poſſunt actus formaliter diſtincti terminari; ergo ex indiſtinctione obiecti non convincitur actuū indiſtinctio. Prob. antecedens, quia eamdem indiviſibilem Trinitatē, quam ego credo, Beatus Petrus clare videt. Deinde eamdem in ſpecie præſentiam, quam ego acquiro in hoc locomotu recto, poteſt alter acquirere motu contrario; ergo erga idem indiviſibile obiectum poſſunt actus contrarij terminari: ergo quod definitio, & diviſio eamdem eſſentiam explicent, hoc nil obſtabit, vt contrariæ, & diſtinctæ ſint explicationes.

Quod autem contrarij, & diſtincti actus ſint, ſic directius ſuaderi poteſt. Sic enim ſe habere debent (ſaltim intra ea, quæ præcisè diviſionis vt ſic ſunt) diviſio prædicatorum logicorum, & eorum definitio, ac ſe habent diviſio prædicatorum phyſicorum, & eorum cōſtitutio; ſed diviſio, & conſtitutio entis phyſici diſtincti actus ſunt: ergo diviſio, & conſtitutio entis logici diſtincti actus debent eſſe. Minor prob. quia phyſica conſtitutio, ſeu definitio requirit compoſiti exiſtentiam; v.g. quod homo phyſicè ſit corpus animæ vnitum; ſed diviſio phyſica loco vnionis requirit partium ſeparationem; ergo diviſio, & conſtitutio entis phyſici, diſtincti actus debent eſſe.

Sed dices, quod obiectum diviſionis eſt homo v.g. attactus per animal rationale, vt patet in hoc actu, hominis, vna pars eſt animal, & alia eſt rationale; ſed obiectum definitionis eſt idem homo per ipſiſſimas partes attactus, vt patet in hoc actu, homo eſt ex animali, & rationali conſtitutus; ergo neque ex parte obiecti, neque ex parte attingentium partium nulla poteſt ſignari inter illos actus diſtinctio.

Non tenet, qualiter vèrum ſit, ipſiſſimas partes eſſe, at ab actu intellectus diverſo modo applicatus, quarum diverſitas, dum idē attingunt, ſatis ſenſibili exemplo ſuadebo in ædificante, & eamdem domum deſtruente. Qui enim domum deſtruit, ſeu dividit, eaſdem partes domus attingit, ac tetigit, qui domum compoſuit; nec non, & attingit continuitatē vnius partis cum alia, & his non obſtantibus, diverſus eſt actus dividentis, ac ædificantis. Ratio eſt, quia licet dividens eamdem partem domus, & vnionem attingat, ac ædificans, eam tamen tangit per contrariam earumdem manuum applicationem; ita vt vnionem tangat, deſtruendo tamen ipſam. Sic pariter in noſtro caſu, ſervatis ſervandis, eſt philoſophizandū. Itaque rectè cuiuslibet actionis diverſitas poteſt à poſteriori à diverſitate effectus inferri; & actionis diviſivæ effectus ſunt totum, & partes ſeparatæ, ſicuti ipſarum coniunctio reſultat vt effectus actionis conſtitutivæ.

Contra omnia tamen poteſt formari non parvi ponderis ratio. Dices igitur, quod iſte actus; hominis vna pars eſt animal, & alia rationale, non ſeparat hominis eſſentiam; ſed illam, vocibus diſtinctis, idem tamen ſignificantibus ac iſte homo eſt animal rationale, explicatur; ergo in re actus ille, definitivus eſt dicendus. Convinci enim videtur; quia ſi interrogāti, quid eſt homo, reſponderetur, quod homo ex vna parte erat animal, & ex alia rationale, ſic reſpondens non dividebat eſſentiam hominis, ſed præcisè maiori expreſſione vnam partem convenientiæ, & aliam diſconvenientiæ ſignabat. Deinde dum reſpondebat, quod illud homo *erat*, nil ſeparabat, ſed quidditativè conſtituebat: ergo non eſt motivum actum illum à definitione diſtinguens.

Huic ſecundo inſtanti argumento ſentio in primis, poſſe reſponderi, quod ſic probando, nulla dabitur diviſio in logicis, ſecundum quod penès nomen, & rem vox, & realitas diviſionis exprimant. Hoc ſic liberè concedere, difficilimum videtur apud omnes, & apud ipſos. Apud ipſos, quia diſtinctis actibus, & definitionibus, eſſentiam diviſionis, & definitionis explicant, quod reſpectu indiviſibilis, & formaliſsimæ entitatis inutile, aut ſine fundamento foret. Apud omnes, quia imperceptibile videtur, quod agens per actionem intellectivam, non poſſit facere, quod agens phyſicum per actionem realem, & habens ex illo in re fundamentum; ergo ſi agens phyſicum poteſt facere diviſionem in illis partibus, ex quibus efficit

Digitized by Google

totum,& agens intentionale per actionem intellectivam poterit facere diviſionem in illis partibus, ex quibus conſtituit totum intentionale.

Deindé reſponderi poteſt dicendo, non poſſe negari, quod per præfatos actus eamdem hominis eſſentiam attingat,& explicet; ſed tamen ſemper ſalvatur, quod actus ille ſit diviſivus ſecundó intentionaliter. Ratio, præter ſuperius adductas, poteſt eſſe, quia per illos actus, quævis pars eſſentię hominis ita ſecundum ſe attingitur, quod vt alia attingatur, requiratur actus diſtinctus. Ex quibus cognoſcitur, quod ſi per iudicativum actum efficiatur diviſio, duplex actus iudicativus expenditur, quorum vnus ſolum vnam partem attingit; ita vt, ad hoc vt alia pars attingatur, non ſufficiat ille, ſed requiratur alter: ergo evidenter colligitur, quod diviſim illas partes attingit; ſiquidem per actus iudicij multiplicatos, multiplicat,& tota ſecundo intentionalia, cum ex qualibet parte conſtituat propoſitionem, ac ſi altera non foret. E autem contra evenire in definitivo actu ſecernitur.

Quare non valet, quod nexus augetur, dum iudicium multiplicatur; quia ex multiplicis nexus expreſione, ſignum minoris idemptitatis infertur. Quæ enim magis idem ſunt, paucioribus vinculis indigent.

Denique his omnibus adeſt, quod vt ex illis vocibus,& actibus formetur diviſio logica, multum prodeſſe videtur, intentum intelligentis, & forté intendentis: ſecundo intentionalizare dividendo. Eſt enim intentio in logizante intellectu, ſicuti forma phyſicé ſpecificans,& determinans vritutem,& actionem phyſicé operantis.

Dubitabis ſecundo an diviſio poſsit fieri per iudicium; an per apprehenſionem? Reſpondendo dubitationi, prima eius pars mihi abſque dubio videtur; neque in illius probatione debere detineri, exiſtimo.

Circa ſecundam partem ſentio, difficilimum eſſe, concipere partes inter ſe, & à toto ſeparatas, & nõ affirmare, vel negare aliquid, vel de toto ad ipſas, vel de ipſis ad totum; ita vt licet in vocibus nullum appareat iudicium, tamen in mente reſideat: Preterquam, quod non cum levi fundamento, ipſa diviſionis cõditio, hac ratione ſuadet. Sic ſervatis ſervandis, efficitur ſeparatio, & diviſio, ſicuti efficitur ipſarum partium copulatio; ſed abſque iuditio partes non copulantur; ergo neque abſque negatione iudicij ſeparantur, & dividuntur.

Deinde ſic; ſi intellectum per actum, quem ex apprehenſione, dividentem exiſtimat, neque affirmaret, neque negaret, non poteras inferri totum aliquod diviſum; ergo vt diviſum ſit, requiritur iudicium. Prob. antecedens; quia illud non efficit intellectus per aliquem actum, quod factum eſſe, poteſt intellectus negare, vel affirmare ſine facti contradictione; ſed dum nullus actus iudicativus præceſſiſſet, adhuc intellectus poterat ſine contradictione tam actus præcedentes, quam torum terminos affirmatione, vel negatione, copulare, vel dividere; ergo per actum illum præcedentem, infertur, quod neque copulavit, neque diviſit.

DISTINCTIO VII.

De Propoſitionis quidditate, & diviſione.

ETSI in Perhiermeniarum diſtinctionibus, principaliores propoſitionis notitiæ exactiori examine ſint tractandæ, tamen iuxta plurium recentiorum morem, aliqua, quæ pro nunc ſcienda, neceſſaria videntur, ſi breviter poſsimus, expendemus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit propoſitio?

ARiſtot. dupliciter propoſitionem explicat. In libro enim 1. *Perhierm. cap.* 4. ait, quod propoſitio, eſt *Oratio verum, vel falſum ſignificans.* Et in 1. *Priorum cap.* 1 ait, quod propoſitio, eſt *Oratio aliquid affirmans, vel negans.* Ex quibus propoſitionis explicationibus, plures eligunt primam, & eã pro viribus deffendunt, quorum vnus eſt noviſsimé Mag. Dionyſius Blaſco ſuum Doctorem Bachonium reſolutum ſequens,& exponẽs in lib. 6. Diſt. 24. q. 1. art. 1. Alij eligunt ſecundam, eamque accuraté deffendunt, quorũ noviſsimus eſt noſter Antonius Groſſo in Perhierm, Diſſertatione 19 elucidatione 1. Placet hinc refferre noſtri Illuſt. Merinerij ſenſum iuxta quem exiſtimat Ariſtot. alloquutum. Ait enim in parte 2. ſuæ logicæ parvæ cap. 4 Ariſtot. ſolum intendiſſe Tironibus has explicationes tradere, non autem ſtricté definire. His ſic.

Im-

Digitized by Google

Impugnare in primis intendam vtriuſque definitionis Patronos, ſi ipſi ſtrictè definire propoſitionem vellint. Arguo igitur cōtra vtramque; ille actus, qui ſimpliciter, & ſtrictè eſt diviſivus, nequit idemmet ſimpliciter, & ſtrictè eſſe definitivus; ſed vterque ille actus Philoſophi ſtrictè eſt diviſionis; ergo ſtrictè definitivus nequit eſſe. Maiorem (preterquam quod ſupra manet probata) exiſtimo, neque à Bachoniſta Dionyſio, neque ab Scotiſta Groſſo, negari. Minor probatur, quia per illos actus diſtribuitur propoſitio in verā, & falſam, in affirmativam, & negativam, nō minus ac per actum dividentem animal in rationale, & in irrationale. Sicuti enim dicitur de propoſitione, quod eſt vera, vel falſa, &c. Sic dici poteſt de animali, quod eſt vivens ſentiens rationale, vel irrationale; & ſicut poteſt dari animal, quod non ſit rationale, non autem quod rationale, vel irrationale non ſit; ſic poteſt dari propoſitio, quæ nō ſit vera; & ſi quæ vera, vel falſa ſit non poſſit dari; ergo ſicuti actus ille diſtributivus animalis, non poteſt ſtrictè eſſe niſi diviſionis, ſic & actus illi diſtributivi propoſitionis, aliud quam diviſivi, non poterunt eſſe.

Arguo 2· illa conditio, quæ pro ſtricta paſsione requiritur, multo melius pro ſtricta eſſentia eſt requirenda; ergo ſi paſsio, vt ſtrictè, & in quarto modo dicendi ſit paſſio, requirit omni ſoli, & ſemper convenire, multo melius ſtrictum, & eſſentiale conſtitutivum, omni ſoli, & ſemper debebit convenire. Nunc ſic; ſed illi actus definitivi omni propoſitioni non conveniunt, quia quæ eſt vera, non eſt falſa, & quæ affirmat, non negat; ergo nnn ſunt eſſentiales, & ſtricti.

Reſpondebit Dionyſius ex his, quę explicativé adducit, dicendo, quod eſſentia propoſitionis non eſt, neque præciſé eſſe veram, neque præciſè eſſe falſam, ſed eſſe veram, vel falſam. Undé eum nulla ſit propoſitio, quæ vera, vel falſa ſit; neque illa erit propoſitio, cui eſſentialis definitio non competat.

Sed contra inſto ſemper: ad hoc vt aliqua paſsio ſtrictè talis ſit, requiritur, quod ſit prædicatum vniformiter ſubiecto conveniēs, & non pręciſé illa disiunctione; ergo multo melius hoc requiret eſſentia, cum vigor, & idemptitas ſtrictius reſideat in ipſa. Antecedēs patére videtur; aliàs nulla propé foret paſsio, quæ ſtrictiſsimé talis non foret; quod ſuadetur in riſu, homini enim ridere, vel non ridere, competit in quarto modn. Et nnto, hinc loqui de non ridere privativé, quo pacto alijs ab ipſo non competit: ergo &c.

Deindé tam pro his, quam pro poſitis in primo argumento reſpondet Dionyſius, quod dum definit propoſitionem cum Philoſopho, & Bachonio, *per eſſe orationem*, verum, vel falſum, ſignificantem, differentiam huius definitionis in recto, eſſe ly *ſignificans*, & hæc ſine vlla disiunctione ponitur; veritas autem, vel falſitas ſolum ponitur in obliquo; quia deficit nomen vtramque ſignificans proprié.

Sed contra in primis, quia ſi ſolum ly *ſignificans* foret in recto differentia illius definitionis, ſequeretur, quod nulla in recto foret differentia: ergo nil ſatisfacit. Prob. antecedens; quia illud prædicatum eſt peſsimum pro differentia alicuius definitionis, quod ſecundum ſe non exprimit, rem definitam differre; ſed ly *ſignificans* in recto, nil differentiæ adducit rei definitæ, ſecundum quod dicit in recto; ergo ly *ſignificans*, provt in recto peſsima eſt differentia. Prob. min. quia ly *ſignificans* in recto, neque dicit verum, neq; falſum; ergo ly *ſignificans* provt in recto, nil differentiæ rei definitæ adducit. Patet antecedens, quia ſi ly *ſignificans* in recto diceret verum, vel falſum, preterquam quod deſtruit ſolutionem, iam in recto, vel inſimul cum recto, explicatio diviſiva foret; quod ſupra reprobabam: ergo &c.

Contra 2. quia nunquam ex nominis inopia poteſt vis argumēti auffugi; in re enim repugnaret definiri propoſitionem in ordine ad veritatem, vel falſitatem, affirmationem, & negationem, etſi daretur nomen, vtraſque ſignificans; quod ſic ſuadeo. Etſi in re daretur nomen, quo exprimeretur animal rationale, & irrationale, nunquam recté animal per illud definiretur, non aliundé, niſi quia aut rationale, aut irrationale diviſivè accidunt animali, eo quod abſque quolibet diviſivé poſsit eſſe animal; ſed non minus veritas, & falſitas, affirmatio, & negatio, accidunt propoſitioni, cum abſque qualibet diviſivè poſsit eſſe propoſitio; ergo ſicuti animal, etſi rationale, vel irrationale non poſsit non eſſe, & aliàs daretur nomen vtrumque exprimens, non recté definiretur per illud; ſic pariter, etſi daretur nomen vtraſque illas formalitates exprimens, & aliàs propoſitio vera, vel falſa non poſſet non eſſe, non definiretur reclé per illud.

Ratio confirmans videretur eſſe, quia qui ſic definiret animal, definiret illud per conceptum exprimentem animal, & differentiam animalis, quæ eſt extra eſſentiam formalem præciſé animalis. Sic pariter, qui definiret propoſitionem per

ſignificationem veri, vel falſi; tunc ſi daretur nomen expreſivum, definiret propoſitionem per conceptum exprimentem propoſitionem, & eius differentiam, quæ eſt extra præciſam eſſentiam propoſitionis. Sicuti enim eſſe, rationale eſt differentia animalis, ſic & eſſe veram, vel affirmativam, eſt differentia propoſitionis; aliàs omnis propoſitio eſſet vera, & affirmativa; nec non propoſitio vera non differret à falſa, ſed forent primo diverſæ. Quæ omnia maioris roboris ſunt apud Dionyſium aſſerentem, non minus repugnare propoſitionem veritate contractam, tranſire in falſam, ac animal contractum rationali, tranſire in irrationale. Colliguntur iſta ex his, quæ reſoluit *q.2 art 5.§.4.nu.*38.

Noſter Antonius Groſſo, veluti ſi hæc omnia prævidiſſet, eleganter explicat rectam eſſe definitionem per affirmationem, vel negationem traditam. Ait enim conſimiliter, ex eo eſſe, per illum duplicem conceptum, tecté propoſitionem definitam, quia eſt nobis ignotus aliquis conceptus communis ad aſſirmationem, vel negationem. Cui ſi objicias, poſſe aſignari prædicatum iudicativum, vel enuntiativum, quod eſt commune ad afirmationem, vel negationem. Reſpondet, contra eſſe, quia hæc prædicata ſunt æqué confuſa, ac ipſum definitum, etſi eorum explicatio inveſtigetur, aliter reſponderi non poteſt, quamquod enuntiare, & iudicare, ſit affirmare, vel negare; quare iudicat ab Ariſtotelica definitione recedere, non licére.

Sed neque explicatio Noſtri Groſſo ſalvat prædictæ definitionis defectum. Quia plura dati poſſunt prædicata, quæ ſint aſſirmationi, & negationi communia, & quæ ex ſe ab illis ſint præciſa, illo ipſo modo, quo animal ex ſe præſcindit à rationali, vel irrationali. Quod enim talia prædicata poſsint dari, ſuadetur; quia dicere, & prædicare aliquid de aliquo, ſunt prædicata ex ſe vtrique illi formalitati communia. Deindé applicatio vnius prædicati ad aliud, & actus iudicativus, nec non expreſsius, forté poterit propoſitio explicari per eſſe orationem terminis logicis puté copulatam, ſeu nexu compoſitam, &c. Ergo non eſt cur ex nominum inopia, propoſitionis eſſentia ſtrictius non liqueat.

Neque illud, quod Groſſo de confuſione tradit, ſatisfacit. In primis, quia ex munere ſolum ſpectat ad definientem, explicare eſſentiam rei per conceptus eſſentiæ vt ſic, ſignificativos vniformiter, ita vt ex his, qui quo ad nos ſunt noti, ſit notior, vel minus ignotus ille, quo eſſentia in communi explicatur, etſi ex parte obiecti alij notiores dentur, ignoti tamen nobis.

Deindé, quia etſi conceptus illi à me ſupra ſignati, non videantur tam clari, ac conceptus affirmationis, & negationis, tamen ad eſſentiam propoſitionis in communi explicandam, ſemper ſunt clariores ipſa eſſentia definita, & explicata. Rationem do, & noto illam, quia cum definitum non ſit propoſitio affirmativa, & negativa, ſed propoſitio abſtrahens, & affirmativé, & negativé communis, ita confuſum, & abſconditum manet definitum, quod quilibet illorum conceptuum, etſi non ſit clarior propoſitione, vt affirmativa, & negativa, eſt tamen longé clarior propoſitione, vt in communi. Si enim illi conceptus non ſunt clari pro affirmativis, & negativis, quia iſti vt definiti, eſſent clariores illis conceptibus definientibus; ſunt tamen illi conceptus clariſsimi reſpectu propoſitionis vt ſic, quia etſi à conceptibus preſcindatur expreſio affirmandi, & negandi, etiam ab illa, prout in communi eſt definienda, expreſio iſta negandi, vel affirmandi præſcinditur. Undé reſpectu illius, reſpectu cuius, vt definiti, ſunt definitiones, clariores conceptus ſunt

Dices; non poſſe dari propoſitionem, quę non affirmet, vel neget; ergo nulla poteſt dari definitio propoſitionis, quæ per conceptus affirmandi, & negandi non exambiatur. Inſto argumentum; nullum poteſt dari animal, quod non brutalizet, vel diſcurrat; ergo animal per conceptus exprimentes principia brutalizandi, & diſcurrendi debet definiri. Mihi enim infallibile eſt principiũ, quod nullum ex illis prædicatis eſt de præciſa eſſentia rei, ſine quorum quolibet perfecté ſuam eſſentiam poteſt res habere ſecundum ſe; ergo ſi contrarij ſiſtunt in hoc, quod conceptus affirmandi, & negandi ſunt eſſentia propoſitionis, quia non poteſt dari propoſitio, quæ vel non affirmet, vel non neget; æquali iure inferre poſſum, tales conceptus non eſſe de illius eſſentia, cum poſsit dari propoſitio, quin vel aſſirmet, vel neget. Undé affirmatio v. g. erit differentia propoſitionis affirmativæ, non autem propoſitionis, vt ſic His ita.

Reſolvo, propoſitionem melius poſſe ſic explicari. *Oratio puré iudicativa*; ſeu *Oratio in qua vna pars præcisé habet dici de alia.* Iſtarum definitionum explicationes ſatis inferuntur ex dictis, & ex objiciendis, magis inferrentur.

Objicies; noſtram definitionem convenire ſyllogiſmo, qui iudicativus eſt; ergo convenit alijs à definito. Reſpondeo negando ante-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

antecedens; quia ſyllogiſmus de per ſe non iudicat in recto, ſed provt propoſitionibus iudicativis conſtat. Itaque ſyllogiſmus non efficit novum iudicium, ſed ſolum iudicia facta per propoſitiones alio modo accomodat. Deindé his derelictis, facilius reſpondetur dicẽdo, nũquam propoſitionis definitionem ſyllogiſmo competere, cum propoſitio ſit puré iudicativa, & ſyllogiſmus plus habeat, quam pure iudicare, vtporé diſcurrere.

Ob. 2. contra ſecundam definitionem, quod etiam per compoſitas apprehenſiones aliquid dicitur, & tamen per ipſas nil indicatur; ergo per præciſe dici, non exprimitur aliquid propoſitionis proprium. Reſpondeo, quod etſi per apprehenſiones aliquid dicatur ab intellectu, non tamen aliquid de aliquo dicitur, quod longé diverſum eſt. Undé per hunc actum, animal rationale, nil dicitur de alio, quia eſt indifferens, adhuc vt animal dicatur de rationali, ſicuti quod rationale dicatur de animali, quæ indifferentia aufertur, dum per dici vnum de alio, formatur propoſitio.

Ob. 3; quod particula illa, ſcilicet, *Oratio*, non eſt genus proximum; ergo non eſt recta definitio. Prob. antecedens, quia ly *Oratio* convenit cum orationibus Grammaticalibus, & immediatiores ſunt propoſitioni logicæ orationes, quæ propoſitio non ſunt; ergo ly *Oratio* non eſt genus proximum. Reſpondeo verum eſſe, non eſſe genus proximum, ly *Oratio*; ſedtamen non defecimus, non addendo ſupra orationem, logicam debere eſſe; quia in tali caſu daretur quid ſuperfluum, cum eo ipſo quod Oratio puré iudicativa, ſeu prædicativa ſit, logica debeat eſſe. Et ſic eminenter iam eſt formalitas logica in oratione illa.

Unde abſoluté poteſt negari antecedens, dicendo, quod ly *Oratio*, eſt genus proximũ, ſiquidem de generibus, quæ definitio non ſuperflua poteſt habere, nullum extat oratione proximius.

Objicies vltimò, perſiſtendo in dictis; ex eo oratio affirmans, vel negans eſt mala, quia diſiunctim ſignificat; ſed conceptus iudicativus diſiunctim ſignificat, cum conceptus indicativus ſit affirmans, vel negans; ergo cõceptus iudicativus eſt malus pro definita propoſitione. Quidquid ſupra diffusé dixerim, reſpondeo, quod conceptus iudicativus ſemper eſt optimus conceptus differentialis; quia dum vnicus exprimitur, per modum vnius vniformiter, omnibus propoſitionum ſpeciebus cõmunicatur; omnes enim à conceptu iudicativo convenire, non ſine fundamento percipitur; at affirmatio vel negatio eſt duplex conceptus, qui indifferentijs eſſentialibus, præterquam quod eſt vitãdus, ab omnibus ſub illa expreſione non participatur, cum licet omnes iudicent, vt autem, neque omnes affirmant, neque omnes negant.

Nec valet quod dicebat Groſſo, & reſtabat ſolvi, ſcilicet, quod in re, vt conceptum noſtrum communem prædicationis explicemus, eſt recurrendum ad affirmationem, & negationem. Non enim hoc valet; quia præterquam, quod hoc non facile admitam, nunquam ex tali recurſu debet inferri, quod illis, quibus vtimur ad explicandum particulas definitionis, debeamus vti ad ipſam definitionem formandam. Pluries enim evenit, quod ad explicãdam rectitudinem explicationis eſſentiæ, recurramus, iam ad contrariam, & oppoſitam eſſentiam, iam ad obliqua, & proprietativa, iam denique ad tanta nomina, & ſignificativas voces, quod ſi hæc omnia deberent eſſe ſtrictę explicationis conſtitutiva, prolixiſsimã ſarcinam definiendo efficeremus.

Noto in fine, quod licét non poſsit dari poſitivé enuntiatio ſine affirmatione, vel negatione, & tamen poſſet dari ſenſatio ſine diſcurſu, vel rugitu v.g, non debet inferri, quod enuntiatio non ſit negativé communis affirmationi, & negationi, ſicuti eſt animal, rationali, & irrationali. Ratio eſt, quia enuntiatio eſt eſſentialiter exercitium ipſum, & ſic habet connexionem cum actuali affirmatione, & negatione; at eſſentia communis animalis eſt virtus ſentiendi, & ſic ſolum connectitur cum virtutibus rugiendi, vel diſcurrendi.

QUÆSTIO II.

Quænam ſit forma propoſitionis?

SUb alijs vocibus præfata difficultas inveſtigari ſolet. Hic enim ſolet percontari de forma, quantitate, & qualitate propoſitionis. De quantitate, & qualitate propoſitionis, & agemus infra, & in lib. Perhierm. in memoriam notitias evocabimus. Solum noto hic ſtudioſam ſectando proportionem, dici de propoſitione habere materiam, formam, & quantitatem; & de quantitate principaliter metaphoricé habilitatur quantitas. Dicitur enim in propoſitione eſſe quantitatem; quia iuxta modum ſuę entitati affixum habet extẽſionem, ita vt propoſitio vniverſalis quanta dicatur, cum extendatur ad plura, ipſis ſe cõmenſurando, & ſic quo ſingularior, ſeu minus vniverſa, minori extenſione entitas ſecundo

inten-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

intentionalis extenditur.

Nunc igitur, quod principaliter decidere intenditur eſt, quænam ſit propoſitionis forma. Sumo fundamentum ad dub tationem ex eo, quod propoſitio ſit ens ſecundo intentionale, & ſic danda ſunt huius entis principia, quorum vni competat eſſe ſubiectum, & materiam, & quorum alteri competat eſſe terminum formalem, & formam. Nec non ita debent eſſe principia, quod ex ipſis fiat propoſitio, & nullum fiat ex alio in illa linea, in qua eſt principium. Quare licet ſubiectum fiat ab intellectu, fit tamen ab intellectu, vt à principio effectivo, in qua linea, ſubiectum non eſt entis ſecundo intentionalis principium. Sic licet intellectus efficiendo hanc propoſitionem v.g. Petrus eſt animal, educat animal de Petro, qui eſt ſubiectum, nunquam Petrus eſt principium animalis in illa linea, in qua animal eſt principium; quia animal eſt principiũ, vt prædicatum, in qua linea eſt primum, & nõ ſupponens aliud.

Sic pariter ſi poſſit concipi Petrus ſubiectum in aliquo priori ad animal; vel ita quod dum Petrus eſt ſubiectum reſpectu animalis, ſit idem Petrus indiferens, & aptus ad eſſendum ſubiectum reſpectu rationalis, quin diverſum ſubiectum ſit Petrus ex illa mutatione, conſtituendo idem Petrus aliud diſtinctum compoſitum, & ens ſecundo intentionale; in tali caſu (quod expedibile exiſtimo) dicendum eſt, quod datur alius terminus logicus præter ſubiectum, & prædicatum, qui terminus à quo formalis erit privatio ſecundo intentionalis: & ſic præter aſſignata, habebit propoſitio aliud principium. Idem ſervatis ſervandis, dices de alijs entibus ſecundo intentionalibus, vt de principijs in Syllogiſmo ad concluſionem præmiſſis. His ita.

Dico igitur quod in ente ſecundo intentionali, quod eſt propoſitio, forma eſt prædicatum, materia eſt ſubiectum, & copula, ſeu aſſeveratio, vel enuntiatio eſt conditio, ſeu applicatio. Ita, inferri videtur ex Doctore ſubtili in 3. diſt. 13. quæſt. 4. §. *ad primam quæſtionem*. verſ. *hac ratio declaratur ſic*; vbi ait: *Nec ſic ſubiectum includit prædicatum, quia prædicatum eſt ſpecificativum per illam determinationem, &c.* Ex quibus inferri poteſt, quod etſi in alio ſenſu ibi loqui intendat Scotus, tamen ſpecificatio, quæcunque ſit, à prædicato eſt ſumenda. Sed ad rem legatur *in 2.d.3 q.6.§.ad quæſtionem*, verſ. *& quia apud Philoſophum*, vbi ait: *quod prædicatum habet rationem formæ, & ſubjicibile rationem materiæ.*

Suadetur deinde concluſio, ſupponendo quod forma debeat eſſe in quovis compoſito, ſiquidem adhuc in concreto, quamtumvis accidentali, forma datur. Suppono etiam, quod omnes formalitates cõſtituentes propoſitionem, non poſſunt eſſe forma propoſitionis, quia in nullo compoſito eſt forma compoſiti totum quod in illo eſt, ſed vnica tantum formalitas ex illis: quod, preterquam quod patet in phyſicis, vbi ſolus actus primus eſt forma; in metaphyſicis vbi ſola differentia eſt forma; & in intentionalibus, vbi ſola intellectio eſt forma; convincitur etiam ex ipſa ratione eſſendi formam, ſiquidem debet eſſe forma reſpectu aliarum formalitatum, quæ non forma, ſed materia ſint; ergo ſola vna formalitas propoſitionis debet eſſe ipſius forma; ſed hæc formalitas iuxta rectam proportionem debet eſſe prædicatum; ergo.

Probatur minor ex dictis diſt. 1. queſt. 1 vbi propugnatum manet ſolum prædicatum eſſe rigoroſè terminum formalem; ſed in omni ente id eſt eius forma, quod eſt eius terminus formalis; ergo propoſitionis forma erit prædicatum.

Deindè prob. quia de ratione formæ vt ſic, eſt determinare ſubiectum, ipſi aliquam denominationem formaliter præbendo; ſed prædicatum determinat ſubiectum, vt patet in hac prædicatione, v.g. Petrus eſt animal, in qua Petrus, qui eſt ſubiectum indifferens ad hoc vt de ipſo alia formalitas prædicetur, contrahitur ad ſpecialem prædicationem per prædicatum illud, recipiendo ab ipſo illam denominationem; ergo Petrus, vt recipiens dicendus eſt ſubiectum, & ſic prædicatum, vt denominans dicendum eſt forma.

Probatur etiam à ſufficienti partium enumeratione, ex eo quod forma propoſitionis non poſſit eſſe ſubiectum, vt ipſe ſubiecti conceptus ſatis exprimere videtur. Deindè, neque copula, quia præterquam quod in nullo compoſito nexus partium eſt pluſquam conditio ad compoſitum formandum, id ipſum innuere videtur Philoſophus 1. Prior. reſolvens propoſitionem in ſubiectum, & prædicatum, tanquam in partes, & terminos formales ex quibus componitur; ergo videtur ſentire copulam non eſſe terminum formalem, cum per id aliquid intrinſecé, & formaliter conſtituatur per quod in id ipſum vltimo reſolvitur.

Objicies; poſita copula datur actu forma, illa ablata neque datur propoſitio, neque datur forma; ergo copula eſt omnis rigoroſa informatio. Reſpondeo concedendo antecedens,

cedens, & etiam concedi poteſt conſequentia, quin aliquid ex conceſsis contra nos ſequatur. Non ex antecedenti conceſſo; quia nulla eſt forma, quę quantumvis abſolutè talis ſit, non dependeat ab aliquibus conditionibus, vt ſuum formalem effectum præbeat. Non ex conſequentia conceſſa; quia aliud eſt informatio, & aliud forma, vt patet in phyſico compoſito, in quo informatio non eſt forma, ſed potius ipſa vnio; ergo eo ipſo quod copula ſit informatio, excluditur à ratione formæ.

Objicies 2. prædicatum non denominat ſubiectum; ergo non eſt forma propoſitionis. Prob. antecedens, quia ſubiectum non denominatur prædicatum: ergo prædicatum non denominat ſubiectum. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; prædicatum non denominat in recto, concedo; in obliquo, nego. Et ſic reliqua percipiq. Itaquè prædicatum eſt cõcretum ſecundo intentionale, conflatum ex ſecunda intentione prędicati, & ex prima intentione animalis; quare in hac propoſitione, Petrus eſt animal; prædicatum denominat ſubjectum per materiale ipſius prædicati, quod eſt animal; non autem per formale, quod eſt ſecunda intentio, eo quod ſolum materialiter ſit denominabile ſubiectum; ſicque non dicitur, quod ſubiectum eſt prædicatum, ſed quod homo eſt animal. Rationem ſignabo ſtatim, & exactius in lib. Prædicab. in quæſt. de Genere.

Inſtabis, prædicatum eſt forma propoſitionis ſecundum quod dicit ſecundo intentionaliter: ergo ſecundum id debet denominare ſubiectum. Reſpondeo diſtinguendo cõſequens, debet denominare ſignatè, concedo; exercitè, nego. Itaque ſecunda intentio debet eſſe ratio denominandi; non autem ſe ipſa exercitè denominare. Ratio eſt, quia id, quod ſecundæ intentiones ſignant in aggregato, quod ſecundum omnes partes eſt ex ſecundis intentionibus conflatum, non debet in ipſis ſecundis intentionibus exerceri; ſed in naturis denominatis, quæ primæ intentiones ſunt; quia licet ratio agendi tribuatur formis, exercitium tamen agendi, ſeu denominandi non tribuitur formis, ſed materijs in concretis ſecundo intentionalibus adæquatis ex ſecundis intentionibus; v. g propoſitio. Quod adhuc in concretis primo intentionalibus fortè experitur; licet enim in concreto albo, ſola albedo ſit ratio diſgregandi viſum; tamen vel ſolus paries diſgregat viſum, vel ad minus, totum concretum diſgregat, & tamen totum nõ eſt ratio diſgregandi.

Notanter dixi quod talis modus denominandi inveniatur in aggregato ex ſecundis intentionibus adæquatu; quia in concreto ſolum conflato ex prima, & ſecunda intentione, tunc ſecunda intentio denominabit; v.g. in hoc concreto *differentia*, in quo ſecunda intentio, denominat rationale, v.g. differentiam; & in aggregato ex ſecundis intentionibus; v.g. in *definitione*, etſi differentia ſit forma æquivalenter reſpectu generis, non tamen exercitè denominat genus, ſed denominat rationale. Ratio eſt, quia ſecunda intentio prædicati, eo quod accidens ſit, debet eſſe in aliquo ſubiecto; & eo ipſo quod in illo ſit debet ipſum denominare: vndè cum ipſa ſecunda intentio non poſsit eſſe in prima intentione ſubiecti, quia ſic eſſet in pluribus ſubiectis, hinc eſt, quod non poteſt ipſa per ſe ſubiectum denominare, cum accidentia, & precipuè ſecundo intentionalia, non denominant illa, in quibus non ſunt; quare ſecunda intentio prędicati, etſi ſit ratio denominandi, exercitium tamen denominationis derivat per primam. Idem intellige de definitione in qua ponimus exemplar.

Deindé, hæc omnia firmo, ex eo quod argumentum poſsit inſtari contra quoſcumque illud efformantes, & deinceps tenentes, copulam eſſe formam. Inſto ſic; ex eo prædicatum non eſt forma, quia prædicatum exercitè non denominat ſubiectum prædicatum; ſed neque copula ſic denominat, cum neque ſubiectum, neque prædicatum, eſſe copulas, denominet: ergo huiuſmodi recta indenominatio nullius formæ ſecundo intentionalis eſt deſtructiva.

Denique pro hucvſque dictis infero, quod in quovis ente ſecundo intentionali, illa ſola pars erit terminus formalis, quæ debita, & poſsibili propoſitione ſubiectum illius entis actuat, perficit, & complet. Itaque ſicuti in propoſitione reſpectu ſubiecti, forma eſt prędicatum, ſic in definitione reſpectu generis differentia; in ſyllogiſmo reſpectu præmiſſarum concluſio, & ſic comparativè eſt de alijs ſecundo intentionalizandum.

Hæc dixi, quia etſi ſecundo intentionalia, ſint diſtincta à primis intentionalibus, ſemper tamen, ſervatis ſervandis, naturarum proportionem imitantur. Itaque, licet animal eſſe genus, ſit formalitas ſecundo intentionalis, diſtincta à prima, ſemper tamen ſequitur primæ intentionis propoſitionem, nec non iuxta illius conditionem ab intellectu accomodatur. Undè recto ſervato ordine, illa ſecunda intentio generis, non poteſt poni, niſi in illa natura animalis, vel in alia conſimili,

eo

Digitized by Google

eo quod animal, iam ex convenientia, & vniverſalitate intrinſeca, fundamentum præbeat ad illam ſecundam intentionem. Sic pariter de rationali prout habet eſſe differentiam eſt philoſophandum, ergo non ſine fundamento aliquibus ſecundis intentionibus tribuitur ratio materiæ, & ſubiecti, & alijs ratio formæ, & termini formalis.

QUÆSTIO III.

Vtrum propoſitio negativa, logica propoſitio ſtrictè dicenda ſit?

HÆC dubitatio movetur ex eo, quod ad logicam propoſitinnem, requirantur partes, & copula, & hæc non facile in propoſitione negativa perſuadetur, vt rationibus infra ponendis intuenti objicietur.

Sentio tamen contra aliquos Valentinæ Univerſitatis Recentiores, negativam propoſitionem talem eſſe ſtrictè tenendam. Prob. quia datur ſtrictè ſubiectum actu exercitum, & ſimili ſtrictione datur prædicatum; ergo datur ſtrictè propoſitio. Antecedens prob. in hac propoſitione v.g. Petrus non eſt lapis, in qua non eſſe lapidis dicitur de Petro. Prob. nunc conſequentia; quia ſi aliquid deficeret, vt ſtrictè daretur propoſitio, foret nexus, ſeu applicatio prædicati cum ſubiecto; ſed hæc nõ deficit; ergo. Prob. minor, quia nulla forma poteſt denominare aliqnod ſubiectum, quin vel ipſo connectatur, vel ad ipſum applicetur; ſed in prædicta propoſitione, Petrus, qui eſt ſubiectum, denominatur; ergo cum denominante, quod eſt id, quod de illo dicitur, neceſſario connectitur, ſeu ad ipſum applicatur. Prob. minor, quia in logicis propoſitionibus, non datur alius modus denominandi ſubiecta, quam modus dicendi de illis, hic modus, vt de ſe patet, datur; ergo.

Prob. 2. ſic ſervatis ſervandis eſt logizandum de propoſitionibus negativis, ac de negativis demonſtrationibus, & ſyllogiſmis; ſed negativæ demonſtrationes ſtrictè ſunt tales, & perfectam figurarum connexionem habent; ergo & negativę propoſitiones illam habere debent. Maior conſonare videtur, quia totum partium conditionem ferè ſemper ſervat. Minor convincitur; quia demonſtrationes ex negativis directæ perfectiſsimé concludunt. Deinde conſequens illatio ſyllogiſmi in Celarem eſt negativa, ſed nil obſtat negatio vt ſit ſcientifica; ergo cum ſine prædicatorum applicatione actus ſcientificus ſit impoſſibilis, nil ad actum ſciendi negatio obſtabit in aliquo, ac per conſequens, neque ad actum applicandi.

Dices, quod in ſyllogiſmo conſtructo in Celarem iam datur vna propoſitio affirmativa, quod ſufficit, vt perfectè ſyllogiſmus ſit. Sed contra, quia omnia, quæ ſunt in propoſitione, non ſunt negativa, quia in hac propoſitione, Petrus non eſt lapis, ſubiectum, quod eſt Petrus, non eſt aliquid negativum, aliàs in hac propoſitione, Petrus non eſt animal, nil falſum oriretur, cum de Petro negativo, vtpoté de non Petro, vera poſſet eſſe. Ex quibus ſic formo argumentum; ſicuti propoſitiones conſtruunt ſyllogiſmum, ſic ſubiectũ, & prædicatum conſtruunt propoſitionem; ſed quia in ſyllogiſmo datur vna pars quæ negativa non eſt, eſt verus ſyllogiſmus; ergo quia in propoſitione datur aliqua pars, quæ negativa non eſt, erit vera propoſitio.

Dices, quod maior pars propoſitionis eſt negativa, cum negativa ſit prædicatio. Cõtra, quia etiam maior pars ſyllogiſmi in Celarem eſt negativa, cum preterquam quod duæ propoſitiones negativæ ſint, negativa ſit illatio, quæ eſt omnium præcipua pars. Deinde, quia extremum maius ſyllogiſmi eſt negativum, & in negativis invenitur, cum ſolum in maiori, & conſequentia ingrediatur; vnde ad noſtrum intentum ſufficit, quod ſyllogiſmus ex omni parte ſit perfectus ſtrictè, dũ ex maiori parte negativus ſit.

Objicies, in hac propoſitione, Petrus eſt animal, prædicatum cõnectitur cum ſubiecto; ergo in hac alia, Petrus non eſt animal, prædicatum non connectitur cum ſubiecto. Prob. conſequentia, quia hæc propoſitio, Petrus nõ eſt animal, tollit à Petro, quod alia dat; ergo ſeparat à Petro, quod alia coniungit; ergo in illa non connectitur prędicatum cum ſubiecto.

Confirmatur in ipſis obiectis phyſicis; quia ex eo actio corruptiva vnionis materiæ, v.g. ad animam rationalem non relinquit cõpoſitum phyſicum, quia ſeparat, & tollit ab anima, quod altera actio contraria dedit; ita vt animam tolli à materia, & inſimul compoſitionem relinquere ex diametro opponantur; ergo cum in vna propoſitione tollatur à Petro, quod in alia ponitur, repugnat quod in ipſa detur logica compoſitio, quæ in alia ex diametro oppoſita datur.

Confirmatur 2. quia per hanc propoſitionem v.g. Petrus non eſt animal, aliquid aufertur à Petro; ſed phyſicè, & realiter nil aufertur, cum idemptitas obiectiva, & realis maneat in Petro cum animali; ergo illud quod au-

aufertur eſt idemptitas logica.

Reſpondeo tamen argumento concedendo primum antecedens, & diſtinguẽdo conſequens; prædicatum non cõnectitur cũ ſubiecto eodẽ modo, cõcedo; diſtincto modo, nego. Ad probationẽ, diſtinguo antecedens; hæc propoſitio, Petrus non eſt animal, tollit à ſubiecto, quod alia dat, modaliter, concedo; entitativé, & eſſentialiter, nego. Vel aliter, quod alia dat, tollit à ſubiecto logicé, nego, repreſẽtativé, ſeu per actum intellectus, concedo. Ergo ſeparat à Petro, quod alia coniungit, diſtinguo; ſeparat à Petro prædicatũ quoad modũ, cõcedo: ſeparat abſoluté predicatum, nego. Vel aliter, ſicuti ſupra diſtinguo; & nego vltimã cõſequentiã.

Itaque dico, quod in illa negativa, & in quavis alia propoſitione, prædicatũ eſt illud, quod eſt dictũ, & cõnexio, ſeu idẽptitas logica, eſt ipſa dictio, ſeu prædicatio; & illa nota *non*, eſt modus, vel dictionis, vel dicti, ipſis annexus: quare illa nota *non*, non deſtruit logicã idemptitatẽ, ſed eã modificat, ponẽdo in propoſitione modũ negativũ prædicãdi, ſeu dicẽdi; ſicuti dum dictio connotat talis *nota* privationem, aut carentiam, ponitur in ipſa dictione modus dicendi affirmativé.

Quod enim dictionẽ, ſeu idemptitatẽ logicam non deſtruat, eſt clariſsimũ; quia in illa propoſitione aliquid dicitur de Petro; ergo quomodocunque ſit, cõnexio debet dari inter dictũ, & inter id, de quo dicitur; aliàs ſi logicé non daretur connexio, impoſsibile foret, quod adhuc de Petro poſſet negari nõ eſſe lapidem, ſiquid m non poſſet dici.

Notanter etiam dixi aliter diſtinguẽdo, logicé, vel repreſentativé. Verũ enim eſt, quod ex parte obiecti repreſẽtati per actum, qui eſt conceptus formalis, vna propoſitio tollit, quod altera dat: tũ quia ipſemet actus intellectus nõ eſt ſtrictê ſecũda intentio, vt dicemus in logicis procemialibus: tum quia actus intellectus repreſentat idemprificatũ obiectũ, quod alter actus non ſic repreſentat; & ſic repreſentativé vnus actus tollit, quod alter dedit; at autem logicé nunquam tollitur, neque poteſt tolli, niſi mentali ſilentio, applicatio prędicati cum ſubiecto. Dixi mentali ſilẽtio, quia dictio, quæ eſt coniunctio extremorũ propoſitionis, ſolũ corrumpitur, dũ intellectus nil de alio dicat.

Ex quibus ad primam confirmationem reſpondeo paritatem non tenere, ſicuti proponitur; imo ex ipſa poteſt corroborari noſtrũ intẽtũ. Ratio eſt, quia ſi anima auferatur à ſubiecto per introductionem alterius formæ denominantis, etſi idem cõpoſitum non maneat; eſt tamen impoſsibile, quod etſi diverſimodé nõ maneat cũ eodẽ ſubiecto compoſitũ: ergo ſi vnus modus dicẽdi de ſubiecto logico auferatur ab ipſo per introductionem alterius denominantis ſubiectũ, etſi idem compoſitum non maneat, implicabit, quod etſi alio modo, non maneat logica compoſitio.

Quod autem nil impediat, quod repreſẽtativé vna propoſitio tollat, quod altera dat, vt vtraquę logicé aliquod vnum conſtituant, expreſsius ſuadetur in his propoſitionibus; v. g. Petrus eſt adæquaté vivens; Petrus eſt adęquaté lapis. En, quod iſtę propoſitiones ſunt ambæ logicæ, & tamen vltima tollit, quod prima dat; ſunt enim ex diametro oppoſitæ, cum hæc propoſitio Petrus eſt lapis, idem ſignificet in ſenſu non logico, ac iſta, v.g. Petrus non eſt animal.

Vndè ex dictis, ad vltimam confirmationem reſpondeo, quod aliquid repreſentativé aufertur à Petro per illam propoſitionem, v.g. Petrus non eſt animal. Sufficit enim, vt ſic aliquid tollatur, quod detur non eſſe animalis obiectivum; obiectivum ita, quod tantũ habeat eſſe obiectivé in intellectu. Sẽper enim hoc ſic obiectivum erit valde diſtinctũ ab actu, qua logico, cum obiecta diſtincta ſint ab actibus, & nullus ſit actus, qui obiectum non habeat, vt patet adhuc in iſto actu, Petrus eſt lapis. Itaque ſicuti non repugnat, quod cognitiõ, ſeu actus realis repreſentet obiectum impoſsibile, & chimericum, ita multo minus repugnabit, quod actus, qui logicé habet compoſitionem, repreſentet obiectum, quod aliter ſe habeat. Sed de his ſpecialiorem forté adducemus doctrinam in libris Perhierm. vbi, quæ de propoſitione reſtant, reſolvemus.

QUÆSTIO IV.
De diviſione propoſitionis.

ETſi quam plurimæ propoſitionis diviſiones ab aliquibus adducantur, illas tamen ſolum referam, quas pro logicæ armoniæ captu vtiliores exiſtimem.

Dividi ergo poteſt primo in affirmativã, & negativam. Propoſitio affirmativa dicitur illa, per quam, iuxta modum convenientiæ, aliquid de ſubiecto exprimitur. Propoſitio negativa, é contra explicatur.

Poteſt dividi 2. propoſitio in cathegoricam, & hypotheticam. Cathegorica, quæ eſt abſoluta (dicitur enim ſic à verbo græco cathegoreo, quod latine idem eſt, ac abſoluté predico) dicitur illa, quæ explicat aliquid convenire, vel non convenire ſubiecto independenter à conditione,

Digitized by Google

v.g. Petrus eſt animal. Hypothetica vero (ſic dicta à nomine græco hypotheſis, quod latinè idem eſt, ac ſuppoſitio) dicitur illa, quæ dependenter ab aliqua cōditione explicat aliquid convenire, vel non convenire ſubiecto, v.g. ſi Petrus dolet, Sanctus erit, cuius Sanctitas à conditionato ipſius dolore pendet.

Poteſt etiam dividi propoſitio in ſimplicem, & complexam. Simplex dicitur, quæ vnico, & ſimpliciſsimo verbo conſtat, v.g. Petrus eſt animal. Complexa, quæ è contra debet inſpici, ſubdividitur in copulativam, & disiunctivam. Copulativa dicitur, quæ inter duo iudicia habet particulam, *&*, v.g. Petrus eſt bonus, & Ioannes eſt malus. Disiunctiva dicitur, quæ inter duo iudicia habet particulam, *Vel*; v.g. vel Ioānes eſt bonus, vel Petrus eſt malus.

Poteſt deinde dividi propoſitio in propoſitionem ſecundi adiacentis, & in propoſitionem tertij adiacentis. Prima dicitur, in qua prædicatum explicitè non continetur, v.g. Petrus amat, in qua implicitè continetur prædicatum; facit enim hunc ſenſum; Petrus eſt amans. Secunda propoſitio è contra explicatur; v.g. Petrus eſt animal.

Dividi deinceps debet propoſitio in vniverſalem, particularem, indefinitam, & ſingularem. Univerſalis dicitur illa, cuius ſubiectū eſt aliquo ſigno vniverſali coniunctum; v.g. omnis homo eſt animal; nullus homo eſt lapis. Particularis dicitur illa, cuius ſubiectum eſt nomen commune ſigno particulari affectum; v.g. aliquis leo eſt animal, quidam leo eſt animal. Indefinita dicitur illa, cuius ſubiectum eſt commune, ſed ab omni ſigno præciſum, v.g. homo eſt animal. Singularis dicitur illa, cuius ſubiectum nomine ſingulari exprimitur, v.g. Petrus eſt homo.

Dividitur necnon propoſitio in abſolutam, & modalem. Abſoluta dicitur illa, quæ prædicatum convenire, vel non cōvenire ſubiecto abſolutè explicat, v.g. homo eſt animal, homo non eſt lapis. Modalis dicitur illa, quæ non ſolum dicit prædicatum convenire, vel nō convenire ſubiecto, ſed & etiam modum conveniendi, vel diſconveniendi, v.g. neceſſè eſt hominem eſſe animal, in qua præter eſſe animal, dicit eſſendi modum, qui neceſſarius eſt: ſic in hac, v.g. impoſsibile eſt, hominem eſſe lapidem, in qua præter negare lapidem, ponit impoſsibilitatem in modo negandi.

Rurſus dividitur propoſitio in formalē, & obiectivam. Propoſitio formalis dicitur actus ille iudicialis, quo intellectus fertur ad aliquod ſibi obiectum, ſeu quod ſibi venit, v.g. Petrus eſt animal, vbi actus exprimens, & ſignificans animal convenire Petro, dicitur formalis propoſitio. Obiectiva dicitur, id quod ille actus habuit in obiectum, v.g. Petrus, & animal. Denique poterit quilibet alias quam plures formare diviſiones, ſervando modum in ipſa varietate logicorum terminorum, ex quibus propoſitiones conſtantur.

DISTINCTIO VIII.

De motu entis ſecundo intentionalis.

CVM ens ſecundo intentionale, ſubiectum, terminum ad quē, & tendentiam ad iſtum habere, ſupra defenſaverimus, meritò in propoſitionibus permittitur motus, & contrarietas. Sicuti enim ſubiectum phyſicum poteſt moveri, & mutari, & compoſita diſtincta ex varietate, & contrarietate formarum cōſtruere; ſic ſubiectum ſecundo intentionale ex tēdentia ad diſtinctas formas mutatur, & medio fieri iudicij movetur, contraria entia ſecundo intentionalia conſtruendo.

Ex quibus, recta ſervata methodo, oritur, quod ſicuti per motum phyſicum dantur etiam converſiones ſubſtantialium formarum, ita vt detur trāſitus vnius entis phyſici in aliud; ſic etiam in entibus ſecundo intentionalibus ſimilimi tranſitus dantur; ita vt forma, quæ eſt terminus à quo poſitivus vnius propoſitionis, convertatur in aliam, ſervando illius cōditiones, eo quod agēs intellectus ſpeciales alterius diſpoſitiones introducat in ente intentionali, in quo eſt forma convertēda. Ex quibus, niſi fallor, meritò omnes logizantes intendunt agere nominatim de oppoſitione, & de propoſitionum converſione.

Hoc igitur punctum, pro maiori cōprehēſione ſyllogiſticæ armoniæ, nimis dilatatur ab aliquibus, qui nimis diffundūtur in explicādo accidētia propoſitionū. Ego autē cōtrariū decerno propter plura. Primū, quia ſyllogiſtica figuratio eſt de ſe tā reconditū ænigma, quod alterare, & ampliare intelligētias terminorū, potius cōfūdat, quā mentē adſtruat. Secūdum, quia aliquorū accidētiū intelligētia, (etſi exactè tradita), vel vſus eſt Magiſter, vel parum vtilis apparet. Videatur Dionyſius Blaſco lib. 6. diſt. 24. quæſtione 2. articul. 6. à §. 3.

vſque

Digitized by Google

vſque ad vltimum, in quibus eruditiſsimé agit, & tamen ex materia parum proficit eruditio. Tertium, quia quam plurimos, & varios terminos ſumma cura in mente collocare propoſui, quos ſemper memoria expulſit; ſolum ad vſum rationabilem in praxi communi, manente recurſu.

Qua propter de his agam comunioribus, & clarioribus conſentiendo, non tamen omittendo, quæ proficiant, ſicuti nec addendo, quę ſuperfluant: & quia prius eſt agendum de abſolutis, quam de modificantibus, ideo de oppoſitione propoſitionum catehgoricarũ, prior inquiretur notitia.

QUÆSTIO I.

Circa oppoſitionem propoſitionum Cathegoricarum, ex communi intelligentia ſit præambulum.

SOlet adverti oppoſitionem logicam debere eſſe, *repugnantiam duarum propoſitionum*, quarum vna affirmet, quod altera neget, ita vt conſtent eodem ſubiecto, copula, & prædicato ſecundum eumdem locum, & tẽpus. Si enim aliquid iſtorum deficiat, deficiet, & in propoſitionibus oppoſitio.

Solet etiam quadrupliciter percipi cathegoricarum propoſitionum oppoſitio. Datur enim oppoſitio contraria, contradictoria, ſubcontraria, & ſubalterna. Oppoſitio contraria ſolet dici illa, quæ reperitur inter duas propoſitiones vniverſales, quarum vna affirmat, & altera negat, v.g. omnis homo eſt vivens, nullus homo eſt vivens. Subcontraria oppoſitio ſolet dici, quæ reperitur inter duas propoſitiones particulares, quarum vna affirmat, & altera negat, v.g. aliquis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens.

Oppoſitio ſubalterna ſolet dici, quæ reperitur inter duas propoſitiones, quarum vna eſt vniverſalis, & altera particularis, vtraquę tamen affirmans, vel vtraquę negans, v.g. omnis homo eſt vivens. Denique oppoſitio contradictoria ſolet dici, quæ reperitur inter duas propoſitiones, quarum altera affirmat, & altera negat, vniverſalis vna, particularis altera, v.g. omnis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens.

Circa quod vltimum advertitur ab aliquibus, quod formales contradictoriæ, quædã ſunt de nota, ſeu de modo, & quædam tales ſunt de lege. Contradictoriæ de modo repeṙiuntur inter duas propoſitiones, quarum vna eſt affirmans, & altera negans, particularis vna, vniverſalis altera, vt ſopra exemplificavimus. Contradictoriæ de lege ſunt illæ, quæ formantur inter duas propoſitiones ſingulares, quarum vna affirmat, & altera negat, v.g. Petrus eſt vivens, Petrus non eſt vivens. Dicũtur iſtæ vltimæ oppoſitæ de lege, quia ab earũ intrinſeca entitate derivatur in modos opponendi, omnis ſtrictæ oppoſitionis ſubſtantia.

Ex dictis ſolet etiam notari, diverſimodé vnas, & alteras propoſitiones oppoſitas dici. Aliquæ enim dicuntur in quantite oppoſitæ, aliquæ in qualitate, aliquæ in duplici qualitate, & aliquæ in duplici qualitate, & in quantitate. Quæ enim in quantitate opponuntur, dicuntur illæ, quarum vna eſt vniverſalis, & altera particularis: quare cum in ipſis inveniatur entitas affirmationis, v.g. cum maiori, & minori extenſione, hinc eſt, quod maneant in quantitate oppoſitæ. Sit exemplum pro his, omnis homo eſt vivens, aliquis homo eſt vivens Quæ vero in qualitate opponuntur, dicuntur illæ, quarum vna, vel eſt affirmativa, vel vera, & altera, vel eſt negativa, vel falſa, v.g. aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus. Iſtæ enim propoſitiones ſolum opponuntur in vnica qualitatum ſerie, quæ eſt affirmatio, & negatio.

Sunt aliæ, quæ opponuntur in duplici qualitate; quæ propoſitiones dicuntur illæ, quarum vna eſt affirmativa, & vera, & altera eſt negativa, & falſa, v.g. aliquis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens. Sic in duplici qualitate, & in vnica quantitate dicuntur illæ, quarum vna eſt vniverſalis, affirmativa, & vera, & altera particularis, negativa, & falſa, v.g. omnis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens. Quæ omnis expreſſo figuræ caractere, ſenſibilius ſolent exemplificari.

QUÆSTIO II.

An omnes prædictæ oppoſitiones, propria ſint?

AB omnibus principia communia admittentibus, propoſitiones contradictorias propriſsimé eſſe oppoſitas, vulgaritèr admittitur. Vel enim propoſitionum oppoſitio debet eſſe in quantitate, vel in affirmationis, & negationis qualitate, aut differentia, vel in veritatis, & falſitatis qualitate; ſed in quocunque iſtorum ſit oppoſitio, propoſitiones contradictoriæ oppoſitioné habent: ergo. Suadetur minor, quoad primã partẽ; quia ex quantitate

ſolum poteſt oriri oppoſitio penes maiorem, & minorem extenſionem; ſed ſaltim contra dictoriæ de *Nota*, magis, & minus extenſæ ſunt: ergo habent poſsibilem quantitatis oppoſitionem.

Suadetur quo ad ſecundam partem; quia inter actum affirmantem, & negantem idem de eodem, ex eo datur oppoſitio in his, quæ affirmationis, & negationis ſunt, quia ſicuti implicat, quod idem actus intellectus affirmet, quin non affirmare excludat, ſic implicare videtur, quod affirmet, quin negare expellat; ſed vna propoſitio cōtradictoria affirmat idē de eodem, quod altera negat; ergo in his, quæ affirmationis, & negationis ſunt, implicat, quod non ſe opponant, cum implicet, quod non ſe expellant.

Suadetur quoad tertiam partem; quia ex eo verum opponitur falſo, quia eiſdem ſervatis circunſtantijs, repugnat, quod idem infimul ſit falſum, & verum; ſed illis ſervatis, repugnat, quod contradictoriæ ſint inſimul veræ, vel falſæ; ergo opponuntur. Minor convincitur in his contradictorijs: omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, vbi, ſi vniverſalis affirmans, v.g. omnis homo eſt albus, ſit falſa, ex eo debet eſſe, quia dabitur aliquis homo, qui non ſit albus, & ſic particularis negativa debet eſſe vera. Sic, ſi particularis negativa ſit falſa, ex eo debet eſſe, quod vniverſalis affirmativa ſit vera; repugnat enim, quod aliquis homo non ſit albus, ſi ſit albus omnis homo; ergo repugnat, quod vtraque propoſitio ſit vera, vel falſa, iuxta illud principium: *Impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

Altercatio igitur ſolum militat de alijs oppoſitionibus. Aliqui enim de omnibus eſſe propriè oppoſitas affirmant. Alij ſolum cōtrarias, contradictorias, & ſubcontrarias propriè oppoſitas concedunt. Alij vero, ſolum contrarias, & contradictorias, ſic oppoſitas admittunt. Alij deniquè ſolum, ſic oppoſitas contradictorias deffendunt inter quos noviſsimè Magiſter Dionyſius Blaſco lib. 6. diſt. 24. quæſt. 3. art. 1. §. 1.

Reſolvo 1. propoſitiones contrarias eſſe propriè oppoſitas. Eſt directè oppoſita hæc reſolutio contra Dionyſium. Sic poteſt probari; intrinſeca qualitas propoſitionum eſt affirmatio, & negatio; ergo dum repugnet, quod propoſitiones contrariæ ſint, ſimul habentes eandem qualitatem affirmationis, & negationis, repugnabit, quod intrinſecè non opponātur. Antecedens eſt certum; quia non minus intrinſecè convenit propoſitionibus affirmare, vel negare, quam verum, vel falſum; imo magis intrinſecè convenit eis affirmare, vel negare, quam verum, aut falſum, ſi magis intrinſecè conveuire dicatur, quod in quovis ente intelligitur primariò. Conſequentia prob. quia ex eo propoſitiones aliquæ ſunt verè oppoſitæ apud Dionyſium, iuxta eſſe veras, vel falſas, quia in quavis materia ſint, expelluntur ad invicem per veritatem, & falſitatem; ſed in quavis materia ſint propoſitiones contrariæ, expelluntur ad invicem per affirmationē, & negationem; ergo repugnat, quod intrinſecè non opponantur, dum repugnet, quod intrinſecè eandem qualitatem habeant.

Reſpondebis ex his, quæ pro contrario fundamento adducit Dionyſius, dicēdo, quod licet oppoſitio formaliter, & primariò, & quaſi de formali ſolum dicat diſsimilitudinem propoſitionum in affirmatione, & negatione, tamen de connotato, & materiali dicit diſsimilitudinem in veritate, & falſitate: nam ideo ad oppoſitionem propriam requiritur, non ſolum affirmatio, & negatio, ſed etiam eiuſdem de eodem, & ſecundum idem, vt non poſsit vtraque verificari; ergo propoſitiones, quæ in aliqua materia poſſunt eſſe ſimul veræ, & falſæ, non ſunt ratione formæ, neque ratione affirmationis, & negationis ſimpliciter oppoſitæ.

Quidquid ſit de cauſali huius doctrinæ ratione (cum deinceps ſit in argumentis eviſceranda) arguo nunc ſic: vt aliqua entia intrinſecam oppoſitionem habeāt, ſufficit, quod iuxta aliquid ipſis intrinſecum differant, & ad invicem expellantur, etſi iuxta omnia ipſis propria, neque differant, neque ſe expellant: ergo ad hoc vt contraria entia ſecundo intentionalia intrinſecè oppoſitionem habeant, ſufficiet, quod in affirmationis, & negationis formalitate differant, & expellantur, dum ipſis ſit propria, etſi iuxta omnia, neque differāt, neque ſe expellant. Antecedens in quo eſt difficultas pro illatione, ſuadetur; quia, etſi aqua haberet duplicem connexam qualitatem, vt igni foret intrinſecè oppoſita, ſufficiebat, quod qualitas vnica ſcilicet, frigoris, expelleret ſe mutuo cum qualitate vnica caloris, etſi in alijs non diſsimilarentur. Sic vt homo metaphyſicam oppoſitionem habeat cum Angelo, non requiritur, quod ab Angelo differat per formam, per quam differt à leone: vnde vt proprietativè dicatur homo oppoſitus Angelo, ſufficit, quod riſibilitate eum expellat, quin requiratur admirabilitas, in qua conveniunt; etſi verum ſit, quod homo cum leone non ſolum opponatur in qualitate riſus, ſed & in admirationis qualitate; ergo neque ad hoc, vt vna

pro-

Digitized by Google

propoſitio contrarietur cum alia intrinſecé, requireretur diſsimilitudo in omni qualitate, ſeu in vna cum connotatione ad aliam, ſed vnius qualitatis intrinſecæ, ſufficiet diſsimilitudo pro contrarietate.

Deinde arguo, & confirmo dicta: ſi homo haberet principium diſcurrendi intrinſecé, & leo haberet ſic intrinſecé principium rugiẽdi, etſi in alijs actibus non haberent principia ſecundaria, per quę diſconvenirent circa omnem materiam, nihilominus tamen intrinſecé opponerentur; ergo dum propoſitiones contrariæ habeant principia primaria (puta affirmandi, & negandi) ipſis ſpecialiter intrinſeca; etſi de alijs principijs nil habeant per quod diſconveniant, hoc non impediet, vt per locum intrinſecum opponantur. Antecedentis ſuppoſitio per locum intrinſecum non repugnat; etſi enim homo conveniret cum leone in omnibus, vt convenit in animali, dum vna dempta eſſet rationalis differentia, ſemper oppoſitionem intrinſecé conſervaret.

Circa alium dicendi modum, iuxta quem ex oppoſito, omnes prædictas oppoſitiones proprietates eſſe, conceditur, non parva inſpicitur difficultas. Communiter enim deffenditur, propoſitiones ſubalternas non eſſe proprié oppoſitas: ratio eſt in promptu, ſiquidem in omni qualitate conveniunt, & ad rationem formalem logicæ oppoſitionis, ſaltim affirmatio, & negatio requiritur.

Sentio igitur, quod ſiſtandum ſit in illo principio, pro conditione oppoſitorum ſupra ſtabilito, ſcilicet, quod oppoſitio ſit repugnãtia duarum propoſitionum, quarum vna affirmet, quod altera neget idem de eodem, &c. à nemine poteſt dubitari, ſubalternas proprié oppoſitas non eſſe.

Sin autem aliquis logicé oppoſitas, ſaltim quoad modum, vellet, eas eſſe, deffendere, poterat in tali caſu principium oppoſitionis ſecundo intentionalis in communi, aliter explicare ſic: *Repugnantia propoſitionum in his, quæ proprié ſecundæ intentionis ſunt:* Iuxta quam explicationem proprié oppoſitæ poſſent dici ſubalternæ. Ratio eſt; quia forent oppoſitæ in quantitate illa, quæ ſoli logicæ competebat, daretur enim vniverſalitas, & particularitas, quibus ſtricté eſſe ſecundo intentionale competit; ſiquidem vniverſalitas non minus eſt ſecunda intentio, ac eſſe ſubiecti, ſeu ſubjicibilitatis. Deinde haberent idem ſubiectum; quia in his propoſitionibus, v.g. omnis homo eſt albus, aliquis homo eſt albus, ſubiectum foret homo albus. Denique ſummo rigore expellerentur, ita vt non minus contradiceret, quod vniverſalis foret particularis, quam quod affirmans foret negans, & quod vera foret falſa: ergo &c.

De ſubcontrarijs probabilius ſolet oppoſitio comprobari; ſiquidem iam videtur quod vna neget, quod altera affirmat. Deindè in talibus propoſitionibus, v. g. aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, ſubiectũ eſt idẽ homo, provt vagé acceptus; ergo de eodẽ ſubiecto, de quo vna affirmat, altera negat.

Etſi objiciatur, quod vtraque illa propoſitio eſt vera; ſed talis non eſſet, ſi idem haberet ſubiectum, quia falſificaretur illud principium: impoſsibile eſt idem eſſe, & non eſſe; ergo diſtinctum ſubiectum habent. Reſponderi poteſt diſtinguendo minorem, non poſſet eſſe vera vtraque illa propoſitio, ſi haberet idem ſubiectum vagum, negatur; ſi haberet idem ſubiectum determinatum, conceditur.

Itaque cum in quavis propoſitione, aliquis homo poſitus pro ſubiecto, ſit homo vagé acceptus, quin neque determinaté ſignificet, vt conceptus communis, omnia hominis inferiora; nec aliquod individuum tantum, non implicat, quod vtraque propoſitio ſit vera, dũ prædicto modo habeat idem ſubiectum: dicere enim, aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, idem eſt, ac dicere, iſte, vel ille homo eſt albus, iſte, vel ille homo non eſt albus, quod ſine vlla contradictione dici poteſt.

Si inſtetur, quod in prædictis ſubcontrarijs; v.g. aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, prima poteſt intelligi de Petro albo, & ſecunda de Ioanne nigro; ergo poſſunt diverſa eſſe ſubiecta, ac per conſequẽs non eſſe proprié oppoſitas. Reſponderi poteſt negando antecedens; quia non ſunt dicendæ ſubcõtrariæ propoſitiones illæ, quæ idem ſubiectum non habent, nam vt tales dicantur, aliquam oppoſitionem logicam debent habere, & inter propoſitiones diſtincta ſubiecta habentes, nulla poteſt imaginari oppoſitio: ſicuti neque poteſt imaginari, vbi diſtincta adſint prædicata. Itaque vel ſubcontrariæ malé dicerentur, vel oppoſitionem aliquam habere debebant. His ita.

Reſolvo igitur præfatam opinionem cum eius doctrina poſſe amplecti. Sufficit mihi pro vtriuſque amplexu ſubtilis, & recentior Reverend. Admod Pr. Fr. Franciſcus Gomez Scotiſta, mihi omnium amiciſsimus; in cuius corroborationem dico, quod nulla eſt propoſitio logica, quæ ſpecialem formam non habeat; ergo omnis propoſitio logica debet in ſua expreſsione, & ſignificatione concipi à recto pondere ſecundó intentionalizantis,

iuxta

Digitized by Google

iuxta formam, iuxta quam ſpecialiter conſtituitur in ordine ad ſe, & diſtinguitur in ordine ad alia; ergo cum propoſitio ſubcontraria, formam ſic ſpecialem ſubcontrarietatis habeat, ita debet exprimi ipſius conceptus formalis, quod nunquam ad aliquod determinatè ſignificandum per contractionem eviſceretur, & ſic deperdatur; ergo cum *aliquitas* ſit modus ſpecialiter ſecundo intentionalis, vt cū illo modo ſpeciali, formalitas ſubcontrariæ propoſitionis ſalvetur, nunquam debet ſingulariſari amplius; ſed ita, quod eius determinatior expreſio, ſit ſemper indifferens, & vaga ſignificatio.

Quæ omnia, ni fallor, ſuaderi poſſunt in contradictorijs de nota, ſeu de modo, v.g. omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus. Etſi enim tota ſtrictior iſtarum oppoſitio derivetur apud plurimos ex contradictorijs de lege, pro quarum rigore ſolum duæ ſingulares propoſitiones requiruntur; nilhominus tamen iuxta perfectam logicorum methodum, non ſunt inutiles, ſed proficuæ, & logicæ propriæ, contradictoriæ de nota; & ſic logicus benè ſecundo intentionalizabit erga illas, dum vnam concipiat vniverſalem, & aliam particularem; ita vt licet in re particularis ſit, Petrus v.g. nilhominus tamen ad perfectam illarum conſonantiam, non ponit Petrum, ſed ponit aliquem. Idem invenies in ſubalternis, & in pluribus alijs ſi ſuperintendatur diſcurſus: ergo idem logizandum eſt iuxta conſervationem vigoris, & ſenſus ſpecialis propoſitionum ſubcontrariarum.

TOTIUS CONTROVERSIÆ ARGUMENTA diluuntur.

CONtra primā reſolutionem nullum eſt argumentum, quod ipſam, aliter quam fallacijs, evertere intendat; v.g. illa argumenta de diſtantia chimeræ, de ſemper mētiente, de duodenario numero Apoſtolorum, & quæ vt ſatis vulgaria relinquo; nec non, quia radicitùs diluentur, dum doctrinam contra fallacias ſignemus, & fortè in fine vnicum pro coronide proponam.

Objicies contra contrariorum reſolutionem ex doctrina Dionyſij Blaſco, ideo ad oppoſitionem propriam requiritur non ſolū affirmatio, & negatio, ſed etiam eiuſdem de eodem, & ſecundum idem, vt non poſſit vtraque verificari; ergo propoſitiones, quæ in aliqua materia poſſunt eſſe ſimul veræ, & falſæ, non ſunt ſimpliciter oppoſitæ ratione formæ, neque ratione affirmationis, & negationis.

Antecedens huius argumenti abſolutè eſt negandum. Ratio eſt, quia in omni linea, in qua poſſimus immediatam ſignare oppoſitionem, illam ſignare debemus, quin ad hoc requiratur abſolutè aliud motivum, quam motivum immediationis; vndè cum affirmatio, & negatio ſint qualitates oppoſitæ, non minus, ac veritas, & falſitas, hinc eſt, quod logicus, recta methodo debeat illis qualitatibus aſsignare immediatum, & idem ſubiectum, vt ex idemptitate, & immediatione, melius reſultet illarum qualitatum oppoſitio. Neque ad hoc eſt neceſſarius ille alius finis de veritate, & falſitate eiuſdem ſecundum idem, etſi ad aliū finem diſtinctum in alijs oppoſitis cognitio veri, & falſi requiratur. Hæc omnia ex ſequenti inſtantia corroborabuntur.

Inſtabis; vt cognoſcatur oppoſitio affirmationis, & negationis, non requiritur idem ſubiectum; ergo idemptitas, & immediatio ſubiecti ex alio motivo eſt in oppoſitis inferēda. Suadetur antecedens, quia cuiuſcumque ſubiecti, & prædicati ſint propoſitiones, dum vna affirmet, & altera neget, incompatibiles ſunt, ita vt impoſsibile ſit, quod affirmativa non differat à negativa, non minus ac ſi eiuſdem materiæ forent; ergo oppoſitio affirmationis, & negationis præcisè, non requirit idem ſubiectum

Antequam inſtantiæ ſatisfaciam, inſto rationem ſic: in quibuſcunque propoſitionibus veritas, & falſitas inveniantur, earum oppoſitio cognoſcetur, & ita, quod impoſsibile ſit, quod non differant, & quod vna poſſit tranſire ad aliam; ergo ex motivo oppoſitionis illarum, ſuperfluè ponitur ſubiectorum idemptitas. Antecedens ſuadetur in his propoſitionibus: ſcilicet homo eſt animal, leo non eſt rugiens, aut leo non eſt animal. Notetur deindè valdè, quod vna eſt affirmativa, & negativa altera, & quod ex affirmatione vnius ſequitur veritas, ſicuti falſitas ex negatione alterius, & tamen non ſunt oppoſitæ radicaliter, & primariò, non aliundè, niſi quia prima qualitas, quę eſt in affirmatione, & negatione, non habet idemptitatem ſubiecti, &c. ergo licet ad cognitionem oppoſitionis ex vero, & falſo debeat requiri, quod affirmatio, & negatio habeāt idē ſubiectū, eo quod veritas, & falſitas pēdeāt ab affirmatione, & negatione, & ſint his poſteriores; non autē, vt affirmatio, & negatio idem ſubiectum requirant, debent connotare illa, à quibus non dependent, ſed in aliquo priori rationes ſuas formales dicent.

Deinde ad rationem inſtantem dico, pro-

Digitized by Google

propoſitionem affirmativam, & negativam in ſubiectis diſparatis, non debere dici, logicé contrariari, ſed metaphiſicé, vel alitèr. Ratio eſt, quia contraria in omni linea debent ſe expellere, ergo ſi affirmatio, & negatio logicé non ſe expellant, logicé non contrariabuntur; ſed in nulla linea, quæ in diverſis ſubiectis ſunt, non poſſunt ſe expellere, etſi magis contraria; ergo vt affirmatio, & negatio expellantur, idem ſubiectum logicé requirunt. Patent iſta in calore, qui non contrariatur cum frigore, ſi calor ſit in igne, & frigus in aqua; contrariabuntur enim metaphyſicé, non autem phyſicé. Sic pariter paralogiza.

Quod autem debeant propoſitiones contrariæ idem habere ſubiectum, etſi contrarietas ſolum ſit in affirmativis, & negativis, poteſt ſuaderi propter duo. Propter principale, quia logica in omnibus actibus ſuis, vel ſaltim in principalioribus præbet inſtrumenta ſciẽdi ad alias ſcientias, ſed ad quamvis ſcientiam nil melius deſervit, quam oppoſitio propoſitionum vniverſalium (quare ad ſcientiam non deſerviunt contradictoriæ de lege, quia illarum oppoſitio eſt de ſingularibus) ergo cum propoſitiones contrarię ex affirmatione, & negatione circa idem ſubiectum, vniverſalius oppoſitionem inducant, nulla oppoſitio potior erit, quam ipſarum.

Propter ſecundum: quia logicus luxta rectum ordinem ſecundarum intentionum, debet in omnibus aliquod idem ſignare, de quo ſupra dedi rationem; num vero dabo robur in exemplari. Oppoſitio igitur ſubalternarum eſt multo minor contrariarũ, & tamen ſubalternę propoſitiones idemptitatem ſubiecti requirunt; aliàs, vt de ſe patet, non daretur, in quo vna alteri ſubalternaretur; ergo cum neque contrariæ haberent, in quo vna negaret, quod altera affirmaret, ſi non daretur ſubiectum commune; dum idemptitas ſubiecti ſubalternis inbuatur, non debet aliquid obviare, propter quod negetur contrarijs. Videtur enim, quod illa vniverſalia principia, ſcilicet, *dici de omni*, *dici de nullo*, ſolum de contrarijs intelligantur; ſiquidem penés affirmare, & negare, in quo dici ſalvatur, ſolum contrariæ propoſitiones dicunt de omni, & dicunt de nullo.

Objicies pro complemento, vt contradictoriarum oppoſitio diſtincté pareat. Propoſitio vniverſalis, & particularis non ſunt in qualitate intrinſeca ſimpliciter oppoſitæ; ergo earum oppoſitio non eſt ſtricta. Prob. antecedens; quia particularis non negat, quod vniverſalis affirmat; ergo non ſunt ſimpliciter oppoſitæ. Prob. antecedens; in his contradictorijs, omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, in quibus aliquis homo non eſt albus, non negat de omni homine albedinem; ergo particularis non negat, quod vniverſalis affirmat. Convincitur antecedens; quia ſolum hæc propoſitio nullus homo eſt albus, negat, quod omnis homo affirmat; ſed hæc propoſitio, aliquis homo non eſt albus, non negat, quantum hæc propoſitio, nullus homo eſt albus; ergo non negat, aliquis homo non albus, quantum omnis homo albus affirmat.

Reſponderi debet huic argumento, negando primum antecedens. Ad probationem diſtingui poteſt antecedens ſic: particularis non negat, quod vniverſalis affirmat; eodem modo, concedo; diverſo modo, nego; vel ſic, particularis non negat, quantum vniverſalis affirmat intenſivé, nego; extenſivé cõcedo. Et ſic reliqua diſtinguo. Itaqué primam diſtinctionem ſic explico. Vniverſalis enim affirmat de omni homine albedinem modo, & nota vniverſali; quomodo particularis non negat: poteſt tamen dici, quod particularis, etſi alio modo, negat, quod vniverſalis affirmat; quia cum ſit cum modo vago, facit hunc ſenſum; vel Ioannes, vel Petrus, vel Antonius (& ſic de omnibus) non eſt albus; quo modo diſiunctivé negat, quod altera termino communi continuo affirmat. Videantur, quæ diximus de ſubcontrarijs.

Explico ſecundam diſtinctionem dicendo, quod cum vniverſalis dicat, quod omnis homo eſt albus, iam eſt in illa albus ille homo, de quo particularis albedinem negat; & cum reſpectu illius hominis particularis neget quidquid vniverſalis de illo affirmat; & deinde non poſsit dari in vno actu reſpectu termini, quem affirmatione, vel veritate attingit maior, vel minor affirmatio, vel veritas intenſivé, hinc eſt, quod, etſi vniverſalis negativa extenſivé plus neget, quam particularis negativa, non autem entitativé, & intenſivé. Aliud enim eſt plura affirmare, vel negare, & aliud eſt plus affirmare, vel negare. Sic aliud eſt, vnum actum eſſe verum de pluribus, & aliud eſt, eſſe plus verum.

Quod autem particularis negativa debeat à logico percipi cum illa indifferenti diſtributione, & vaguitate (quod intendit verificare prima explicatio) ſuadetur, quia ſi ex determinato ſingulari deberet percipi, ſequeretur, quod in materia contingenti poſſent eſſe falſæ contradictorię. Sic exẽplo ſuadetur: ſupponamus, quod Ioannes ſit albus, non autem Petrus: in hoc caſu ambæ iſtæ contradictoriæ:

v.g.

v.g. omnis homo eſt albus, Joannes non eſt albus, eſſent falſæ: ergo vt oppoſitio contradictoriarum in omni materia ſubſiſtat, requirit in vno termino communi ſignificare omnia continué, & in alio termino ſignificare omnia diſcreté. Hinc nota ſemper dari oppoſitionem in quantitate, ſicuti datur inter continuam, & diſcretam.

Corroboratur, quod illa vaga, & diſcreta extenſione poſsint particulares propoſitiones intelligi; quia ſi talis vaga extenſio non requireretur, excellentiores forent contradictoriæ de nota ex vna propoſitione vniverſali, & ex alia ſingulari, quam ex particulari forent. Ratio eſt; quia contradictoriæ de nota, talis debent eſſe conditionis, & modi, quod non ſolum in qualitate, ſed & in quantitate opponantur; ergo quo magis in quantitate opponerentur, magis forent contradictoriæ de nota; ſed ſi ſingularis ponatur loco particularis, magis opponerentur in quantitate; ergo. Prob. min. quia cum maiori extenſione quod magis opponitur, eſt minor extenſio; ſed ex vocis expreſſione minorem extenſionem dicit Petrus, quam *aliquis*; ergo ſingularis loco particularis, magis opponeretur. Nunc ſic; ſed nihilominus tamen ſingularis non ponitur in contradictorijs de nota, ſed ponitur particularis; ergo ſignum evidens eſt, quod ponitur particularis, quia illa vaga extenſio requiritur, & ſi maior ſit.

Hæc dixi ad pleniorem contradictoriarum intelligentiam; etſi conſcius ſim de faciliori doctrina pro argumenti ſolutione. Poteſt enim dici, quod in his propoſitionibus: v.g. omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus, particularis propoſitio negat æquivalenter, quod altera affirmat. Ratio eſt, quia particularis negativa dum comparata ad aliam dicat, quod aliquis homo non eſt albus, ſequitur, quod omnis homo non eſt albus; ergo dum vniverſalis dicat, quod *omnis homo eſt albus*; ſi ex particulari inferatur, quod *omnis homo non eſt albus*, iam infertur, quod vna negat, quod altera affirmat: v.g. *omnis homo eſt albus, omnis homo non eſt albus*. Et noto ambas falſas, aut veras non poſſe eſſe.

DUBIUM INCIDENS, CUM QUO tota quæſtio reſolvitur.

Reſtabat ex dictis dubitari, quænam prædictarum propoſitionum oppoſitio, maior ſit? Huic dubitationi cum aliquo diſcrimine terminorum eſt reſpondendum. Maior enim contrarietas, vel poteſt intelligi extenſivé, vel intenſivé; & extenſivé, & intenſivé, adhuc vlteriori diſcrimine eſt percipiendum, vt ex ſtatim dicendis declarabitur.

In linea enim affirmandi, & negandi, iuxta quam in prima, & principali qualitate opponuntur entia ſecundo intentionalia, dici poteſt, quod oppoſitio contraria (de hac ergo duplici oppoſitione verſatur de per ſe dubitatio) eſt extenſivé maior contradictoria; quia ſemper videtur, quod formaliter, & vniformiter, maiorem extenſionem habeant contrariæ propoſitiones, quam nullæ aliæ, quidquid ſit æquivalenter: ergo in linea affirmandi, & negandi cum extendantur magis contrariæ, quam contradictoriæ, extenſivé maiorem oppoſitionem habebunt.

Deinde contradictoriæ iuxta comprehenſionem omniũ linearum poſſunt dici extenſivé maiores; quia præter eſſe ſtricté oppoſitas in linea affirmandi, & negandi, ſunt etiã ſtricté oppoſitæ in linea verificandi, & falſificandi; ergo extenduntur ad plures oppoſitiones. Qua propter alio modo, extenſivé magis oppoſitas eſſe, poteſt inferri; quia illa ſunt extenſiora, quæ ad maiorem materiã actuandam determinantur, ſed ad maiorem actuandam materiam determinantur contradictoriæ; ergo ſunt extenſivé magis oppoſitæ. Prob. minor, quia illa actuant maiorem materiam, quæ omnem materiam actuant; ſed contradictoriæ omnem materiam actuant; ergo actuant maiorem materiam. Minor patet; quia contradictoriæ in omni materia in verificando, & falſificando contrariantur; ergo omnem materiam actuant.

Inferri poteſt ex dictis, quod abſolute loquendo, etiam extenſivé habent contradictoriæ maiorem oppoſitionem, quam contrariæ. Plus enim videtur extendi, quod ad plures formas extenditur, quam quod ſolum reſpectu vnius formæ magis extenditur; ergo cum contradictoriæ extendantur ad plurium linearum oppoſitionem, magis quam contrariæ, extenſiores debent dici, etſi contrariæ in vnica ſolum linea, ſcilicet, affirmandi, & negandi, extenſiores videantur.

Deinde, quia adhuc exceſſus ille contrariarum in affirmatione, & negatione, ex maiori quantitate ortus, compenſatur in cõtradictorijs intra ipſam quantitatem. Ratio eſt; quia dum ipſæ propoſitiones contrariæ magis extenduntur, ex eo quod ſint ambæ vniverſales, etiam ex eo quod ambæ vniverſales ſint, minus opponuntur, cum in quantitate cõveniant, é contra contradictoriæ; dum ex defectu mutuæ vniverſalitatis minus extendantur,

Digitized by Google

tur, manent ad maiorem quantitatis oppoſitionem extenſæ; ſiquidem ex eo quod vna ſit vniverſalis, & alia particularis, magis in quantitate diſtant: ergo &c.

QUÆSTIO III.

De motu æquipolenti propoſitionum Cathegoricarum, ex quo aliqua reſolvuntur.

Motus æquipolentiæ, nil aliud eſt, quam æquivalens variatio duarum propoſitionum oppoſitarum facta per negationem antepoſitam, vel poſtpoſitam ad ſubiectum. Itaque particula *non*, etſi minutiſsima ſit, tanti tamen roboris, quod ex illius diverſa locatione, quantitatem, vel qualitatem propoſitionum, vel deſtruat, vel mutet. Sic igitur, ſi ſupra vniverſalem quantitatem cadat, ſic illã deſtruit, vel reformat, quod in particulari quantitate relinquat, & ècontra. Sic pariter, ſi ſupra ſignum affirmationis expreſſivum cadat, in negationem erumpit, quod relinquit & ſimiliter ècontra. In quibus, particulæ *non* malignans, & enigmatica conditio relucet; ſiquidem dum ipſa negat, bis ipſa, affirmat.

Infer ex dictis, tunc propoſitiones fieri æquipolentes, quando ex diverſa vbicatione particulę *non*, vna fit altera, quin vlla in ſenſu æquivalenti maneat diverſitas inter illas; quæ omnia in ſequentibus carminibus compẽdioſe exemplificantur.

Non omnis, valeat quidam: omnis non, quaſi nullus.
Non nullus, valet quidam: ſed nullus non, valet omnis.
Non aliquis valet nullus: non quidam non, valet omnis.
Non non aliquis non, aliquis non ſonat: Aliquis at non non; aliquis eſt, quaſi.

Hæc omnia iuxta communiorem logicorum morem, non explicantur ſic, eo quod nullam pro ſubcontrarijs regulam æquipolentiæ determinent. Qua propter ſequenti verſiculo prędicta ſubcingentes, ſolum de contrarijs, contradictorijs, & ſubalternis mentionem faciunt

Præ contra dic: poſt contra: præpoſtque ſubalter.

Sed illo non obſtanti, cum poſsint fieri æquipolentes ſubcontrariæ, poſſunt addi aliqua præfato verſui, quibus ſubcontrariarum regula claudatur, vt ſequentia carmina dicent.

Præ contra dic, poſt contra, ipſa forte revertunt:
Bis præ, & vix poſt ſub contra: præ poſtquè ſubalter.

Nunc igitur vt clarius præfatæ regulæ in æquipolendis videantur, ſingularum adduci ſolent exempla ab omnibus logizantibus. Incipiendo igitur à contradictorijs, fiunt æquipolentes, ponendo negationem ante ſignum vniverſale, & particulare, v.g. iſtæ, omnis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens, ſic æquivalenter transformantur: non omnis homo eſt vivens, ſonat, quod aliquis homo nõ eſt vivens: non aliquis homo non eſt vivens, ſonat, quod omnis homo eſt vivens.

Secunda regula pro contrarijs adducta practicatur, ponendo negationem immediatè poſt ſignum vniverſale; v.g. iſtæ contrariæ, omnis homo eſt vivens, nullus homo eſt vivens, fiunt æquipolentes ſic: omnis nõ homo eſt vivens, ideſt nulllus homo eſt vivẽs, nullus non homo eſt vivẽs, id eſt omnis homo eſt vivens.

Tertia regula pro ſubcontrarijs adducta, debet ita practicari, quod in particulari affirmativa ponatur duplex negatio ante ſignũ particulare, & alia immediatè poſt ſubiectum, quo facto æquipolens fiet: & ſic in particulari negativa debet poni vnica negatio poſt ſubiectum, retenta eius prima, & propria negatione: v g. iſtæ ſubcontrariæ: aliquis homo eſt vivens, aliquis homo non eſt vivens, ſic ad invicem fiunt æquipolentes: non non aliquis homo non eſt vivens; ideſt, aliquis homo non eſt vivens: aliquis homo non eſt vivens, ideſt aliquis homo eſt vivens. De quarum datis exemplis infra dabimus rationem.

Tertia regula pro ſubalternis adducta, ita ſolet practicari, quod ponatur negatio ante ſignum, & poſt ſubiectum: v.g. omnis homo eſt vivens, aliquis homo eſt vivens, fiunt æquipolentes ſic: non omnis homo non eſt vivens; ideſt, aliquis homo eſt vivens: non aliquis homo nõ eſt vivens; ideſt, omnis homo eſt vivẽs.

Huc vſque dedimus in ſimplicibus, æquipolentiæ exempla, quæ dari in modalibus non repugnat; ſed modi, ſervata proportione, eãdem æquipolentię ſervando normam, poſſunt fieri æquipolentes. In contradictorijs enim modalibus fit æquipolentia antepoſita negatione ad modum: v.g. *neceſſe eſt hominem eſſe vivẽs;* iſti contradictoriæ, *contingens eſt hominẽ non eſſe vivens*, ſic fit æquipolens: *non neceſſe eſt hominem eſſe vivens*. Sic ſi prædictæ contradictoriæ poſtponatur negatio ad modum, æquivalebit contrarię: ſi præponatur, & poſtponatur equivalebit ſubalternæ: ſi bis præponatur, & ſemel poſtponatur, æquivalebit vni ex ſubcontrarijs.

Sic paritrr ſedẽ regulę poſsũt applicari pro

æquipolentia propoſitionum complexarum, etſi ex defectu praxis non ſit applicatio tam facilis, ac fuit in ſimplicibus. Complexæ igitur copulativę contrariæ fiunt æquipolentes poſt poſita negatione ad duplex ſubiectum: v. g. omne rationale, & irrationale eſt vivẽs, æquipolens fit ſuæ contrarię ſic: omne rationale, & irrationale non ſunt vivens, idem ſonat, ac nullum rationale, & irrationale eſt vivẽs. Sic pariter cõplexę disiunctivę, æquipolentes fiũt.

Eodem modo copulativæ hypotheticæ æquipolentes fiunt: v.g. ſi omne rationale eſt vivens, omne rationale non eſt lapis; æquivalet iſti: ſi omne rationale eſt vivens, nullum rationale eſt lapis. Sic præfatæ regulæ poſſunt extendi, vt æquipolentes valeant fieri, propoſitiones expoſsibiles, propoſitiones de termino complexo, & ſic alię quam plures, quas relinquo, quia magis augetur confuſio, quam vtilis praxis augeatur.

Solum reſtat hinc dare rationem cur ſubcontrarijs debeat competere regula æquipolẽtium; pro quibus rationem ſumo ex eo, quod dum in exemplis ſupra poſitis ponamus triplicem negationem in vna particulari, nil impedit, vt æquivaleat alteri ſubcontrariæ: v.g. *non non aliquis homo non eſt vivens, quæ æquivalet iſti: aliquis homo non eſt vivens:* quia ſi duplex negatio affirmat, triplex negatio debet non affirmare, & ſic negare debet: ergo cum non detur ratio, cur triplex negatio non neget, dum detur, cur duplex affirmet, dum vna neget, non eſt, cur ex triplici negatione non poſsit adſtrui æquipolẽs ſenſus ſubcontrarijs.

Dices verum eſſe ſubcontrarias poſſe fieri æquipolentes, non autem inter ſe; quia ſive præponatur, ſive poſtponatur negatio, fiunt æquipolentes ſuis cõtradictorijs, vel ſubalternis vniverſalibus. Ita Dionyſius ſupra citatus art. 2. Sed reverà contrarium probare, aut explicare intendam. Quia in his ſubcontrarijs: v.g. *aliquis homo eſt vivens, aliquis homo nõ eſt vivens*, ſi in affirmativa, modo ſupradicto, ponatur triplex negatio debet fieri æquipolens cum ſua oppoſita. Ratio eſt, quia poſita ſola duplici negatione, eſt affirmativa; ergo talis propoſitio manet cum duplici negatione, ſicuti antea erat, vtpoté particularis affirmativa; ergo poſita tertia negatione, tranſit illa propoſitio ad eſſe particularis negativæ, ſicuti tranſiret ad ſic eſſe, dum de præcisé affirmativa per poſitionem vnius negationis efficeretur negativa.

Suadetur amplius, quia particula *non*, eamdem vim debet ſervare erga notas, & modos propoſitionis, ac erga dicta, ſaltim penés hoc quod eſt manere aliquid in eodem ſtatu ex poſitione duplicis negationis; ergo ſicuti dictum quod vnica negatione variatur, duplici negatione ad eandem entitatem dicti reſtituitur; ſic pariter ex ipſa poſitioné negationis inferendum eſt de notis, & modis, quoad eorum reſtitutionem: ergo etiamſi; *non aliquis* v.g. valeat *nullus: non non aliquis*, ſolum pro aliquo valebit.

Eſt tamen nimis advertendum, quod vt præfata doctrina ſubſiſtat, debet eſſe duplex *Non* inſimul, & in eadem locatione ſubiecti, ita vt vbi erat primum Non, ſit & ſecundum, quod reduplicatur; quia ſi diverſas vbicationes habeant, cum ſic, iam magis diſtent, & in diverſis ſubiectis, ſeu terminis applicentur; non habebunt vim ſic vniendi, & reſtituendi ſenſum particulæ affirmantis quoad dictum, vel ſaltim quoad notam; quare *non aliquis homo non currit*, æquipolet iſti, *omnis homo currit*; at vero, *non nullus homo non currit*, æquipolet iſti, *aliquis homo non currit*; quia duplex negatio inſimul eſt; itaque ſi *non non*, idẽ eſt, ac ſi nil *Noneitatis* foret; idem erit, *non non* aliquis homo non currit; ac aliquis homo non currit.

QUÆSTIO IV,
De motu converſivo propoſitionum abſolutarum.

ENtia ſecundo intentionalia, meritó converti dicuntur; nec non, & ad hanc converſionem moveri; quia, vt in initio diſtinctionis annotabam, vna propoſitio tranſit in aliam, influente virtute intellectivi agẽtis. Sic ergo dum vna propoſitio trãſit in aliã, vna dicitur converſa, & alia terminus converſionis; ita vt aliquando ſubiectum ſit vtrique commune.

Converſio igitur eſt in triplici differentia: ſcilicet, ſimplex, de per accidens, & per contra poſitionem. Converſio ſimplex dicitur illa, quæ efficitur, quando trãſeunte vna propoſitione in aliam, manet eadem quantitas, & qualitas cum eiſdem terminis, etſi aliter poſitis: v.g. aliquis homo eſt animal; ergo aliquod animal eſt homo. Dicitur converſio de per accidens, quæ efficitur, manente eadem qualitáte, non vero quantitate: v.g. omnis homo ẽſt animal, ergo aliquod animal eſt homo. Dicitur converſio per contrapoſitionem, quæ efficitur, manente eadem quantitate, & qualitate, termini veró ita variati, quod ex finitis revertantur infinitati: v. g. Omnis homo eſt animal, ergo omne non animal eſt non homo; quæ omnia verſibus ſequentibus explicabũtur.

Sim-

Simpliciter feci, convertitur Eva per accidens,
Aſtro per contra ſic fit converſio tota.

In tribus præfatis ſyllabis inveniuntur quatuor vocales, ſcilicet, *A*, *E*, *I*, & *O*, quibus ſignificatur tam quantitas, quam qualitas propoſitionum: *A*, enim, ſignificat propoſitionem vniverſalem affirmativam: *E*, ſignificat propoſitionem vniverſalem negativam: *I*, ſignificat particularem affirmativam: & *O*, ſignificat particularem negativam, quæ omnia in ſequentibus lineis continentur.

Aſſerit A, *negat* E, *ſed vniverſaliter amba.*
Aſſerit I, *negat* O, *ſed particulariter amba.*

His, & alijs conbinnatis, omnium ſenſus eſt; quod *feci*, id eſt vniverſalis negativa, & particularis affirmativa denotatę per *E*, & *I*, convertuntur ſimpliciter: v. g. nullus homo eſt lapis; ergo nullus lapis eſt homo, & *Eva*, ideſt vniverſalis negativa, & vniverſalis affirmativa, denotatæ per *E*, & *A*, convertuntur per accidens: v.g. nullus lapis eſt homo; ergo aliquis homo non eſt lapis, &c. *Aſtro*, ideſt vniverſalis affirmativa, & particularis negativa ſignificatæ per *A*, & *O*, convertuntur per contrapoſitionem: v.g. omnis homo eſt animal, ergo aliquod non animal eſt non homo.

Contra tres prædictas converſiones aliqua poſſunt moveri argumenta, quorum aliqua iam in Perhierm. prævidit, & expoſuit Ariſtot. Illa omitto, quia ſine magna diligentia eorum fallatias poteſt capere dexter Philoſophus. Solum in communi pro aliquarum ſolutione noto, quod dum aliqua difficultas reſultet in propoſitionibus converſis, ita vt ſenſum convertentium non adæquent, & exambiant; in tali caſu recurrendum eſt ad implicitum ſenſum earum, ipſas ſecundum talem ſenſum exponendo, quouſquė perfectė convertantur: v.g. aliqua virtus eſt exaulta; ergo aliquod exauſtum eſt virtus. Quæ propoſitio convertens implicitė tempus pręteritum innuit, iuxta quod expoſita perfectė cōvertetur: v.g. aliqua virtus eſt exauſta; ergo aliquod exauſtum fuit virtus.

Sic etiam ſolicitus logicus debet attendere ad ſubiecta propoſitionum, eorum æquivocationem auferendo, addendo ſubiectis aliquam particulam, per quam ad ſubiectum cōverſæ propoſitionis, prædicationem adjaceat, tollendo, vel ponendo reduplicationem in expoſitione ſubiecti propoſitionis convertentis: v.g. aliquod vivens eſt depictum; ergo aliquod depictum eſt vivens. Peſsima converſio, ſi ly *aliquod* non exponatur ita, quod ponatur particula reduplicans, ſubiectum primæ propoſitionis, non autem ita, vt depictum reduplicatum, vt tale, ſubiectum percipiatur: v.g. aliquod vivens eſt depictum; ergo aliquod quod eſt, aut fuit depictum, eſt vivens. Sic pro ferė infinitis propoſitionibus æquivocis, nulla eſt perfectior regula, quam expoſitio ſubiecti, verbi, vel prædicati, alijs circumſtantijs inſpectis.

QUÆSTIO V.

De contrarietate modorum entis ſecundo intentionalis.

QUatuor ſunt modi, qui poſſunt contrahere propoſitionem, habentes reſpectu illius vim differentialem: ſunt enim iſti modi ſequentes, ſcilicet, *Neceſſe*, *Impoſsibile*, *Poſsibile*, & *Contingens*: Quorum duo primi, vniverſales cenſentur. Ratio debet eſſe, quia ſicuti notæ propoſitionum abſolutarum dicuntur vniverſales, quia omnem extenſionem habent in dicto; ſic iſtæ omnem extenſionem habent in modo: ſicuti enim hæc propoſitio, omnis homo eſt animal, de omni homine loquitur, ſic iſta, neceſſe eſt hominem eſſe animal, nullum tempus relinquit, in quo homo animal nō ſit. Poſsibile autem, & contingens ob contrarium modi vniverſales non dicuntur.

Ex his clarė infertur, quod in aliquibus propoſitionibus datur modus, & datur dictum. Dictum eſt veluti ſubſtantia propoſitionis habens ex ſe partes extra partes, ſed tamen maiori extenſione, dum applicatur modus, qui eſt, veluti quantitas reſpectu ſubſtantiæ: v. g. in hac propoſitione, neceſsė eſt, hominem eſſe animal, in qua ſubſtantia eſt dictum, ſcilicet, *homo animal*; & quantitas eſt modus, ſcilicet, *neceſsė*. Vndė modus, ita contrahit, & facit ad ſuum modum propoſitionem, quod propoſitio dicti negativi particularis, ſi ſit extenſa modo affirmativo, & vniverſali, vniverſalis, & affirmativa propoſitio maneat: v.g. aliquis homo non eſt lapis, neceſsė eſt aliquem hominem non eſſe lapidem.

Inſuper inferri debet, quod ſicuti in propoſitionibus abſolutis dedimus quadruplicem oppoſitionem, ita & in modalibus quoadruplex oppoſitio ſolet à ferė omnibus dari, ſola dempta differentia dicti, & modi. Itaque tunc datur oppoſitio contraria, quando vterque modus eſt vniverſalis, affirmativus vnus, negativus alius: v.g. neceſsė eſt homminem eſſe animal, impoſsibile eſt, hominem eſſe animal. Tunc datur oppoſitio contradictoria, quando vna eſt vniverſalis,

& altera particularis, negativa vna, affirmativa altera: v.g. neceſſe eſt, hominem eſſe animal, contingens eſt, hominem eſſe animal. Tunc datur oppoſitio ſubcontraria, quando vterque modus eſt particularis, affirmativus vnus, negativus alter: v.g. poſsibile eſt, hominem eſſe animal, contingens eſt, hominem non eſſe animal. Tunc denique datur oppoſitio ſubalterna, quando vel vtraque propoſitio affirmat modum, vel vtraque propoſitio eum negat: v.g. neceſſe eſt, hominem eſſe animal, poſsibile eſt, hominem eſſe animal: impoſsibile eſt, hominem eſſe animal, contingens eſt, hominem non eſſe animal.

Hæc exiſtimo, ita à logicis explicari, & admitti; ſed ſalva pace tot doctorum virorum, ſentio modalium propoſitionum contrarietatem firmam, & perfecté intelligibilem non eſſe, quod ſuadere intendam in propoſitionibus ſubalternis negativis. In propoſitionibus enim iſtis, v.g. impoſsibile eſt, hominem eſſe animal, contingens eſt, hominem non eſſe animal, nec vlla datur ſubalternatio, nec vlla datur oppoſitio, quæ contradictoria non ſit; ergo nulla firma, & intelligibilis oppoſitio in prędictis modis datur. Prob. antecedens quoad primam partem, quia quod eſt contingens adęquatiſsimé excluditur ab illo, quod eſt impoſsibile, ita vt nullatenus contingentia poſsint impoſsibilitati ſubalternari. Prob. deinde quoad ſecundam partem; quia ſi bené intueatur hęc particularis, v.g. contingens eſt, hominem non eſſe animal, & comparetur ad id, quod impoſsibile dicit, non poteſt illi modo magis contradici: ergo, &c.

Sic pariter, ſi quis intueatur ſubalternas affirmativas, illas inveniet infimul vniverſales propter duo. Propter primum; quia quod eſt poſsibile, non minus extenditur, quã quod eſt neceſſarium; repugnat enim, quod neceſſarium non ſit, quidquid poſsibile ſit. Propter ſecundum, quia illa, quæ adæquatiſsimè, & in omni materia iuxta æqualem extenſionem cõtrariantur, ęqué vniverſalia, & extenſa ſunt; ſed poſsibile, & impoſsibile in quavis materia ſic ſe habent: ergo æqué vniverſalia ſunt. Minor certiſsima videtur, quia in nullo poteſt magis contrariari, quod eſt neceſsé cum illo, quod eſt impoſsibile, quam contrarietur, quod eſt poſsibile cum illo, quod eſt impoſsibile.

Denique neque in ſubcontrarijs poteſt inveniri oppoſitio, quæ modalis debeat dici, quod ſuadetur in iſtis: poſsibile eſt, hominem eſſe animal, contingens eſt, hominem non eſſe animal; ſubcontraria enim de modo cõtingenti non eſt ſubcontraria ex modo, ſed ex nota *non*, quæ de per ſe non eſt affixa modo, ſed dicto, ita vt dictum ſit propoſitioni de modo affirmativo ſubcontraria; ergo in modo non datur contrarietas.

Suadetur intentum; quia vt in modo ſit negativa, debebat nota *non* poni in ipſo: v.g. contingens non eſt, hominem eſſe animal; ſed in caſu, quo nota *non*, ſic ponatur, tollitur ſubcontrarietas; ergo. Prob. minor. quia quod contingens non eſt, neceſſe eſt; ergo ſic poſita, tollitur ſubcontrarietas.

Nec non ſi in materia contigenti, ly *non*, non ponatur immediaté ad modum *cõtingens*, ambæ propoſitiones ſubcontrariæ poſſunt eſſe veræ de eodem ſubiecto: v.g. contingens eſt, Petrum eſſe album, contingens eſt, Petrum non eſſe album.

Quæ omnia poſſunt corroborari à paritate contrariarum, in quibus ita modi contrariantur, vt particula *non*, non requiratur: v.g. neceſſe eſt, hominem eſſe animal, impoſsibile eſt, hominem eſſe animal; ergo ſi darentur ſubcontrariæ modales, ita modi debebant ſubcontrariari, quod quilibet iuxta ſuum modum, alteri ſubcontrariaretur.

Solent hinc aliquas tradere inſcriptiones cum figura iſtarum oppoſitionum, vocato vulgo *Puente de los Aſnos*, more iam plurium Recentiorum, eas ommittimus, quia potius quam elevent, mentem confundunt.

DISTINCTIO IX.

De figura, & loco entis ſecundo intentionalis.

CUM figura ſit, entis phyſici quanti, forma, & diſpoſitio iuxta dicenda in prædicamẽtis; & aliàs in entibus logicis quantitatem ſecundo intentionalem dari, philoſophavimus: conſulto, debere habere figuram, & locum in titulo percontamur. Et licet quodlibet ens phyſicum quantum figuram, & locum habeat, ad cuius normam, etiam quodlibet ens ſecundo intentionale vnam, aut alteram figuram debeat habere; attamen ſicuti in phy-

phyſicis, principalis difficultas de figura, & loco, eſt de ente quanto trinæ dimenſionis, ſcilicet, longum, latum, & profundum: ſic pariter dum hinc de figura entis ſecundo intentionalis loquimur, intelligimus de per ſe, de figura entis ſecundo intentionalis trinam dimenſionem habentis, iuxta trium propoſitionum diſpoſitionem, ita vt ex maiori extremo ſit longum, ex minori latum, & ex medio verbo profundum.

Ex quibus manifeſté inferendum eſt, quod prout ad præſens attinet; agendum nobis eſt, non de quacunque figura, ſed de ſyllogiſtica; ideoque in ſequentibus quæſtionibus de argumentatione, & de illius ſpeciebus tractare debemus, prout ad compendioſam doctrinam ſpectare capiamus.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex argumentatio ſit?

Argumentatio poteſt ſic ſufficienter explicari; *Oratio logica, cuius vna pars infertur ex alia.* Per eſſe logicam orationem convenit cum definitione, propoſitione, &c. per reliquas particulas habet differentiam cum illis, & cum quavis notitia per diſcurſum, & illationem non habita. Quare, etſi videatur, quod in definitione, differentia inducitur ex genere, & in propoſitione prædicatum ex ſubiecto, ſed tamen nunquam definitio, neque propoſitio ſunt argumentationes; aliud enim eſt quod in ipſis vnum inferatur ex alio, aliud vero eſt, quod ipſæ, ipſæ illationes ſint. Itaquè tam in ipſis, quam in quibuslibet, vt vnum ex alio inferatur, argumentatio neceſſariſsimé requiritur.

Circa ſecundum dividi ſolet argumẽtatio in enthymema, inductionem, exemplũ, dilema, & ſyllogiſmum. Enthymema (dictũ ſyllogiſmus truncatus, eo quod in arbore diſcurſiva, vnus præmiſſarum ramus, reticendo ſcindatur) dici ſolet argumentatio, vnica tãtum præmiſſa conſtans; v.g. Petrus eſt homo; ergo eſt animal.

Inductio ſolet dici argumentatio, in qua ex pluribus particularibus recté probatis, infertur aliquid vniverſaliter certum: v.g. iſta aqua eſt fluida, illa eſt fluida, & ſic de reliquis: ergo omnis aqua eſt fluida. In qua argumentatione eſt notandum ad reliquarum ſcopum; quod dum omnia extrema inductionis non poſsint facilè adduci, additur illa particula, *& ſic de reliquis*, quæ ſi à reſpondente negetur, petenda eſt ab eo cauſalis negationis, quã ſi non dederit, valida manebit formata inductio.

Exemplum eſt argumentatio ſimilitudine perſuadens, v.g. Magdalenæ remiſſa ſuerunt peccata quoniam dilexit multum; ergo ſi multum diligas, remittentur tibi.

Dilemma (dici ſolet argumentatio cornuta, eo quod acutiſsima cornua habeat, quorũ aliquo ferire debeat) eſt argumentatio duas partes comprehendens, quarum vna debet cõcedi, & conceſſa convincit: v.g. vel credis Deũ puniturum male operantes, vel non credis? Si non credis: ergo es hæreticus. Si credis; cur ergo tam malé operaris?

Syllogiſmus denique ſolet dici argumẽtatio, in qua aliquid ex duplici iudicio infertur: v.g. omne bonum eſt amabile; Petrus eſt bonus; ergo Petrus eſt amabilis.

Deinde advertenda ſunt aliqua, quorum primum eſt, quod argumentatio ſubdividi poteſt in materialem, & formalem, ſeu diſpoſitivam. Materialis argumentatio, prout contrapoſita diſpoſitiuæ eſt, in qua ſolum ratione materiæ, conſequens infertur ex antecedẽti; (ſeu vt melius dicam, reputatur verum eſſe; quia ſi recté, & ſtricté loquendum ſit non infertur, cum illatio diſpoſita petat principia) v.g. omnis homo eſt animal, ſed leo eſt ſentiens; ergo homo eſt ſentiens. Formalis argumentatio prout materiæ impropriè formatæ contrapoſita, dicitur illa, in qua ex vi formę, & diſpoſitionis aliquid infertur ex præmiſsis: v.g. omne animal eſt vivens, ſed Petrus eſt animal; ergo Petrus eſt vivens.

Advertendum eſt ſecundo, argumentum differre ab argumentatione, in hoc, quod argumentum eſt terminus ille, qui ſumitur, vt medium ad aliquid probandum: v.g. hoc, omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal: vbi ly *homo* qui ſumitur, vt medium ad probandum animalitatem de Petro, dicitur argumentum; argumentatio vero duplex dicit iudicium de formali, & præciſo ſignificato, deductum vnum ex alio.

Advertendum eſt vltimo, quod ſi argumentatio duplici ſolum propoſitione conſtet, prima dicitur antecedens, & ſecunda conſequentia: ſi vero triplici conſtet propoſitione; duæ priores dicuntur præmiſſę, & tertia dicitur concluſio, ſeu conſequentia.

***

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quid de modis, & figuris ſyllogiſticis ſit exactius dicendum?

CUm variæ ſyllogiſmorum dentur diſpoſitiones, & Figura ſyllogiſtica, vel ipſa diſpoſitio ſit, vel ab ipſa dependeat; & deinde ex quæſtione antecedenti inferri poſſit, quod ſola figura ſyllogiſmi ſit perfecta, cum trinam dimenſionem intentionaliter habeat; ideo hinc ſpecialius in hac quæſtione de ipſius quidditate, modis, & differentijs venit inquirendum. Syllogiſmi igitur figura cõmuniter intellecta pro recta ordinatione medij verbi cum extremis, & extremorum inter ſe, poteſt explicari ſic: ***Diſpoſitio recta entis ſecundo intentionalis trinam dimenſionem habentis.*** Huius definitionis explicatio ſufficienter infertur ex dictis in quæſtione antecedenti, & in præambulo ad ipſam.

Modus eſt veluti ſecunda propoſitionum diſpoſitio, iuxta quam vna eſt vniverſalis, altera particularis, affirmativa vna, negativa alia; ſicuti fuerit littera ex ſupra dictis, ſibi correſpondens. Itaque modificatio eſt perfectiva ſyllogiſticæ ſymetriæ, & organizationis ſecundo intentionalis.

Ex his manifeſtè infertur, quod quotuplex varietur diſpoſitio medij verbi cũ extremis, & extremorum inter ſe, totuplex ſymetria, & figura ſyllogiſtica variabitur. Quare cuiuſvis figuræ examinanda, & ſcienda eſt variationis regula.

Prima igitur figura, ita eſt diſpoſita, quod habeat medium verbum ſubiectum in maiori propoſitione, & prædicatum in minori: v.g. omnis homo eſt animal, ſed aliquod rationale eſt homo: ergo aliquod rationale eſt animal. Secunda figura, ita eſt diſpoſita, quod in vtraque præmiſſa habeat mediũ verbum, prædicatum: v. g. nullus mons eſt vivens, ſed omne rationale eſt vivens, ergo nullum rationale eſt mons. Tertia figura ita debet diſponi, quod medium verbum in vtraque præmiſſa ſit ſubiectum: v.g. omnis homo eſt vivens, ſed omnis homo eſt riſibilis; ergo aliquod riſibile eſt vivens. Quarta denique figura, ita debet diſponi, quod medium verbum ſit prædicatum in maiori, & ſubiectum in minori: v.g. omnis homo eſt animal, ſed aliquod animal eſt ſentiens; ergo aliquis homo eſt ſentiens: quæ figurarum variatio ſequenti linea compendiatur.

Prima ſub præ: ſecunda bis præ: tertia bis ſub: quarta præ ſub.

Deinde eſt inferendum, quod in cuiuſvis figuræ ſyllogiſmo datur maius extremum, minus extremum, & medium verbum. Illud eſt maius extremum, quod ſolum in maiori propoſitione, & in concluſione invenitur. Illud eſt minus extremum, quod ſolum invenitur in minori, & concluſione. Illud denique eſt medium verbum, quod ſolum invenitur in minori, & maiori, quorum exempla in ſuperiori, §. manent.

Advertendum eſt etiam, quod tunc ſyllogiſmus eſt ratione formæ directus, quando in concluſione maius extremum prædicatur de minori: v.g. omnis homo eſt animal, ſed aliquod rationale eſt homo; ergo aliquod rationale eſt animal. Tunc vero eſt ſyllogiſmus indirectus, quando in concluſione minus extremum prædicatur de maiori: v.g. omnis homo eſt animal, ſed omne rationale eſt homo; ergo aliquod animal eſt rationale.

Adverti tandem ſolet ab aliquibus, quod ad hoc, vt aliquis ſyllogiſmus concludat, non ſufficit, quod figuræ ſervet regulas, ſed vlterius requiritur, quod ſervet modum: v.g. nullum animal eſt lapis; ſed nullum ſenſibile eſt animal; ergo nullum ſenſibile eſt lapis. Iſte ſyllogiſmus non concludit, quia etſi habeat, quæ prima figura dicit ratione medij, & extremorum, in nullo tamen ex modis primæ figuræ invenitur, cum nullus ſit in illa, qui tres negativas vniverſales contineat. Qua propter ad maiorem ſyllogiſticę armoniæ comprehẽſionem decem, & novem modi aſſignari ſolent, quorum novem priores ad primam figuram ſpectant, quatuor ſequentes ad ſecundã, cæterique ad tertiam, quos omnes ſequentia carmina recitant.

Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baraliptõ. Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum. Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti. Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Ad plenam prædictorum intelligentiam eſt notandum, quod in qualibet dictione tres inveniuntur vocales (quæ poſt tres primas vocales ponuntur, ſolum extant gratia verſus.) Prima vocalis denotat maiorem propoſitionem, ſecunda minorem, tertia conſequentiam. Eſt tamen talis correſpondentia ſervãda, quod ſi vocalis ſit, *A*, propoſitio debet eſſe vniverſalis affirmativa; ſi ſit, *E*, vniverſalis negativa; & ſic de reliquis iuxta dictam expoſitionem illius verſus, *aſſerit, A, negat E, &c.*

Deinde ſolet annotari, quod ex novem modis primæ figuræ, quatuor primi concludunt

dunt directé, & indirectè quinque alijs; at modi ſecundæ, & tertiæ, directè. Et ratio, cur quinque primæ figuræ modi indirectè concludunt, ſolet aſsignari exeo, quod maior extremitas ſit in concluſione ſubiectum, & minor prædicatum. Nunc ſolum reſtabat præfatas regulas ſyllogiſmorum conſtructionibus exercere, quę differto logico, quia facilia, clarebunt. Hinc tamen ſolet notari, quod licet modi ſecundæ, & tertiæ figuræ ſint vtiles, quia directé concludunt, ſunt veró imperfecti, ſeu minus perfecti, eo quod ad perfectiores, vtpote ad illos primæ figuræ reducantur.

Obijciunt contra præcipuam regularum conſonantiam: datur ſyllogiſmus factus in modo, & figura, qui non eſt vtiliter concludens; ergo ex ſyllogiſmo in modo, & figura facto non deducitur vtilis concluſio. Anteced. his exemplis prob. *Omnis homo eſt animal; ſed aliquod animal eſt leo*; ergo *aliquis homo eſt leo. Nullus homo eſt lapis; ſed omnis lapis eſt ſubſtantia*; ergo *nullus homo eſt ſubſtantia*. Iſti ſyllogiſmi ſunt facti in modis primæ figuræ, ſcilicet in Darij, & Celarem, & tamen non concludunt: ergo &c.

Ad plenam argumenti ſolutionem notandum eſt primó, duplicem dari propoſitionem, directam ſcilicet vnam, & indirectam alteram. Propoſitio directa dicitur illa, in qua ſuperius prædicat de inferiori, aut ſaltim æquale de æquali; v.g. homo eſt animal: homo eſt rationalis. Propoſitio indirecta dicitur illa, in qua é contra experitur, v.g. animal eſt homo. Notandum eſt ſecundo, duplicem aliam dari propoſitionem, vnam ſcilicet de prædicato communi, & de prædicato proprio alteram. Prima dicitur, dum eius prædicatum alijs ſubiectis poteſt convenire, v.g. homo eſt vivens, quod prædicatum alijs ab homine cōvenire poteſt. Secunda dicitur, dum é contra evenit, v.g. homo eſt rationalis, riſibilis, &c. His ita.

Reſponderi poteſt argumento diſtinguēdo anteced. Datur ſyllogiſmus, qui non eſt vtiliter concludens, defectu modi, & diſpoſitionis eius, negatur: defectu eorum, quæ ſe tenent ex parte directionis propoſitionalis, cōceditur. Vel ſic, qui non concludit defectu modi, & figuræ, negatur; defectu aliarum regularum, ad perfectè cōcludendum etiam præſuppoſitarum, conceditur. Et conſimiliter reſponderi poterit ad probationem in exemplari.

Itaqué exiſtimo debere dici, quod ſyllogiſmus concludens, alias regulas requirat. Regula enim, quę primo requiritur, eſt illa, quæ experitur in ſyllogiſmis modo purè affirmativo formatis, ſcilicet *Darij, Baralipton, &c.* in quibus debet ſyllogiſmus conſtare duabus præmiſsis determinaté veris; ita vt determinaté ſint propoſitiones directæ, defectu cuius ſyllogiſmus ille factus in Darij non concludebat. Quod enim talem defectum haberet ſuadetur in illa minori propoſitione, ſcilicet, *ſed aliquod animal eſt leo*, in qua cum prædicatum non ſit determinaté inferius, eo quod ſubiectū ſit vagé ſuperius, oritur inde, quod nec ea ſit determinaté directa, nec ſyllogiſmus aliquid concludens.

Regula, quæ vlterius requiritur, eſt illa, quæ experitur in ſyllogiſmo conſtante vnā præmiſſā affirmativa, & altera negativa; requiritur enim, quod affirmativa prædicato proprio conſtet, defectu cuius ſyllogiſmus ille factus in modo *Celarem*, non concludebat; premiſſa enim erat de prædicato communi; ſcilicet, omnis lapis eſt ſubſtantia. Et huius doctrinæ ratio ſtat in hoc, quod vis tertij cum ſit vnitiva, debet ex propria ratione virtutem ad concluſionem determinare; etſi communē ſatis ſit attributum reſpectu premiſsi ſubiecti, deficiet vis vniēdi, cum vis indifferentiæ ſuperabundet. Debet deinde ſpecialitas eſſe in affirmativa, quia negativa in affirmativa radicatur; eſt enim propter illam, vt exemplificat Scotus (proprio loco ex Scoto expendentur iſta, ſatis exacté, niſalloc) in his propoſitionibus, *hoc non eſt malum*; *hoc eſt bonum*. non enim eſt malum, quia eſt bonum.

QUÆSTIO III.

De multiplici figurarum variatione.

SI loquamur de ſyllogiſmis hypotheticis videtur certum dabiles ſyllogiſmos, qui in aliqua trium figurarum non contineātur. Quare Scotus aliquos ſyllogiſmos extrà tres figuras proponit, videlicet, dum ſyllogiſmus ſit diviſivus, vel ex terminis infinitis formatus, vel formatus ex oppoſitis, vel ex obliquis. Exemplum primi:

Omnis homo eſt raitonalis, vel irrationalis;
ſed nullus homo eſt irrationalis;
Igitur omnis homo eſt rationalis.

Hic non ſit in aliqua trium figurarum, quia hic non eſt medium; iſte namque terminus *homo* non eſt hic medium, cum ingrediatur concluſionem, nec aliquis alter, cum quilibet alter præciſé ſemel ſumatur. Exemplum ſecundi.

Nul-

Nullum non B. *eſt* A,
nullum B. *eſt* C,
igitur nullum C, *eſt* A.

Hic non fit in ſecunda, nec in tertia, deinde nec in prima, quia in maiori ſubjicitur iſte terminus *non B*, & in minori prædicatur iſte terminus, *B*. ideoque non eſt idem, quod ſubjicitur in vna, & prædicatur in altera. Verumtamen factus eſt ad ſimilitudinem primę figuræ, quia idem ſubjicitur in maiori, & prędicatur in minori, licet diverſimodé acceptũ, quia in maiori infinité, & in minori finité. Exemplum tertij:

Nulla diſciplina eſt ſtudioſa;
omnis diſciplina eſt ſtudioſa;
igitur nulla diſciplina eſt diſciplina.

Hic ſyllogiſmus eſt bonus, vt patet in 2. libri prior. Et tamen non eſt in aliqua triũ figurarum, quia quælibet ex tribus figuris fit, ad minus, ex tribus terminis, & hic ſolum fit ex duobus. Verum hinc tenet Scotus, quod licet in eo ſolum ſint duo termini differentes ſecundum ſpeciem, attamen vnus illorum ſumitur loco duorum. Exemplum quarti:

Videns omnem aſinum currit;
Brunellus eſt aſinus,
igitur videns Brunellum currit.

Hic ſyllogiſmus in nulla figurarum manet, quia medius terminus non ſubjicitur, nec prædicatur in maiori, quia ſolum eſt pars ſubiecti. Igitur abſoluté loquendo ordo trium figuratus omnem ſyllogizationem non adæquat.

Nunc in logicorum vſu verſatur maior difficultas de ſyllogiſmo cathegorico, ſcil. cõſtructo ex propoſitionibus cathegoricis, cum terminis finitis, & rectis, quin modales ſint præmiſſæ. Et difficultatis vis adducitur ex eo, quod diverſa notetur figura ex diverſa poſitione medij verbi cum extremis; ſed talis diverſa poſitio extra poſitionem trium figurarũ datur, ſcil. dũ medium verbum eſt prædicatum in maiori, & ſubiectum in minori, v.g. in *Barmaba:*

Omne rationale eſt homo;
ſed omnis homo eſt vivens;
ergo omne rationale eſt vivens;

Igitur ex tali poſitione motivum datur vt à tribus diſtincta figura detur.

Dicunt aliqui in animo ſic ſyllogizantes manere deceptos, cum ſint in prima figura ſyllogiſmi, qui in quarta reputabantur, vt patet etiam in hoc ſyllogiſmo conſtructo in *Dimaris* v.g.

Aliquis homo eſt animal;
ſed omne animal eſt ſentiens;
ergo aliquis homo eſt ſentiens.

Prædictus enim ſyllogiſmus eſt in prima figura, quia in eo prima propoſitio debet eſſe loco ſecundæ, & é converſo, eo quod ea ſemper debeat eſſe maior propoſitio, quæ logicé maiorem habet quantitatem, & ea minor, quæ minorem; quare cum in prædicto ſyllogiſmo ſecunda propoſitio vniverſalius habeatur, & ſic logicé maiorem habeat quantitatẽ, ſicuti extenſionem, ea maior debet eſſe, & propter idem minor debet eſſe, quæ prima propoſitio proponebatur.

Contra hanc expoſitionem clariſſima vrget inſtantia, quia ex ea deduceretur difficilé poſſe ſignari maiorem, vel minorem propoſitionem in primo modo primæ figuræ, v.g. in hoc ſyllogiſmo conſtructo in *Barbara: Omnis homo eſt riſibilis, ſed omne rationale eſt homo; ergo omne rationale eſt riſibile.* Quo pacto conſimiliter deducendum, quod inde ſyllogiſmi facti in *Barmaba* non haberẽt ex quo, non forent extra primam figuram, cũ propter maiorem vniverſalitatem non daretur motivum, vt ſecunda propoſitio foret prima, & é converſo.

Dicunt alij primam rationem eſſe falſo ſuppoſitam, videlicet diſtinctam dari poſitionem à tribus, quia nunquam in quarta figura medium verbum diverſimodé diſponitur, ac in prima; eo quod ſemper debeat eſſe maior illa propoſitio, in qua medium verbum eſt ſubiectum, ſicuti minor, in qua eſt prædicatum, quæ diſpoſitio, ſcilicet *ſub pre* ad primam ſpectat.

Contra hanc expoſitionem non minus clara vrget inſtantia, quia ſi id ſtabiliretur per vniverſalem deductionem, ſequeretur, quod in figuris extra primam nec daretur maior, nec minor propoſitio, quia neque in ſecunda, neque in tertia medium verbum eſt in maiori ſubiectum, & in minori prædicatum; ergo.

Contra deinde, non minus vrget alia ratio, quia licet mutatis aliquibus terminis ſecundæ, & tertiæ figuræ reducantur ad intelligi in prima, hoc non obſtat, vt illæ diſpoſitiones tametſi imperfectæ, eo modo, quo in ſe ſunt, conſtruant ſecundam, vel tertiam figuram; ergo licet tranſmutatis locis propoſitionum quartæ figuræ, fiant primæ figurę, id non obſtabit, vt eo modo, quo in ſe, licet imperfectæ conſtruant quartam figuram. Si namque bene attendatur, nunquam pro tertia, & ſecunda figura invenietur in terminorum poſitione diſpoſitio, cum numquam ſic ſint poſiti, quod melius non debeant eſſe, vtpoté prout ſunt in prima per reductionẽ; igitur dici poſſet, quod

quod non erant in ſecunda, & tertia figura, nõ ſiquidem erant ſicuti debebant eſſe.

Contra etiam inſtat alia ratio; quia hæc propoſitio indirecta *animal eſt homo* diſtinctam formalitatem, & diſpoſitionem habet, ac iſta directa, *homo eſt animal*, etiamſi, quod eſt ſubiectum in indirecta, ſit in directa prædicatum, & ita quod non dicatur eadem, ac directa, ex eo quod deberet habere prædicatum pro ſubiecto, & é converſo, quo habito directam manere intelligeretur; igitur conſimiliter ille ſyllogiſmus, qui habet medium verbum, ſubiectum in minori, & in maiori prædicatum, diverſam poſitionem habebit, ac ille primæ figuræ proprius, ita vt licet è contra habito medio verbo, in prima figura ſit ſyllogiſmus, quin vero debeat reſponderi, quod primæ figuræ ſit, prout tunc eſſe intelligitur.

Dicunt aliqui, propoſitionem eſſe maiorem, vel minorem, non deſumi ex ſubjicibilitate, vel prædicabilitate medij verbi, quin ſolum eam eſſe maiorem, in qua invenitur maior extremitas, & eam minorem, in qua minor; ita vero quod in prima figura, & in ea, quæ vocatur quarta, nunquam poteſt eſſe maior extremitas, quin prædicetur de medio, & conſequentér ſemper mediũ ſubjicitur in maiori, & prædicatur in minori, & quando medium ſubjicitur in maiori, & prædicatur in minori, ſemper manet prima figura.

Contra hanc expoſitionem inſtat ſtatim queſitum, quia quæſtio ſtat in hoc, quod quarta, ſeu diſtincta figura ſit, in qua medium invenitur, in maiori prædicatum, & in minori ſubiectum; dicere hinc, quod illa eſt maior propoſitio, in qua invenitur maius extremum, & illud eſſe maius extremum, de quo medium prædicatur in minori, & ſubjicitur in maiori, eſt idem ac dicere, eam eſſe maiorem, in qua medium eſt ſubiectum, & eã minorem, in qua eſt prædicatum, quod eſt petere principium, & reſpondere, vt ſupra in vltima expoſitione iam impugnata.

Deindé, quia licet congruat eam eſſe maiorem, in qua invenitur maius extremum, at id non convincet quartam figuram aſſerentes, quia dicent illud eſſe maius extremũ, quod invenitur in prima, & vltima propoſitione, & illud minus, quod invenitur in ſecunda, & tertia; & ita nil deficiet, vt ſemper ſubſiſtat quarta figura, cum vtgrius teneant regulas, vt ea, quæ prima propoſitio, ſit maior, & ea, quæ ſecunda, minor, cum prima ſit in quarta figura, in qua medium adeſt prædicatum in maiori, & ſic ibi ſit. Nec facile invenient normam aliam pro ſigno maioris extremi, quæ ſit pro omnibus figuris generalis, quia ſi dicant, debere reputari maius extremum prædicatum magis vniverſale, v.g. in hoc ſyllogiſmo in *Barmaba*.

Omne rationale eſt homo;
ſed omnis homo eſt vivens;
ergo omne rationale eſt vivens.

In quo *vivens* erit maius extremum, ac proinde maior propoſitio erit, quæ ibi ſecunda, id profecto non ſubſiſtet generaliter, quia plures alij ſunt ſyllogiſmi in ea norma defectibiles, v.g. omne rationale eſt homo, ſed omnis homo eſt riſibilis, ergo omne rationale eſt riſibile, & ſic plura.

Dicunt alij, eam abſolutè eſſe primam figuram, in qua medium verbum eſt ſubiectũ, & prædicatum, modo habeat eſſe ſubiectum in maiori, & prædicatum in minori, modo é converſo ſit.

Contra hanc expoſitionem etiam in promptu adeſt inſtantia, quia omnes figuræ, ſervatis ſervandis, eiuſdem ſunt methri, & dimenſionis; igitur dum duæ aliæ figuræ ſic formalizantur, quod medium verbum in quavis propoſitione determinaté petant locari, vt ſubiectum in maiori, vel prædicatum in eadem, non datur ex quo etiam reſpectu determinate propoſitionis nõ petat locari determinaté, vt ſubiectum, & determinaté, vt prædicatum in alia determinata propoſitione.

Deindé, quia eo ipſo, quod ſolum indifferenter conſtruant poſitionem medij, vt ſubiectum, vel prædicatum, clarius deducitur id eſſe, quia datur duplex deinde illius indifferentis poſitionis determinatio, ac proinde, quod præciſé eſſe ſubiectum, & prædicatum ſit conceptus indifferens ad primam, & quartam figuram, determinaté deinceps reſolubilis, per primam dum in maiori ſubiectum, & in minori prædicatum; per ſecundam in maiori prædicatum, & in minori ſubiectum.

Tandem inſtant, quæ ſupra, quia propoſitio directa conſtructa ex termino ſuperiori, & inferiori, non ſalvatur præciſé ex eo, quod vnus terminus ſit præciſé ſubiectum, & aliud prædicatum, quin determinaté petit hoc eſſe hic ſubiectum, & illud eſſe hic prædicatum; igitur ſyllogiſmus, vt ſit in figura determinata, non ſolum debet exigere, quod medius terminus ſit præciſé ſubiectum, & prædicatum, quin vltra, in hac propoſitione ſubiectum, & in alia prædicatum.

Hæc dixi, ſubtili Magiſtro incõſulto, quã

in quartæ figuræ favorem adducunt alicuius gratiæ Scotiſtæ, eum vidi, & dum vera fatear, in contrarium probabilior adeſt, prout videri poteſt ſuper *lib. 1. Prior. quaſt.* 34. & ibi, fundamentum Subtilis D. ſtat in eo, quod propter ſolam tranſpoſitionem non provenit diverſitas alicuius præmiſſæ, nec concluſionis, ac per conſequens nec diverſitas figurę; & ideo concedendum eſt, ſyllogiſmum quartæ eſſe manifeſté primæ, quia ſolum tranſpoſitis pręmiſsis manifeſtatur ipſa, quæ prima figura in ſe iam erat. Et ratio eſt, quia pura tranſpoſitio, non eſt interna mutatio, nec logica tranſformatio, ac proinde non eſt diſcurſiva figuratio, nec rationalis informatio, quin ſolum extera locatio. Elige, meis namque rationibus facile nunc ſatisfacies.

QUÆSTIO IV.

De motu reductivo ſyllogiſmorum.

Sicuti entia naturalia habent loca, ad quæ petunt reduci, veluti ad centrum, & propriam ſphæram, ita vt aliter violenter, & imperfecté conſiderentur: ſic ſervatis ſervandis, entia intentionalia talibus modis, & figuris ſunt locata, quod intellectivæ potétiæ vim faciant, vt ab eis moveantur, & mota reducantur ad illa loca, & ſphæras ſine quibus imperfecté concipiebantur.

DE REDUCTIONE PER MOTUM oſtenſivum.

Nil aliud eſt ſyllogiſmos oſtenſivé reduci, quam eorum propoſitiones in alias convertere. Sed vt ſciatur ad quem modum, modus imperfectus reducendus ſit, notari ſolet, modos perfectos quatuor habere literas, quibus vocabula incipiunt, ſcilicet, *B. C. D. F.* quibus etiam modi imperfecti incipiunt; vbi eſt obſervandum, quod modi imperfecti incipientes *a B*, reducuntur ad *Barbara*; & ſic quilibet modus imperfectus reducendus eſt ad illum perfectum, cum quo in prima litera conſonat, & concordat.

Obſervandum eſt etiam, quod in dictionibus modorum reducendorum intermediant aliæ literæ, ſcilicet, *S.P.M.C.* ex quibus litera, *S.* ſignificat propoſitionem factam in vocali antecedenti eſſe ſimpliciter convertendam. *M* denotat præmiſſas eſſe tranſmutandas, ita vt maior fiat minor, & é contra. *P* denotat propoſitionem factam in vocali antecedenti convertendam eſſe per accidens *C*, denotat modum illum in quo ipſa reperitur, per impoſsibile reducendum: quę omnia in his carminibus continentur.

Simpliciter verti vult S: P. vero per accidens. M vult tranſponi: C vero per impoſsibile duci.

Præfatis ergo regulis obſervatis, modus imperfectus reducitur ad perfectum; pro quorum reductione notanda ſunt exempla in *Cameſtres*, & *Fapeſmo*, in quibus reductio oſtéditur difficilior.

Ca *Omnis homo eſt rationalis;*
meſ *ſed nullus lapis eſt rationalis;*
tres. *ergo nullus lapis eſt homo.*

Præfatus ſyllogiſmus reducitur ad *Celarem*, quia litera *C* incipit. Deinde, quia in tali modo poſt primam vocalem reperitur *M*, debet maior fieri minor, & é contra. Sic, quia in ſecunda vocali reperitur, *S*, maior propoſitio debet converti ſimpliciter; id eſt prædicatum debet fieri ſubiectum. Denique quia poſt vocalem vltimam reperitur, *S*, eſt etiam concluſio ſimpliciter convertenda: quæ omnia in ſequenti ſyllogiſmo exemplificantur.

Ce *Nullum rationale eſt lapis,*
la *ſed omnis homo eſt rationalis,*
rem. *ergo nullus homo eſt lapis.*

Circa reductionem alterius modi facti in *Fapeſmo*, vt perfecté convertatur idem obſervandū eſt, prout pręfixa regula recitabat.

Fa *Omnis homo eſt rationalis;*
peſ *ſed nullus lapis eſt homo;*
mo. *ergo aliquod rationale non eſt lapis*

Præformatus ſyllogiſmus reducitur ad *Ferio*, quia *F* incipit. Deinde cum poſt primã vocalem reperiatur *P*, denotatur maiorem eſſe convertendam per accidens. Tum, cum poſt primam vocalem reperiatur *S*, denotatur minorem eſſe convertendam ſimpliciter. Denique ſequitur *M*, per quam denotatur præmiſſas eſſe tranſmutandas; ideoque minor propoſitio, poſtquam ſit ſimpliciter converſa, debet tranſmutari; & maior iam per accidens converſa, debet tranſmutari, vbi minor (ſunt enim regulæ prius obſervandæ, iuxta priorem literarum obſervantiam) & *M* ſicuti eſt vltima litera in denotando, debet, & eius regula eſſe vltima in exercendo. En

Fe *Nullus homo eſt lapis,*
ri *ſed aliquod rationale eſt homo,*
o. *ergo aliquod rationale eſt lapis.*

DE REDUCTIONE PER MOTUM AD Impoſsibile.

Ab hoc nō levi chaos breviter expeditus manere intédã; impractibilis enim arguētibus huius reductionis vtilitas feré sēper viſa, cū abſq;

tar-

tarditatis, ſeu confuſionis nota, propé impoſſibile ſit, quod inſtante difficultate, poſsit per impoſsibiles reductiones impelli. Varijs igitur ex poſitionibus derelictis, reductio ex eo dicitur per impoſsibile, quia negata conſequentia, ſic ab arguenti poteſt inferri contradictoria, quod terminorum collocatione ſervata, intẽtum non concludere ſit impoſsibile. Qualiter autem hæc mentis transformatio efficiatur, explicationibus, & exemplis ſuadebitur.

Vt igitur modi indirecti primæ figuræ reducantur, debet notari, quod pro maiori, ponatur contradictoria ex concluſione deducta; & deinceps debet inferri concluſio, quæ ſit contradictoria, aut contraria minori; & vlterius, quæ antea erat maior, debet collocari, vbi antea minor.

REDUCTIO PRIMÆ FIGURÆ.

Ba *Omne animal eſt vivens;*
ra *ſed omnis homo eſt animal;*
lip. *ergo aliquod vivens eſt homo.*

En reductum.

Ce *Nullum vivens eſt homo;*
la *ſed omne animal eſt vivens;*
rem. *ergo nullum animal eſt homo*

In præformato ſyllogiſmo, quæcunque regulabantur, invenies. Notandum eſt tamen, quod ab anteced. regula excipitur *Celantes*, in quo minor debet fieri maior, & loco minoris debet poni contradictoria concluſionis negatæ; quomodo *Celantes* reducitur ad *Darij*.

REDUCTIO 2. FIGURÆ.

Ut modi ſecundę figuræ reducantur, debet pro minori poni contradictoria deducta ex concluſione negata; & eadem maiori manente, debet inferri concluſio, quæ ſit oppoſita minori conceſſæ.

Ba *Omne riſibile eſt rationale;*
ro *ſed aliquis lapis non eſt rationalis;*
co. *ergo aliquis lapis non eſt riſibilis.*

Reducitur ad Barbara.

Bar *Omne riſibile eſt rationale;*
ba *ſed omnis lapis eſt riſibilis;*
ra. *ergo omnis lapis eſt rationalis.*

REDUCTIO 3. FIGURÆ.

In ſyllogiſmis modo tertiæ figuræ conſtructis, debet contradictoria deducta ex concluſione, poni pro maiori, minori propoſitione; vt antea manente; & deinceps inferatur concluſio, contradictoria maioris.

Bo *Aliquis homo non eſt leo,*
car *ſed omnis homo eſt rationalis,*
do. *Ergo aliquod rationale non eſt leo.*

Reducitur ad Barbara.

Bar *Omne rationale eſt leo;*
ba *ſed omnis homo eſt rationalis;*
ra. *ergo omnis homo eſt leo.*

QUÆSTIO V.

Pro perfecta figurarum intelligentia expẽduntur aliqua generalia.

QUam plurimis regulis vtuntur logici, vt ſyllogiſticam ſabricam erigant: ego autem hinc aliquas breviter innuam; tum quia principaliter ad ſyllogiſticam armoniã conducentia, exacté in lib. prior, & poſterior. exponere intendam; tum quia hinc quæcunque exoptantur compendioſa.

In primis ergo ſolent aliqui pro ſyllogizandis regulare, quod ex præmiſsis vniverſalibus, vniverſalis debeat eſſe concluſio; quia cõcluſio eſt veluti præmiſſarum partus, qui potius monſtruoſus, quam legitimus foret, ſi nõ foret vniverſalis in ortu, dum extitit vniverſalis in conceptu. Hæc regula traditur ab aliquibus; exiſtimo tamen irregularem eſſe: dantur enim ſyllogiſmi conſtructi in *Darapti*, *Baralipton*, *Fapeſmo &c.* in quibus adulteratur conceptus.

Regulatur aliter, quod ſi aliqua præmiſſarum ſit negativa, & negativa debeat eſſe cõcluſio; aliàs ex præmiſsis veris, falſa poſſet eſſe deductio; v.g. *nullum rationale eſt lapis, ſed omnis homo eſt rationalis*, ergo *omnis homo eſt lapis*. Cuius concluſionis falſitas, negatione abolетur, v.g. *ergo nullus homo eſt lapis*. Præſata regula, prout exiſtimo, deducitur ex illa logicorum praxi, ſcilicet quod cõcluſio ſequitur debiliorem partem, & ſemper negatio debilior eſt affirmatione; negativa enim, adhuc inſeparabilia, ſemper ratione poſitivi meditantur.

Regulatur etiam, quod ex vna præmiſſa vniverſali, & ex altera particulari, particularis debeat eſſe concluſio; aliunde etiam ex veris poſſet ſequi falſum: v.g. *omne rationale eſt homo, ſed aliquod vivens eſt rationale; ergo omne vivens eſt homo*. Præſata regula, niſallor, deducitur ex ipſa ſecũdę regulę praxi; nec non ex illo principio *propter quod vnũquodque eſt &c.* Similiter advertitur pro nunc, debere vitari, quod ſyllogiſmus ex ſolis particularibus erigatur; v. g. *aliquod vivens eſt homo; aliquod brutũ eſt vivẽs; ergo aliquod brutũ eſt homo*. Et ratio deduci videtur ex eo,

quod vbi deficiat vniverſalitas, deficiat, & eſſe proprium, ita vt nec poſsit ſpeciale convinci de ſubiecto, neque extraneum excludi; ad hoc enim requiritur, quod omni, & ſoli conveniat; & prædicatum omni, aut ſoli convenire, abſque vniverſalitatis ſigno videtur imperceptibile. Undé logici exquirunt illa principia *dici de omni, dici de nullo, impoſsibile eſt idem eſſe, & non eſſe, &c.* Nec non propter idem, *inductione* arguetur inutiliter, ſi poſt particulares aliquis terminus, aut modus penitùs reſtringens, vtpoté, hæc aqua eſt frigida, illá etiam, & ſic de alijs.

Regulatur præcipué, quod ſyllogiſmus, vt recté concludat, debeat habere extremitates in tertio vno idemptificatas; taliter, quod tertium requirat eſſe illis proprium, aut æquale; quia ſi in aliquo ſuperiori idemptificarentur extremitates in præmiſsis, non idemptificarentur inter ſe in concluſione: quod igitur requiritur, vt ſaltim ex affirmativis conſtructus concludat ſyllogiſmus; v. g. *omnis homo eſt animal; ſed omnis leo eſt animal; ergo omnis leo eſt homo.* Præfatus ſyllogiſmus non concludit, quia eius extremitates idemptificãtur in tertio ipſis ſuperiori. Propter idem eſt iſte ſyllogiſmus reprobandus: *Pater adæquatè eſt Deus; Filius adæquatè eſt Deus; ergo Filius adæquatè eſt Pater.* Sed de his principijs, vtpoté, *quæ ſunt eadem vni &c. dici de omni &c. Propter quod vnumquodque eſt &c.* Et de principaliter ad intelligentiam medij requiſitis, dicam, Deo dante, ex profeſſo in libris Prior. Et Poſter, Scoti mentem eviſceraus.

QUÆSTIO VI.

Pro fallacium intelligentia, aliqua alia generaliter expendantur.

IN quam pluribus, inter ens phyſicum, & intentionale conſonantiam, & proportionem induximus vſque adhuc. Et vt conſonans ſimilitudo ex propottionis robore exactius confirmetur, adhuc ante fallaciæ oculos, videnda pœnitus intendetur.

Inveniuntur igitur accidentia phyſicé, & materialiter fallentia. Accidens enim phyſicè fallax poteſt dici color in Iride v.g. qui ex imperfectione materialis potentiæ, ſeu ex æquivoca, & confuſa medij diſpoſitione, apparet veluti Cæruleus, dum in realitate, Cærulei non habet pluſquam apparientiam. Sic etiam quantitas qualitates relinquit fallaces; taliter enim in quantitatem diffuſſæ miſcentur, & diſponuntur, quod ab extenſionis modo, quem in quantitate ſervant, cum ſtrictiori quantitate valeant ęquivocari. Sic denique ſolet exterius pulchritudinis mendatium, graciliſque aſpectus vigére, quod veritatis ſimulent fallaciam, dum in re fallax eſt gratia, & vana eſt pulchritudo.

Sic igitur, ſervatis ſervandis, in entibus intentionalibus rationalis veritas mentitur. Ita ergo aliqua Sophiſmata in quantitatibus ſyllogiſticis apparent extenſa, & ad earum modum induta, quod ante mentis oculos per formam, & ſyllogizandi medium oblata, mentem confudant, ipſumque compellant, vt apparientias inſtar ſolidas veritates admittat, dum in re fallax ſit medium, & vana diſcurſus forma. Vt igitur contra hanc mentis infirmitatem aliquod adſit remedium, tametſi breviter, aliqua præcavere, curabimus, & hæc tam in communi, quam in particulari.

In communi ergo loquentes, advertendum eſt, ſyllogiſmum poſſe fallere, ratione materiæ, & ratione formæ, nec non ratione vtriuſque. Primo modo eſt fallax, quando in materia adeſt defectus; in quo caſu materiæ vitium ſanabis, diſtinguendo illam propoſitionem, in qua reſidet infirmitas; ſicque concedes in ſenſu vero, & negabis in falſo. Secundo modo eſt fallax, quando in modo, & figura infirmatur; in quo caſu poteris, conceſſis præmiſsis, negare conſequentiam; ſed infirmitatem formæ ſignabis. Sin autem ratione vtriuſque, vtpoté corporis, & animæ infirmetur, vtriuſque infirmitas tunc oſtendes.

Loquentes vero in particulari, duplex fallaciarum modus ſignari ſolet; quædam ſcilicet, quę ſunt dictiones ipſæ, ſeu in dictionibus inveniuntur; & alię, quæ extra dictionẽ, potius in rebus habentur. Fallaciarum ergo intra dictionem ſolet poni prima, quę dicitur *æquivocationis*; quæ enim formatur ex voce, plures ſignificationes habente: v g *Omnis canis eſt latrabilis; Sidus eſt canis;* ergo.

Secunda, primæ ſimilima, dicitur *Amphibologia*, & formatur dum oratio plures habens ſenſus, in vno ſenſu ſumitur in vna propoſitione, & in alio ſumitur in alia; qua vſus fuit S.N.P. Franciſcus dum interrogatus de cuiuſdam homicidæ tranſitu, dixit ponens manum in mannica, talem hominem ibi non trãſiſſe: vbi in prima propoſitione ſumebatur trãſitus per viam, & in ſecunda tranſitus, ſeu hæc vox *ibi*, ſumebatur per mannicam.

Tertia fallacia ſolet dici *compoſitionis, ſeu diviſionis*; & formatur, dum ſumuntur coniuncta, quæ debebant ſumi diviſa, & é cõtra:

tra:

tra: v.g. Petrus eſt famoſus, admirabilis, & eſt Muſicus; ergo Petrus eſt famoſus, & admirabilis Muſicus. Aliter: Tu es, qui es, ſed qui es, eſt privatio motus; ergo tu es privatio motus.

Quarta fallacia contingit *in accentu*; ita, vt dictio diverſimodè prolata variet ſignificationem, vt pluries evenit proferendo longam in fine, ſillabam in fine brevem: v.g. *qui gaudet lepore, habet, quod comedad, ſed tu gaudes lepore*; ergo.

Quinta fallacia ſolet dici *figura dictionis*, & poteſt pluribus modis evenire. Primò, quãdo de vno genere grammaticali fit in aliud mutatio per ſoleciſmum; v.g. *omne habens ſtellas eſt Cæleſte; ſed mulier Apocalip. eſt habens ſtellas*; ergo *mulier Apocalip. eſt Cæleſte*. Secundo, quãdo fit tranſitus de vno prædicamento ad aliud; v.g. *quod eras antea es modo*; ſed *antea eras dives*, ergo. Vbi fit trãſitus de prædicamẽto ſubſtantiæ ad prædicam. accidentis. Tertiò quando fit tranſitus de vna ſpecie ad aliam, eiuſdem prædicamenti; v.g. *comediſti quod habebas*, ſed *habebas panem in fornace*; ergo. Quarto quando vox trãſit de ſignificatione vniverſali ad particularẽ, & è contra; v.g. *Quod eſt Pater, eſt verbum*, ſed *Pater eſt ingenitus*; ergo.

Loquentes denique de fallacijs extradictionem, breviter eas annotabimus. Prima dicitur *accidentis*, & evenit, quando damus ſubiecto, quę debebamus accidenti; v.g. *Petrus eſt albus*, ſed *album poteſt ad eſſe, & ab eſſe ſine ſubiectum corruptione; ergo & Petrus*. In intentionalibus accidentibus paſsim evenit, tribuendo inferiori, quod cõvenit ſuperiori; v.g. *Accidens eſt quintum prædicabile*; ſed *hoc accidens eſt accidens*; ergo *hoc accidẽs eſt quintum prædicabile. Animal eſt genus; homo eſt animal*; ergo *genus*.

Secunda fallacia dicitur *conſequẽtis*, quę evenit, quando ex affirmatione termini conſequentis, infertur antecedens; vel ex negatione antecedentis, negatur conſequens: v.g. *eſt animal*; ergo *eſt homo: non eſt homo*; ergo *non eſt animal*.

Tertia fallacia dicitur *à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter*, ſeu à parte in totum; vtpotè, ſi quod competit parti, tribuatur toti; v.g. *dentes Æthyopis ſunt albi*; ergo.

Quarta fallacia dicitur *ignorantiæ Elenchi*, ſeu *redargutionis*, ſcilicet, quando infertur aliqua propoſitio, vt cõtradictoria, quę talis non eſt; v.g. *Divus Petrus fuit ſpecioſus anima, ſecus corpore; ergo fuit, & non fuit ſpecioſus*.

Quinta dicitur *petitionis principij*; quæ paſsim evenit; evenit ergo quãdo id quod probari debebat, ponitur in anteced. ac ſi probatũ foret.

Sexta dicitur fallacia *non cauſa pro cauſa*, quæ præcedenti eſt ſimilima; evenit enim, quando alicui tribuitur effectus, quod ab eius cauſæ veritate abeſt.

Septima fallacia dicitur *interrogationis, & reſponſionis*, ſcilicet, quando petitur, quod aliqua vnica reſponſione evacuentur, quæ pluribus indiget. Sufficiant iſta pro ſequentium tenebrarum compendioſa luce.

Tibi, ô purum, ſeu Mariæ inſtans.



COM-

COMMENTARIA IN VNIVERSAM ARISTOT.

LOGICAM, LITERA, ET MENTE DVCENTE, ET DOCENTE SCOTO.

AVCTORE

Fr. IOANNE PEREZ LOPEZ Obſervanti Minorita.

PROOEMIANS ARGVMENTVM.

LOQUEBATUR vt parvulus in Logica parva intellectus ; nunc autem cum factus ſit vir, non per leve ſpeculum, ſed per ſubliniorem ſpeculationem exultare debet vt gigas, ad penetrandum profundiorem difficultatum viam, á ſummo rationis Cœlo. Viam enim viri in adoleſcentia ſua, adhuc ſapientior pœnitus ignorat; igitur rudis, teneraque mens ex compendioſi itineris paſsibus, ſcientiæ curſum, vſque adhuc ignoravit. Meritò ergo ſemita, quæ ingenij volatui obtinenda proponitur, Logica dicitur; quia Logica ab hoc nomine græco *Logos*, (id eſt *ratio*) derivata ſuadet, quod vt ſcientiæ, & omnium ſcibilium cognitiones comparētur, & deficiet ratio, vbi Logica deficiat. De Logica igitur (quas partes, & diviſiones apud ſubtilem D. Logica habeat, in lib. 2. diſt. 2. q. 1. præamb. 1. enodabitur) hinc agere offertur; & maioris elucubrationis gratia, per libros, diſtinctiones, quæſtiones, & aliquando per articulos partita, poſsibili claritate expendetur. Utinam ſit merus curſus, viarũ Domini initium! Lectores benevoli, ſic currite, vt comprehendatis.

LIBER PRIMVS.

DE ENTE INTENTIONALI.

CUM feré omnis Logicorum machina, vt paſsim in hoc, & in 4. libro cum Scoto dicemus, debeat ſupra entia intentionalia fundari, & aliàs nil prius fundamentis, fundamento ſit examinandum, ideo antequam ad alia procedamus, de intentionis intelligentia, hinc agere ſtatuimus.

DIS-

DISTINCTIO I.

De eſſe motivo, & obiectivo entis intentionalis.

LICET in præſenti diſt. de ente ſecundo intentionali ſit de per ſe vertẽdus ſermo; proponimus tamen *ens intentionale* primam, & ſecundam intentionem comprehendens, quia ex adiuncto, etiam de prima, plura dicere penſamus. Inquiritur ergo nunc de eſſe ſecundo intentionali, & obiectivo, prout ex fundamentis, & conditione entium realium, ſuaviter erecto.

QUÆSTIO I.

An de quibuslibet entibus, notionem ſecundo intentionalem poſsit formare intellectus?

1 SVpponendum eſt primó, omne eſſe à potentia rationis derivatum, ſecundo intentionale vocari, prout contrapoſitum ad omne eſſe, quod tale eſt independenter ab omni productione, derivatione, & denominatione rationali; cuius, & ſimilium entiũ eſſe. Vocatur primò intentionale, ideſt, habẽs eſſe, priuſquam intentio habeatur de ipſo, vel habens eſſe, quin eius primum eſſe habeatur ab intentione.

2 Propter quæ D. Subtilis *quodlib.* 3. §. *de primo, propè initium* ſub nomine obiecti, & ſub nomine modi primas, & ſecundas intentiones adaptat. Nomine obiecti intelligit intentiones primas; non quia ignoret, eſſe obiectivum dari, quod prima intentio non ſit; ſed quia primæ intentiones abſoluté, & ſimpliciter ſecundum entitatem rei, intellectui obijciuntur, quin ad hoc requiratur officioſa mẽtis comparatio, reſtringens rem, vt vero intellectus actui obijciatur. Nomine modi intelligit intentiones ſecundas, quia iſtæ modificãt primas, involuentes modum, quo illæ debent obijci intellectui, vt non falſificetur denominatio, qua primæ ab intellectu ſunt induendæ: falſificaretur enim ſi puris, nudiſque entitatibus obiectivis à parte rei manerent. Itaque ſicuti prius concipitur obiectum, quam modificans ipſum, ſic, & nomine obiecti explicuit Scotus eſſe intentionale primum, & nomine modi, eſſe intentionale ſecundum.

3 Deinde ex principijs communiter receptis, eſt advertendum, quod tametſi ens ſecundo intentionale intelligatur ens intra ſpheram potentiæ rationis; detur tamen differentia inter entia ſub potentia rationis exiſtentia. Ens igitur rationis poteſt ſumi ſubiectivé, & obiectivé. Subiectivé, actus ipſi intellectus dicuntur entia rationis, quia licet qualitates veræ, & reales ſint, tamen quia earum cauſa materialis, & effectiva, rationalis eſt, entia rationis dicuntur. Ens vero rationis obiectivum dicitur omne illud, quod a parte rei eſt nil, taliter, quod nullum eſſe phyſicum, & reale habeat: ſed quia præciſé potentiæ rationis poteſt eſſe obiectum; ens rationis nuncupatur, ideſt, quod ſolum habet eſſe per rationem.

4 Vlterius inter entia rationis obiectiva reſtat adhuc magna notanda differentia; quia etſi omne ens rationis obiectivum (aiebat Scotus ſupra) vt dicit eſſe extra animam, ſit purum nil, ſed tamen dantur aliqua entia rationis, quorum prædicata ſic contradictorié conbinantur, quod nec intellectus omni ſua potenti vi, ea vnificare valeat; & hoc vocatur ens rationis ſine fundamento obiectum. E cõtra vero dantur alia rationis entia, quæ ſcilicet, etſi extra intellectum non minus, ac alia repugnent; at talibus fundamentis intellectui obijciuntur, quod ei appareat intelligibile, ex eorum prædicatis vnum conflare.

5 His ita ex poſitis, probat Scotus quod de ente rationis cum fundamento poſsit dari intelligibilitas; quia vt aliquid ſaltim à ſcientia rationis ſit attingibile, ſat eſt, quod etſi per rationem, intelligatur eſſe ens, cuius prædicata ſine contradictione vnitatem, & veritatem habeant; ſed huiuſmodi prædicata habent entia rationis cum fundamento; ergo de ente rationis cum fundamento valet dari ſecundo intentionalis intelligibilitas. Minorem probatam (nec non inferius eſt à nobis diffusé probanda) reliquit Scotus *in 1. d.* 33. *q. vn.* §. *vltimo*, vbi ſpecioſam tradit doctrinam dicens, quod licet aliquid repugnet rebus ſine actu intellectus, poteſt tamen intelligi conveniens rebus per actum intellectus, ita vt prædicatum quod vni rei per intellectum repugnat, alteri per intellectum convenire valeat; ergo dantur entia rationis habentia prædicata ſine contradictione intelligibilia. Probat Scotus doctrinã in *Sorte*, cui repugnat vniverſalitas, quæ non repugnat, quod homini intellectivé conveniat. Sed de his exactius agendum eſt.

Pro-

Digitized by Google

6 Probat deinde Doctor Subtilis, entia rationis, quorum prædicata contradictionem inducunt, nullo modo poſſe vnum intelligibile facere: quia id quod neque extra animam, neque intra animam poteſt habere veritatem, nullo modo poteſt habere eſſe intelligibile, ſed ens rationis cum prædicta contradictione, neque intra animam, neque extra animam poteſt habere veritatem; ergo neque eſſe vllo modo intelligibile. Maior videtur certa, minor prob. illud intra animam eſt verum, quod etſi à parte rei non ſit verum, concipitur tamen, vt verum; ſed prædicata prædicti entis rationis adhuc intellectivé, non poſſunt concipi, vt vera; ergo adhuc intra animam poteſt eſſe intelligibile.

7 Probatur minor, in hoc ente rationis, Deus exiſtens, eſt inexiſtens, vbi eſt impoſsibile, quod intellectus concipiat, vt inexiſtens, quod vt exiſtens debet à fortiori concipere; ſed eſſe verum intelligibiliter ſiſtit in hoc, quod ſaltim concipiatur, vt verum, quod tale non eſt, ſicuti eſſe vnum intelligibiliter, ſiſtit in hoc, quod concipiatur, vt vnum, quod extra conceptum, vnum non eſt; ergo cum huiuſmodi entia rationis neque poſsint concipi vnum, neque verum; adhuc intelligibiliter, neque habebunt vnitatem, neque veritatem.

8 Sed dices. quod vt aliquid ſecundo intentionaliter habeat intelligibilem vnitatem ſufficit, quod conſtet prædicatis, quorum vnũ poſsit præcisé dici, ſeu prædicari de alio, ſed nullum eſt prædicatum, quod non poſsit dici de alio; ergo nullum eſt ens, quod intelligibiliter non habeat vnitatem. Prob. minor; quia ſufficit affirmatio, vel negatio ad eſſentiam propoſitionis conſtituendam, ita vt accidat propoſitioni veritas illius, quod affirmatur; ergo cum veritate præciſa, nullum ſit prædicatum, quod non poſsit præcisé affirmari pro alio, nullum erit ens, cuius aliquod prędicatũ non poſsit dici de alio, & ſic vnum ſine intellectus contradictione facere.

9 Reſponderi tamen poteſt pro Doctore Subtili concedendo maiorem, & negando minorem. Verum enim eſt ſufficere, vt aliquod ens habeat intelligibilem vnitatem, quod conſtet prędicatis, quorum aliquod poſsit dici de alio; attamen hoc, quod eſt dici de alio, non eſt vocaliter, aut alio modo imperfecto dicendi; ſed eſt dicere iuxta intellectus aſſeverationem, quam non poteſt formare intellectus cõtra lucem rationis, quam de contradictorio habet, implicans intellectui, quod affirmet aliquid de illo, de quo robuſtior eſt negatio. Quare Doctor Subtilis ſolet dicere, quod non ſolum potentiæ inferiores ſunt ſubditæ viribus obiectorum circa quæ exercentur, ſed etiam ſuperiores; ita vt ſicuti apertis oculis, & illuminato obiecto eſt impoſsibile, quod componat actum contrarium viſiva potentia, ſic aperto iudicio, circa obiectun ratione illuminatum, eſt impoſsibile, quod potentia rationalis actum contrarium eliciat.

10 Ad probationem minoris reſponderi poteſt dicendo, etiam eſſe verum ſufficere ad propoſitionis formam, affirmationem, ita vt ipſi accidat veritas; veritas quidem obiectiva, non autem veritas intelligibilis; hoc eſt, etſi propoſitio non ſit vera, ſufficit, quod vt vera concipiantur eius prędicata, quę veritas non eſt pluſquam intelligibilitas ſine contradictione intelligentis; quare ad propoſitionem logicam potius requiri videtur veracitas, quam veritas; quia vt aliquis poſsit ſine mentali contradictione efficere aliquod vnum per affirmationem, ſufficit, quod concipiat vt ſubiecto nõ repugnans, quod in re eſt repugnans, & è contra ſi concipiat Petrum non eſſe admirabilẽ, non poterit ex admirabilitate, & Petro vnum efficere: ergo ſemper ſalvatur, quod accidat veritas prædicta enti ſecundo intentionali.

11 Deinde reſponderi poteſt aliter dicendo, quod bené compatitur, quod veritas accidat propoſitioni, penès hoc, quod eſt conſtitui primarió per affirmationem, & tamẽ quod nõ poſsi affirmationem exercere intellectus, ſi de veritate contrarium ſuſpicetur. Ratio eſt, quia aliq a, etſi poſteriora, tamen ſunt ſigna, quæ ad derogandum intelligibilitatem priorũ ſufficiunt, ex eo quod cum prioribus ſervent conſequentiam. Sic homo formaliter, & primarió ſuam eſſentiam in animali rationali ſtummodo intellectui manifeſtat; & tamen ſi aliquis in ellectus conciperet de aliquo ente, non eſſe riſibile, aut actũ rugitus experiretur, non affirmaret, quod illud ens erat homo. Sic pariter in prædictis philoſopha.

12 Dices, dari plura impoſsibilia, quorũ quodlibet non eſt pluſquam vnum; ergo iam in ente quamtũvis impoſsibili datur vnitas intelligibilis, ſiquidem intellectus non poteſt ibi percipere pluralitatem. Inſto argumentum dantur plura, quæ non habent unitatem, quorũ quodlibet nõ eſt omnia illa plura; ergo quodlibet omnium non habentium vnitatem, eſt vnum. Hæc, & alia huiuſmodi argumenta, merito cruces ingeniorum vocantur; ſiquidem dum magis contra ea, ratio pugnat, tantò magis intellectus cruciatur.

13 Reſponderi poteſt ex D. Subtili diſtin-

tinguendo antecedens; quorum quodlibet non eſt pluſquam vnum impropriè, conceditur; propriè negatur. Deinde diſtingui poteſt conſequens, datur vnitas ſicuti ens, conceditur; aliter, negatur. Itaque ait Subtilis Dr. *in 1.d.36. q. vnica*, non poſſe negari, quod quodlibet ens habeat paſsiones, ſicuti habet eſſe; quare cū eſſe ſit repugnans, & cum contradictione intellectus, ſic & cum ipſius contradictione debet in ipſo ente intelligere vnitatē. Hoc enim modo, adhuc nil debet eſſe aliquid, cum nil non ſit plura, ſed vnum; ſed tamen cum primum eſſe iſtorum entium inciperet, repugnāte intellectu, ſemper talis repugnantia derivatur in eorum intelligibilitate, & vnitate; ita vt adhuc intelligibiliter non ſint propriè intelligibilia, quod ſuadet Scotus *in quodlib. 3. cum non ſcibile*; dicendo, quod modo, quo in talibus entibus datur vnitas ſcibilis, etiam dari poteſt in non ſcibile; ita vt dicatur, quod non ſcibile eſt ſcibile; & non intelligibile, intelligibile, & non ens, ens, & nō vnum, vnum &c. Eo pacto, quo ſi quis vellet altercare, quod nullum datur nomen, quod non ſignificet, v.g. ſyndapſis, diceret, quod talia nomina ſignificarent, non ſignificare.

14 Sed tamen, quin dictis Scoti contrariemur, reſolvenda eſt quæſtio. Itaque dum percontatur an omne ens ſit ſecundo intentionaliter intelligibile? Poteſt diverſimodè reſponderi. Primum, an ex quibuslibet partibus poſsit intellectus facere vnum, ita vt talis vnitas reſultet ex eo, quod intellectus affirmet, & intelligat, vnam partem poſſe aſſeverari de alia? Hoc modo, indubitabile videtur, quod omne ens intelligibilem vnitatem non habeat, quomodo Subtilis Doctor hucuſque fuit loquutus. Sicuti enim, ſi agens phyſicū non coniungat vnam partem cum alia, nō dabitur vnitas phyſica; ſic ſi agens intellectivum non coniungat vnam partem cum alia non dabitur vnitas intelligibilis: & ſicuti ablata vnione, impropriè partes diſperſæ, vnum diſperſum dicuntur, ſic ablata copulatione partes illæ, vnum impropriè dicentur.

15 Secundum poteſt percontari, an quodlibet ens ſit vnum ſecundo intentionaliter intelligibile, ita vt ſub alijs conſiderationibus poſsit intellectus ex ipſo, ſeu in ipſo ſecundas intentiones logicas fabricare? Hæc reſolutio maius petit examen. Reſponderi poteſt pro nunc affirmativè; quia poteſt intellectus percipere rationem generis in ente rationis, vt ſic, nec nō logicas propoſitiones facere: v.g. chimæra eſt impoſsibilis. Sicque propoſitiones directas conſtruere; v. g. chimera eſt impoſsibile, & indirectas ſic: impoſsibile eſt chimæra. Pari paſſu dividere, prædicare, & notas logicas applicare, v.g. omnis chymæra repugnat; nulla chimæra repugnat, & ſic alia. Sed de his omnibus in quæſtionibus infra ponendis, reſolvetur exactiùs.

QUÆSTIO II.

Quid ſint entia rationis cum fundamento?

16 HÆc, ni fallor, eſt præcipua difficultas inter omnes, quas logici movere ſolent, cum ſit fundamentum omnium vniverſalium, prædicabilium, & reliquorum entium ſecūdo intentionalium. Aliqui enim nil de hoc puncto agunt; ſed illud, vt ſuppoſitum relinquunt. Alij verò difficultatē iam præmeditantes, non ſine gravi fundamento aſſerunt, vel nullum eſſe ens rationis ſine fundamento, vel nullum eſſe ens rationis cum fundamento. Alij denique communiter pro viribus explicant, & defendunt dari ens rationis cum fundamento, quod vocant ens rationis logicum, & vtile, eo quod intellectus illud formet ex neceſsitate, & cōditione ipſius, quia alitèr non poteſt obiecta cognoſcere, fundamento præbente ipſo obiecto: v.g. cognoſcere animal, vt genus, hominem, vt ſpeciem, cōiungere diſtincta, ſeparare cōiuncta &c. Quod ens rationis vocatur vtile, & logicum, ſcilicet, prout ad alias ſcientias comparandas requiſitū.

17 De hoc igitur ente rationis communiter dicitur, quod licet formaliter dependeat ab intellectu, propter quod ens rationis dicitur; quia tamen intellectus excitat illud à fundamento, & virtute rerum, in quibus virtualiter, & radicaliter continetur, ideo ex fundamento poteſt reputari ens reale; reale ſiquidē eius fundamentum eſt; abſolutè verò ens rationis dicitur, quia totum ſuum eſſe formale habet ex comparativa intellectione derivatū.

18 Centrum difficultatis nunc ſtat in explicatione habilitatis prædicti fundamēti. Animal enim eſt à parte rei, genus vero eſt impoſſibile, quod à parte rei ſit; quomodo ergo dabit fundamentum id, quod exiſtit à parte rei, ad eſſendum id, quod eſt impoſsibile, quod à parte rei ſit? Deinde, vt animal efficiatur genus, debet animal, vel concipi, vt poſitivè in multis, vel ſolum in vno? Si concipiatur, vt poſitivè in multis. Contra; quia in tali caſu concipietur animal alitèr, ac eſt in ſe; ergo nō poteſt intellectus applicare ſecundam intentionem generis animali. Si concipiat animal, vt in ſe eſt; quomodo ergo dat fundamentum? Si debeat animal ſolum in vna ſpecie concipi. Contra; quia vt ſupra dicebamus in quæſtione antecedenti, eſt impoſsibile, quod intellectus præ-

præbeat aliquod prædicatum alicui enti, de quo habet conceptum contrarium; ergo non ignorante intellectu, quod animal eſt in vno, eſt adhuc divinitus impoſsibile, quod poſsit erga ipſum, actum contrarium elicere.

19 Reſpondent ferè omnes Scotiſtæ noſtri, quod ad hoc vt intellectus habeat fundamẽtum, vt in talibus naturis ſecundas intentiones logicas conſtruat, ſufficit, quod virtualiter, & radicaliter contineantur in rebus, à quibus intellectus fundamentum aſſumit. Ita etiã noviſsimè Fr. Anton. Groſ. Diſſer. 7. Elucid. 2.

20 Sed contra; quia intelligibiliter contineri aliquid in obiecto diſtincto (quod apud Scotiſtas, & alios eſt contineri virtualiter) nil aliud eſt, quam obiici illud aliquid intellectui in virtute alicuius obiecti excellentioris, quod in intellectu relucet; ſed implicat apud Scotũ, quod ſecundę intentiones ſic contineantur; ergo. Prob. minor *ex 2. d. 1. q. 1. §. quantum ad hoc igitur, verſ. De hoc quod dicit*, vbi Scotus probat, quod aliter lapis continetur in virtute obiecti, in quo relucet, quam ſecundæ intentiones; quia ſi ſecundæ intentiones relucerent in obiectis, non foret magis opus intellectus ſecunda intentio, quam lapidis cognitio. En verba: *Non enim fit intentio ſecunda actù intellecta virtute rei relucentis in memoria, ſicut hic lapis fit intellectus virtute eſſentia divina in eius memoria relucentis.*

21 Deinde *ex 1. d. 3. q. 7. §. hoc non evadit*, vbi impugnat Scotus ſententiam aliquorũ tenentium phantaſma cauſare omnem intellectionem ex eo, quod in tali caſu non poſſet aſsignari, quomodo poſſent cauſari ſecundæ intentiones logicæ, vel relationes rationis; *quia illa dicitur realis intellectio, quæ cauſatur immediatè à re, vel ab ſpecie repreſentante rem in ſe; ergo nulla intellectio cauſabit ſecundas intentiones logicas, vel relationes rationis.* Dat cauſalem Scotus; *quia intellectus nullo actu ſuo poterit conferre obiectum ad aliud*; & meritó eam infert; quia ſi in virtute obiectorum realium relucerent intellectui, non poterat intellectus aliquid contra lucem virtutis ſine cõtradictione formare.

22 Vrgentior ratio eſt; quia primæ intentiones, quæ ſunt fundamenta ſecundarum, vel ipſæ excitant intellectum, vel præciſè ad præſentiam illarum intellectus ſe excitat? Primum ab intrinſeco repugnat; quia motio obiectorum à parte rei exiſtentium debet eſſe naturalis, realis, & propria, vt cõvincitur in omnibus obiectis, à quibus movemur, vt earũ cõformem cognitionem exhibeamus; ergo ab intrinſeco repugnat, quod primæ intẽtiones moveant, & excitent ad ſecundas. Repugnat etiã ſecundum iuxta intentum logicorum; quia licet intellectus plura poſsit ad præſentiam aliquorum excitare; non tamen ſalvatur intentũ dum res præſentes non moveant; quod igitur aliquid rebus applicaret intellectus, ad illud ipſis non moventibus, non poterat ipſas denominare à fundamento deſumpto ab ipſis: ſic licet ad præſentiam nigri excitetur intellectus ad cognitionem albi, nunquam iſta, congruè nigro applicabitur; ergo ſic pariter, dum ad præſentiam entium realium excitetur ad cognitiones rationis. Ad quod tendere videtur Doctor Subtilis *in 1. d. 35. §. contra cõcluſionem, verſ. Prob. 3.* vbi ait: *Relatio autem rationis, & ens reale nil vnum per ſe faciunt*, Dat cauſalem; *quia non poteſt relatio rationis conſequi rem ex natura rei*, id eſt, inferri, ſeu deduci ſecundum quod dicit in ſe.

23 Reſpondent alij inter quos noviſsimè M. Dionyſius *lib. 3. diſt. 9 q. 4. art. 1.* dicendo verum eſſe quamlibet rem à parte rei exigere cognoſci, vt eſt in ſe, tamen ipſã præbet fundamentum, vt aliud cognoſcatur aliter, ac eſt; ſimilitudo enim inter Petrum, & Paulum in ratione hominis exigit cognoſci, vt talis eſt, tamen fundamentum eſt, vt intellectus cognoſcat naturam hominis præciſam, vt vnam, quę tamen à parte rei non eſt vna; nec poteſt homo cognitione adęquata perfectè cognoſci, niſi diſtinguendo eius formalitates, ad quod in obiecto reperit fundamentum diſperſionis formalitatum.

24 Sed neque hæc explicatio ſatisfacit difficultati; quia ſi ipſe fatetur, quod illa ſimilitudo præbet fundamentũ, vt cognoſcatur, vt vna natura, quæ talis à parte rei non eſt; ergo iam fatetur Dionyſius, quod ipſius intellectus percipit talẽ naturã non eſſe vnã à parte rei; ergo & cognoſcit, quod ſimilitudo illa non ſufficit pro vnitate; ergo eſt impoſsibile, quod intellectui præbeatur fundamentum ad aliud, quã ad actũ expreſivũ illius ſimilitudinis, & nõ vlterius; alias ſequi debet, quod intellectus percipit rẽ aliter, ac eſt in ſe, ad quod non poteſt dare in prima intentione fundamentũ; vel quod intellectus nõ poteſt primę intẽtioni applicare aliã formã, quã cõformem obiecto in ſe iuxta realem cognoſcibilitatem, ſcilicet, prout ex obiecto, & intellectiva potentia oritam.

25 Dices; intellectũ nũquã intẽdere ex obiectiva ſimilitudine applicare tali naturæ cõceptũ vnitatis, qui talis ſit à parte rei, ſed ita quod exiſtente fundamento à parte rei, intendat applicare conceptum vnitatis, qui ſit ſolum per intellectum, quod naturæ exiſtenti à par-

Digitized by Google

à parte rei non repugnat; repugnaret tamen ſi talis conceptus vnitatis, intenderetur ab intellectu à parte rei in natura. Ex hoc igitur Dr. Subtilis pluribus in locis, & præcipuè *quod lib. 3. §. de ſecundo articulo*, inferre videtur, quod nulla habitudo, ſive realis, ſive rationis deſtruit illud cui advenit, ſed potius præſupponit, quod patet (ait Scotus) *de intentionibus ſecundis, quæ non deſtruunt rationes intentionum primarum, quibus adveniunt; non ergo deſtruitur illa realitas relationis per hoc, quod eſt comparata.*

26 Sed reverà, etſi iſta veriſimilia ſint, nũquam tamen intellectum quietant. Admitto enim, quod intellectus ſolum per cognitionẽ applicet naturis conceptus ſecundo intentionales; difficultas ſolum ſtat, an intellectus ſine contradictione comprehenſivæ cognitionis, quam habet rerum in ſe, poſsit tales conceptus, vt conformes rebus applicare, quod imperceptibile videtur, vt ex ſupradictis relucet. Solum enim ille conceptus eſt rei conformis, qui habet in ſpecie intelligibiliter, quod habet res in ſe primo intentionaliter; ſed res in ſe ſolum habet vnitatem negativam v.g. ergo dũ in ſpecie habeat vnitatem poſitivam, non poteſt ſine contradictione habere intelligibiliter, quod habet intentionaliter.

27 Deindè, ſupponamus aliquem intellectum exiſtimare, talem naturam eſſe à parte rei poſitivè vnam in omnibus individuis; ſi examinemus contrarios, inveniemus in eorum doctrinis, quod nunquam intellectus habuit ad talem exiſtimationem fundamentum à parte rei in natura; quomodo igitur poterit vnquam dari caſus, in quo rectè fundatus intellectus poſsit ſine contradictione perfectæ cognitionis, conceptum vnitatis poſitivæ tali naturæ applicare? ergo.

28 Deinceps; ſi examinemus omnipotentem vim intellectus creati; inveniemus, quod ipſe ſciat, quod etſi cognoſcere, quod Petrus ſit lapis à parte rei, repugnet; non tamen repugnare, cognoſcere, quod tantum per intellectum poſsit aliquando lapidis conceptus applicare Petro, & ſic ſecunda intentio prædicati: modo ſic, iſte conceptus non eſt deſtructivus primæ intentionis ſubiecti, Petrus enim idem in ſe erit; ergo non eſt motivum cur quæcunque prædicata ex ratione repugnandi intellectivè obiectis, ipſis non poſsint applicari.

29 Dices, quod etſi prædictus conceptus lapideus non ſit deſtructivus primæ intentionis, eſt tamen deſtructivus conceptus formalis primæ intentionis expreſivi. Benè eſt, contra efficaciter; quia etiam ſi conceptus vnitatis poſitivæ non ſit deſtructivus primæ intentionis vnitatis negativæ, eſt tamen deſtructivus conceptus formalis vnitatis negativæ expreſivi; ergo vel duo illi conceptus ſunt cum fundamento æquè applicabiles ſecundo intentionaliter, vel nullus cum fundamento non contradicente applicatur. Idem infer de alijs ſecundis intentionibus, ſcilicet, ſubiecti, prædicati, &c.

ART. I.

QUÆSTIONIS VERISIMILIOR Reſolutio amplectitur, & combinatur.

30 SUbtilis Doctor pluribus in locis vim præfatæ difficultatis ſentiens, rationibus, & paritatibus exornatus illius explicationem accomodavit. Vim igitur difficultatis percepit (præter loca in quibus eſt citatus) *in 2. d. 3. q. 1. §. contra illud arguitur ſic*; & vim perceptam evacuat §. *ad quæſtionem, & §. ſed contra*; nimis ab aliquibus tritis. Deinceps excitat eamdem difficultatem, *quæſt 7. §. qui dicunt*, & eam ſolvit tam in initio §. quam in fine. Sic idem excitat, & exemplificat *quæſtione 6. §. iſta poſitio verſ ſecundus intellectus*. Cũ quibus locis prædictarũ reſpõſionũ perfectior reſolutio debet cõformari.

31 Reſolvo igitur dari ens rationis cum fundamento, cuius ſufficiens habilitas debet ſtare in hoc, quod conceptus rei fundantis non inducat contradictionem cum conceptu rationis in ipſa fundato, & applicato. Eſt expreſſa Doctoris Subtilis, qui in prædictis locis efficaciter reſolvit, quod entia rationis logica debent eſſe conceptus intelligibiles; ſed ſi applicetur aliqua forma rationis obiecto, contradicente cognitione talis obiecti, prædicta applicatio non poteſt eſſe intelligibilis; ergo entia rationis ita debent advenire obiectis, quod in ipſis ſint conceptus intelligibiles. Audi Scotum dicta confirmantem q. 7. citatum: *Qualibet creatura quidditas poteſt intelligi ſub ratione univerſalis abſque contradictione; ſi autem ipſa de ſe eſſet hac, contradictio, eſſet eam intelligere ſub ratione univerſalis, ſicut eſt cõtradictio intelligere eſſentiã divinam ſub ratione univerſali*. Dat cauſalem: *quia ratio intelligendi repugnat omnino ſuo obiecto intellecto, quod eſt intellectum eſſe falſum.* Ad quod tendunt rationes quæſtionis præſentis, ſupra expoſitę.

32 Difficultas nũc ſtat in explicãdo, quomodo intellectus cũ fundamento applicet obiectis formas rationis, quæ ſunt logicæ intentionis; quia ſi intellectus cognoſcat rẽ, ſeu obiectũ, vt eſt in ſe, ille actus nil ſecũdo intẽtionale producit; qui vt ait Scotus ſupra *in q. 3 prima intellectio ẽ naturæ, vt ei ñ cointelligitur,*

Digitized by Google

aliquis modus, ideſt ſecunda intentio. Deinde ex alia parte, ſi intellectus, applicet naturæ ſupra quod eſt in ſe, ſibi contradicit, quare ait Scotus ibi, *quod non poſſet intellectus intelligere ipſam ſub oppoſito, niſi intelligeret obiectum ſuum ſub ratione intelligendi, repugnanti rationi talis obiecti.*

33 Dico igitur, quod intellectus cognoſcit naturam hominis, v.g. ex ſe, neque petere eſſe in Petro, neque repugnare eſſe in Petro; nō petere eſſe in Petro cognoſcit intellectus, quia ſi in eſſentia hominis, cognita ſecundum ſe, cognoſceret Petreitatem, difficile poſſet intellectus hominis eſſentiam ſecundum ſe cognoſcere in non Petro, ſcilicet in Paulo. Deinde, neque repugnare eſſe in Petro, cognoſcit intellectus in hominis eſſentia ſecūdum ſe; quia in tali caſu difficile poſſet cognoſci hominis eſſentia in Petro. Sed de hoc in libro vniverſalium diffusé agemus.

34 Itaqué intellectus cognoſcit in natura illam veluti potentiam neutram, ita vt ipſi quatenus eſt ex ſe, non repugnet eſſe in pluribus, qui conceptus communitatis eſt naturæ à parte rei conveniens; quare ait Scotus *quæſt.* 3. quod communitas convenit naturæ extra intellectum, non autem vniverſalitas, & ſic quærenda eſt cauſa vniverſalitatis, non autem cōmunitatis. Tum igitur intellectus applicat illi naturę ſecundam intentionem vniverſalitatis, quin iſte conceptus rationis, opponatur conceptui naturæ, vt eſt in ſe, etſi iſto conceptu applicetur naturę forma rationis, quam non habet.

35 Ratio eſt; quia id poteſt applicare intellectus naturæ primo intentionali, quod per cognitionem contradicentem nō excludit intentionalem applicationem; ſed dum natura cognoſcitur ſecundum ſe, non cognoſcitur in natura aliquid, per quod excludat eſſe vnam in pluribus; ergo vt intellectus applicet ipſi conceptum vniverſalitatis, non datur cognitio contradicens, & excludens intentionalem applicationem. Suadetur, quia vt intellectus ſine contradictione applicet aliquid alicui enti, quod tale ens in ſe non habet, ſufficit quod intellectus poſsit cognoſcere, quod tali enti non repugnat; ſed in natura illa in ſe cognita cognoſcit intellectus, quod etſi non ſit in pluribus, non tamen tunc in pluribus repugnat eſſe: ergo hoc debet ſufficere, vt intellectus ſine contradictione ſecundam intentionem vniverſalitatis applicet naturæ.

36 Dices: quia natura tunc non excludit ſingularia, poteſt intellectus ſine cōtradictione ipſam ad omnia ſingularia comparare; ergo cum illa natura nullum dicat ſingulare, repugnabit, quod intellectus poſsit eam ad ſingularia comparare. Reſpōdeo concedēdo antecedens, & diſtinguendo conſequens, repugnabit, quod intellectus poſsit eam vniverſalizare, ſi non dicere ſingulari, ſit per poſitivam repugnantiam, concedo; ſi non dicere illa, ſit per neutralitatem, vel ſuſpenſionem, nego. Itaque non repugnat rei, id quod ipſa ſilet, & reticet habere, ſed requiritur amplius, ſcilicet, quod prædicata illud excludere alloquantur; quouſque, fundamentum habet intellectus, vt ipſi det, quod etſi in ſe non habeat, tamen illud habere, non remurmurat.

37 Adaptabuntur omnia ſubtili ratione Scoti, iſta exemplificante: ſumit igitur exemplar ex ſubſtantia materiali, ſic aiens, licet ſubſtantia materialis non ſit ex ſe diviſa in partes eiuſdem rationis; tamen ipſa non eſt de ſe in tales partes indiviſibilis: quia ſi eſſet de ſe indiviſibilis, hoc eſt, ſi repugnaret ei diviſio, nō poſſet recipere quantitatem, qua formaliter dividitur in tales partes: quod patet, nam anima, quæ de ſe eſt indiviſibilis hoc modo, non poteſt recipere quantitatem, ſicut nec partes. Ex quibus advertit Scotus fallaciam ab aliquibus deductam, ſcilicet, non eſt de ſe tale; ergo eſt de ſe non tale, fallacia eſt conſequentis: veré enim ſubſtantia ſecundum aliquam poſitionem, nō eſt habens de ſe partes eiuſdem rationis; & tamen non eſt de ſe non habens partes eiuſdem rationis; & ita natura ſpeciei ſpecialiſsimæ, non eſt de ſe hæc. *Ita D. Subtilis ſupra in quæſt.* 7. *§. iſta poſitio*, in fine.

38 Applicatio, adhuc imperfecté intuenti manifeſta eſt: ſolum addo, quod ſicuti ſubſtantia eſt quid diſsimile quantitati quoad entitatem, ſic ſecundæ intentiones entitativé, vt ita dicam, ſunt alterius conditionis à naturis; quia ſicut entitas ſubſtantiæ, & entitas quantitatis ſunt diſtantis ſphæræ, ſic diſtantis ſpæræ ſunt entitates extra animam exiſtentes, & entitates ſolum exiſtentes intra animam; at, ſicuti in illa neutralitate ſubſtantiæ ſufficit fundamentum agenti per realitatem, vt ſine phyſica contrarietate in ipſa ponat extenſionem realem, quam non habet ipſa; ſic pariter in illa neutralitate primæ intentionis, ſufficit fundamentum agenti per intentionem, vt ſine intelligibili contradictione in ipſa prima intentione ponat vniverſalitatem, ſeu logicam extenſionem, quam à parte rei non habet ipſa.

39 Ex quibus recté infertur, quod in omni ente non contradicente intelligibiliter, licet intellectui ſecundas intentiones logicas applicare, & é contra; quapropter in proprio, in

acci-

accidenti, & ſic in quolibet alio intellecto, vt ſupra, ſecundas intentiones vniverſalitatis, poteſt applicare, & propter idem eas non poterit applicare in natura individua; quia cum intellectio ſingularitatis poſitivé excludat vniverſalitatis intellectionem, cum non poſsit intellectus habere intelligibilem contradictionem, quin naturam ſingularem non intelligat, eſt impoſsibile, quod fiat ab ipſo vniverſalis intelligibiliter. Sic, ſervatis ſervandis, invenit intellectus fundamẽtum in rebus ad applicandum ipſis ſecundas intentiones ſubiecti, & prædicati. Sicuti enim prima cognitio erat naturæ in ſe, quin, vt aiebat Scotus, aliquid ſecundo intentionale cointelligeretur; ſic prima cognitio eſt animalis v.g. quin aliquid ſecundæ intẽtionis cointelligatur; ſolum enim percipitur vita, & ſenſus, quæ ipſi à parte rei, & nullo intellectu conſiderante inſunt. Deinceps ex comparatione animalis ad Petrum v.g. affirmatur, ſeu prædicatur animal de Petro, quę affirmatio, ſeu prædicatio, iam dicit eſſe ſecundo intentionale; licebit tamen intellectui, illud eſſe, talibus obiectis applicare; quia nulla cointelligitur contradictio, ex qua reddatur tale eſſe inintelligibile. Eſt enim intelligibile illud prædicatum de Petro; quia licet Petrus ſolum à conſideratione intellectus habeat ſubjici, ita vt non dicat eſſe ſubiectũ; tamen non invenitur, quod illud excludat; quod (vt ſupra dicebam) ſufficit, vt intellectus ſecundas intẽtiones applicet. E contra, cum ſine intelligibili contradictione non poſsit lapis prædicari de Petro, quia poſitivam repugnãtiam percipit intellectus, hinc eſt, quod ex Petro, & ex lapide non poſsit fieri intelligibiliter aliquod vnum intentionale cum fundamento.

40 Sed dices, quia naturæ ex ſe non repugnat eſſe in pluribus, exhibet fundamentum intellectui, vt eam vniverſalem ſine intelligibili contradictione faciat; ergo cum neque repugnet naturæ ex ſe eſſe in vno, exhibebit fundamentum, vt ſine intelligibili contradictione, eam faciat particularem. Hæc obiectio ad plura amplius explicanda nos excitat. Itaque dico, quod natura ſupra quam derivat intellectus vniverſalitatem, poteſt conſiderari dupliciter. Primò modo poteſt conſiderari, vt eſt tantum natura, quo pacto, ait Scotus, nil amplius cum ipſa cointelligitur; quare nimis advertit Scotus, quod etſi ipſe dixiſſet, quod natura ex ſe ſit communis; non tamen ita, vt ex ly *ex ſe*, debeat inferri, quod dum natura tantum eſt natura, debeat intelligi communitas; ſed ita quod licet in aliquo priori ad communitatem ſit intelligibilis natura, tamen, etſi poſterius, ex ſe habet communitatem, prout ly *ex ſe* dicit habere communitatem extra intellectum. Ita Scotus *in 2. d. 3. q. 1. §. ad quæſt.*

41 Secundo modo poteſt talis natura conſiderari, vt de ſe nec dicit eſſe Petrum, nec ei de ſe repugnat eſſe Paulum, & Petrum, quomodo eſt fundamentaliter communis, teſtante Scoto ſupra §. *ſed contra*, vbi ait: *Eſt ergo in re commune; quod non eſt de ſe hoc, & per conſequens ei de ſe non repugnat eſſe non hoc.* Ex quibus infero pro nunc ad argumentum, quod adhuc admiſſo, quod natura intelligatur vt ex ſe, nec repugnans eſſe in pluribus, neq; repugnans eſſe in vno, & ſic quod poſsit effici particularis (vt Scotus id fateri videtur in reportatis ſupra 2. *ſentent. Diſt. 12. quæſt. 5.* propè finem aiens: *Dico quod non ſequitur; quia eſſe extra, quod eſt naturæ, ſimpliciter eſt indifferens de ſe ad eſſe diminutum, quod habet in intellectu, & ad eſſe hoc, quod habet per ſingularitatem*) nunquam tamen ſequitur aliquod inconveniens, cum nunquam ſequatur, quod ſine contradictione non poſsit eſſe vniverſalis; quod ſuadet exemplum de ſubſtãtia, in qua datur fundamentum ad extenſionẽ, & inextenſionem quantitativam, & idem ſuadetur in quavis potentia neutra ad effectus contrarios. At autem in natura individua, determinatè concipitur repugnantia ad formam ſingularitati contrariam, & idem in prædicatione lapidis invenitur reſpectu Petri; vndè debet inferri, quod nil probat argumentum, adhuc ſic intellecta naturæ communitate, de qua ſpecialia dicam in libro vniverſalium.

42 Sed punctum difficultatis nervoſius attingendo, dices, ſi naturæ ex ſe non repugnat illa forma rationis, ita vt in ipſa natura detur potentia, *etſi neutra*, à parte rei; cur actus intellectus applicans actum vniverſalitatis naturæ, eſt dicendus plus dans rationis, quam actus applicans quodcũque eſſe cognitum naturæ, ſecundum id, quod natura dicit à parte rei? Hæc ſola ponderatio ad ſic eviſcerandum hoc punctum (ferè omnis logicæ fundamentũ) me impulit. Reſolutio huius doctrinæ exploratis, infra eſt de per ſe examinãda, dũ inquiramus, an omnis extrinſeca denominatio ſit relatio rationis? Nec non, an dato, quod rationis ſit relatio, quæ differentia detur inter formas rationis communes, & inter ſpeciales?

43 Sed prout ad præſens attinet. Reſpondeo in primis bené poſſe compati, quod for-

ma

Digitized by Google

ma rationis ſoli huic fundamento reali ſit applicabilis, ita vt applicari ad alterum contradicat, & nilhominus tamen, quod cognoſcatur, talem formam nullatenus eſſe ortam ab illo, cui applicatur, ſed totam ab extrinſecé conſiderante. Nullum aptius inveni exemplar, quam gratiam, & mendatium; formalitas enim, per quam gratia formaliter ſanctificat, eſt diſtinctiſsimæ conditionis ab entitate phyſica, & propria gratiæ, ſiquidem iſta, eſt phyſica, propria, & naturalis; & illa eſt moralis, libera, & à voluntate aliena proveniens; nilhominus tamen, datur in gratia quidam decor, & habilis pulchritudo, vt ſine repugnantia voluntatis divinæ, poſsit illa forma moralis poni in gratia; ita vt licet moralis ſit, & alterius eſſe à gratia, & ipſi ſolum à voluntate conveniens; repugnet tamen voluntati divinæ illam moralitatem ponere in alijs à gratia, ſcilicet, in odio Dei, & in mendatio. Sic pariter forma rationis vniverſalitatis v.g. adæquaté eſt ab actu rationis, quin formaliter oriatur à natura, quod eſſe rationis, etſi alterius diſtantiſſimæ conditionis ſit (quia vt ait Scotus *in 1. d.36. in fine*, eſſe intellectum, eſt contra totũ eſſe reale diſtinctum) attamen datur quædam formoſa habilitas in natura, ex quo oritur quod (vt ait ipſe *in 1.d.28.propè finem*) licet aliquid non conveniat rei, niſi ex opere intellectus, tamen poteſt repugnate rei ex ſe ſine actu intellectus.

44 Sed fateor prædictis, centrum difficultatis me adhuc non tetigiſſe: quare nunc dico, non poſſe negari, quod intellectus, circa naturam vt in ſe eſt tendens, producat etiam illam in eſſe intelligibili; quod Doctor Subtilis fatetur etiam *in 1. d.36 q.vnica, §.concedo conclusionem*, vbi ait, quod ſimiliter intellectus noſter agens producit rem in eſſe intelligibili, licet ſit producta prius, &c. Sed tamen aliqua inveniri poteſt differentia, penés hoc, quod licet intellectus noſter cognoſcens hominem v.g. det eſſe cognitum formaliter, quod non habet; ſed tamen illud eſſe cognitum, non repreſentat pluſquam, quod homo in ſe habet, quod prævidit ſubtiliter Scotus *in 2.d.3.q. 1. §.contra illud*. dicens, quod intellectus conſiderans, non facit generationem eſſe vnivocam, ſed cognoſcit eam eſſe vnivocam.

45 Ex quibus infero, quod intellectus cognoſcens hominem, vt in ſe, nũquam ei diſtinctum eſſe cognitum poteſt dare, ſemper enim debet ipſum, vt animal rationale, cognoſcere; at autem intellectus præbens vniverſalitatem v g. dat homini eſſe cognitum repreſentativum alterius eſſe, quod habet, quia licet in ipſo detur potentia neutra, attamen requiritur, quod intellectus aliquid addat, quia præcisè illius potentiæ cognitio, vt eſt in ſe, non facit vniverſalitatem, eo quod ex illa potentia, non minus inferri poſsit particularitas, quam vniverſalitas. Sic etiam homo nõ minus dicit, poſſe eſſe ſubiectum, quam prædicatum, ex præciſa non repugnantia: ergo eſſe præcisé cognitum rerum in ſe, minus dependet ab intellectu, quam eſſe aliorum, quoad aliquid ſpeciale recipere. Sed perfecta huius controverſiæ reſolutio pendet ab infra dicẽdis in quæſtionibus ſequentibus. Solum noto. pro nunc, quod naturę, vt cognitæ ſecundum ſe, concurrunt cum intellectu, tanquam id cũ quo; at autem, vt iubant ad eſſe logicum, concurrunt tanquam id ſine quo. Idem invenies in Deo, qui concurrit cum gratia, vt id ſine quo ad eſſe moris; & cum alijs cauſis ad effectus phyſicos concurrit cum eis; vt id cum quo.

ART. II.

QUÆSTIONIS VERISIMILIOR REſolutio expenditur erga ens rationis ſine fundamento.

46 REſtabat reſolvi quid dicendum ſit de ente rationis ſine fundamento in contra poſitionem entis rationis cũ fundamento. Circa quod inquiri videtur, an in ente rationis ſine fundamento poſsint ſecũdæ intẽtiones logicæ applicari, eo quod in rebus à parte rei non detur motivum, & ſecundæ intentiones logicæ ſolum applicentur in primis, quæ ſolum ſunt à parte rei motiva?

47 Breviter igitur ab hac difficultate vellem expediri, eo quod eius crucians vis vivacioris ingenij vim plus opprimat, quam fæcũdet. Ad difficultatem ergo deveniens exiſtimo, quod in duplici ſenſu poteſt capi. In primo ſẽſu, an ſuppoſito quod aliquis, etſi ignoranter, exiſtimaret, quod Petrus erat lapis, nec non quod Petro ex ſe non repugnabat eſſe in pluribus, tunc applicaret Petro formam ſubiecti, & formam vniverſalitatis. In ſecundo ſenſu, an percepta repugnantia inter Petrum, & lapidẽ, (quod ens, adhuc intelligibiliter, vt ſupra dicebamus, non erat vnum) poſsit intellectus ſupra ipſum ſecundo intentionalizare.

48 Circa hoc vltimum videant dicta pro tota quæſtione prima huius diſt. & præcipué in fine. Solum videtur eſſe difficultas de ente rationis in prima ſuppoſitione; de quo graviſſimi

Digitized by Google

ſimi Recentiores, inter quos Dionyſius Blaſco, & Noſter Groſſo, eſſe logicum negant; & fateor mihi rationem non diſplicere; aiunt enim, quod fundamentum in obiecto derivatum ex ignorantia intellectus, non pertinet ad ens rationis logicum, ſed ad chymæricum, quia intellectus ſolum ex ignorantia talia figmenta format.

49 Sed reverà inſtat non parvi ponderis ratio, quam ſic formo; id quod intellectus ex ignorantia poteſt auferre, ſeu non dare rei, etiã ex ignorantia poterit rei dare; ſed ignorante intellectu, quod natura hominis eſt ex ſe communis non poteſt ei dare vniverſalitatem; ergo ignorante intellectu, quod Petrus eſt ſingularis, poterit ei dare vniverſalitatem. Verum enim eſt, quod intellectus non aufert ex ignorantia fundamentum reale naturę, ſicutineque ex ignorantia reale fundamentum dat individuos; at autem cum pro tota reſolutione antecedenti dixerimus, quod vniverſalitas omnimodé datur ab intellectu, ita vt fundamenta in rebus ſolum requirantur, vt ſine contradictione intelligibili conceptus contrarij, talem formam rationis intellectus rebus applicet; dũ nulla contradictio adſit intellectui, & aliàs potentiſſimus ſit ad præciſé relationes rationis cuilibet appingere, vt Deo appingit, difficilimum eſt, quod, etſi ex ignorantia fundamenti, ipſi prædictas relationes rationis non applicet, & appingat.

50 Etſi non vellem ſcire, quid ſit prædicatum? Debet reſponderi eſſe illud, quod mediante vnione intentionali dicitur de ſubiecto. Nunc ſic, ſed qui exiſtimet Petrum eſſe lapidem, poterit inter Petrum, & lapidem ponere vnionem intentionalem, imó eſt impoſſibile, quod lapidem nõ faciat prædicatum; ergo vel datur prædicati ſecunda intentio, quæ non eſt logica, vel lapis logicum erit prædicatum. Tã intrinſece enim eſt ex parte obiecti connexus cum homine, ac eſt intrinſecé inconnexus cũ lapide; ſed ſuppoſita tota illa connexione obiectiva, non conſiderata ab intellectu, eſt impoſſibile, quod homo prędicetur de Petro; ergo ſuppoſita omni illa inconnexione non ſic conſiderata, erit non minus impoſſibile, quod lapis, ſeu non eſſe hominis (v. g. Petrus non eſt homo) non prædicetur de Petro.

51 Deinde, ni fallor, poteſt in Dionyſiũ, & alios inſtari nervoſé ex definitione logicæ propoſitionis, dicentes cum Ariſtotele, quod propoſitio eſt Oratio verum, vel falſum ſignificans; ſed in caſu ſupradicto hæc propoſitio, Petrus eſt lapis, eſſet oratio verum, vel falſum ſignificans; ergo. Deinde quia iam quod propoſitionem nõ conſtituant per veritatem, vel falſitatem; ſaltim veritatem, & falſitatem, vel propoſitionis paſſiones, vel connotata faciunt. Nunc ſic, quodlibet ens ſaltim à poſteriori deducitur, vel ex connotatis, vel ex paſſionibus; ergo ſi illud ens rationis ſignificet, & inducat falſitatem, dum falſitatis ſignificatio ſit paſſio entis logici inductiva, non eſt cur illi enti convenire formam logicam, ſtrictè non inferatur. Videtur enim, quod ſolum poteſt propoſitionis definitio, iuxta Philoſophũ adaptari, in caſu prædictorum actuũ, quia vt dixi in prima quæſtione, ſuppoſita, & cognita repugnantia extremorum, eſt impoſſibile, quod intellectus vnum faciat intentionaliter aſſenſum, quod ſit oratio logicé ſignificans.

52 Denique, quia intellectus, & volũtas ſunt principia ab eadem anima æquè in ſua linea rationes agendi eviſcerantia; nec non vnumquodque principium habens ab obiectis propoſitis neceſſariam dependentiam, ita vt ſicut nil poteſt amare voluntas, quin ſit in cognitione intellectus, ſic nil poteſt percipere intellectus, quod non ſit intelligibiliter in obiecto, vel in ſpecie; ſed ad formam perfectam amoris, accidit voluntati, quod non ſit bonum, quod repreſentatur ipſi vt bonum; ergo ad formam perfectam actus intelligentiæ, accidit intellectui, quod non ſit verum, quod ipſi vt verum repreſentatur.

53 Neque multum vrget illud de applicatione ſecundarum intentionum in primis, quę ſemper ſunt à parte rei fundamenta. Ratio eſt præter iam dicta, quia illud ſolum requiritur regulariter; eo quod communiter intellectus ex rebus à parte rei requirat fundamenta, quia cum ſoliditatem habeant, melius quietatur; at autem ſi intellectus quietetur, & ſatisfiat ex rebus ſolum in ipſo habentibus fundamẽtum, & exiſtentiam, non apparet, cur erga talia non poſſit ſecundo intentionalizare. Noto veró, quod in tali caſu prædicta obiecta dicenda ſunt æquivalenter primæ intentiones, eo quod etſi nil à parte rei ſint, tamen habent habilitatem, vt ſupra ipſa applicet intellectus logicas intentiones, veluti ſi quid à parte rei forent; vndé penés comparationem ad ſecundas intentiones, quam ſolum deinceps habent, illud eſſe præcedens ad illas, dici poteſt primo intentionale.

54 Hęc dixi, quin abſoluté aliquid reſolvere audeam; quia etſi in pluribus locis prævidiſſem Scotum, & nil claré poſſit convinci ex ipſo contra dicta; nilhominus tamen, ne inſcius ipſi opponar, aliquam adaptabo rationẽ, vt dictis, quæ de per ſe ſolum contra nos militare

litare videntur, ſatisfiat. Sentio igitur non poſſe negari, quod in prædictis caſibus dentur prædicata, ſubiecta, copulationes, modi particularitatis, &c. Sed tamen non ſunt dicenda ſimpliciter logica. Ratio eſt, quia logica eſt ſcientia, & ſcientia talis debet eſſe ab obiecto demonſtrativé; ſed eſt impoſsibile, quod ex illis entibus falſó exiſtimatis poſsit aliqua ſcientia oriri; ergo eſt impoſsibile quod ex illis perfecté probetur logica. Prob. minor; quia exiſtimante aliquo, quod Petrus eſt lapis, nõ poteſt habere ſcientiam, quin ex illa propoſitione, alia adiuncta deducatur, v.g. quod omnis homo eſt lapis, ſed ex eo quod exiſtimet, quod omnis homo eſt lapis, & quod Petrus eſt homo, nunquam poteſt eſſe ſcientia, quod Petrus ſit lapis; ergo eſt impoſsibile, quod ex entibus falsò exiſtimatis poſsit oriri ſcientia.

55 Suadentur iſta, quia ſcientia ſolum oritur iuxta virtutem productivam actus ſciẽtifici; ſed virtus hæc principiorum ſolum in exiſtimatione eſt talis; ergo actus concluſionis non debet eſſe ſciẽtificus, pluſquam in exiſtimatione; ſed ſcientia in exiſtimatione non eſt ſcientia; quia ſcientia debet eſſe actus habens vim vniverſalem, & actus ille hanc vim non haberet, quia reſpectu intellectus perfecté intuentis obiecta, nil probaret, & principia negarentur quin ipſa, intellectus ex exiſtimatione poſſet probare; ergo non eſt ſcientia.

56 Sed tamen, vt dixi; poſſunt illæ ſecundę intentiones logicæ dici, & illius ſpeciales, ſeu ad logicam ſpectare; eo modo quo hæreticus peſsimé fundatus plura diſcurrit, habens Deum maximum pro objecto; qui actus, etſi ex aliqua veritatis pręciſſa exiſtimatione oriãtur, theologi debent dici, cum nulla falſitas ſit potentior, quam circunſtantia obiecti, quod prædicti actus reſpiciunt, & ex intentione illud directé attingendi. Sed tamen, nil de his pro me abſoluté reſolvo.

57 Noto in fine quod minus quietus manet animus ex prima reſolutione, quam ex iſta; ita vt vix aliquid poſsit dici, quod non poſſit impugnari, ſed in dictis eſt mortificandus diſcurſus, cum negare logicum vniverſale ab intellectu factibile, opponatur rationis vſui, & Scoto.

(·.·)

QUÆSTIO III.

An eſſe obiectivum, ſeu extrinſecè denominans ſit reale, vel rationis?

58 Recondita nimis, adhuc à ſubtilioribus ingenijs debet præſentis difficultatis notitia cenſéri; & præcipué dũ de eſſe generis, & ſpeciei (de quorum eſſe, an ſit rationis minorem notat difficultatem Scotus *quodl.* 3.5. circa ſecundum verſ. de prima relatione, vbi de habitudine, vt præciſé eſt cogniti, ait, *iſta habitudo non eſt ſimpliciter realis, nec tamen eſt ita purè relatio rationis, ſicut eſt illa, quia eſt vniverſalis ad ſingulare*) an ſit reale, vel rationis, ita alta videatur Porphirio difficultas, quod eã prætermittat, aiens ſic apud Tartaretum libro 1. prædicabilium: *Ego Porphirius recuſabo dicere vtrũ ipſa genera, & ſpecies habeant eſſe reale extra intellectum, ſive ſolum habeant eſſe in ſolis nudis, puriſque actibus intellectus, quia hoc negotium eſt altiſsimum, &c.*

59 Quid ergo dicemus, dum nos quæ certiora apparent in maiorem dubitationem ponamus? Inquirimus enim àn ſit reale, vel rationis eſſe paſsivum penès quod obiecta dicũtur cognita, viſa, &c. Pro cuius deciſionis intelligentia eſt advertendum, quod ex eo quod potentiæ intentionales exerceantur, duplex eſſe reſultare, dicitur, activum vnum, paſsivum aliud. Activum dicitur in potentia ab actu ipſius, qui eſt forma, quæ cum intrinſecé recipiatur in potentia, & ſic eam intrinſecé exerceat, communicat, & derivat in potentiam eſſe intentionale activum, ratione cuius actus tendit extrinſecé in obiectum; ſeu extrinſecé terminatur ad illud, ex qua extrinſeca terminatione ad obiectum, cenſent quam plures, actum eſſe extrinſecam formam obiecti, & illi præbere eſſe viſum, eſſe cognitum, &c. quod eſt illud aliud eſſe intentionale paſsivum.

60 Difficultas igitur quæſtionis eſt, an forma vitalis intrinſecé communicans potentiæ, & præbens illi eſſe intentionale activum, poſſit extrinſecé figi in obiecto, vel termino, hoc eſt illi adherere, & inſimul eſſe paſsivum extrinſecum à parte rei tribuere. Circa quod quam plurimi Recentiores ſequentes *Suarez. dp. vlt. Metaph. ſec. 2. num.* 50. aiunt præfatum eſſe, extrinſecé denominare à parte rei. E contra alij deffendunt, omnes denominationes extrinſecas, non ſolum, quæ proveniunt ab actu rationis, ſed etiam à quacumque alia forma, vt parietem eſſe viſum, columnam eſſe

dex-

dexteram, eſſe entia rationis. Ita Duran. *in 1. d. 19. q. 5. & 6.* Vazquez *1. p. dp. 15. num. 13. & dp. 115. num. 2. & 1. 2. dp. 9. 5. c. 10.* Noſter Groſſo *diſſert. 7. elucid. 3. & 4.* & noviſſimé eos ſequi videtur Doctoris Reſoluti Commentator *lib. 3. diſt. 9. q. 2. art. 1. num. 18. & 19.*

61 De hoc difficillimo puncto, cupidus reſolutionis ſubtili textui conformioris, ſine affectatione dico, pluries mentem ſubtilem examinaſſe, & licet abſoluté teneat omnem comparationem eſſe cointelligẽdam cum forma rationis, difficultér tamen poteſt inferri, quòd ad omnes denominationes ſit neceſſaria, vt præſens quæſtio intendit; tameſi non poſsim negare, quod iuxta ſecuras illationes, propenſiùs videatur favere Auctoribus pro ſecunda opinione, quam propria.

62 Qui de hoc vellit eſſe conſcius, videat Scotum *in 1. d. 3. q. 7. §. hoc non evadis, verſ. confirmatur*, & in duobus ſequentibus, *& verſ. iſtarum ſex rationum, propé finem, & d. 35. q. vnic. §. contra concluſionem, & § poteſt dici, & d. 36. §. adprimum dico, vſque ad §. ad primum principale, & in §. ad primum principale, videatur in fine.* Itaetiam *diſt. 23. §. contra iſtud, & §. item arguo. & in 4. diſt. 1. q. 5. §. vltimo.* Præcipué tamen videatur *in quodlib. 13.* per totum, ſpecialiter, *§. circa ſecundum. verſ. in ſpecili autem videtur*, vſque *ad §. nunc tertio.* Et alijs in locis, in quibus infra eſt citandus.

63 Ante reſolutionem quæſtionis eſt advertẽdum, quod datur duplex eſſe in obiectis, primum eſſe datur in illis fundamentaliter, & virtualiter; ſecundum vero formaliter, & actualiter. Eſſe fundamentaliter, adhuc eſt diſtinguendum in fundamentale remotum, & in fundamentale proximum: eſſe fundamentale remotum dicitur illa capacitas, quam habet quodlibet ens, quod poteſt eſſe potentiæ vitalis obiectum, quæ in obiecto viſibili dicitur viſibilitas, & in cognoſcibili cognoſcibilitas &c. eſſe obiectivum fundamentale, & virtuale proximum, eſt terminatio actus ad obiectũ. Denique apud Auctores ſecundæ opinionis, eſſe formale, & actuale in obiectis, derivatur per actum comparativum intellectus dantem obiecto aliquam formam, ſeu illam vniente, vt poſsit formaliter denominari, quæ vnio eſt relatio rationis.

64 Tota igitur controverſia ſiſtit in hoc, quod habitudo ad aliud, cum non ponat in termino habitudinis aliquid inhærens, cum nõ ſit in illo, ſed ad illum, debet concipi in illo, vt denominetur; qui conceptus, & denominatio eſt rationis: è contra ſecundæ ſententiæ Doctores dicunt, debere concipi formas denominantes, vt receptas in potentijs, terminatas tamen ad rem, quod ſufficit, vt extrinſecé denominetur, ita vt ſuperfluat rationis recurſus.

ART. UN.

PROPONITUR QUÆSTIONIS Reſolutio, & probabiliſsima amplectitur.

65 IN hac quæſtionis controverſia ſolũ poſſumus timere, ne cum rationum abundanti examine in quæſtionem nominis incidamus, & præſertim, dum propé ſit*, quod denominationis eſt quæſitum. Reſolvi tamen poteſt, probabilius eſſe iuxta Doctorem Subtilem, quod ex terminatione actus ad obiectum, non denominatur à parte rei obiectum, neque illi eſſe paſsivum communicatur. Suadetur 1. ex Doctore *in quodlib. 13.* Art. 2. formando hinc argumentum ex rationibus ibi derelictis: non poteſt denominatio veriùs habere eſſe, quam terminus, quem denominat, ſed terminus, quem denominat non requirit habere eſſe reale actù; ergo denominatio actù realis non poteſt eſſe. Prob. maior, quia ſicuti, ſervatis ſervandis, datur in termino cognito denominatio extrinſeca cogniti, ſic & in termino producto datur extrinſeca denominatio producti; ſed eſt impoſsibile, quod extrinſecum eſſe denominationis producti, ſit actù, & realis, quin actù, & realis ſit eſſe termini, quem denominat; ergo eſt impoſsibile quod in cognito, & in quovis alio denominato, denominatio habeat verius eſſe, quam terminus, quem denominat. Minor prob. nunc, quia cognitio ſolum denominat prout terminatur ad aliquid; ſed cognitio poteſt non minus terminari ad actù nil; ergo terminus, quem denominat, poteſt non habere eſſe reale actù. Minor videtur certa, quia cognitio non minus extrinſecé terminatur ad obiectum impoſsibile, quam ad poſsibile; ergo poteſt non minus terminari ad actù nil.

H Dices

66 Dices verum eſſe, quod cognitio non minus terminatur ad nil, quam ad aliquid, & ad impoſsibile, quam ad poſsibile, ita vt ad hoc vt poſsibile, & quodvis exiſtens denominetur cognitum, viſum &c. penes habere in ſe aliquid, tantum diſtet à forma denominante, quantum diſtet magis impoſsibile; ſed tamen cum extrinſecé denominari, non requirat formam recipere, ſed formam ad obiectum terminari, non requiritur, quod denominatum habeat verius eſſe, quam denominatio.

67 Si inſtetur, quod ſicuti forma intrinſeca denominat intrinſecé, quia intrinſecum eſſe poni in ſubiecto, ſic debet dum denominat extrinſecé, extrinſecum eſſe poni in obiecto; ergo ſicuti ens intrinſecé denominatum non poteſt non habere eſſe intrinſecum in ſe, neque ens extrinſecé denominatum poterit nō habere eſſe extrinſecum in ſe; ac proinde eſſe extrinſecum reale, poterit eſſe actu in ente, nullum eſſe reale neque in actu, neque in potentia habente; & etiam cum ab æterno Deus lapidem cognovisſet, aliquod eſſe reale creatum fuiſſet, imó quin ab æterno nō eſſe poſſet, & ſic ſi inferantur alia.

68 Dicent in primis ſuppoſitum antecedentis eſſe falſum, firmiter ſtantes in hoc, quod extrinſecé denominare, & eſſe extrinſecum ponere indenominato involuit contradictionem; quia eo ipſo, quod aliquod eſſe ponatur, iam denominatio debet eſſe intrinſeca; non enim in hoc datur medium: hinc enim non dicitur forma intrinſeca, quia intrinſecé conveniat ſubiecto, ſed quia denominatio cōmunicatur ſubiecto à forma, quę habet eſſe in ipſo; vnde, etſi forma ſit accidens, vel quodcumque eſſe, quamtumvis extrinſecum Petro, v. g. intrinſeca erit denominatio, eſto denominetur Petrus ex eſſe habito, & poſito in ipſo.

69 Ex quibus dicent, é contra eſſe diſcurrendum, ſcilicet, quod ſicuti denominatur intrinſecé, quod in ſe habet denominandi principium; ſic tunc aliquid extrinſecé denominabitur intra eamdem lineam denominationis, quando non in ſe, ſed ad ſe denominandi principium habeatur. Itaque ex eo, quod lapis ſit ab æterno cognitus, & alter Deus negatus, etſi extrinſecé denominetur vnus cognitus, & alter negatus, nunquam ſequitur, quod aliquod eſſe reale ſit ab æterno extra Deum, cum nullum eſſe reale quamtumvis extrinſecum, ſit in lapide cognito, & in Deo negato.

70 Iſtę ſunt ſublimioris examinis expoſitiones, propter quas in initio reſolutionis dixi, timidum inchoaſſe quæſtionem, cum plus in nomine, quam in realitate laboret: Sed tamen vt pro vna, vel altera parte difficultas melius eviſceretur, arguo ſic: prædictæ denominationes extrinſecæ cogniti, alterius Dei negati, parietis viſi, &c. vel ſunt aliquid, vel ſunt nil? Si ſunt nil, bene eſt: ergo eſſe obiectivum, nil eſt. Si ſunt aliquid: inquiro amplius; aut quod ſunt, eſt aliquid reale, vel rationis? Si ſit aliquid rationis: habeo intentum. Si ſunt aliquid reale: inquiro amplius, illud eſſe reale alicubi eſt, & præcipuè dum accidens ſit. Si dicas, quod eſt in potentia viſiva: contra; quia non minus repugnat, quod in vidente ſit denominatio viſi, quam quod in viſo ſit denominatio videntis, cum æquè ſit incapax oculus eſſendi viſus, ac ſit paries eſſendi videns. Si dicas, quod eſt in viſo; omnes præfatæ inſtantiæ vigoroſius vrgent.

71 Dices, quod denominatio extrinſeca viſi, nil aliud eſt, quam ipſamet forma videndi, prout eſt ad parietem, & ſic non habet ſuum eſſe in pariete, ſed ad parietem. Contra, ſemper inſtat difficultas; quia denominatio viſi, quomodocunque capiatur, habet eſſe reale viſi; ergo non poteſt eſſe viſio, prout eſt ad parietem. Prob. conſequentia, quia adhuc viſio, vt reſpicit parietem, non poteſt eſſe viſa; ergo adhuc ſic non poteſt eſſe extrinſecum illud eſſe. Prob. antecedens, etiamſi eſſe creaturæ ſit totum in ordine ad Deum, nil tamen eius poteſt eſſe aliquid Dei; neque etiamſi totum eſſe generantis ſit ad filium, nil tamen generantis eſt aliquid filij: ergo etiamſi totum eſſe viſionis ſit ad viſum, nil tamen viſionis poterit eſſe aliquid viſi, & conſequenter in hoc concreto viſo, imperceptibile videtur, quomodo aliquid viſionis ingrediatur.

72 Contra 2. quia quocunque modo ſit, vel illud eſſe reale denominationis eſt diſtinctum ab eſſe intrinſecæ denominationis, vel non eſt diſtinctum? Si non eſt diſtinctum: ergo non datur à parte rei eſſe extrinſecè denominans, & conſequenter, neque denominatio extrinſeca. Si eſt diſtinctum; vel eſt intra formam viſionis, & potentiam viſivam, vel eſt extra? Si eſt intra: infero, quod eſſe viſum reale eſt in viſione, & ſic infero, quæ ſupra. Si eſt extra: ergo aliquod eſſe reale eſt actu extra

vir-

virtutem cauſę; ergo aliquod eſſe reale fuit de facto ab æterno extra Deum,& ſic ſemper infero alia,quæ ſupra.

73 Contra 3; quia ex hoc ſequeretur, quod denominatio intrinſeca, & extrinſeca ſolum diſtinguerentur penés vocem activam, vel paſsivam. Prob. conſequentia, quia obiectum eſſe cognitum (dicebatis ſupra) nil paſſivum dicit in obiecto, ſed ſolum ſignificat cognitionem terminari ad obiectũ; ergo cognitionem cognoſcere obiectum, & obiectum cognoſci à cognitione,ſolum diſtinguuntur penés modum loquendi iuxta diviſionem vocis grammaticalis in activam, & paſsivam; quod rectè notavit Doctor Subtilis *quodlib. 13. art. 3. verſ. ad iſta, ad primum operatio, &c.* Idem innuere videtur paulò poſt *in verſ. ad ſecundum poteſt dici, &c.*

74 Dicent alij bene poſſe compati, quod eſſe denominationis extrinſecæ ſit extra eſſe formæ intrinſecæ,& tamen tale eſſe non ineſſe in termino, ſed adeſſe ad terminum, quod valdè diverſum eſt: ſic probabiliter deffendunt aliqui, & noviſsimé Dionyſius in ſuo hortulo philoſophico, quod vnio partium integraliũ, in nullo extremo recipitur, neque ineſt, ſed ſolum vtrique adeſt;ergo cum adeſſe ſufficiat pro denominantibus extrinſecé,& deinceps ad eſſe termino,non videatur exprimere,pluſquã *eſſe ad terminum*,bene poterit compati denominatio, quin eius extrinſecum eſſe in aliquo inſ t.

75 Sed contra;quia licet ſalvetur, quod denominet illud extrinſecum eſſe, quin ſit indenominato, nunquam tamen ſalvatur, quod aliquod aſſe reale extrinſecum potuerit non eſſe extra Deum ſemper. Contra deinde; quia vt in exemplo vnionis integralis dicebatis,adhęrentia vnionis non tollit dependentiam ab illis,ad quæ adhæret; ergo cum inconveniat, quod actualis dependentia auferatur per in exiſtens ſubiectum, inconveniet, quod lapidi inexiſtenti, adſit aliquid exiſtens. Suadetur, quia licet prædicta vnio ſolum ad hæreat extremis, repugnat, quod vnio ſit actualis, & quod extrema ſint poſsibilia; ergo ſic pariter repugnabit eſſe denominans actuale,dum terminus, neque actualis, neque forté poſsibilis ſit. Contra etiam, quia illud eſſe paſsivum adhærens, inter duo invenitur; ergo vtrique adhæret, & ſic eſſe viſum non minus adhærebit oculo, quam parieti. Si parieti adhęret,& oculo inhæret,inferuntur ſuperiora inconvenientia.

76 Dicent alij excitati ex doctrina,quam eleganter movet Scotus *in 1. d. 36 q. vnica in prologo ad quæſtionem,& in §. concedo conclusionẽ*, & vberius *in §. ad primũ dico, &c.* per totum; ſed præcipué videatur in fine, quia ibi de medio attingit quæſtionem; dicent igitur, quod etſi ex eo,quod lapis, v.g. ſit cognitus ab æterno, reſultet aliquod eſſe cogniti; tamen tale eſſe actù,non inconvenit. quod denominet ens, quoad eſſe ſimpliciter, carens actu.

77 Primum fundamentum eſt; quia licet denominari actù,quod actù non eſt, videatur contradicere, non tamen quando actuale eſſe denominationis, eſt in tali linea, quod ex cõparatione ad principium formale, & primarium talis denominationis,excepta exiſtentia; & eſſentia in illa linea,potius diminuatur eſſe actu, quam ad eſſe ſimpliciter reducatur. Sic ad propoſitum ait Scotus, homerus eſt in opinione, Cæſar eſt in repreſẽtatione ſtatuæ,&c. licet ſimpliciter poſsit dici, quod eſſe opinatũ habet Homerus, & eſſe repreſentatum habet Cęſar, Cæſare inexiſtente, vel aniquilato; tamen huiuſmodi eſſe non repugnat in illis; quia eo ipſo,quod eſſe Homeri comparetur ad opinionem, in qua eſt, minuitur; quia etſi ſequatur,quod Homerus habet eſſe opinatum,nõ tamen ſequitur, quod Homerus ſit; non enim valet, Homerus exiſtit in opinione; ergo exiſtit Homerus.

78 Sic pariter,quod eſſe actù cognitum habeat poſsibile,ex eo,quod Deus poſsibile cognoviſſet, nulla ſequitur actualitas,quæ maiori poſsibilitati non proportionetur, & cuius denominationis non ſit quodlibet obiectum idoneum,ita vt nulla ſequatur repugnantia ex eo,quod tales denominationes ſint actù in entibus, in alia linea in potentia; & ſic neque ſequitur repugnantia ex eo, quod talia eſſe ſint ab æterno; quia cum huiuſmodi eſſe ex comparatione ad ſphæram eſſendi minuantur cõtra totam rationem eſſendi, & exiſtendi ſimpliciter,taliter quod à ſphæra eſſendi ſimpliciter non removeantur; hinc eſt, quod ſic actù denominari non inconveniat; quia eſſe actù cognitum,non eſt eſſe, neque eſt eſſe, eſſe actù viſum, &c.

79 Confirmabis doctrinam ex Subtili Doctore (& eſt ſecundum fundamentum) quia intellectus quilibet habet vim productivam in eſſe intelligibili: nunc ſic: non minus repugnat, quod ens tam exiſtens, & productum actù, habeat compatibiliter adhuc actù eſſe producibile, quam quod ens ſine exiſtentia, & ſine vlla productione, poſsit ſecum habere compatibiliter eſſe actù productum; ſed quilibet intellectus ſẽ actù productã,

Digitized by Google

poteſt adhuc intelligibiliter producere, quin opponatur cum eſſe actù productam, eſſe realiter actù intellectam; ergo & quilibet intellectus rem actù non productam poterit intelligibiliter actù producere, quin opponatur cum non eſſe actù productam, habere eſſe actù intellectam. En eſſe diminutum toties vociferatum. Ex quibus inferent quod eſſe à parte rei viſum, cognitum, repreſentatum aſsimilatũ, relatum &c. non repugnat.

80 Sed tamen, neque iſta pluſquam apparenter, prout intendimus, ſatisfaciunt. Inſto ſic: huiuſmodi eſſe non repugnat figi in terminis, quia comparatione diminuitur, etſi ſimpliciter, ſeu in alia linea nil tale eſſe ſit; ergo ſimiliter cum eſſe activé denominans comparatione minuatur, non requiretur, quod ſubiecta in alia linea ſint, vt ipſis figatur. Quod eſſe activum debeat comparatione minui probatur; quia ſicuti eſſe cognitum, non dicit abſoluté eſſe, nec eſſe actù productum, dicit pluſquam intelligibiliter; ſic eſſe cognoſcentis, & eſſe intellectus agentis, ſeu operantis, non dicit abſoluté eſſe, nequé abſolute obiectũ producere, ſed ſolum, vt intelligentis; ergo ſicuti eſſe ex comparatione ad cognitum minuitur, & eſſe ex comparatione ad cognoſcens minuetur.

81 Dices quod eſſe cognoſcentis eſt eſſe rei vitam habentis, at autem eſſe rei cognitæ, non ſic; quare iſtud non requirit eſſe pluſquam diminuté; ſin autem aliud ſimpliciter eſſe requirit. Sed contra inſurgo ſic; quia eſſe cognitionis eſt eſſe actuale vitæ, requirit in ente viventis exiſtentiam; ergo cum eſſe actuale cogniti, ſit ſaltim eſſe reale actuale, requiret in ente, entis realis exiſtentiam. Deinde, quid dicent ad eſſe reale ſtatuæ repreſentantis, quod non minus, comparationem invitur, ac eſſe repreſentatum?

82 Qua propter rectiſsimé ait Scotus §. *ad primum principale* in fine, quod ex eo quod res fuerit intellecta ſemper, non ſequitur, ergo res fuit in aliquo eſſe reali, notans hinc dari fallaciam ſecundum quid ad ſimpliciter. Et ratio eſt, quia eo ipſo, quod aliqua res ſit in eſſe reali producta, & actum a parte rei habeat, iam nulla poteſt dari comparatio minuens, quia ſupra eſſe reale, nullum eſſe poteſt ſimpliciter dari; ita vt ſi aliquid realiter ſit, non poſsit ex adiuncta forma minui, pluſquam quodlibet aliud minui valeat. Hoc clariſsimé convincitur in ipſa cognitione producta per dictionem ab intellectu; cognitionis enim eſſe, eſt tam abſolutum eſt, quam quodlibet aliud à Deo productum; & hoc non aliunde, niſi quia etſi eſſe cognitionis ſit, tamen habet eſſe reale, exiſtens, & extra cauſam; ita vt non minus reſtringatur per eſſe cognitionis, quam quævis creatura per eſſe effectionis; ergo ſi eſſe cogniti, viſi &c. foret reale, & extra cauſam à parte rei exiſtens, nulla comparatio ipſum poterat reſtringere.

83 Ex quibus melius inferes, quod eo ipſo, quod præfatæ eſſentitates ſint actiui, nullatenus habent eſſe reale in terminis, ſed tantummodo rationis. Addo quod ſi eſſe paſsivé viſum, & cognitum foret reale, difficile poſſet impugnari, qui pro libito vellet dicere, quod paſsivè vivebant entia in quibus figebantur.

SVBART. VN.

EX DICTIS VLTERIUS AMPLIAtur reſolutio.

84 SUppoſito iam, quod ex terminatione actus ad obiectum, nullum detur eſſe paſſivum, per quod obiectum maneat à parte rei denominatum, reſolvendũ venit, an aliqua relatio vnitiva requiratur inter illud eſſe paſsivum, & obiectum, vt à parte rei illud eſſe paſsivo, obiectum denominetur viſum, cognitum &c.

85 Vndé advertendum eſt, quod hinc ex dictis non dubitamus, an talis vnio ſit realis; quia præterquam quod contrarium propugnare volumus, ſequeretur, quod ſi mediante vnione reali obiectum haberet eſſe viſum v.g. mutua daretur coexigentia vnionum, ſicuti mutua datur denominationũ. Suadetur, quia ſemper, & quando datur mutua coexigentia denominationum relativé inductarum in vtroque extremo, eſt danda relatio; ergo ſẽper, & quando detur mutua coexigentia denominationum in vtroque extremo, eſt danda vnio; ergo ſi mutua coexigentia denominationum foret à parte rei, mutua coexigẽtia vnionum à parte rei foret etiam; ſed hoc repugnare videtur, cum relatio paſsivi non ſit realis; quia, vt ſubtiliter innuebat Scotus, eodem modo coexigitur extremum, quod non eſt actù aliquid reale, ac coexigitur, quod tale actù realiter eſt, & extremum, quod actù non eſt ens reale, realem relationem non poteſt inducere; ergo neque tale extremum illud eſſe paſſivum ex attingentia, ſeu ex vnione reali non poterit habere.

86 Neque hinc valet dicere, quod vt mutua detur denominationum, & relationum coexigentia, non requiritur coexigentia vnionum, vt patet in compoſito phyſico, in quo ma-

Digitized by Google

materia denominatur vnita formæ, & forma materiæ, quin duplex vnio exigatur. Non enim valet, quia præterquam quod non minor ibi reſtat difficultas, diſpar eſt ratio, ex eo, quod nimis ſuppleat, formam, & terminum eſſe receptum in materia, & phyſica potentia, tamen ſi intra formam, ſeu terminum non ſit recepta vnio; at autem paries v. g. qui eſt terminus viſionis, neque eſt intra viſionem, neque vnio aliqua eſt intra parietem. Si dicas, puram terminationem ſufficere, nil aliud huc vſque impugnavimus; præterquam quod, etſi paries foret terminus viſionis, imperceptibile videtur, quomodo poſsit dari vnio realis ab oculo vſque ad parietem, ita vt attingatur à termino realiter, & à parte rei. Hisita.

87 Reſolvendum firmiter venit, quod eſſe intentionale, ſeu obiectivum, ex ſuppoſitione quod debeat haberi, & communicari, debet actù, & formaliter communicari obiecto per actum intellectus comparatem eſſe extrinſecum formæ cum obiecto. Ita Scotus *quodlib. 13. §. circa ſecundum. verſ. in ſpeciali autem videtur*, vbi loquendo de relationibus actus od obiectum ait: *alia poteſt dici relatio vnientis formaliter in ratione medij ad terminum: & iſta relatio medij vnientis, ſpecialiori nomine poteſt dici relatio attingentis alterius, vt termini, &c.* Sed hanc relationem attingentiæ, & vnionis vocat relationem rationis; ergo medium ad denominandum obiectivé terminum eſt actus ille, ex quo huiuſmodi relatio derivatur. Prob. minor ex verſ. ſecundus actus, vbi expreſsé relationem attingentiæ, vocat *relationem rationis actualem*. Quę omnia infra eviſcerabuntur exacté.

PRINCIPALIA ARGUMENTA SOLvuntur, quoad eſſe obiectivi ſpeciale quæſitum.

88 Objicies 1. verbum puré terminando vnionem dicitur, & eſt vnitum; ergo & paries puré terminando viſionem dicetur, & erit viſus. Hoc argumentum, ſi vim tradit, eſt non minus à contrariis enervanda. Inſto eam ſic: verbum divinum puré terminando vnionem eſt, & denominatur intrinſecé vnitum; ergo, & paries puré terminando viſionem erit, & denominabitur intrinſecé viſus.

89 Argumento reſpondet Groſſo, quod vt Deus denominetur, ſufficit, quod aliquid puré terminet, cum receptionis ſit incapax; at vero quando in aliqua creatura reſultat denominatio, debet in ipſo denominato aliquid eſſe paſsivum involuere. Hæc ſolutio, præterquam quod cauſalem nõ explicat, inſtari poteſt. Primo, quia ex eo, quod Deus ſit receptionis vnionis incapax, ſolum terminando vnionem dicitur vnitus; ergo cum paries non minus incapax ſit receptionis viſionis, ſolum terminando viſionem, dicetur viſus. Secundo, quia, etſi communiter prædictam ſolutionem audierim, nunquam Deo perfectionem adſtruere exiſtimavi. Ratio eſt, quia, etſi ſumma perfectio Dei ſit, nil intra ſe habere de his, quæ ſunt extra Deitatem, nulla tamen Dei perfectio videtur, quod ex pura terminatione denominetur formis creatis: denominari enim ex creatis, quin alijs egeat, ſignum videtur maioris affinitatis cum defectibilibus, & imperfectis, quam ſit ipſorum defectibilium affinitas. Maior enim foret Dei perfectio, quod quo magis affinis, & mixtus creaturis, nullam adhuc ipſarum afferret denominationem.

90 Reſponderi tamen poteſt ad argumentum, negando antecedens, quia ſi rigoroſe loquendum ſit, plus habet verbum, quam puré terminare, verbum ſiquidem in humanitate recipitur; & aliquid recipi, vbi recipitur vnio, plusquam puram terminationem exprimit, quoad vim ſtrictioris vicinitatis. Suadetur, quia ſi paries nunc terminans viſionem, reciperetur, vbi viſio recipitur, aliquid ſupra puram terminationem adderet; nec non foret intimior; ergo in alio recipi, virtute vnionis, plus dicit, quam puré terminare. Notanter dixi eſſe in alio in virtute phyſice vnionis, quia nulla alia tentio non ſic habet vim denominandi in linea vnitiva, vt patet in Deo per immenſitatem in humanitatem immerſo.

91 Objicies 2. non repugnat, imó de facto, paries v. g. aliquid cauſat, ſcilicet, ſpeciem ſenſibilem, in potentia viſiva; ergo neque repugnabit, quod potentia viſiva cauſet in pariete aliquid extrinſecum. Reſpondebis non tenere paritatem, quia ſi potentia viſiva aliquid cauſaret, medium per quod tranſiret, denominaretur videns. Sed contra, quia etſi ſpecies cauſata ab obiecto tranſeat per mediũ, ipſum tamen non relinquet aptum ad activé videndum, quia talis proximæ potentiæ eſt incapax; ergo ſi aliquid emmiſſum à potentia viſiva tranſiret per medium, neque iſtud, neque parietem denominaret videntem, quia iſtius denominationis eſſet incapax. Vnde ſolũ denominaretur paries extrinſecé viſus, quod nil inconvenire videtur.

92 Reſponderi tamen poteſt diſtinguendo antecedens; paries cauſat aliquid effectivé, cõcedo; in genere cauſæ formalis, nego. Et diſtinguo conſequens, non repugnabit, quod po-

potentia viſiva cauſet aliquid in pariete, ſi ageret tranſeunter, tranſeat; ſi immanenter, negatur. Itaque dico, quod potentia viſiva ab intrinſeco eſt immanens: & vt recté ait Scotus *in 1.d.3.q.6.§. hic ſunt*, operationes immanentes ſunt vltimi termini, vltra quos nil accipit eſſe; at autem non ſic obiectum eſt principium immanens reſpectu ſpeciei cauſatæ: aliàs potius in ipſo, quam in oculo exiſteret ſpecies. Vnde viſio intelligitur, vt forma, & ſic ſolum in genere cauſæ formalis denominat, & influit; ergo non aliquid producendo, ſed ſe communicando debet denominare; ſicut, & ſic ſe communicando potentiæ viſivæ, ipſam denominat.

93 Nec valet dicere, quod viſio recipitur in potentia viſiva, & in ſpecie, quæ etiam eſt viſionis cauſa; igitur cum ſpecies ſit aliquid obiecti, illa receptio ſufficiet, vt obiectum ſecundum aliquid denominetur, extrinſecé ſcilicet. Non enim valet, quia eo modo, quo aliquid eſt obiecti, nil iuvat, cum potius ſit aliquid ab obiecto, quam aliquid obiecti, quod diſtinctum eſt, vt patet in Filio, dum eſt à Patre aliquid. Deinde, quia vt prævidit Scotus ſupra *in q 7.§. ad argumenta opinionum, in fine*, nnn opportet actionem proprié dictam manere in ſua cauſa totali, ſed ſufficit, quod maneat in ſua cauſa partiali.

94 Objicies 3 vt talia obiecta ſint formaliter denominata in linea viſi, cogniti &c. requiritur, quod ſint comparata; ſed comparatio nil proficit, vt cognita, vel viſſa denominentur; ergo. Prob. minor, quia obiectum nō eſt formaliter, & paſsivé comparatum; ergo comparatio nil proficit, vt viſſa, vel cognita denominentur. Prob. antecedens, quia ex eo per terminationem viſionis ad obiectum, nil paſsivum viſionis ponitur in obiecto, quia actus ille ſolum terminatur ad obiectum; ſed actus directus comparans vnum obiectum cum alio, nil dicit præter directam terminationem ſui ad obiectum; ergo obiectum non erit formaliter, & paſsivé comparatum, cum nil paſſivum formaliter ponatur in illo. Nunc prob. conſequentia illius enthymematis: comparatio requiritur, vt obiecta denominentur viſſa v.g; ergo cum obiecta non ſint paſsivé, & formaliter comparata, nil proficiet, vt formaliter denominentur viſſa.

95 Reſpondeo ad argumentum concedēdo maiorem, & negando minorem. Ad probationem minoris, reſpondeo permittendo pro nunc antecedens, & nego abſoluté conſequentiam. Ad probationem antecedentis, reſpondeo concedendo maiorem, & ſub aliqua conſideratione, nego minorem. Ad probationem conſequentiæ, reſpondeo concedendo antecedens, & permiſſa cauſali conſequentiæ, nego illius illationem. Itaque dico, quod etſi comparatio, obiecta non denominaret comparata, illa tamen poſſet denominare viſſa; quia comparatio non tribuitur, neque communicatur obiectis, vt forma denominans obiecta, ſed vt medium, & applicatio alterius formæ, vt talis forma, obiecta denominet; eo quod talis forma v.g. viſio, ſolum deficeret vnio ad obiecta denominanda. Vndé bené poteſt compati, quod obiecta ex comparatione dicantur viſa, & quod formaliter non denominentur comparata; ſiquidem comparatio non exercetur, vt forma denominans, ſed vt inſtrumentum; & via formæ denominantis; quæ non denominabit, vt forma, quouſque, vt talis per actum reflexum applicetur.

96 Quapropter eſt notandum, quod ex eo, quod cognitio terminetur ad hoc concretum viſum, tale concretum ſolum habet eſſe cognitum materialiter, & fundamentaliter, ſin autem formaliter habebit eſſe viſum, in quo eruditè conſentit Groſſo. Denominari enim extrinſecé viſum, nil aliud eſt, quam hoc concretum viſum prædicari de ſuo obiecto, & ſic denominari extrinſecé cognitum, nil aliud eſt, quam hoc concretum cognitum prædicari de ſuo obiecto; ergo cum per cognitionem comparantem viſionem cum ſuo obiecto, hoc concretum viſum prædicetur de ſuo obiecto; bene poterit denominari viſum, quin pluſquā fundamentaliter denominetur cognitum. Fūdamentaliter debet eſſe obiectum cognitum, vt formaliter denominetur viſum; quia denominatio formalis viſi pendet ab actu intellectus comparante viſionem cum obiecto: ex qua cognitione comparante viſionem cum obiecto; obiectum eſt materialiter, & fundamentaliter cognitum, & expreſsé, & formaliter eſt viſum.

97 Deinde poſſunt adduci aliqua exempla, ad hoc, vt aliquid ſit cauſa, vt aliqua forma denominet, quin applicativum denominationis ſit tunc denominans. Suadetur in receptione viſionis, viſio enim eſt, quæ denominat, & non receptio; ſi iam nō vellint dicere, quod denominat receptam. Deinde viſio denominat obiectum viſum, & licet ipſa per actum reflexum ſit capax denominandi viſa, non autem poteſt viſa denominari, prout eſt motivum, vt aliud denominetur. Sed ad intentum melius exemplificatur in relatione, dum eſt alterius relationis fundamentum, in quo caſu prout eſt fundamētum alterius relationis, ipſa

in

Digitized by Google

id illa linea non eſt forma referendi, niſi ſolũ fundamentaliter, etſi ipſa in alia linea non referatur, ſed ſit ipſa forma referendi.

98 Sed dices, etſi vnio, quia eſt applicatio formæ ad materiam, non ſit denominans, vt forma, eſt tamen denominans, vt vnio, etſi enim non denominet materiam informatam, tamen ipſam denominat vnitam; ergo etſi actus ille comparans non denominet extrema viſa, illa tamen denominabit applicata, & cõparata. Nunc ſtat in pede difficultas; actus ille comparans denominat extrema comparata, & vnita, & tamen non eſt actus talis, plus quã terminatio ipſius ad obiectum; ergo licet viſio nil amplius exprimat, poterit obiecta denominare paſsivè viſa. Difficultas in ſolutione argumenti non ſtat in hoc, quod dum comparatio ſit vnio formę viſi, quod obiectum à forma viſi vnita, & non ab vnione formæ denominetur. Neque ſtat difficultas in hoc, quod vnio eo modo, quo eſt forma, denominet obiecta; & ſic, quod vnio illa intentionalis, ſcilicet comparationis, denominet obiecta vnita; ſtat igitur difficultas, quomodo ex ſola terminatione actus comparantis ad obiecta adhuc in linea vnionis aliquod eſſe paſsivum prębeat, & hoc ſic tale eſſe præbeat viſio.

99 Reſponderi debet iuxta Scotum ſupra citatum, & citandum infra, quod actus comparativus non eſt pura terminatio actus ad obiectum, vt eſt viſio, & ſic alia. Ratio eſt, quia actus ille comparativus non ſolum dicit terminationem ſui ad obiectum, ſed etiam dicit terminationem vnius obiecti ad aliud, quæ eſt relatio rationis reſultans ex actu comparativo, per quam habet vnum obiectum, ſcilicet paries, referri ad viſionem; vnde iam habet in ſe obiectum, per quod reſpiciat formam vidẽdi; at autem cum dum viſio, vel cognitio abſoluté, & ſine comparatione producitur, ſolum habeat terminari ad obiectum, & obiectũ nil reale extrinſecum habeat, per quod terminetur ad viſionem, & deinde adhuc extrinſecé forma non vniatur cum obiecto, quin obiectũ extrinſecé vniatur cum forma; hinc eſt, quod ex actu comparativo poſſunt obiecta aliquod eſſe paſsivum habere; non autem ex actu abſoluto aliquo modo denominari. Videatur de hoc Scotus *in 1. d. 36. à §. contra concluſionem vſque ad §. contra iſtud.*

100 Corroborandum deinde eſt notatum ſupra, ſcilicet, quod licet viſio intima parieti, ſeu obiecto nil amplius requirat, vt obiectum denominet viſum; ſin autem dum cognitio cõparans eſt intima obiecto, vt viſione denominando, amplius requirit, vt obiectum denominet cognitum. Ratio, præter ſuperius dicta, eſt, quod viſio ſolum habet eſſe formam obiecti, & ſic ſemper, & quando obiecto intimetur, & vniatur, ipſum denominabit viſum; at autem cognitio habet eſſe formam, & vnionem iuxta diverſas conſiderationes; quare ſicuti dum per actum reflexum applicatur obiecto, tunc eſt forma videndi, & non eſt vnio, ſic dum ipſa eſt applicatio viſionis, non denominabit, vt forma videndi, ſed vt viſio; vnde per actum reflexum applicata nominabit cognitum, id quod per actum directum ſolũ denominavit viſum. Adapto exemplum in fine ſub fine, qui etſi finis in re ſit, tamen, vt ad vlteriorem finem comparatur, non denominat finalizando, ſed vt medium, ad hoc vt altera forma finalizet. Hæc corroboravi ſic, quia pro ente ſecundo intentionali, ſunt centrum impugnationum.

101 Objicies 4. ab inconvenientis ponderatione, dicendo, quod poſſet aliquis condemnari ſumma dilectione Dei, quia vt Deus det gloriam, requirit eſſe ſuper omnia dilectũ; ſed poſſet dari caſus, in quo aliquis eliciendo amorem Dei, moreretur, quin actum comparativum eliceret; ergo cum tunc Deus nil haberet, à quo adhuc per rationem foret dilectus, poſſet illum à gloria reprobare. Plura poterant hinc reſponderi; ſed ad intentum reſponderi poteſt, negando condemnationem illius, quia, etſi Deus nil haberet, à quo foret dilectus, tamen ex terminatione actus ad ipſum dabatur fundamentum ad gloriam dandã illi; ita vt pœnam ſine fundamento infligeret. Deinde quia vt ait Doctor in *1. d. 35. §. poteſt dici*, poteſt Deus in ſe cauſare relationem rationis, comparando ſe ad lapidem, quem intelligit; quomodo poſſet Deus comparare ſe ad amorem prædictum, & relationem ſimilem in ſe cauſare.

102 Dubitabis in fine, quomodo forma videndi, communicata potentiæ viſivæ ipſam denominat videntem, & forma intelligendi communicata potentiæ intellectivæ ipſam denominat intelligentem; & tamen dum forma animandi communicatur materiæ primæ, neque animantem, neque informantem denominat illam, ſed præciſé animatam, & informatam? Reſpondeo ex Doctore *quodlib. 13. art. 3. §. de tertio, verſiculo ad ſecundum poteſt dici*, quod in prædictis denominationibus omnis differentia deſumitur ex vocum inopia; quia ſicuti eſſe album, eſt habere albedinem, tanquam formam, ſic ſentire, vel eſſe ſentientem, eſt habere ſenſationem, ſicuti formam, & ſic, intelligere, eſt recipere intellectionem,

tionem, vt formam: vndè, etſi ſciamus, quod intelligere nil eſt præter quoddam pati, ita vt, etſi intellectus in ſe non cauſaret intellectionem, ipſa cauſata ab alio denominaretur intelligens, quę eſt vox activa; non tamen quia activum ſit intelligere, ſed quia ad exprimēdum hoc concretum intelligens, propria voce caremus; quod concretum, ait Doctor, exprimeretur iuxta nos, hac voce *intelligifico*, ſi talis vox ad illud foret impoſita, videatur Doctor §. *ad argumenta*, vbi electam tradit doctrinam ad evadendum argumenta contra reſolutionem præfactam.

QUÆSTIO IV.

In qua de actu comparante, & de relatione vniente plura requiſita expenduntur.

103 Reſtabat pro complemento prædictarum reſolutionum inquirere de qualitate, & praxi illius actus cōparativi, ex quo eſſe extrinſecum in obiecta derivatur. Circa qualitatem enim actus inquirendum venit an debeat, vel poſsit eſſe iudicativus; an vero alter, qui iudicativus non ſit, ſufficiat. Deinde inquiri inſimul poteſt, an talis actus comparativus indicij ſit contingens, an vero ſit neceſſariò exhibendus. Circa praxim eius, difficultas ſtat in expeditione talis actus comparativi, explicando quomodo actus comparativus debeat exequi, vt exiſtat ſine intelligibili contradictione conformis obiecto, cui eſſe extrinſecum per talem actum communicatur. Et antequam de eſſentialioribus quęſitis aliquid reſolvamus, volo de contingentia comparationis iudicativę formare reſolutionem.

ART. I.

CIRCA CONTINGENTIAM PRÆdicti actus comparativi expenditur reſolutio.

104 Sentio igitur poſſe reſolvi, contingentem eſſe comparationem prædictam. Exiſtimo, hanc reſolutionem eſſe menti ſubtili conformem. Videntur in *quodlib.* 13. §. *circa ſecundum, verſ. iſta autem diſtinctio*, vbi loquendo de relatione menſuræ, & de relatione attingentiæ, ſeu vnibnis, cenſet eſſe ſeparabiles, aiens ſic: Nec tamen ſemper inferior habet reſpectu ſuperioris relationem attingentię. Exactiùs hoc ipſum explicat in fine, & propè finem §. citati, vbi Scotus ſupponit, quod intellectus cognoſcat aliquod obiectum abſtrahens ab exiſtentia, & quod deinceps comparet vtrumque, ſcilicet, actum, & obiectum cognitum, quo exercitio expedito, ait Scotus, quod ſicuti actus rectus poteſt eſſe ſine reflexo, ſic ſecunda relatio rationis poteſt eſſe prima, ita vt obiectum poſſet terminare actum illum abſque hoc, quod haberet relationem rationis ad actum; & concludit Doctor, quod ſecunda contingenter cauſatur poſt actum intellectionis rectæ.

105 Nunc ſic, quouſque obiectum terminans actum dicit relationem ad actum, per quā diximus dari formalem coexigentiam relativarum denominationum, non fuit exhibitus actus iudicativæ comparationis; ſed firmiter, ait Scotus, quod obiectum poteſt terminare actum rectum cognitionis, quin debeat neceſſarió ſequi relatio obiecti ad actum; ergo firmiter eſt tenendum apud Scotum, quod vnitiva comparatio contingenter cauſatur, dum ad obiectum terminatur actus. Deinde, quia multoties experitur, quod aliquis terminet viſionem ad obiectum, quin ex prōpta. & diſtincta ocupatione actus intellectivi poſsit actum comparativum exercere; quod etiam à fortiori eſt dicendum de brutis perfectè videntibus, & nil perfectè comparantibus: ergo &c.

106 Dices ex hoc ſequi, quod deficiat in aliqua linea, quidquid formaliter ſpectat ad illam; ergo ſi detur potentia formaliter vidēs, debet, & dari terminus formalis illius viſionis, vt expleatur in vna linea quidquid formaliter coexigitur ex perfecta correſpondentia. Reſponderi poteſt (& eſt notanda reſponſio pro argumentis contra primam reſolutionem iā formatis) ex Doctore Subtili *in* 1. *d.* 3. *q.* 6. §. *Dicetur*, diſtinguendo antecedens ſic, debet dari quidquid formaliter ſpectat ad illam lineam de per ſe, & neceſſarió, cōceditur, de per accidens, & ex ſuppoſitione, negatur, & ſic poteſt diſtinctè admitti conſequentia.

107 Itaque, vt benè notavit Scotus, terminus formalis, & à parte rei requiſitus debet poni in linea intellectiva v. g. iſte autem terminus non eſt obiectum habens eſſe diminutū, vt eſſe cognitum, eſſe repreſentatum &c. Sed talis terminus eſt quid reale, ſcilicet, ipſa intellectio, quæ eſt forma per dictionem intellectus producta, & conſequenter terminus formalis productionis de per ſe, requiſitus in linea intellectiva. Deinde, quia vt ait *in* §. *hic ſunt tres breves qq.* actio, & paſsio ſolum ſunt de per ſe inductivæ alicuius termini accipientis eſſe per ipſas; ergo cum operationes immanen-

nentes ſint vltimi termini, poſt quos nil acci-piat eſſe, obiectum cum illis realem coexi-gentiam non habebit.

Hoc idem excitat Doctor *quodlib.* 13. *ſ. de tertio artic.* Vbi ait, quod tranſmutatio tam activa, quam paſsiva eſt ad aliquem ter-minum accipientem eſſe illa tranſmutatione; ſed ſolum ſecundum terminum, paſſum ſe ha-bet aliter nunc, ac prius, quia operatio non eſt in aliquem terminum, accipientem eſſe per ip-ſam; ergo nulla realis mutatio adeſt in obiecto ratione cuius mutuo coexigatur.

ART. II.

Circa qualitatem actus comparativi expen-ditur reſolutio, & prius eviſcera-tione prævenitur.

108 Circa qualitatem actus compa-rativi duę viæ probabiles ap-parent, tametſi in practica explicatione, vna videatur altera probabilior, de quo infra exhibetur examen. Suppoſito enim, quod relatio realis ad obiectum nõ erat ſufficiens medium, vt eſſe extrinſecum paſsivũ communicaretur obiecto, quod talis relatio vnitiva rationis debeat eſſe actus iudicativi, aliqui ſcotiſtæ deffendunt, & noviſsimé An-tonius Groſſo citatus ſupra. Alij vero ſimpli-cem comparationem ſufficere pro viribus deſ-fenſſant. Ego autem cum in diſt. 2. q. 2. circa formationem ſecundæ intentionis curſu pro-blematico diſcurrere intendam. Vtrumque hinc dicendi modum probabilem relinquam, tametſi in praxi exhibẽda, opinio Groſsi ali-quãtulũ diſpliceat, vt videbitur infra. His ita.

109 Eviſceratur opinio Scotizantium, quod illa relatio vnitiva rationis valeat eſſe actus iudicativi. Suaderi poteſt, quia vt ſit per-fecta coexigentia denominationum, ſic debet poni denominatio viſi v. g. per cauſam ratio-nis, ſicuti ponitur denominatio videntis per cauſam realem; ſed denominatio videntis, po-nitur in potentia viſiva per paſsionem vniti-vam formam videntis cum potentia videnti; ergo, & denominatio viſi poterit poni in ob-iecto viſo per formalitatem vnitivam eſſe paſ-ſivum viſi cum termino viſo. Nunc ſic, ſed hoc quod eſt vnire, & intẽtionaliter copulare, pro-prium videtur actus iudicativi, ergo ex ſuppo-ſitione, quod eſſe viſi vnitivé ponatur, videtur poni per iudicativam comparationem.

Confirmari poteſt à paritate vis agentis intelligibiliter dantis eſſe reſpectu aliorum agentium phyſicé dantium eſſe: non enim agẽs phyſicum per quamcumque relationem ponit formam in ſubiecto, ſed per relationem vniẽ-tem formam cum illo; ergo cum intellectus in eſſe intelligibili agat, quod agens phyſicum in eſſe reali, non per quamcumq relationẽ ponet formã in termino ſed per relationem compo-nentẽ, & vnientem formam cum illo; ſed in-tentionaliter cõponere eſt iudicare; ergo &c.

110 Confirmari poteſt aliter huius vię pro-babilitas; quia illa cõparatio poteſt eſſe vniti-va, per quam aliqua forma concipitur eſſe in termino, & ponitur intelligibiliter in illo; ſed per actum affirmantem concipitur eſſe in ter-mino, & ponitur intelligibiliter in illo; ergo per actũ iudicativę cõparationis videtur vniri eſſe paſsivũ cũ termino. Maior ſupra videtur expoſita. Minor poteſt ſuaderi, quia contra-riorũ eadẽ eſt ratio, ſed vt intelligibiliter nõ ponatur aliquid poſitivé in alio, & vt cõcipia-tur aliquid non eſſe in illo, videtur requiri actus negans; ergo vt intelligibiliter aliquid ponatur in termino, & vt intelligatur eſſe in il-lo, videtur poni actus affirmans. His ita pro eviſceratione probabilitatis huius opinionis.

111 Eviſceratur opinio ſimplicem com-parationem tenentium, & ad ipſos, vt ad pro-babiliores diſponitur perſuaſio. Sic ergo poteſt ſuaderi, vt potentia viſiva denominetur videns terminũ, videtur ſufficere relationem realem ad illum; ergo vt terminus denominetur viſus à viſione, videtur ſufficere relationem rationis ad potentiam viſivam; ſed ad ſimplicem rela-tionem rationis non requiritur pluſquam ſim-plex comparatio, vt ſcotiſtæ alteri⸗s viæ ad-mitunt, & vt ego in praxi harum opinionum exponam; ergo non videtur requiri iudicium alitér applicans, vt in linea viſiva prædicta extrema coexigantur.

112 Suaderi poteſt aſſumptum opinantiũ hęc ex eo, quod ſi terminus pręcisé diceret re-lationem realem ad potentiam videntem, in tali caſu exacté terminus denominaretur vi-ſus, ſicuti propter relationem realem ad ter-minum potentia denominatur videns; ergo cum terminus tametſi ſimplici actu cõparatus dicat relationẽ rationis, ſaltim intentionali-ter debet denominari viſus, ſiquidẽ realem re-lationem dicẽs, realiter viſus denominaretur.

113 Dicent alterius viæ ſcotiſtæ non te-nere paritatem, quia, etſi verum ſit, quod ſi terminus diceret relationem realem ad vidẽs, tunc terminus foret paſsivé viſus, non tamen quia talem relationem realem diceret, ſed fo-ret à priori, quia terminus innovaretur aliquo eſſe, à quo excitaretur relatio; ſic etſi ex eo, quod vnus paries albus dicat relationem realẽ ad alium parietẽ album, inferatur, quod nunc eſt album, id quod tale non erat ante relatio-nem, non tamen hoc erit à priori, quia dicat

I ta-

talem relationem, ſed quia habuit novum eſſe ex albedine, à quo illam relationem excitavit; ergo propter ipſam rationem relatio illa rationis non ſufficiet ad eſſe viſum, quin detur vnitiva relatio ponens in termino alicuius eſſe novitatem.

Hæc meo videri poterit eſſe Groſsi, & aliorum ſcotiſtarum ponderatio; tamen inſtari poteſt, quia tam Groſſo, quam alij contrariæ viæ reſolvere videntur, quod ad præciſam relationem rationis habendam à termino ſufficit ſimplex comparatio; ſed apud ipſos nullũ aliud eſſe innovans terminum datur præter ipſam relationem rationis ex ſimplici comparatione derelictam; ergo iam relatio rationis poterit excitari, quin aliquod eſſe novum prius in termino præcedat.

114 Deinde quia adhuc iuxta Doctoris textualẽ mẽtem manere videtur Scotiſtis ſolutio. Doctor enim conſimile argumentum ſibi obijciens *in 4. d. 1. q. 5. §. vltimo*, poſtquam vnam reliquit ſolutionem, aliam exhibet dicendo, quod relatio rationis poteſt eſſe nova in aliquo abſque omni novitate abſoluti in ipſo; ſufficit enim nova cõparatio abſoluti ad alterum per actum intellectus, quo pacto poteſt dici Deus Dominus de novo ſine novo abſoluto in ipſo; vel magis ad propoſitũ (proſequitur Scotus) poteſt nũmus dici pręciũ de novo; eſſe enim pręciũ, non dicit niſi relationẽ rationis &c. ergo ſufficit novitas cõparationis, vt obiectũ relationẽ rationis inducat.

115 Dicẽt alterius vię Scotiſtę, quod adhuc dato, quod paries ex comparatione dicat prædictam relationem rationis, nõ tamen ſufficere, vt veré poſsit intellectus hunc actum elicere, ſcilicet, paries eſt viſus; talis enim actus requirit vnionem inter Petrum, & eſſe extrinſecũ viſionis; ergo requiritur iudiciũ cõparãs.

116 In primis relinquã in exhibenda praxi infra modum ſecundũ quem prędictus actus ſine intelligibili contradictione valeat elici. Videbuntur dicta in vltima reſolutione iuxta primum ſenſum. Dici poſſet deinde, quod alterius viæ Scotiſtæ deffendent, quod ex relationibus mutuis ex ſimplici comparatione derelictis in obiectis; manet connexio inter obiecta: Sic noviſsimé Groſſo Diſſert. 7. Elucid. 9. quæ connexio poteſt dici ſimplex vnio intentionalis. Vnde, vt intellectivé, & intentionaliter aliquid intellectus dicat de alio, non requiritur, quod inter terminos quos vnit per iudiciũ detur ſumma connexio, quia dantur variæ cõnexionum ſpecies, iuxta quarum aliquas ſunt veræ propoſitiones, quæ iuxta ipſarum alias forent falſæ, ſi intellectus iuxta ipſas intenderet copulare, & iudicare. Iſte enim actus, v. g. Petrus eſt albus, aliter intenditur ab intellectu iudicante, & cõponente, ac iſte, Petrus eſt animal, ita vt copula, quæ concepta ab intellectu inter Petrum, & albedinem eſt veri ſenſus, falſi ſenſus foret, ſi inter Petrum, & albedinem intenderet per copulam conceptam exprimere identitatem obiectivam Petri, & animalis; & tamen ex parte actus eadẽ vis in copulis componentibus, & connectentibus apparet; ergo ſic ſimiliter, dum prędictam connexionem intellectus percipiat inter viſionem, & parietem, poterit ſine intelligibili cõtradictione dicere, paries eſt viſus.

117 Hæc doctrina cõfirmari, & adaptari poſſet in cognitione abſtractiva, communiter diviſa in præciſivam, & negativã. Abſtractio præciſiva dicitur, qua intellectus cognoſcit naturã ſine conditionibus individuantibus, ſolum per pręciſionem ab ipſis, non autẽ per negationem. Abſtractio negativa dicitur, qua intellectus cognoſcit naturam ſine cõditionibus individuantibus, negãdo de natura ſingularitates. His ita, adaptatur doctrina. Sicuti datur duplex abſtractio naturę prędicabilis à ſubiectis, ſic debet dari duplex cõnexio, ita vt cuilibet abſtractioni formæ à ſubiecto, debeat correſpondere altera poſitio, & connexio formæ cũ illo; ergo ſicuti per ſimplicem actus intellectus poteſt forma abſtrahi à ſubiecto, & intelligi ſine illo, ſic, & per ſimplicem actus intellectus poterit forma connecti, & percipi intẽtionaliter cũ illo: ita vt ſicuti in actu, illo modo abſtrahentium non ſit mendacium, neque in actu, illo ipſo modo connectentium ſit contradictio, aut figmentum.

118 Reſolno igitur probabilẽ eſſe primæ vię opinionẽ, cũ tã ex rationibus, quã ex textibus Doctoris nõ levia poſsint formari fundamenta; ſed tamẽ pro nũc reſolvi poteſt alterius vię opinionẽ probabiliorẽ apparere. Itaqué qui ad hãc velit potius, quã ad aliã inclinari, poterit cũ doctrina in his §. §. vltimis poſita, alterius vię rationibus ſatisfacere. Nilominus tamẽ primã viã probabilẽ relinquo, & vtrãq; problemate formalizabo in Diſt. 2. q. 2. necnó pro vtraq; ſtatĩ proponã praxĩ intelligibilẽ. Fũdamentũ enĩ, vt in anxietatẽ probabilizãdi vtrãq; ingredi ñ renuã deſumo, ex eo, quod aliquos viderĩ Scotiſtas, qui in examine mẽtis ſubtilis confuſi, nullo modo prædictas formas, & denominationes eſſe rationis admittãt; ſed quod omnino terga vertentes Magiſtro plura deffendant, quæ videntur erronea in fide Scoti. Qua propter annotavi, in quo ſtet ſubſtantialior doctrina Scoti iuxta ipſius probabiliora,

ſci-

ſcilicet, quod prædictum eſſe obiectivum eſt rationis; & hac doctrina ſalva plures vias ſufficienti probabilitate relinquam, vt quilibet. eam deffendat, quam proprio captui melius acommodandam reſpiciat.

QUESTIO V.

Prædictarum doctrinarum praxis expenditur.

119 ALiqui Noſtratum (inter quos noviſsime Antonius Groſſo) circa praxim in his doctrinis exhibendam ſic ſe habent. Aſſerunt enim, quod eſſe obiectivum virtuale, & fundamentale proximum eſt terminatio actus ad obiectum, v.g. eſſe viſionis terminatum ad parietem, & eſſe actuale formale derivatur in obiectis per actũ comparativum intellectus ponentem in obiecto formam viſi per vnionem intentionalem. Nunc igitur difficultas ſtat in hoc; quomodo, ſcilicet, eſſe paſsivum viſi poterit ex terminatione actus ad obiectum eſſe ſufficientem terminum, vt per vnionem iudicativæ comparationis intelligatur eſſe, & poterit per iudicativum actum poni in pariete v. g. quin adſit intelligibilis contradictio, quæ ſic formatur.

120 Ex Doctore ſubtili *in quodlib.* 3. §. *de prima*, ad hoc vt intellectus ex aliquibus prædicatis faciat vnum per rationem, requiritur, quod vnitas eorum ſit ſine contradictione intelligibilis, ſed ex viſione, & lapide non poteſt effici vnum concretum, dicendo paries eſt viſus, quin adſit intelligibilis contradictio; ergo ex terminatione actus ad obiectum non datur ſufficiens fundamentum, vt ſine intelligibili contradictione ponatur, per actum iudicativæ comparationis eſſe paſsivum viſi in illo. Maior exacté manet propugnata in q. 1. diſt. 1. Minor prob. ex eo intellectus non poteſt facere vnum concretum intentionale ex lapide, & ex Petro, quia cum ab intrinſeco repugnet, quod lapis ſit in Petro, non poteſt ſine contradictione intelligere, quod Petrus ſit lapis; ſed nõ minus ab intrinſeco repugnat, quod viſio ſit in lapide; ergo non minus repugnat, quod ſine intelligibili contradictione poſsit ex viſione, & ex lapide vnum intentionaliter facere per actum iudicativæ comparationis.

121 Fr. Antonius Groſſo vt ſuam doctrinam iuxta rectam praxim exhibeat duo confiãcit argumenta, ex quorum ſolutionibus prædicta reijcere intendit. Obijcit enim, quod ſi ex comparatione obiectum denominaretur viſũ, ſi intellectus compararet viſionem ad Petrum, & ſi Petrus in re tunc non videretur, ex comparatione denominaretur viſus. Ad quod reſpondet, quod poteſt Petrus comparare, & vnire viſionem cum Petro, & ſi nulla viſio ſit terminata ad Petrum; ſed tunc fingit, & mẽtitur, & facit ens rationis ſine fundamento in re: ſi vero viſio ſupponatur terminata ad Petrum quando intellectus comparat illam cum Petro denominando Petrum viſum facit cũ fundamento ens rationis; quia ex eo, quod viſio terminetur ad Petrum, ſufficiens fundamentũ habet, vt denominet Petrum viſum; & ſic nec fingit, nec mentitur; niſi illud eſſe viſum concipiat tãquam aliquod intrinſecum, vel eſſe reale extrinſecum in Petro.

122 Secundum argumentum obijcit ex eo, quod poſt quam viſio terminatur ad Petrũ, hæc propoſitio eſt vera, ſcilicet, Petrus eſt viſus; ergo conformatur cum obiecto; ſed obiectum eſt Petrus viſus ergo Petrus eſt in ſe viſus. Ad quod reſpondet, quod obiectum materiale non eſt Petrus formaliter viſus, ſed Petrus fundamentaliter, & materialiter viſus; ita, quod vt illa propoſitio ſit vera ſolum requiratur viſio, vt terminata ad Petrum, quin viſio aliquod eſſe intrinſecum, vel extrinſecũ reale communicet Petro; quia illud eſſe viſi, eſt quid intentionale, & obiectivum, quod cõmunicatur per actum intellectus comparantem formam extrinſecam cum obiecto; ex qua comparatione, ſeu vnione intentionali facit intellectus quoddam concretum intentionale, quod dicitur viſum; quod quidem concretum per actum iudicativum prædicatur de Petro.

123 Sed revera, & ſi ſubtiles videantur prædictæ ſolutiones, nunquam, niſi fallor, vitatur difficultas, ſcilicet, quomodo ex terminatione actus ad obiectum poteſt aliquis actus quamtumvis comparativus ſit, ponere in termino eſſe, quod non eſt, ſed terminatur? quod melius ſequenti inſtantia diſcooperietur. Ad hoc vt actus ille formalis ſit intelligibiliter verus cum fundamento, debet conformari cum obiecto; ſed adhuc cum obiecto ſignato à Groſſo non conformatur; ergo nunquam poteſt eſſe intelligibiliter verus. Prob. min. Obiectum illius actus non eſt Petrus formaliter viſus, ſed Petrus fundamentaliter viſus; ſed cum Petro fundamentaliter viſo non conformatur; ergo adhuc cũ obiecto ſignato à Groſſo non conformatur. Prob. min. Petrus materialiter viſus ſolum eſt obiectum dicens viſionẽ ad Petrum, non autem in Petro; ſed prædictus actus formalis dicit viſionem non ad Petrum, ſed in Petro; ergo non conformatur.

124 Confirmatur ex Doctore ſubtili, quia

erga idem vndequaque invariatum obiectum non poſſunt dari duo actus formales diſtincti, quorum quilibet illi ſit conformis; ſed datur actus formalis conformis cum prædicto obiecto, & deinde diſtinctus ab actu comparativo; ergo erga illud idem obiectum non poteſt eſſe conformis actus comparativus. Maior videtur certa, aliàs relatio ex correſpondentia menſuræ, & menſurabilis otioſa ſtaret apud Ariſtotelem, & Scotum. Minor ſuadetur, quia cum Petro materialiter viſo, actus formalis conformis eſt hic, ſcilicet, Petrus eſt terminās viſionem, ſeu viſio terminatur ad Petrum; ſed iſte actus eſt diſtinctus ab actu illius comparationis, vt de ſe patet; ergo datur actus formalis conformis cum prædicto obiecto, & diſtinctus deinde ab actu comparativo. Confortmant dicta cum D. Subtili *in 1. d 3. q 7. §. cōcluſio, verſ. ſi dicatur*, vbi ait, *quod nullus actus natus eſſe circa obiectum, poſſet eſſe idē, & non terminari ad idem obiectum.*

125 Neque pro præcedentium ſolutione apparet congruum dicere, quod intellectus non fingit, quia illud eſſe viſum non concipit in Petro, vt quid intrinſecum, vel quid reale extrinſecum. Non enim hoc valet, quia forma denominans, forma realis debet eſſe, quia extra realem viſionem, nil poſſet Petrum denominare, quod cognitionis non foret; ergo forma realis debet ab intellectu concipi vnita, vt denominatio non ſit cogniti, ſed viſi. Neque ob iſta intendo reprobare vnionem intentionalem, quia etſi forma ſit realis, vnio poterit eſſe rationis, & per rationem communicari, vt dum lapis realis per rationem dicitur de Petro; nec non per vnionem accidentalem forma, quæ eſt ſubſtantia in compoſito phyſico, communicatur ſubiecto.

126 Sed licet ex his aliquantulum diſplicere videatur opinio Groſsi, non tamen abſoluté diſplicet, cum forté poſſet eius praxis probabilizari, illo ipſo, quo probabilizatur praxis abſtrahentium ſine mendacio; idem enim inconveniens ab abſtrahentibus naturas abſorbi videtur; quia in re nulla natura eſt abſtracta actù, & formaliter; & tamen quia in ipſa aliquod adeſt fundamentum, vel ex negativa indifferentia, vel ex quolibet alio motivo, poteſt eſſe obiectum huius actus formalis, ſcilicet, abſtracta eſt, vel abſtrahi poteſt natura, quin vlla intelligibilis contradictio in abſtractione formali adſit; ergo à ſimili. Sed quidquid ſit de hoc.

127 Sentio poſſe dupliciter ſine intelligibili contradictione obiectum denominari. In primo ſenſu, ita vt ex eo, quod viſio terminetur ad Petrum, concipiat intellectus, Petrum eſſe obiectum puré terminans viſionem, taliter quod cum nil reale viſionis, neque intrinſecum, neque extrinſecum ſit in illo, non valeat aliquo eſſe paſsivo denominari: comparet igitur intellectus Petrum cum viſione, quam terminat, & dicendo tunc, quod Petrus eſt viſus, denominat Petrum terminum viſū, iſtumque habet pro obiecto. Ratio eſt, quia, etſi de Petro percipiat intellectus, quod ſolum eſt terminus viſionis, tamen dum actù Petrus comparatur ad illam, manet in Petro, qui erat terminus relatio rationis reſpectu cuius ſit ſubiectum; quæ relatio rationis cum ſit aliquid in linea videndi, & non poſsit eſſe tale aliquid in linea activa, quia eſt relatio terminantis actum videndi; & deinceps concretum ex ipſa, & ex Petro valeat prædicari de Petro, quia iam ipſius talis relationis Petrus non eſt puré terminans, inde fit, quod ſine intelligibili contradictione valeat aliquod eſſe paſsivum, etſi intentionalizatum, dici de ipſo in linea videndi.

128 Dices, quod Petrus ſolum eſt terminus viſionis; ergo nunqam poteſt eſſe aliquid viſum. Prob. conſequentia, quia vt aliquid ſit viſum, requirit ex dictis, quod aliquod eſſe obiectivum habeat; ſed quod eſt præcisé terminus, nullum eſſe obiectivum, poteſt habere; ergo nunquam poteſt eſſe aliquid viſum. Diſtingui poteſt antecedens, ſolum eſt terminus viſionis ante comparationem, conceditur, poſt ipſam, negatur. Et ſic diſtinguitur conſequens. Ad probationem antecedentis concedo maiorem, & diſtinguo minorem, quod eſt præcisé terminus nullum eſſe obiectivum poteſt habere, eſt verum; quod eſt terminus comparatus, eſt falſum; & vt ſupra diſtinguatur conſequens.

129 Itaque ſumma eſt advertenda æquivocatio; etſi enim Petrus ſolum ſit terminus, & comparetur, vt terminus eſt, tamen cum in ipſo maneat relatio terminantis, tranſit ad eſſe ſubiectum, quin ex habitione relationis terminantis debeat iam dici terminans in re, ſed in nomine, cum aliquid habere, iam non ſit termini, ſed ſubiecti. Sic ſolet dici, quod dum genus definitur, iam non vt genus, ſed vt ſpecies debet reputari, etſi genus definiatur; necnon dum ſecunda intentio reduplicatur, vt quidditativé explicetur, non debet iam vt ſecunda intentio, ſed vt prima reputari; ſic & dum ipſa definitio definitur. Similiter in hac propoſitione, Petrus eſt ſubiectum, in qua forma in re prædicati, ſubiectivé dicitur, & ſic de alijs, quibus abundant logici.

Secun-

Digitized by Google

130 Secundus ſenſus, iuxta quem eſſe obiectivum poteſt communicari, videtur clarioris intelligentiæ. In primis enim percipit intellectus, quæ dantur ex parte viſionis, & quæ dantur ex parte obiecti viſibilis. Ex parte viſionis percipit, illam non eſſe in obiecto adhuc ſecundum eſſe reale extrinſecum; percipit tamen, quod ſecundum tale extrinſecum eſſe, iam quod in illo non ſit, *terminatur, & tendit ad eſſe illius.* Concipit igitur intellectus hæc, ſcilicet ſic, illud eſſe extrinſecum non eſt, inclinatur tamen vt ſit; ergo ſi poſsit dari agens, illud obiecto applicans nulla debet intelligi contradictio in hoc, quod eſſe paſsivū communicetur illi. Deinde ex parte obiecti percipit intellectus aliquam viſibilitatem paſſivam, & infert ſimiliter ſic; ergo obiectum ex ſe aliquod eſſe paſsivum in linea viſibilitatis innuit; ergo ſi detur agens, quod exercitium illius viſibilitatis in obiecto exhibeat, poterit tale exercitium ſine intelligibili contradictione appingi.

131 Videt igitur, & conſiderat intellectus vim agentis viſivi, & percipit, non dari in eo virtutem ad ponendum in obiecto, quod aliter habere ſibi non repugnat; conſiderat deinceps virtutem propriam, & in ſe invenit vim eſſe ſufficientem; & ſic concretum illud ex obiecto, & ex eſſe paſsivo viſi apprehenſo, ponit in Petro dicendo, Petrus eſt viſus. In quibus eſt notandum, quod huiuſmodi actus non habet pro obiecto viſionem nullā terminatam ad Petrum, vt ſupra impugnare intendi, ſed habet etiam eſſe paſsivum viſi ſine repugnantia apprehēſum, & ſic obiectum agenti per intellectionem. Deinde eſt notandum, quod vt ex parte obiecti aliqua excitetur non repugnantia, poterat ſufficere, eſſe illud fundamentale, quod ex terminatione viſionis habet; ſic enim quamdam non repugnantiam negativam percipimus in naturis, ad formalē vniverſalitatem, & non aliunde niſi quia fundamentum exhibent ad vniverſalizari, tametſi impoſsibile non minus ſit, quod ſit forma vniverſalitatis in ipſis à parte rei, quam quod ſic ſit in Petro forma viſionis. Hæc nota.

132 Dices hinc, quod illud exercitium eſt rationis; ergo neque inclinatio ad illud poterit dari in viſione reali, neque in viſibilitate percipi non repugnantia. Videtur conſequi, quia aliàs aliquid rationis contineretur intra non repugnantiam obiecti realis, quod diſtātioris ſphæræ percipitur. Inſto argumentum, cognitio entis rationis eſt effectus realis; ſed eius cauſe ſunt intellectus, & ens rationis, quia ex obiecto, & potentia omnis notitia paritur; ergo effectus realis intra cauſam non realem continebitur. Deinde obiectum eſt non vivum, cognitio eſt vitalis, quomodo ergo producetur ab obiecto, ſi vitale non contineatur in illo. Cognitio non eſt ſubſtantia, ſed eſt contenta intra vim intellectivam, quę ſubſtantia eſt; ergo intra ſubſtantiam, non ſubſtantia cōtinebitur. Dicam, quidquid dicant; præterquā quod præfatum argumentum eſt ſolvendum à multis, ſiquidem etiam dicunt, vniverſalitati formali, quæ eſt forma rationis, dari in natura non repugnantia, quatenus eſt ex ſe.

133 Pro nunc tamen conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Poteſt excitari diſparitas ex diſtantia ipſa, quæ ab omnibus percipitur ex ipſis non repugnantijs ad earum exercitia: dum enim res præcisé contenta conſideratur, etſi in ſe ſit nil, vicina enti ſimpliciter conſpicitur, & taliter quod virtuale eſſe creaturarum, vt omnipotentis eſſe reputetur; at ſi à continentia extrahatur, ita ſuum eſſe debilitat, quod multoties de ſui eſſe continentia dubitemus. Iſta notat Scotus, *in 1. d. 3. q. 7.* & præcipué de cauſis æquivocis, in quibus nullus datur paſſus, iuxta quem ens tendens, diverſa facie non videatur. Quis enim non conſiderat greſſus ſpeciei ſpiritualis in obiecto materiali contentæ? Nec non, & ſpeciei materialis viſibilitatis greſſus? En, quod dum Cęlum poſsit intrare intra ſpeciem, quę intret in oculum, Cœlum intra oculum intrare non valet. Sic ad propoſitum plura valent applicari.

134 Deinde, quia vt rectè notavit Dominus Tartaretus 1. Prædicab. dub. 2. in fine, alia eſt continentia ex immediatione virtutis, & alia ex immediatione conſequentiæ. Contentum in aliquo, immediatione virtutis, requirit maiorem affinitatem cum illo, cum ſic contineatur, quia in linea directa eſſendi eviſcerat ſubiectum ſervando in dimanatione modum phyſicum, quem habebat in continentia: ſic omnes paſsiones continentur realiter in ſubiectorum virtutibus, ſicuti & iuxta eumdem modū ab illis dimanant. Contentum veró in aliquo per conſequentiam, dicitur illud, quod etſi realem, & phyſicam proportionem non habeat iuxta eſſe, ſin autem quoad intelligibiliter induci: ſic ſecundæ intentiones continentur in primis; quia primæ intentiones ratione aliquarum proprietatum repertarum in ipſis cauſant, & inducunt ſecundarum intentionum cognitiones. Sic videtur poſſe dici, quod continetur vnum obliquum in recto, quia rectum eſt ſui obliqui index, vt ait ſæpé Scotus, videatur *in 1. d. 3. q. 6. §. ad quæſtionem*, propé finē. Sic ergo pariter viſum rationis poteſt contineri

neri

neri in viſibili reali, ita vt apprehenſio nō repugnantię exercitij intentionalis viſi, ſit conſequens ad reale ſubiectum; quia cum ad inviſibile non ſit adhuc intentionaliter conſequens, ſufficit, vt recté fundatus intellectus, modo ſupra expoſito, conſequentias rationis illi ſoli obiecto applicet ex ipſius congruenti non repugnantia.

135 Noto in fine pro prædictarum comparationum plena intelligentia, dari inter ipſas comparationes aliqualem differentiam; quia ſi intellectus comparet viſionem terminatam ad Petrum, & Petrum terminantem viſionem, in tali caſu, etſi relinquatur in viſione ad Petrum relatio, ſed non qualis relinquitur in Petro ad illam, neque in Petro comparato ad albedinem, vel in quovis alio obiecto comparato ad aliud, quia vt recté notat Scotus, ex comparatione vnius obiecti ad aliud, ſolum manet pura relatio rationis; in comparatione veró viſionis ad Petrum, de relatione illa poteſt dici, quod nec eſt puré realis, nec puré rationis. Non puré rationis, quia actus ſecundum ſe terminatur ad aliud. Non puré realis, quia etiam ex comparatione refertur ad obiectum. Ita Doctor in *quodlib.* 13. *art.* 2. *§. Circa ſecundum. Verſ. de prima relatione.*

DISTINCTIO II.

De ſtrictiori eſſe, & norma ſecundarum intentionum.

QUÆSTIO I.

De intelligentia comparationis.

1 CIRCA ſignificationem terminorum ſecundo, & primo intentionaliū, duæ fuerunt opiniones celebres. Prima fuit Nominalium opinio dicentium, quod ſecunda intentio eſt terminus mētalis naturaliter ſignificās terminos ea ratione, qua ſunt ſigna, ſeu ea ratione, qua ſunt ſignificativi aliorum terminorum, vt ſunt iſti termini mentales, nomen, verbum, propoſitio, vniverſale, prædicabile, genus, ſpecies, &c. qui naturaliter ſignificant alios terminos; at vero prima intentio eſt terminus mentalis naturaliter ſignificans rem, & non terminum, v.g. iſti termini mentales, homo, Petrus, lapis &c. qui naturaliter rem, & non terminos ſignificant.

2 Alia fuit opinio ſcotizantium dicentium, ſecundas intentiones non eſſe terminos mentales; ſed ſecundas intentiones eſſe relationes, ſeu reſpectus rationis cauſati, ſeu derivati per actum comparativum noſtri intellectus comparantis vnum in ordine ad aliud, v.g. actus, quo cognoſco hominem in ordine ad animal, vel ad aliquod aliud, ex quo actu immediaté ſecundæ intentiones prædicabilis, vel ſubjicibilis reſultant. Ex quibus Doctor ſubtilis pluribus in locis ſecundam intentionem ſine comparatione non admitit. Sufficiat pro omnibus citatus *in* 2. *d.* 1. *q.* 1. *§. quantum ad hoc igitur, vers. de hoc, quod dicitur*, vbi ait: *intentio autem ſecunda ſine actu comparativo, nunquam erit.*

3 Deinde pro ſubſequentium notitia debet ex dictis inferri, quod duplex eſt intentio, ſcilicet, prima, & ſecunda, & vtraque, dupli differentia ſolet exprimi, ſcilicet, formali, & obiectiva Prima intētio formalis dicitur actus ſimplex intellectus, per quē aliquid ſimpliciter, & abſoluté in ſe cognoſcitur, v. g. actus, quo ego cognoſco, animal, prout in ſe, habet vivere, & ſentire: Prima intentio obiectiva eſt obiectū, ſeu terminus illius actus. Secunda intētio formalis eſt actus collativus, à quo relatio rationis inter extrema comparata derelinquitur, qui quidem actus, licet in ſe ſit qualitas abſoluta, obiectivé tamen relativus dicitur. Secunda vero intentio obiectiva eſt relatio rationis reſultans inter duo extrema comparata ab actu collativo noſtri intellectus. Ita dicere videtur Doctor in 1. *d.* 23. *& diſt.* 2. *parte* 2. *q.* 1. Nota hinc, omnia ſubſequentia eſſe verba ſecundæ intentionis, ſcilicet, *prædicari, dici, affirmari, negari, ſubjici, ſignari, excludi, definiri, & hujuſmodi alia.*

4 Deinceps eſt nimis advertendum, quod iuxta Doctorem citatum *in* 1 *d.* 23. actus comparativus, adhuc eſt in duplici differentia; vnus ſiquidem dicitur ſimplex, & alter compoſitus. Simplex dicitur ille, per quem intellectus vnum comparat alteri abſque compoſitione affirmationis illius de altero; qui dicitur pura relatio vnius ad aliud, ſicuti dum natura communis comparatur ad inferiora ſine prædicatione. Actus comparativus compoſitus dicitur ille, per quem intellectus duo obiecta cognita comparat, vnum alteri attribuendo,

v. g.

v. g. dum animal cognitum, attribuit homini etiam cognito, qui dicitur relatio rationis vnitiva. Itaque debet inferri, quod ſicuti actus abſolutus præſupponit obiectū abſolutum, ſic, & obiectum comparabile, præſupponit ſe ipſum, prius cognitum per actum abſolutum, & vt habens eſſe primæ intentionis obiectivæ, & entis rationis largé accepti: ratio eſt, quia vel ſecunda intentio cauſatur in obiectis tanquam relatio vnius obiecti præcisé ad aliud, vel tāquam relatio vnius obiecti cum alio. Si primo modo cauſetur, actus comparativus erit ſimplex, quia relatio rationis reſultat ab illo, & non debet excedere ſuam cauſam. Si ſecundo modo, erit relatio vnitiva, quia præterquam quod vnum ponit intra aliud, debet ſapere relatio rationis ad actum, quem habet pro cauſa dimanativé.

5 Rurſus eſt inferendum, & etiam valdé notandum, quod ad hoc vt detur comparatio, ex qua ſecundæ intentiones logicæ reſultent, non requiritur, quod homo v. g. cognoſcatur vt formaliſsimé ſpecies, neque quod animal, ad quod comparatur, cognoſcatur vt formaliſsimé genus; quia contrarium paſsim docet Scotus, & ipſius ſæpe confirmat ratio. Videatur *in 1. d. 28. §. Item arguo*, vbi ait, quod quidquid movet intellectum ante negociationem comparativam non eſt intentio ſecunda; ſi enim intellectus tenderet ad comparationē, & jam genus apprehēſum compararet, relatio rationis generis ex comparatione non reſultaret, ſed ad illam præiret. Quapropter Scotus *in 1. d. 35. §. poteſt dici*, docet, quod relatio rationis prius eſt, quā cognoſcatur. Expreſsius *in 2. d. 1. q. 1. §. quantum ad hoc, verſ. de hoc, quod dicit*, vbi ait, quod *intentio ſecunda fit per intelligentiam in vero eſſe ſuo, & non in eſſe cognito, ideo prius eſt, quam cognoſcatur.*

6 Sed tamen, etſi non requiratur, quod relatio vniverſalitatis cognoſcatur in natura hominis v. g. requiritur tamen, quod præcognoſcatur illa propoſitio, quæ ſufficiat, vt intellectus habeat motivum ad comparationem, ex qua ſecunda intentio vniverſalitatis reſultet, ita vt in notitia obiecti comparabilis, ſi non relucet, vt ſubtiliter ait Doctor, requiritur, quod *quaſi reluceat*. Quomodo autem intellectus ſine intelligibili contradictione poſſit habere fundamentum, vt naturam hominis comparet ad inferiora, & ex comparatione præbeat vniverſalitatem, quam non habet natura, quin vniverſalitas habeat a parte rei pluſquam fundamentum, (quod in plurium ſententia eſt ipſa negativé præciſa, & ratio proxima fundādi relationem rationis, ipſa vt comparata) videantur dicta *in diſtinct. 1. quæſt. 2.* & præcipué *in ejus reſolutione*: & *in quæſt. 3. reſolutione vltima in vno, & altero ſenſu.*

DILUUNTUR ALIQUA, QUÆ poſſunt opponi contra nunc ſuppoſita.

7 Oppones 1. actus comparativus eſt realis; ergo imperceptibile videtur, quod ex comparatione poſsit reſultare relatio rationis. Prob. conſequentia; quia ex eo apud Doctorem *in 1. d. 23. §. item arguo*, incommunicabilitas, etſi ſit negatio, non eſt rationis negatio, quia eſt negativa entitas ex natura rei, & quidquid ſequitur rem ex natura rei, non poteſt dici aliquid eſſe rationis; ergo cum relationes illę ſecundó intentionales conſequantur actum intellectus ex natura rei talem, imperceptibile videtur, quod poſsit eſſe rationis illatio.

8 Vim prædicti argumenti percepit Doctor *in 1. d. 36 §. ad primum dico*, præcipué in fine. *Et diſt. 35. §. contra concluſionem, & §. poteſt dici.* Formalius *in quodlibet. 13. Art. 2 §. circa ſecundum* in fine. Sentio inprimis, hoc argumentum ſoluendum etiam eſſe ab omnibus ponētibus vnionem rationis inter Petrum, & lapidem, qui ſunt extrema realia: vnde inſto ſic: illa vnio non eſt actus ipſe intellectus, quia iſte in re eſt realis; ergo eſt aliquid rationis ab ipſo immediaté reſultans. Si dicas, quod eſt actus ipſe intellectus. Arguo ſic; ergo ſicuti hoc concretum intelligens, totum eſt reale, quia etſi receptio ſit vnio intentionalis formę intellectivę, eſt tamen realis; illud concretum ex Petro, & ex lapide vnito per formam realem totum erit reale. Deinde vnio eſt in extremis, quæ denominantur vnita, ſed actus intellectus non poteſt in re eſſe in lapide, & Petro; ergo non poteſt eſſe ipſa vnio entitas realis actus.

9 Doctor ſubtilis citatus in quodlibetis ſine formidine reſoluit, quod poteſt naturā actus ſequi aliqua habitudo, quę ſit rationis; modum enim in Scoti reſolutione ſervādum debemus ſumere ex his, quæ movet in locis citatis. Tota igitur difficultas ſtat in explicando, quid ſint hujuſcemodi relationes rationis. Et, ni fallor, relatio, ſeu forma rationis nil aliud eſt, quam quoddam objici reſpectivum aliquorum terminorum; ex eo enim quod cognitio ſine intelligibili contradictione comparet naturam hominis ad Petrum, & Paulum, objicitur intellectui natura prædicabilis reſpectu Petri, & Pauli,

Digitized by Google

Pauli,& Pètrus, & Paulus objiciũtur intellectui,vel poſſunt objici, vt ſubjicibiles reſpectu naturæ; hoc enim eſſe obiectivum eſt relatio rationis,quod non cauſatur effectivé,rigoroſé loquendo ab intellectu , ſed conſequenter; hoc eſt , cum ex eo , quod actus cognoſcentis cõparativi intelligibiliter reſpiciat vnum obiectum in ordine ad aliud, reſultet, quod intellectui objiciatur vnum obiect.:m cum reſpectu ad aliud, hinc eſt,quod reſpectus illi rationis dicuntur cauſati à comparatione immediaté , quia poſt actum comparantem, immediaté ſequitur , & reſultat *illud objici.* & ſic non exiſtimes,quod relatio rationis creantis, eſt aliud quam ipſe creans objici intelligibiliter.

10 Deinde cum ex alia parte,id quod objicitur intellectui nõ ſit à parte rei in ipſis rebus , & deinceps vt adhuc per rationem ſine remurmurante intellectione conveniat rebus, requiratur , quod multum negotietur intellectus , vt ex natura à parte rei , & ex forma rationis vnũ concretum intelligibiliter faciat; & deinceps ad hoc requiratur, ſcindere,ſeu tollere ab illa (hoc eſt præſcindere) plures materialitates, & alia quę impediunt cõparationẽ, illam induturam ad ſuum modum , qui eſt ſecundo intentionalis;hinc eſt,quod cum ad hoc indumentum,cognitio prima,quæ eſt abſoluta,non ſufficiat; meritó ſubtiliſsimus Magiſter in tot locis à me citatis, definit,quod præbere formas rationis naturis , ſoli comparationi ex munere competit, & conſequenter , quod rationis eſt,quidquid ex comparatione reſultat. His ita.

11 Reſpondeo argumento in forma diſtinguendo antecedens (poteſt enim concedi) actus comparativus eſt realis formaliter,concedo;eſt realis illativé, ſeu occaſionativé, nego,& nego conſequentiam, vel ſic diſtinguo; imperceptibile videtur,quod poſsit oriri relatio rationis ab ipſo , immediatione virtutis, concedo ; immediatione conſequentiæ, nego. (De explicatione hujus diſtinctionis manet notitia in fine vltimæ reſolutionis *diſtinctionis primæ, quæſtionis vltimæ*) Ad confirmationem Reſpondeo, negando paritatem,quæ neque vrget contra hucuſque dicta , neque contra Scotum. Præcipua ratio eſt, quia dum dicitur , quod relatio rationis ſequitur ad entitatẽ,& naturam actus comparativi , eſt in terminis fallacia,ſi debeat currere paritas ad negationem, quę ſequitur ex natura ſubſiſtentis. Fallacia enim ſtat in hoc , quod etſi actus intellectus ex natura ſua ſit realis , tamen dum addit eſſe comparativus,ex natura ſua dicit eſſe æquivalenter , & quaſi virtualiter rationis, quod habet non ex natura actus , ſed ex natura comparationis ; at autem illa negatio cum ante omnem rationem poſsit movere, vt cognoſcatur, & ex alia parte ſibi cõtradiceret intellectus,ſi denominationem eius ab ipſo exiſtimaret,hinc eſt,quod vna,ex natura reali,debet eſſe realis, ſicuti altera,ex actu reali, debet eſſe rationis; falleretur enim intellectus, ſi illã ab alio,quam ab ipſo exiſtimaret.

12 Perſiſtes ſemper ; quia ſubſiſtentia eſt realis , non ſequitur negatio rationis ; ergo quia actus comparativus eſt realis , rationis relatio non ſequetur. Diſtingui poteſt antecedens, quia præciſé eſt realis, negatur; quia eſt realis formaliter,& virtualiter,conceditur,& ſic conſequens diſtinguo. Itaque ſicuti vna ſubſtantia,v g. intellectiva producit accidens, & non ſubſtantiam , quia ſolum formaliter eſt ſubſtantia;& ſol producit calorem,quin ſit formaliter calidus,ignis vero producit ſubſtãtiam,& calorem, dum eſt formaliter, & virtualiter vtrumque ; ſic ſubſiſtentia cum non ſolum formaliter,ſed virtualiter ſit realis,producit modum realem;at cum actus comparativus ſit ſolum æquivocé realis,poterit producere tantùm aliquid rationis.

13 Quæ confirmo inſtando argumentum; quia ignis eſt ſubſtantia,producit ſubſtantiam; ergo cũ intellectus ſit ſubſtantia,debet ſubſtantiam producere. Dices , quod ad ſubſtantiam intellectivam non conſequitur ſubſtãtia , quia etſi ex natura ſubſtantiæ ſit producere ſubſtantiam, non autem ex natura omnis ſubſtantiæ. Idem dico ; ad actum realem non conſequitur relatio rationis ; quia etſi ex natura actus realis,ſcilicet, directi, ſequatur aliquid reale, non autem hoc ſequitur ex natura omnis actus, ſcilicet,comparativi. Et quia hoc argumento valde præmere intendunt Scotiſtas, ſignabo rationem breviter , dicendo , quod cauſæ æquivocé ſemper producunt effectus minoris activitatis , & entitatis , quam ipſæ cauſę,ita vt intellectus,qui eſt ſubſtantia,producat accidens;ergo etiam actus intellectus dũ ſit cauſativus,debet habere producere aliquid, quod minus ſit in entitate; actu reali, & accidentali nil minus eſt quam effectus rationis; ergo dum actus intellectus ſit cauſa æquivocé producẽs, ſolum inducet relationem rationis. Quæ contra hanc rationem poſſunt movere, videantur in lib 7. Phyſ. q. 3. art. vnico ante vltimum argumentum , vbi extat diffuſa corroboratio.

14 Inſtabis pro nunc , præfatam doctrinam non poſſe ſubſiſtere ; quia ipſa cognitio,

quæ

Digitized by Google

quæ eſt effectus ęquivocus, eſt cauſa realis denominationis cognoſcentis; ergo iam ſicuti effectus æquivocus eſt debilior in eſſendo, nō erit debilior in cauſando. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, eſt denominationis cauſa formalis, concedo; effectiva, nego; & in eodem ſenſu eſt conſequens percipiēdum. Itaque dico, quod in cauſis formalibus non poteſt dari æquivocatio, quia cauſant per ſui communicationē; ſi enim poſsibile foret in ipſis æquivocari, certé ęquivocaretur cauſatio, ſicut æquiuocatur in actu comparativo, quia illius relationis eſt cauſa effectiva, & in linea intelligibili cointelligitur æquivocatio cum effectione.

15 Pro quorum perfecta intelligentia eſt tradenda doctrina Doctoris *ex 1.d.36.§ ad primum dico* propè finem, vbi ait, quod etſi ex vero eſſe ſimpliciter (id eſt à parte rei exiſtens) videatur derivari eſſe ſecundum quid (id eſt relatio rationis) non tamen hoc eſſe ſecundum quid, eſt reducendum ad eſſe ſimpliciter, ex quo videtur derivari; quia licet tam prima intentio, quam actus intellectus ſint à parte rei, non tamen concurrunt (præcipué prima intentio) tanquam id à quo, relatio rationis habet eſſe ſecundum quid; ſed concurrunt ſic, quod ſine eorum veró eſſe, non haberet relatio rationis eſſe ſecundum quid intelligibile à negotianti comparatione efformatū. Quapropter pręvidens præfatum argumentū ait, quod fundamentum relationis eſt ſecundū illud eſſe, quod fundat relationem, quando relatio illa fundetur, quin ſimpliciter diminuat eſſe fundamenti; ergo cum comparatione fūdetur relatio rationis, & comparatio ſic entitatem actus realis minuere videatur, nil mirū quod ex actu reali ſequatur aliquid rationis, & ex eſſe ſimpliciter, aliquid ſecundum quid. Vltima tradit Doctor *in eodē §. propè initiū.*

16 Deinde fundamentum prædictorum deſumimus ex eo, quod illæ rationes denominantes debent eſſe in naturis denominatis; ergo non in actibus intellectus, (quod rationes denominātes ſint in rebus probat Scotus *in q. 9. univerſ.* ex illo comment. ſupra 1. de anima, videlicet intellectus facit vniverſalitatem in rebus; ergo vniverſalitas eſt in re, & non in intellectu, accidens enim in illo, quod denominat, eſt vt in ſubiecto; ſed vniverſale denominat rem, & non intellectum: ergo). Deinceps illæ denominationes, vt diffusé propugnavimus non ſunt reales; ergo non ſunt ab ipſis naturis. Dum ſint rationis, debent eſſe ab actibus intellectus, ab iſtis non ſunt in genere cauſæ formalis; quia implicat, quod actus intellectus veré communicetur alicui extra animam; ergo ſunt ab illis per effectionem prędictam derivatæ; ſed ab intellectu nil poteſt in obiectis derelinqui, niſi relatio rationis; ergo cum ad hanc requiratur comparatio, nil aliud eſt ſecunda intentio formaliter, niſi prædicta relatio rationis.

17 Dices, & bené, ex actu comparativo, etſi ſit realis, dum terminatur ad obiecta, reſultat relatio rationis; ergo ex actu directé cognoſcente vnum obiectum relationis relatio reſultabit. Nunc ſic, illa relatio debet reſultare iuxta terminorum indigentiam; ſed actus illa relatione rationis non indiget; quia datur relatio realis actus ad obiectum; ergo debet derelinqui in obiecto, in quo neque rationis, neque realis vlla datur relatio: ergo ia ad relationem rationis, & conſequenter ad eſſe obiectivum, & extrinſecé denominans non requiritur comparatio.

18 Antequam, provt ad præſens attinet, reſpondeam, dico, hoc argumentum nunquam directé evertere ſententiam noſtram dicentem denominationes extrinſecas eſſe formas rationis, quia adhuc dato, quod ex directa terminatione actus ad obiectum relatio rationis derelinqueretur in illo, ſemper ſalva maneret ſubſtantialis opinio perfecté Scotizātium. Dico necne aliquos Scotiſtas huic argumento nō contradicere, exiſtimantes relationem rationis cogniti relinqui in obiecto ex pura terminatione abſoluta actus, quos exiſtimo fundatos in illa ratione Scoti *in 1. d. 23 §. contra iſtud*, vbi ait, *quod impoſsibile eſt intelligere relationem, & non eſſe ad aliquem terminum, & correlativum, ſicut omnis intentio ſecunda requirit correlativum, ad quod refertur, &c.* Percipiunt vero malé prædictam rationem Doctoris, quia dum intellectus intelligit relationem, iam datur comparatio, & reflexé intelligens, quod patet, quia per actum directum terminatum ad obiectum, eſt impoſsibile, quod terminatio cognoſcatur. Quę confirmat Scotus in his, quæ adiungit de ſecundis intentionibus correlativis. Deinde, quod hæc ſit ſolida doctrina eius, ſuadet Doctor *in 1. d. 3. §. contra concluſionem, propè medium.* Expreſsius *in §. poteſt dici*, vbi etiam dicit, quod propter præciſam intellectionem obiecti non opportet quęrere relationem, niſi aliquid addatur, ſcilicet, comparatio. Non minus expreſsé *in 1. d. 3. q. 5. & 6. quantum ad hoc igitur*, vbi inter res non mutuo ſe referentes tradit cum Philoſopho relationem ſcientiæ ad ſcibile.

Digitized by Google

19 Reſpondeo nunc argumento conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ratio poteſt deſumi primò ex ſubſumptis in argumento, quia adhuc dato, quod relatio rationis reſultaret, non debebat eſſe in obiecto, ſiquidem neque obiectum, neque actus directè cognoſcens, indigent relatione rationis, qua obiectum referatur ad actum; tunc enim ſolum indiget intellectus, quod actus terminetur ad obiectum ex præciſo munere habendi intellectionem illius. Deſumi debet ſecundò ratio ex eo, quod ſicuti vt actus reſpiciat obiectum, non requiritur comparatio, quia habet in ſe, per quod realiter ad ipſum terminetur, cum obiectum nil habeat in ſe, per quod reſpiciat actum, requiritur vt ad ipſum referatur, quod per aliquid rationis actum reſpiciat, ad quod requiritur, quod cognoſcatur, ſeu obiiciatur iuxta eſſe cognitum in ordine ad actum, quod, vt de ſe patet, imperceptibile eſt per actum directum.

20 Inſtabis, antequam actus eliceretur, obiectum fuit propoſitum, & impreſſum intellectui, vt cognoſcibile; ergo ex hac propoſitione, ſeu obiectione datur ſufficiens fundamentum, vt obiectum referatur ad actum, ſicuti vt actus referatur ad obiectum. Reſpondeo argumenti inſtantiæ concedendo, vel diſtinguendo antecedens, ſicuti diſtinguo conſequens ex doctrina, quam merito notat Scotus *in 1.d.3 q.7.§. concluſio. verſ. ſi dicatur*, vt obiectum referatur ad actum, & è contra, in linea cauſæ, & effectus, concedo; in linea termini, & actus, nego conſequentiam. Itaque obiectum poteſt concipi, vt eſt motivum, & cauſativum cognitionis, & vt eſt deinceps terminus extrinſecè cauſatus, hoc eſt habens eſſe paſſivè cognitum. In quantum eſt motivum, ſeu magis propriè, in quantum eſt cauſativum intellectionis, dicit relationem particularem ad ſecundum modum relativorum, ſicut Patris ad filium, & gignens colorem ad genitum; at autem vt eſt deinceps terminativū, cum nil ſpeciei, neque alicuius vnionis, aut eſſe aliquod extrinſecum habeat, per quod in eſſe paſſivo cogniti ſit cauſatus, ſicuti habuit, vt foret cauſa; hinc eſt, quod relatio cognoſcentis non eſt mutua, neque ſpectans ad ſecundum modum relativorum, ſed ad tertium.

21 Oppones ſecundo: datur actus comparativus, ex quo non reſultat relatio rationis; ergo non eſt conforme regulæ generali, ſequi relationem rationis ad actum comparativum. Prob. antecedens; in actu, quo quis cognoſcit Patrem in ordine ad filium, & ſic vnam cauſam in ordine ad effectum, qui actus eſt comparativus, ſed talis actus non eſt cauſativus entis rationis; ergo datur actus comparativus, ex quo non reſultat relatio rationis. Quod talis actus ſit comparativus prob. quia ille eſt actus comparativus, quo cognoſcitur vnum in ordine ad aliud; ergo actus, quo cognoſcitur Pater in ordine ad filium, eſt cōparativus. Prob. deinde, quod non cauſet ens rationis, quod intendit minor ſyllogiſmi; quia ex illo actu non reſultat ens rationis in obiectis, ex quo habent obiecta cognoſci iuxta ea, quæ illis à parte rei conveniunt, ſed Patri à parte rei convenit eſſe in ordine ad filium; ergo ex actu ſic cognoſcente Patrem; nullum ens rationis reſultat.

22 Non parum ex æquivocatione præſens argumētum torquet. Certū eſt enim apud Doctorem, quod omnis intellectio conferens, comparans, & negotians eſt cauſativa entis rationis in extremis collatis, comparatis, &c. Ita in ferè omnibus locis hucuſque citatis. Difficultas ſolum ſtat an prędicta intellectio Patris comparativa ſit? In cuius deciſione maximam in me ſentio indifferentiam.

23 Dubitandi motivum non habeo ex eo, quod nō poſsit reſultare relatio rationis, quia à parte rei conveniat Patri eſſe in ordine ad filium; hoc enim nunquam poteſt relationem rationis evitare in extremis ex ſuppoſitione, quod ab intellectu conferantur; à parte rei enim convenit viſioni eſſe in ordine ad viſibile, & à parte rei natura humana dicit ex ſe eſſe in pluribus, & tamen comparata in ordine ad illa dicit relationem rationis; & melius, vt Doctor Subtilis ait *in quodlib. 3. art. 2. §. quantum ad logicum, &c.* Intellectus poteſt Paternitatem comparare ad eſſentiam divinam, ex qua comparatione reſultabit relatio rationis, (non realis, quia idemptificata ſunt extrema, quod debes notare, vt Scotus ibi) & tamen à parte rei convenit Paternitati eſſe cum eſſentia. Rationem dedit Doctor *§. antecedenti*, ex hoc, quod nullà habitudo adveniēs cuicunque, ſive iſtud ſit abſolutum, ſive reſpectivum, ſive etiam illa habitudo ſit realis, ſive rationis, deſtruit illud, cui advenit; ſed imò potius præſupponit, vt patet de ſecundis intentionibus, (ait ipſe) quæ non deſtruunt primas, quibus adveniunt, ſed cum fundamento modificant.

24 Qua propter reſolvo, quod ſi intellectus ſtrictè comparet eſſe Patris cum eſſe filij, datur etiam relatio rationis. Ita Scotus de hoc ſpecialiſsimo puncto in *quodlib. 13. Art. 2. verſ. de prima relatione*, quod pūctū excitat

in

in 1. d. 3. q. 7. §. hoc non evadit. verſ. confirmatur, & in fine §. illud reſolui videtur. Vnde ad illud, quod ipſe Pater habet relationē realem in ordine ad filium; ergo non poteſt conſequi relatio rationis. Reſpondere videtur in *quodlib.* (in alia materia ponit exemplum) dicēdo, quod etſi actus cognitionis verſetur inter extrema ſecundum ſe realem habitudinem dicentia, tamē habitudo relicta ex cognitione poteſt dici rationis, quia ipſa relinquitur inter extrema, non vt habentia eſſe reale præciſé, ſed vt habentia eſſe cognitum. Similiter citatus in 1. ait, quod licet comparationes ſimplicium comparatorum cauſentur ab illis, non tamen comparatio illa, quæ eſt in actu collatiuo, quo cauſatur in extremo relatio rationis. Solum notat in quodlib. quod talis relatio, neque ſimpliciter eſt realis, neque rationis, videantur dicta in vltima reſolutione *diſtinct. antecedentis §. 1.* His ita.

25 Reſolui poteſt deinde, quod actus ille, quo quis ex prima intuitione Patris terminum cognoſcit, ſolum materialiter poteſt dici cōparativus. Prima ratio eſt, quia ille ſolus actus eſt formaliter, & proprié comparativus, ad quem præcedit, vel concomitatur negotiatio; ſed in illa prima, & directa intuitione Patris nulla datur negotiatio; ergo proprié non eſt vocandus comparativus. Secunda ratio; quia ille ſolus actus debet proprié, & formaliter dici comparativus, qui ſaltim præſtat effectum ſimplicis apprehenſionis; ſed ille actus talem effectum non præſtat; ergo. Prob. minor, quia ille actus non habet maiorem vim, quam ſimpliciſsimæ apprehēſionis; ergo alium effectum non præſtat. Suadetur antecedens, quia etiam ſi poſsibile ſit ſimpliciſsimé aprehēdere Patrē, derivabit eum ad terminum; ergo ſaltim ęquivalenter non habet maiorem vim, quam ſimpliciſsimæ apprehenſionis.

26 Tertia ratio, quia vt formaliter, & ſtricté detur comparatio intentionalis requiritur, quod præcedat cognitio terminorum, quod eſt eſſe materiale cogniti nimis ventilatum in quęſtione de extrinſecis denominationibus; ergo ille ſimplex, & primus intuitus, potius eſt dicendus abſolutus, quam comparativus. Quarta, quia aliud eſt cognoſcere obiecta ex ſe comparata, & aliud eſt ipſa comparare; ſicuti aliud eſt diſcurrere, & aliud, diſcurſum ſine diſcurſu aprehendere. Neque propter iſta intendo negare, quod alio modo ſit inter prędicta extrema poſsibilis comparativa cognitio.

27 Noto in fine huius quæſtionis, quod non ex omni comparatione intentionali reſultat ens rationis logicum, ſeu ſecunda intentio logica; quia huiuſmodi logicæ relationes ſolum reſultant ex extremis comparatis in eſſe ſubijcibilis, & predicabilis &c. Qua propter eſt inferendum, quod adhuc ens rationis cum fundamento non eſt iuxta omnem ſuam latitudinem ſub ſphæra logicæ, ſed ſolum illud ens rationis ſpeciale, quod ex peculiari comparatione reſultat; v. g. in hac propoſitione, Petrus eſt homo, Petrus eſt ſubiectum, & homo predicatum dicitur ſpecialis ſecunda intentio; & ſimiliter eſſe vniverſale, eſſe genus, per comparationem ad inferiora dicitur ſecunda intentio, & ſic de alijs. Itaque cauſa mediata ſecundæ intentionis eſt potentia, immediata vero actus comparativus.

QUÆSTIO II.

An Secunda intentio per actum directum cauſetur?

28 Revocandę ſunt in memoriam illæ duæ viæ, quas probabiles reliqui in *quæſtione 4. diſtinctionis* 1. quia etſi apud omnes vtriuſque vię cauſetur formaliter relatio rationis per actum directum cuiuſvis potentiæ, qui ſit comparans vnum obiectum ad aliud, iuxta Doctorem ſupra, *& in 5. Metaph. q. 11.* Sed tamen an illa relatione cauſata per actum directum obiecta denominentur formaliter ſecūdo intentionalizata, non percurritur æquali paſſu per vtramque viam.

29 Scotiſtę enim vię tenentis, quod requiritur iudicium, ſeu vnio poſitiva, vt obiecta denominentur relatione rationis, vt forma, debent dicere, quod etſi per actum directum comparativum reſultet relatio rationis, tamen per ipſum adhuc obiecta non denominantur formaliter ſecundo intentionalizata, quia talis relatio rationis non communicatur ipſis, vt forma, ſed vt ipſorum connexio, & ſic requiritur alter actus, qui illam relationem rationis comparet per aliam ad ſua extrema, & ſic eis communicetur, vt forma, & tribuat ſuam denominationem, & effectum formalem: ſic dum intellectus comparat naturam humanam ad ſua inferiora, natura humana ſe habet, vt forma, inferiora, vt ſubiectum, & relatio rationis reſultans, vt eorum connexio; huc uſque natura humana non denominatur formaliter vniverſalis, ſed requiritur vlterius, quod relatio illa per alium actum reflexum compararetur ad prædictam naturam humanam, per quem actum cum relatio, quæ erat

pura connexio, communicetur naturę, vt forma, ipſam denominat vniverſalem.

30 Ex alia parte videtur non minus probabile, quod vt natura, vel quodvis aliud ens ſit illa relatione rationis informatum, non requiritur actus iudicatiuus reflexé comparás. Qua propter cum concupiſcar, quod illuminante ſubtili luce, per vtramque viam Scotizantes deambulare valeant, conſulto per duos ſequentes articulos indifferenti probabilitate illas firmare intendam.

ART. I.

IN QVO PRIMA VIA CVRSV PROblematico percurritur.

31 DIco igitur, quod ad hoc vt prima intentio ſtricté, & formaliter ſecundo intétionalizetur, ſufficit prima comparatio, ita vt comparata natura humana, v.g. ad inferiora, non requiratur actus reflexus applicans naturæ ſecundã intentionem, vt ſit formaliter vniverſalis, ſed ſufficit relatio rationis ex comparatione derelicta.

32 Prob. 1. Sic Petrus, ſervatis ſervandis, habet in hac propoſitione, Petrus eſt animal, eſſe ſubiectum, ac natura humana ex prima comparatione eſſe vniverſalis; ſed vt Petrus ſit ſubiectum non requiritur applicatio reflexa per quam de Petro prædicetur ſecunda intentio ſubiecti; ergo neque vt natura ſit vniverſalis requiritur applicatio reflexa, per quam de natura prædicetur ſecunda intentio vniverſalis. Prob. minor, quia ſine vlteriori reflexione applicatiua, illa propoſitio eſt logica, ſed logica propoſitio debet habere ſubiectum, ſicuti, & prædicatum; ergo vt Petrus ſit ſubiectum, non requiritur applicatio reflexa, per quam de Petro prædicetur ſecunda intentio ſubiecti.

33 Reſponderi ſentio ab huius viæ Scotiſtis permiſſa maiori, negando minorem, diſtinguendam ſtatim. Ad probationem conceſſa maiori debent diſtingui minorem; debet habere ſubiectum, & prædicatum virtualiter proximé, eſt verum, formaliter ſubdiſtinguo, per actum applicativum ſecundæ intentionis, vt forma, eſt verum; vt vnio, eſt falſum. Itaque vt Petrus formaliter ſit, & denominetur ſubiectum, requiritur, quod ſecunda intentio ſubiecti dicatur de Petro, quæ per illum actum directum non dicitur, ſiquidem per illum, ſolum dicitur prima intentio, quæ eſt animal; ergo vt ſecunda intentio denominet Petrum debet de ipſo dici, vt forma, ſed ſic non poteſt dici niſi per actum reflexum; ergo actus reflexus requiritur, vt Petrus formaliter ſit, & denominetur ſubiectum.

34 Inſtabis illud concretum, ſcilicet Petrus eſt animal, eſt ſecundo intentionale, & tam ens rationis, ac Petrus eſt lapis quo ad intellectus dependentiam; ergo extrema debent eſſe formaliter à ſecundis intentionibus denominata; ac perconſequens debet dari forma denominans ſubiectum, & prædicatum. Reſpondeo concedendo antecedens, & quod formaliter eſt tam ens rationis, ac Petrus eſt lapis, & diſtinguo conſequens, debent eſſe denominata, vt vnita, ſeu à ſecunda intentione, vt vnio, eſt verum; vt forma, eſt falſum. Itaque, quod Petro tunc applicatur, non eſt ſecunda intentio, ſed animal; ergo Petrus non ſubiectum formaliter, ſed animal debet denominari. Eſt tamen concretum illud ſecundo intentionale, & logica propoſitio; quia etſi extrema ſint realia, vnio tamen eſt intentionalis, & habet modum logicalem Neque hoc debet innovare animos; quia valdé receptum eſt, quod in ente rationis ſine fundamento poſſunt extrema illius eſſe realia, & inter illa dari vnio ficta, & tamen etſi extrema realia ſint, ſufficit vnio, vt concretum fictum dicatur; ergo à ſimili, etſi forma realis applicetur Petro, poteſt dici ens ſecundo intentionale concretum ex circunſtantia vnionis.

35 Inſtabis 2. Statim ac intellectus efformavit hanc propoſitionem Petrus eſt animal, poteſt illam reſolvere; ſed termini, in quos reſolvitur propoſitio, ſunt ſubiectum, & prædicatum; ergo abſque vlteriori reflexione ſubiectum, & prædicatum formaliſsimé præerãt. Reſponderi poteſt dupliciter. Primo modo diſtinguendo minorem; termini, in quos reſolvitur propoſitio ſine vlteriori reflexione, ſunt ſubiectum, & prędicatum virtualiter, & fundamentaliter proximé, eſt verum; formaliſsimé, eſt falſum, & negatur in alio ſenſu conſequentia. Secundo modo reſpondetur melius ex ipſo Philoſopho, qui potius adſtruit, quam deſtruat intentum. Tunc enim reſolvitur logicè propoſitio, quando termini, in quos reſolvitur, extant ſubiectum, & prædicatum; ergo cum ſolum extent ſubiectum, & prædicatum, quando intellectus facta hac propoſitione Petrus eſt animal, reſolvit de Petro per reflexam comparationem, quod eſt ſubiectum, & de animali, quod eſt prædicatum, ſolum ex noſtra reſolutione ſalvabitur, quod termini, in quos reſolvitur propoſitio, ſunt ſubiectum, & prædicatum.

Inſta-

36 Inſtabis 3. non poteſt dici animal de Petro, quin in animali detur aliqua ratio prędicandi; ergo ſine vlteriori reflexione convenit animali, vt forma, ſecunda intentio prædicandi. Prob. antecedens ex eo, quod licet exercitium agendi, aut prædicandi ſit primarum intentionum, ratio tamen formalis agēdi tribuitur formis etiam ſecundo intentionalibus; ergo nullo modo poteſt dici animal de Petro, quin in animali detur formalis ratio prædicandi. Reſpondeo diſtinguendo primum antecedens, non poteſt dici animal de Petro, quin in animali detur aliqua ratio prædicandi, vt vnio, ſeu applicatio, eſt verum; vt forma, ſubdiſtinguo, vt forma vnitiva primam intentionem prædicati cum Petro, eſt verum; vt vnitiva ſecundam intentionem prædicandi cum animali, ita vt de animali poſsit dici ſecunda intentio prædicati, ſeu quod eſt in ipſo eſſe prædicatum, vt forma, eſt falſum; & nego conſequentiam. Ad probationem concedo ſimiliter, quod ratio prædicandi tribuitur ſecundis intentionibus, vt vnientibus non autem, vt denominantibus. Itaque ſic Scotizantes non negant, quod in animali detur ſecunda intentio prædicandi, quia fatentur relationem rationis reſultare ex illo actu directo comparationis; nec non concedunt, quod ſine illa animal non prædicaretur de Petro, aliàs poſſet dari ſine ente rationis prædicatio, quod perfecti diſcipuli Scoti negare debent: negant vero, quod ſecunda intentio prædicati communicetur animali tunc, vt forma, à qua poſsit dici, quod animal eſt prædicatum; quia licet ex comparativo actu reſultet in animali relatio rationis prędicandi, non tamen ipſi communicātur, vt forma, quia non dicitur de illo, & non eſt alius modus denominandi; ſed communicatur, vt vnio, & ſic ſolum eſt applicativa vnius primę intentionis cum alia, non autem eſt applicativa alicuius ſecundæ intentionis ad primam, & vſque tunc nulla prima intentio, vt forma à ſecunda denominabitur.

37 Probatur 2. & corroborantur inſtantiæ: tunc dicitur natura vniverſalis, quando eſt proximé prædicabilis de pluribus; ſed expedita ſimplici, & directa comparatione eſt proximé prædicabilis de pluribus; ergo illa ſola comparatione erit directé vniverſalis. Maior videtur certa ex definitione vniverſalis. Minor etiam; quia illud eſt proximé prædicabile, inter quod, & actum prędicādi nil mediat; ſed inter naturam directé comparatam ad inferiora, & actum prædicandi nil mediat; ergo ſine vlteriori reflexione debet dici vniverſalis.

38 Hæc probatio multum vrgere videtur, ſolvenda tamen eſt diſtinguendo ſic: tunc eſt, & denominatur formaliter vniverſalis, quando eſt proximé prædicabilis de pluribus, hoc eſt, quando hoc concretum prædicabile de pluribus dicitur de natura, quia ipſi communicatur, vt forma ipſam denominãte, concedo; quando eſt proximé prædicabile de pluribus, quia datur præcisé hoc concretum prædicabile adhuc naturæ non communicatum, eſt vniverſalis, ſubdiſtinguo, materialiter, ſeu virtualiter proximé, eſt verum; formaliter, & denominativé, eſt falſum, & minorem diſtinguo, expedita ſimplici comparatione eſt proximé prædicabilis, quia de natura dicatur aliqua ſecunda intentio, à qua denominetur formaliter, eſt falſum; quia naturæ prima intentio poteſt dici, ſeu vniri intentionaliter cum alia prima intentione individui, eſt verum, & hinc trade antecedentem doctrinam. Reliqua ſic percipio, vſque ad vltimã minorem, quam ſic percipio, nil mediat inter naturam comparatam, & actum prædicandi, vt ipſa denominetur à ſecunda intentione vniverſalitatis, nego; vt ipſi communicetur aliquid, vt præciſa relatio, aut vnio intentionalis, concedo.

39 Itaque debent huius viæ Scotiſtæ ſemper eſſe firmi in dictis illa applicando ad hæc, & ad alia, quæ obijciuntur dicendo, quod ſicuti prima intentio animalis non denominat, neque reddit Petrum animal, quouſque hoc concretum ex viventi, & ſentienti dicitur de Petro, & ipſi intentionaliter vnitur; ſic hoc cõcretum prædicabile, directé apprehenſum non poterit denominare, neque reddere naturam vniverſam formaliter, quouſque de ipſa dicatur, ſeu ipſi intentionaliter communicetur. Qua propter dixi, quod vt natura ſit formaliter vniverſalis, mediare debet aliquid inter cõcretum prædicabile apprehenſum, & actum prædicandi, debet enim mediare actus applicans formam prædicabilitatis naturæ.

40 Inſtabis vehementer; illa relatio rationis, etſi per actum reflexum applicetur, vt forma, tamen quod vt forma applicatur, debet eſſe ipſa relatio rationis, aliàs nil eſſet, id quod, vt forma poſsit applicari ab actu reflexé comparante; ergo eſſe principium illius effectus formalis ad quem reflexé applicabitur, iam habebat in ſe, ſiquidem ipſi, ſcilicet, relationi, ſolum deficiebat applicatio: nunc ſic; ergo dum ipſa relatio ſit recepta in ſubiecto capaci denominationis vniri, & informati, vniens, & in ſimul ipſum informans erit ipſa relatio; ſed expedita prima comparatione in natura negativé præciſa, eſt capax natura informationis

vni-

vniverſalitatis, & deinceps adeſt ipſi relatio, quæ eſt ſecundum ſe principium vniendi, & informandi; ergo cum ex receptione ſufficiat applicatio ſecundæ intentionis, quæ eſt vnio, & forma, ipſam denominabit vnitam, & informatam.

41 Neque huic inſtantiæ ſatisfacere videtur, quod ad aliud intẽtum reſpondet Groſſo. Obijciens enim cur ſi albedo adhæreat parieti ipſum denominat album? etſi relatio rationis adhæreat Petro ipſum non denominat ſubiectum formaliter? Reſpondet, quia albedo ſolũ eſt forma, & ſic vbicumque adſit debet denominare; at autem ſecunda intentio per actus diverſos haber eſſe vnionem, & formam; ita vt per directum non adſit, vt forma, ſed vt vnio; & ſic non poteſt tunc informare, ſed vnire, vt aliud ab ipſa informet. Optima ſunt iſta, ſed formatæ inſtantiæ non videntur ſatisfacere, quod, niſi fallor, ſuadetur; quia ſi albedo in ſe haberet eſſe principium vniendi, & informandi, eſto reciperetur in ſubiecto capaci vtriuſque effectus, & denominationis, ſine reflexa inhærentia, & vniretur, & ipſum formaliter dealbaret; ergo ſi relatio rationis eſt vnio, & ipſa ſecunda intentio formalis, quæ deinceps communicatur, dum ſit in ſubiecto capaci vtriuſquè effectus, ipſum vniet, & inſimul denominabit informatum, quin reflexa intentionis inhærentia requiratur.

42 Sed quidquid ſit de his, reſpondendum ſentio, ſic diſtinguendo primum antecedens, debet eſſe ipſa relatio cum diverſa comparationis applicatione, eſt verum; cum prima, ſeu eadem eſt falſum; imò, & eſt falſum ſuppoſitum iuxta contrariorum intẽtum, quia in primo actu, non videtur applicata relatio rationis, cũ potiùs ipſa ſit ipſamet applicatio vnius primi obiecti ad aliud, vel cum alio primo obiecto; & tunc ſolum ipſa applicatur, quando per relationem, & vnionem diſtinctam datur compoſitum, in quo vnum primo obiectum (puta primam intentionem, ſed loquimur ſic iuxta Scoti fraſim) non dicitur de alio, ſed ipſa, quæ eſt ſecundum obiectum, dicitur de aliquo primo obiecto, ad quod requiritur, quod addatur aliquid præter præciſam relationem rationis, & vnionem intentionalem, quod exiſtimo, colligi poſſe ex Doctore *in 1. d. 35. q. vnica §. poteſt dici*; & exactiùs *quodl. 3.* art. 3. §. *Reſpondeo*, vbi videtur dicere, quod ſi forma videatur communis vni, & alteri extremo, requirit, vt ſpecialiter denominet, quod reſtringuatur ſuſceptivum; ergo cum ſecunda intentio, vt pura applicatio vnius primę intentionis ad aliam, vel cum alia, vſque tunc vtriuſque extremi videatur exercitium, vt ſpecialiter proprium ſuſceptivum exerceatur, requiretur diſtincta applicatio, per quam vnum ſolum informet, per ſolam illius prædicationem. Deinde conſequens diſtinguo; iam habebat in ſe eſſe principium illius effectus, & denominationis, quoad entitatem, ſeu in virtute, eſt verum; quoad denominationem, eſt falſum. Itaque, etſi verum ſit, quod ipſa relatio rationis in natura, & vnio intentionalis in extremis propoſitionis prædictæ ſuperiùs, ſit ſecunda intentio habens in ſe formam rationis, & principium denominationis formalis; at tamen cum deficiat ipſi applicatio vnitiva ad ſubiectum ſpecialiter denominandum, poteſt dici, quod habet in ſe principium formale denominationis virtualiter, non autem formaliter; ſicuti de anima non applicata, vt forma materiæ primæ poteſt dici, quod habet in ſe principium formale denominationis, ſed hoc erit virtuale tantum, quouſque vt forma applicetur.

43 Sed tamen, vt hucuſque ſoluta ſubſiſtant, reſtat robur probationis confirmantis diſſoluere. Concedo igitur, primam conſequentiam, & ad minorem reſpondeo, diſtinguendo primam partem; ſed expedita prima comparatione eſt natura capax informandi à ſecunda intẽtione vniverſalitatis per medium ipſam dicens de natura, concedo; dum non detur medium, vt ſecunda intẽtio dicatur de natura, ſed ſolum, vt dicatur prima, nego. Deinde diſtinguo ſecundam partem; & deinceps adeſt ipſi relatio, quæ eſt ſecundum ſe principium vniendi, & informandi per eandem applicationem agentis intellectivi, nego, per diverſam, concedo. Itaquè vt obiectis ſatisfaciamus, tota difficultas ſiſtere videtur in vltima ratione à me formata, ſcilicet, quod ſi albedo foret vnio, inſimul vniret, & dealbaret; ergo ſi relatio rationis inter Petrum, & animal, eſt vnio, & ſecunda intentio, quæ vt forma deinceps applicatur, dum extrema per primum actum reddat vnita, reddet, & informata. Reſpondeo in primis, quod etiam ſi albedo poſſet eſſe forma, & vnio, ita vt effectus vniendi, non eſſet idem, ac dealbandi, nunquam dum vniret, dealbaret per eãdem applicationem; quod ſuadeo in re, quæ eſt medium, & finis, quæ nunquam per eandem conſiderationem, & reſpectum inſimul conducit, & finalizat.

44 Reſpondeo 2 quod ſicuti ſi albedo inſimul, & per eandem applicationem poſſet poni in ſubiecto, vt vnio, & vt forma inſimul vniret, & dealbaret; ſic concedam, quod ſi ſecunda intentio poſsit poni in ſubiecto per

ean-

eandem applicationem inſimul, vt vnio, & vt forma, inſimul vniet, & ipſum referet, & etiã denominabit; ſed hoc eſt impoſsibile ex tot dictis. Deinde eſt in hoc notabilis differentia, quod ſi albedo, vel quævis forma phyſica habeat eſſe formam, dum ab aliquo agenti ponatur, debet poni vt forma, at autem in his, quæ in ſuo eſſe formali pendent ab agenti intellectivo, quo ad eſſe, & quo ad applicari, non informabunt iuxta aliquod eſſe ſpeciale, ſi ab intellectu non poſsint ſic applicari. Et melius dices ex ſupradictis, quod albedo foret actu vnio, & forma; at autem illa relatio actu foret vnio, & forma in virtute applicantis. Quapropter ad illud, in quo viget inſtantia, ſcilicet, quod eſt recepta, debet reſponderi, ex eo melius inferri, quod nõ prębeat effectum formæ, & quod vt forma non eſt recepta; quia id quod, vt vnio recipitur, nullo diſtincto indiget, vt recipiatur, ſed ipſum recipitur, & eſt ratio recipiendi perſe; ergo cum id, quod vt forma recipitur aliter recipitur, ac id quod vnio, dum illa relatio non indiget reflexo applicante, vt inſit, ſignum eſt, quod non vt forma, ſed præciſè, vt vnio ineſt, & exercetur, ac proinde, quod indiget reflexo applicante, vt tanquam forma recipiatur.

45 Et quia præ oculis totiés hoc punctum obijcitur, ideo nunc dabo rationem cur dixerimus in *quæſt.* de extrinſecis denominationibus, quod dum Petrus ex prima comparatione denominatur viſus, non autẽ dum actus comparans eſt cognoſcens, denominatur cognitus. Ratio poteſt congruere ex hoc, quod duplex effectus formalis repugnat inſimul, & per eandem applicationem eidem ſubiecto, cum autem ſubiectum per illum primum actum habeat eſſe formaliter viſum; repugnat, quod per ipſum actum habeat formaliter eſſe cognitum, vel quamlibet aliam denominationem formalem, vt eſſe formaſe ſubiecti vniverſalis &c. ſolum enim poterit habere denominationem vniti inſimul cum eſſe formali alterius formæ, vt patet in phyſicis. Quare cum ſecunda intentio ſit forma rationis, & prima intentio ſit forma realis, & formæ diverſæ ſphæræ inſimul non denominent; hinc eſt, quod cum per primum actum in hac propoſitione, Petrus eſt homo, vnio ſit medium, vt homo denominet tanquam forma, requiritur actus reflexus, & diſtinctus, vt ſecunda intentio, quæ erat vnio, vt forma denominare valeat.

46 Ex quibus à *quæſtione* 2. *diſt.* 1. vſque ad dicta in præſenti, ordo ſervandus iuxta hanc viam eſt conſequens. In hac igitur propoſitione, Petrus eſt viſus, poteſt conſiderari ſub

eſſe viſum, eſſe relatum, eſſe cognitum, & eſſe ſubiectum. Petrus eſt formaliter viſus, dum eſt vnitus intentionaliter cum forma extrinſeca viſi, cum quo eſſe extrinſeco viſionis conſtituit illud concretum rationis, quod dicitur viſum. Petrus eſt formaliter relatus ad viſionem; quia in actu comparante obiecta, derelinquitur in obiectis relatio rationis, per quam Petrus ſit formaliter relatus. Petrus eſt virtualiter cognitus; quia ſolum reperitur cognitio, quæ terminatur ad Petrum, & hæc nequit in genere cauſę formalis tribuere Petro eſſe cognitum, quin per aliam vnionem communicetur illi. Petrus eſt virtualiter ſubiectum; quia forma conſtituens eum ſubiectum, eſt relatio rationis, quæ licet ſit in illo per actum illum comparantem Petrum ad viſionem, tamẽ non eſt poſita, tanquam forma, ſed tanquam vnio. Tandem Petrus erit formaliter ſubiectũ, quia illa relatio rationis, quæ ſolum erat vnio, deinceps ipſi applicatur, vt forma per actum comparationis dicentem, & prædicantem, Petrus eſt ſubiectum.

ART. II.

IN QVO ALTERA VIA SIMIEI CVRſu percurritur.

47 Dico igitur, quod vt prima intentio formaliter ſecundo intentionalizetur, & denominetur, requiritur actus reflexé comparans, & applicans ſecundam intentionem, vt formam mediante intentionali, & poſitiva vnione comparantis. Probatur 1. quia vt natura v.g. ſit vniverſalis, requiritur, quod ſecunda intentio vniverſalitatis prædicetur de ipſa, ſed ſine actu reflexé comparante, & applicante non poteſt ſecunda intentio vniverſalitatis dici de illa; ergo vt prima intentio forma rationis denominetur, requiritur actus reflexé applicans illam vt formam, medianti intentionali, & poſitiva vnione comparantis. Reſpondeo argumento negando maiorem; quia ex eo, quod ſecunda intentia valeat prædicari de illa, non infertur, quod tunc prædicando applicatur ipſi forma vniverſalitatis; imo debet inferri contrarium, ſcilicet, quod iam ſecunda intentio erat formaliter in natura, & quod natura erat ſtricté vniverſalis ab ipſa; aliàs non valeret, neque poſſet formaliter verificari hęc prædicatio, natura eſt vniverſalis; & ne dicta repetam, videantur reſolutiones *quæſt.* 3. *in diſt.* 1. Itaque deffendentes hanc viam, nimis debent ſiſtere in hoc, quod actus intellectus dum prædicat,

Digitized by Google

dicat, non dat eſſe obiectivum rebus, ſed imo illud ſupponit, vel ab ipſis, vel ab alijs ſimplicibus comparationibus derelictum.

48 Deinde, quia maius fundamentum viæ contrariæ ſiſtere videtur in prima probatione poſita: vt ad maiorem ſyllogiſmi negandam, videantur huius viæ, habere fundamentum, debent reſpondere, quod vt natura ſit formaliſſimé vniverſalis, non requiritur alter actus applicans naturæ ſecundam intentionem prædicabilitatis ex eo, quod actus ille comparans reflexé forté eſt contingens, quod non exerceatur; etſi ſine illo non foret forma vniverſalitatis naturæ communicata, multum inconveniens ſequereter. Quod actus reflexé comparans ſit contingens, debent deffendere ex eo, quod ſuppoſita prima ſimplici comparatione, ex qua natura manet proximé prædicabilis, poteſt intellectus illam ſufficienter immediaté prædicari de inferioribus ſine vlteriori reflexione.

49 Deinde, quod multum inconveniens ſequatur, ſi ſine actu reflexé comparante foret natura ſine forma vniverſalitatis, & illius denominatione debent deffendere ex eo, quod natura poſsit prædicari de inferioribus ſufficienter ex prima comparatione. Ratio danda debet eſſe, quia non poteſt dari exercitium ſecundo intentionale in aliqua natura, quin in tali natura foret denominans, & communicata forma illius lineę, in qua eſt tale exercitiũ; ergo cum ſine vlteriori illa applicatione formæ in natura poſſet dari actualis, & formalis prædicatio de inferioribus, quæ eſt exercitium ſecundo intentionale, debuit ante actum reflexum forma vniverſalitatis, ſeu pręedicandi eſſe naturæ communicata, & denominari formaliter prædicabilis, ſicuti in actu exercito formaliter prædicata; aliàs ſequeretur ſignatum inconveniens, ſcilicet, quod poſſet exerceri ordo, & linea vniverſalitatis, prius quam natura foret formaliter vniverſalis.

50 Inſtabis in phyſicis nulla forma formalem effectum exhibet ſubiecto, quin ipſi inhæreat per vnionem realem; ergo neque in intentionalibus informabit, quin applicetur per vnionem intentionalem. Huic inſtantiæ, & alijs, quæ conſimiliter poſſunt efformari reliqui occurſum in *diſt*. 1. *quæſt*. 1. Reſpondeo tamen negando conſequentiam, & paritatem. Ratio eſt, quam ex ipſis contrarijs deſumo, ſiquidē fatentur ipſi, quod ex actu primo comparativo relinquitur relatio rationis in naturis, etſi comparatio ſit ſimplex, quin illa relatio rationis mediante vnione poſitiva iudicij relinquatur, & tamen, nil phyſicum poſſe vnum agens relinquere in aliquo ſubiecto abſque vnione, deffendent.

51 Probatur 2, & augentur inſtantiæ ſic: Petrus v. g. vel eſt ſubiectum formaliter, & denominativé dum per ſimplicem comparationem confertur in ordine ad animal v.g. vel dum per comparationem compoſitam ponitur in ipſo intentionaliter animal, v.g. per iſtum actum, Petrus eſt animal; ſed neutro modo competit Petro ſecunda intentio ſubiecti formaliter; ergo requiritur vltra quemlibet actũ illorum reflexa comparatio, vt Petrus formaliter ſit ſubiectum. Maior videtur noſtra. Minor ſuadetur, quia per ſimplicem comparationem non poteſt Petro convenire forma ſubiecti, cum non detur adhuc propoſitio; aliàs poſſet dari forma ſubiecti, & prædicati, quin daretur forma propoſitionis. Deinde, neque per comparationem compoſitam, quia tunc ſolum applicatur ab intellectu vnio intentionalis, ita vt ſolum ponat in Petro formam primo intẽtionalem animalis mediante vnione intentionali. Deinceps, non apprehendit intellectus concretum aliquod dicens formam ſubiecti, cum ſolum apprehendat animal; ergo neque per actum comparationis compoſitæ eſt perceptibile, quod Petrus poſsit eſſe formaliter à forma rationis informatum, quin vlterius reflectatur.

52 Hanc exiſtimo ſummam contrariæ viæ ponderationem. Reſpondeo in primis ad antecedens dicendo, eſſe verum ex ſecunda parte, & nego abſoluté minorem. Ad probationem roncedo maiorem, & minorem, quo ad primam partē. Ad ſecundam partē reſpondeo illam ſic diſtinguendo; ita vt ſolum ponat in Petro formã primo intentionalem animalis per applicationem iudicativam concedo, per reſultantiam nego. Vel aliter ſic diſtinguo, per applicationem primo, & ex apprehenſione formæ ſolum de per ſe ponitur animal concedo; conſequenter, & veluti de per accidens, nego; & adhuc data vltima parte minoris, nego conſequentiam. Itaque dico verum eſſe, quod dum animal per actum iudicativæ comparationis dicitur de Petro, quod tunc debet Petrus eſſe formaliter ſubiectum, & animal prædicatum, ita vt licet vnio primo, & de per ſe ſolum ponatur inter animal, & Perrum, non requiratur, quod ponatur inter ſecundas intentiones ſubiecti, & prædicati, vt vnum ſit ſubiectum, & aliud prædicatum. Quod, meo videri debet ſuaderi ex eo, quod vnio intentionalis non ſit nata ad vniendum immediaté duas ſecundas intentiones, aliàs ſequeretur, quod ſicuti quia vnio intentionalis primo, & immediaté vnit

duas

duas primas intentiones, valet dicere, quod Petrus eſt animal, v.g.; ſic ſi duas ſecundas intentiones immediaté vniret, valeret etiam dicere, ſubiectum eſt prædicatum. Vnde vnio illa intentionalis ſolum eſt immediata poſitio primarum intentionum, ex quarum qualibet reſultat relatio rationis.

53 Quod igitur relatio rationis, ſeu ſpecialis ſecunda intentio formaliſsimé debeat manere ex conſequentia in vnaquaque prima intentione, & nõ ex vnione intentionali ſuaderi poteſt ex immediaté dictis; quia debet dari propoſitio, quæ ſicuti æqualiter dicit primam intentionem ſubiecti, & primam prædicati, ſic æqualiter dicat ſecundam intentionem ſubiecti, & ſecundam prędicati; & deinceps quod taliter inſint ambæ ſecundæ intentiones, vt vnquam valeat de ipſis prædicatio; ſed hoc ſolum poteſt convinari in noſtra opinione: ergo. Suaderi poteſt minor, quia in contraria opinione, vt poſita hac propoſitione, v.g. Petrus eſt animal, Petrus ſit formaliter ſubiectum, partitur propoſitio; quia dum intellectus comparat reflexé vnionem prędictæ propoſitionis, vt formam ſubiecti, tunc iam nõ manet niſi Petrus, & vna ſecunda intentio ſubiecti, ita vt dicendo Petrus eſt ſubiectum, ſolum vnica ſecunda intentio formaliter detur in tali propoſitione, etſi vſque in infinitum reflectat; ergo nunquam poteſt dari æqualitatis caſus in ſecundo intentionalibus.

54 Atvero in noſtro modo dicendi ſalvatur æqualitas ſecundarum intentionum formalium, ſicuti & primarum, dum reſultent, vel immediaté primas, vt vnitas conſequãtur; & deinceps non poteſt ſequi, quod vna ſecunda intentio prædicetur de alia. Ratio eſt, quia effectus per reſultantiam, & prçcipué dum cõſequuntur diverſa ſubiecta, difficile poteſt cõciliari prædicatio vera ipſorum, etſi ſubiecta ſint vnita, quin ad idiomatum communicationem recurramus; & adhuc magis præcipué dum accidat Petro vnio intẽtionalis cum animali, & deinceps accidat Petro ſecunda intentio, penés hoc, quod eſt diecere vnum per ſe. Et ſic verum eſt, quod vnio intentionalis ſolũ attingit duas primas intentiones, non tamen ex hoc ſequitur, quod ad poſitionem vnionis intentionalis non ponãtur ſecundæ intentiones formaliter in primis; ad modum ad quem eſt verum dicere, quod agens non producit ſubſiſtentiam, neque eam per actionem immediatam attingit; ſed nil refert dum ad terminum immediatum actioni illa reſultet, quin egeat actione, neque vnione, vt formaliter modificet: quod debes notare, ne dicant, quod vnquam formæ, & denominantia reſultant, vel conſequuntur. Debes etiam notare quod modi per ſe aſſiguntur, quin vt denominent, egeant vnione, & iuxta Doctorem, nil proprius, quam ſecunda intentio debet dici modus. Nota etiam hinc, iuxta ipſum poſſe coligi illud, quod dicebamus de æqualitate ſecundarum intentionum ex mutua coexigẽtia fundata in primis. Videatur *in 1.d.23.§. contra iſtud.*

55 Ad vltimam partem minoris debet dici, quod etſi vt Petro conveniat eſſe animal per vnionem intentionalem, requiratur prius apprehenſio concreti prædicandi, non autem talis apprehenſio requiritur, vt Petrus ſit ſubiectum; imó ex contrario convinco intentum iuxta rationem, & Scotum; quia quando per actum reflexé comparantem communicatur naturæ illa relatio; vel communicatur naturæ, apprehenſa vt vnio, vel apprehenſa, vt forma? Si apprehenſa vt vnio; nunquam habebit natura pluſquam eſſe, & cognoſci, vt habens præcisé vnionem, aliàs applicabit illi intellectus contra id, quod applicandum apprehendit. Si apprehenſa vt forma; contra, ex Doctore communiter, quia natura prius habet in ſe formam ſecundo intentionalizantem, quam talis formæ apprehenſionem: ergo &c.

56 Alia argumenta, quæ poſsint eſſe roboris cõtra hanc viam, exiſtimo manere præviſa *in quæſt.4.diſt.1.* reſtat nunc inferre ordinem ſervandum ab huius viæ ſequacibus inter primas, & ſecundas intentiones. Itaque in hac propoſitione, Petrus eſt animal; plura cõſiderari poſſunt. Primo cognitio abſoluta Petri, vt eſt in ſe, & ſimiliter cognitio abſoluta animalis, quin vnum reſpectu alterius cognoſcatur. Deinde ſuppoſita abſoluta cognitione terminorum, Petrus per ſimplicem comparationem cognoſci poteſt in ordine ad animal, & animal in ordine ad Petrum; ex qua ſimplici comparatione in Petro remanet relatio ſubjicibilis, & in animali relatio prædicabilis. Deinceps poteſt intellectus vnum extremum conferre cum alio mediante vnione poſitiva intentionali, quę eſt iudicium; ex quorum collatione intimiori, illæ relationes ſubjicibilis, & prędicabilis magis exercentur, & movẽtur, ita vt tranſeat ſubjicibile ad eſſe ſubiectum, & prædicabile prædicatum; derivata tali maiori actualitate, effectivé ab actu ſtrictiùs vniente, & comparante, & quaſi ſubiectivé ab ipſis primis terminis, quorum proportionem imitantur ſecundi intentionales.

57 Sed in prædictis hãc debes ſervare differentiam, quod etſi vt formaliter, & cõplecté derivetur in animali ſecunda intentio prædicati, & in Petro ſecunda intentio ſubiecti, requiratur inter Petrũ, & animal vnio poſitiva intentionalis, quæ eſt iudiciũ, non autem vt in animali derivetur ſecunda intẽtio vniverſalis

L. requi-

requiritur talis vnio. Ratio eſt in promptu, ex eo quod vt animal ſit prædicatũ requirit exercitium poſitivum vnius primę intentionis cum alia; at autem ſufficit, quod poſsit proximé exerceri, vt ſit prædicabile; vndé cum ſecunda intentio vniverſalitatis in eſſe prædicabilitatis, non autem in eſſe prædicationis ſiſtat, quia forté exercitio prædicandi deſtruitur; hinc eſt, quod id quod ſufficit, vt ſit vniverſalis, non ſufficit adhuc, vt ſit prædicatum. Qua propter inferes, quod natura negativé præciſa ſolum eſt fundamentum proximum ad ſecundam intentionem vniverſalitatis; præciſa, & comparata (hinc iam intrat ordo rationis, etſi mixtus cum extremis realibus) iam eſt principiũ relationis, & eſſe ſecũdo intentionalis vniverſalitatis; quod principium coaleſcit ex natura excitante, & ex comparatione efficiente. Comparata, & vniverſalizata, & vnione intentionali exercita, eſt proximum derivans ſecundarum intentionum ſubiecti, & prædicati.

58 Deinceps intrat ordo cognoſcẽdi, qui non dat, neque facit, ſed data, & facta cognoſcit; ita vt ad hanc cognitionem reflexam præcedat eſſe obiectivum, & formatum ſecũdarum intentionum; quæ objiciunt ipſi, vt cognoſcantur; etſi ſtrictiſsimum eſſe ſecundarum intentionum exiſtentium in naturis, & eas denominantium non habuiſſent, non poſſent objici. Et ratio eſt, quia vt paſsim Doctor, dum ceſſat negotiatio, iam eſt ordo ſtrictus formarum rationis completus; ſed dum intellectus cognoſcit naturas ſecundo intentionalizatas, nil negotiat; ergo nil applicat extra cognitionem, quam applicat, vt applicata cognoſcat, & ſic eas vniverſales intueatur. En duę viæ completæ, à quibus non ſolum præſens tractatus, ſed & vniverſa logica dependet. Dixi, quantum juxta mei ingenij parvitatem diſcurrere potui. Adverto vtramque probabiliter poſſe ſuſtineri; vltima tamen facilior; verum enim vero, prima eſt elegantior, & Doctori Subtili conformior; quam maluerit, eligat vnuſquiſque; noto tamen, quod cum electa, vſque nunc dicta, & adhuc dicenda, accommodet.

QUÆSTIO III.

De ordine ſervando inter eſſe, & intentionaliter denominari; & an idem ſit eſſe aptum ad eſſe intentionaliter in aliquo, ac eſſe aptum ad prædicandum de illo?

59 CIrca primum in titulo poſitũ, quod inquiritur eſt, an prius ſit eſſe aliquid ſecundo intentionalizatum, quam denominari intentionalizatum; v.g an prius ſit eſſe cognitum, vel eſſe vniverſale, quam denominari cognitum, aut vniverſale. Aliqui enim ex aſſerentibus, requiri comparationem reflexam, vt aliquod eſſe intentionale paſsivum communicetur primis intentionibus, ſentiũt, quod prius eſt eſſe paſsivum poſitum in obiectis, quam talis eſſe denominatio, ita vt per vnionem intentionalem, quę ponitur inter Petrum, v.g. & viſum eſſe, prius communicetur Petro eſſe viſum, quam eſſe viſum denominet Petrum; & ſic eſſe cognitum ſupponitur ad denominationem cogniti, nec non, & omne eſſe ſupponitur ad denominari. Suadent intentum; quia prius eſt eſſe album, quam denominari album; ergo prius eſt eſſe cognitum, quã denominari cognitum. Probant ex eo, quod ideo denominetur cognitum, quia eſt cognitum, & non ideo eſt cognitum, quia denominetur cognitum; ergo cum quævis cauſa ſupponatur ad ſuum effectum, ex illa cauſali infertur, quod eſſe, vt quid prius ſupponatur ad denominari.

60 Sed hæc reſolutio vel omnino diſplicet, vel in æquivocum laborat. Primum, quia illæ cauſales multoties non inducunt pluſquã prioritatem à quo, quâ prioritate, adhuc ſimultatem, non ſolum in eſſe, ſed in cognoſci terminant effectus. Secundum, quia in prædictis eſſeitatibus intentionalibus mutua coexigentia poteſt dari in eſſe, & denominari: quod ſuadeo, quia non eſt prius eſſe, ſeu forma, quam denominans forma; ergo non eſt prius eſſe, quam denominatio. Prob. antecedens in ſententia Groſsi intentum noviſsimé corroborantis *diſert. 7. elucid.* 8. tunc forma denominat, quando prædicatur de ſubiecto; ſed tunc prædicatur de ſubiecto, quando eſſe intentionale viſi, v.g. per vnionem intentionalem ponitur in illo; ergo forma non eſt prius, quam denominans.

61 Reſolvo igitur firmiter, quod eſſe formale, præcipué in intentionalibus non eſt prius, quam denominet, & hoc, adhuc ex ſuppoſitione, quod opinionem primę vię deffendam. Neque in contrarium poſſum ſuſpicari Scotum attenté examinatum in tot locis à me citatis; quidquid reclamet Groſſo, citans proſe quam plurimos ex veteranis Scotiſtis, (excepto Illuſtriſs. Merinero, qui contrarium amplectitur *dp.* 2. *vniv. q.* 2.) inter alios citat Dominũ *Tartar. tract.* 2. ſed immerito, cũ ibi adhuc videatur ponere reſpectũ rationis poſt denominatũ, ita *in* 6. *Poſtquã determinatũ ẽ. Tract.* 2. *ſuper gloſ. Petri Hiſp.* & expreſsiùs

lib.

lib. 1. Prædicab. dub 2. de ſecundis intentionibus, verſ. reſpondetur, vbi nullum aliud eſſe inhærens adiungit primis intentionibus, præter puram denominationem prædicandi. Sed quidquid ſit de hoc.

62 Probatur; quia vt denominari eſſet poſterius ad eſſe formaliter applicatum termino denominando, debebat denominatio, vel cauſari effectivé ab eſſe, vel formaliter, vel per reſultantiam; ſed quolibet ex his modis repugnat, quod denominatio ſecundò intentionalis cauſetur, & derivetur ab eſſe in Groſsi, & aliorum Scotiſtarum opinione, quam ſequitur; ergo eſſe formale rationis non ſupponitur ad denominari. Maior debet admitti, quia extra illos modos nulla prioritas convincitur. Minor ſuadetur, quoad cauſari effectivé, vel per reſultantiam; quia poſtquam eſſe ſecundò intentionale ſubiecti eſt formaliter applicatum Petro v.g. neque efficitur, neque reſultat denominatio; ergo quolibet ex his modis repugnat &c. Prob. antecedens; quia denominari, vt ſupra de ipſis ſuppoſui, non eſt aliud, quam dici, ſeu illud eſſe prædicari; ſed vt de ſe patet prędicari non reſultat de illo eſſe, imó potius omnis relatio rationis reſultat apud ipſos ex comparatione ſimplici, vel prædicativa; ex quo non ſine fundamento ait Merinero, quod eſſe ſequitur ad prędicari; ergo. Deinde neque efficitur; iam quia actus intellectus ſi aliquo modo ſit cauſa effectiva, eſt impropriè, cum nullam actionem habeat, & ſic ſolum dicitur efficiens, prout ſic vocatur dimanandi, & reſultandi ſubiectum; iam quia ſi foret effectivus, maximé vt reflexé poterat eſſe cauſa alterius actus, qui daret denominationem; ſed hoc repugnat, quia cum talis reflexio, vt contingens, poſsit non dari; ſequeretur, quod poſſet eſſe, formale eſſe in ſubiecto, & quod ſubiectum formaliter non denominaret; ergo.

63 Quod ſi denominatio cauſetur in genere cauſæ formalis, (neque aliter exiſtimo, quod in eorum ſententia, & in communi debeat cauſari, quia ſi denominatio eſt effectus, & formaliter derivatus, neſcio in quo alio genere, quam in genere cauſę formalis debeat derivari à forma, & eſſe formali) eorum intentum repugnet magis ſuadetur; quia tunc datur effectus formalis, quando eſſe formæ, quę eſt cauſa formalis, communicatur ſubiecto; ergo non eſt alter effectus formalis, quam ipſum eſſe formale communicatum; ergo ſicuti repugnat, quod eſſe formale communicatum, ſupponatur ad eſſe formaliter communicatum, ſic repugnat, quod eſſe formale communicatum, ſupponatur ad effectum formalem; ſed denominatio formalis eſt effectus formalis communicatus; ergo repugnat, quod aliquod eſſe illius formæ ſupponatur ad ipſam.

64 Hæc, & quæcunque alia fortè evadere intendent ſiſtēdo in hoc, quod licet in hac propoſitione v.g. Petrus eſt animal, animal ponatur per prædicationem intentionaliter in Petro, non tamen in eodem tunc ponitur denominatio; quia illa prædicatio non eſt, quæ denominat, ſed quę applicat, & ponit eſſe in ſubiecto, à quo per prædicationem diſtinctam eſt denominandum. Nota hinc, quod natura hominis, per hunc actum, Petrus eſt homo, ponitur intentionaliter in Petro, ante talem vero actum ſolum erat realiter in ipſo, & in alijs inferioribus.

65 Sed vt videatis Groſsi, & aliorū æquivocationem, inquiro, per actum, per quem natura realis communicatur Petro, communicatur & Petro eſſe formale ſubiecti? Reſpondere debent iuxta ſua ſupra poſita principia in quæſtionibus antecedentibus; quod Petro non communicatur eſſe formale ſubiecti per hunc actum, Petrus eſt homo, quia ſecunda intentio ſubiecti non communicatur Petro vt forma, ſed vt vnio præciſé inter duas primas intentiones, & ſic requiritur, vt Petrus ſit formaliter ſubiectum, actus reflexus v. g. Petrus eſt ſubiectum.

66 Contra in primis inferendo, quod nil dicunt ex eo, quod actus reflexus requiratur ad denominationem, ſiquidem ante illum actum reflexum fatentur ipſi, quod non erat eſſe formale ſecundæ intentionis poſitum, & communicatum ſubiecto, & difficultas nō eſt, an denominatio ſit poſterior ad eſſe primo intentionale poſitum in ſubiecto, ſed ad eſſe formale ſecundę intentionis poſitum, & communicatum ſubiecto; ergo requiri vlterior reflexio ad denominari non infert, quod denominatio ſit poſterior eſſe ſecundo intētionali, cū eſſe formale ſecundæ intentionis, vt ſit, etiam reflexionem requirat.

67 Contra 2. efficaciter, per hunc actum, v.g. Petrus eſt homo, eo modo, quod ſecunda intentio habet eſſe, immediatiſsimé denominat, quin actus reflexus requiratur; ergo de quovis alio eſſe ſecundo intentionali dicendū eſt etiam, quod eſſe non ſupponitur ad denominari. Probatur 1. antecedens; quia tunc ſecunda intentio ſolum habet eſſe vt vnio, ſed per eundem actum inſimul denominat; ergo eo modo, quo habet eſſe immediatiſsimé denominat. Maior eſt eorum. Minor prob. ex

ipſis; quia ſi inſimul extrema non denominaret vnita, maximé, quia per actum reflexum illa denominaret; ſed per actum reflexum implicat, quod denominet vnita : ergo. Prob. minor; quia per actum reflexum non habet iſtā eſſe vnionem, ſed eſſe formam; ergo implicat, quod per actum reflexum extrema denominet vnita. Probatur; quia actus reflexus immediatus, eſt iſte, Petrus eſt ſubiectum; ergo Petrus non dicitur vnitus, cum ſolum dicatur ſubiectum.

68 Prob. 2. idem antecedens ſic: quia homo inſimul, ac ponitur intentionaliter in Petro, Petrus intentionaliter ab illa prima intẽtione denominatur homo; ergo inſimul, ac quodvis eſſe ſecundæ intentionis eſt in aliquo, ipſum denominabit. Prob. antecedens; quia homo per illum primum actum denominat Petrum; ergo inſimul, ac ponitur Petrus, denominatur homo. Prob. antecedens, quia per quodcunque poſterius illo actu, aut Petrus nõ denominatur, aut Petrus denominatur ſubiectum; ergo à fortiori per eumdem inſimul actum, per quem homo ponitur in Petro, Petrus debet homo denominari, ſicuti homo debet dici. Dixi notanter, quod Petrus quocunque poſteriori illo actu, aut denominabitur ſubiectum, aut non denominabitur; quia etſi ex illo actu reſultent relationes rationis, non tamen denominatur homo ab illis, vt contrarij fatentur. Deindé probari poteſt reſolutio; quia ſi inquiramus, quid ſit definitivé prædicatum? Reſpondebunt, quod prædicatum eſt id, quod de aliquo dicitur; ergo eſſe ſecundo intentionale prædicati, dicitur ad convertentiam cum dicto, ſeu denominato; ergo eſſe ſecundo intentionale, & prædicabilitas inſimul ſunt, quin ſit intelligibile, quomodo vnum ſupponatur, vt prius ad aliud.

69 Reſpōdebis verum eſſe, quod ipſa formalitas dicti, & prædicati habet eſſe, aliquid enim, vel à parte rei, vel ſecundo intentionaliter debet eſſe, aliàs neque intelligibilis foret denominatio; at autem ante illud eſſe ſub dici expreſſum, datur quoddam aliud eſſe primũ, quod ſupponitur ante formalitatem denominationis. Sed contra; quia ex hac ſolutione ſequerentur duo eſſe ſecundo intentionalia, & conſequẽter duę logicæ aptitudines, & vniverſales, ita vt de vnoquoque poſſet dici, quod habebat diſtincta inferiora; haberet ſiquidem duos modos eſſendi ſecundo intentionales, & inferiores ambo; quod non debet dici, cũ vno ſignato eſſe ſecundo intentionale, reliquum ſine neceſsitate, & vtilitate multiplicetur.

70 Neque poſſunt reſpondere contrarij, quod formalitas dicti non habet eſſe, præcipué qui nobiſcum defenſarunt, quod denominationes extrinſecæ ſunt entia rationis, inter quos noviſsimé, & doctiſsimé Antonius Groſſo. Ratio eſt, quia fundamentum præcipuum ad perſuadendum, quod erant entia rationis nitebatur in hoc, quod formalitas denominationis extrinſecæ aliquid reale erat; ergo aliquod eſſe ſaltim extrinſecum reale, quod ſine vnione intentionali repugnabat in obiectis, &c.

71 Ex quibus ad illa, quę in initio quæſtionis poſui pro contraria opinantibus. Reſpondeo, præter dicta ibi, interrogando, quid intelligant per hoc, quod albedo prius eſt in ſubiecto, quam quod denominet illud? Quid intelligunt per denominare illud? Si intelligãt aliquod exercitium formale ante omnem cõſiderationem intellectus; idem reſpondebo, dando ſimultatem in eſſe albedinis communicato formaliter, & in formalitate denominationis; ſine recurſu comparativo, nõ eſt prius animal rationale in homine, quam quod homo denominetur animal rationale. Si pro denominari intelligant, dici, ſeu prædicari, ita vt velint hunc ſenſum, ſcilicet, quod prius eſt albedo in ſubiecto, quam quod dicatur, ſeu prędicetur de illo, veriſsimum eſt; quia albedo eſt à parte rei in ſubiecto, & denominatio debet ſic poſt illud conſiderari.

72 Sed ex his nil agunt, quia difficultas eſt, an albedo, v. g. ſit prius intentionaliter, & formaliter vnita, & copulata intelligibiliter in ſubiecto, antequam dicatur, ſeu denominet; quod convinci, mihi imperceptibile videtur. Ratio eſt; quia adhuc, quidquid eſſet de formis abſolutis, & realibus, nunquam aliquid de rationis, & reſpectivis poteſt aliquid niſi difficulter ſuaderi; iſtæ etenim ſunt eſſeitates, quę denominando ſunt. Sic ſi eſſe formale relationis v. g. eſt totum eſſe ad aliud; non diceretur bene, quod eſſe erat prius quam refferre, eo quod refferendo erat: ergo ſi totum eſſe intẽtionale formaliſsimé ſiſtit in dicere de alio, mediante vnione intentionali, non poteſt bene inferri, quod ſit intentionaliter, antequam dicat, cum illud eſſe, dicendo ſit. Ex quibus debes inferre ſecundum in titulo quæſtionis petitum; ſcilicet, quod non eſt prius in natura eſſe aptam ad eſſendum in inferioribus, quã ad dicendum de ipſis. Aliqua argumenta movet Groſſo *differt.* 10. de vniverſalibus, ſed immediatè dicta ſine robore manent. Deinde roborabuntur dicta impugnando Dionyſ. in lib. vniverſ.

QUÆSTIO IV.

An per indiviſibilem comparationem in extremis comparatis, ſecunda intentionalitas ponatur?

73 Stabilitum manet ex feré omnibus ſupra dictis, quod ſecunda intentio vniverſalitatis, v. g. cauſatur in natura mediaté ab intellectu, & immediaté ab actu eius comparativo: nunc vero quod inquiritur eſt, an eodem numero actu, quo comparata natura ſuperior ad inferiora, reſultat in natura vniverſalitas, ſeu proxima prædicabilitas; reſultet, & cauſetur in inferiori ſubjicibilitas.

74 Circa quod duplex eſt modus Scotizãdi. Primus eſt aliquorum aſſerentium, quod in extremis correlativis neceſſariam connexionem inter ſe habentibus, eadem cognitione comparativa fieri, & reſultare vniverſalitatem, & ſubjicibilitatem. Ita Valera *lib. 1. diſt. c. a 4. q. 3. concluſ.* 2. Qui modus dicendi non leve fundamentum habere videtur in Doctore ſubtili *in 1. d. 23. §. contra iſtud.* Vbi ait, quod omnis intentio ſecunda requirit correlativum, ad quod referatur; & ponit pro exemplo ſpeciem, quę reſpicit genus pro ſuo correlativo, & particulare, quod pro ſuo correlativo reſpicit vniverſale, & ſic de alijs. Secundus dicendi modus eſt aliorum dicentiũ, quod non ſolum ſubjicibilitas, & vniverſalitas, diſparatæ in eodem ſubiecto, v.g. in ſpecie, ſubjicibilitas ad genus, & vniverſalitas ad individua; ſed etiam ſubjicibilitas, & vniverſalitas correlativæ, v.g. ſubjicibilitas ſpeciei reſpectu vniverſalitatis generis, diverſis actibus comparativis reſultant, & cauſantur. De prima parte ſolet eſſe communis conſenſus veterum Scotiſtarum; quia cũ prædictæ relationes nullam retineant inter ſe connexionem, habent ſiquidem terminos diſperſos, & diſparatos, eadem actione, qua fit vna, non fit altera; comparatio enim, qua natura comparatur ad ſua inferiora, debet eſſe alia ab illa, qua comparatur, vt ſubjicibilis ad genus. De ſecunda parte, non ſic eſt communis Scotiſtarum conſenſus; etſi non pauci, & graviſsimi Scotiſtæ conſentiant cum Mauritio *quæſt. 3. Proœm.* & cum Joanne Anglico *quæſt. 5.* quos citat, & ſequitur Iudovicus Rodriguez *q. 6. vniverſalium art. 4.*

75 Circa hos dicẽdi modos breviter procedam. Sentio igitur primó, nullam poſſe in vllo ex his modis eſſe controverſiam in hoc, quod vt relativé cointelligãtur extrema ſecundó intentionalizata, diverſæ debeant dari relationes rationis, ſicuti, & diverſa dantur fundamenta, & terminantia: vnde, etſi actus comparans foret idem, non poterat verti in dubiũ, quod relationes, ſeu formæ rationis forent diverſæ. Sentio deinde, quod neque debet verti in dubium, quod illæ diverſæ relationis indiviſibili actu comparativo cauſentur, ſi adſit tale exercitium practicabile ſine intelligibili contradictione. Ratio eſt, quia ſicuti in phyſicis diſcurrimus in relativis, ſic ab eorum rationibus rectam conſiderationem fundantibus debemus diſcurrere in intentionalibus; ergo ſicuti in phyſicis ab vnius cauſalitatis exercitio reſultant diverſę relationes reales; ſic in intentionalibus ab vnius comparationis exercitio, ſi perceptibile ſit, poſſunt reſultare diverſæ relationes rationis.

76 Sentio tamen, quod licet iuxta vnam, aut alteram viam propoſitam in quæſt. 2. poſſit probabiliter ſuſtineri opinio Valeræ, probabilior veró apparet opinio Anglici, & aliorum tenentium, quod ex comparatione naturæ ad ſingularia ſolum cauſatur vniverſalitas in natura. Sic exiſtimo poſſe ſuaderi: dupliciter poteſt vnum referri ad aliud, vel quia ex natura ſua tendit ad illud, vel quia ſolum intelligibiliter conſideratur tendere ad illud; ſed per actum præciſsé comparantem naturam ad inferiora, ſolum intelligitur, & cognoſcibiliter vertitur natura ad illa; ergo per eundem indiviſibilem comparationis actum ſola vniverſalitas cauſatur in natura. Prob. minor ex dictis *diſtinc. 1.* loquendo de denominationibus extrinſecis: non magis natura cognita in ordine ad inferiora reſpicit, ſeu eſt ex actu cõparativo in ordine ad illa, quam cognitio realis eſt in ordine ad quodvis obiectum; ſed manet diffuſsè propugnatũ, quod etſi eſſe cognitionis reſpiciat obiectum, neque adhuc intelligibiliter in obiecto cauſatur relatio; ergo etiamſi obiectivum, & eſſe cognitum naturæ reſpiciat, & ſit ad inferiora per illum indiviſibilẽ comparationis actum, ſolum intelligibiliter vertetur ad illa, ac per conſequens nulla cauſabitur relatio per quam inferiora vertantur ad naturam.

77 Confirmantur omnia in relationibus Patris, & Filij; vt intelligibiliter Pater, & Filius mutuó referantur, debet intellectus per cognitionem facere, & currere, quod extrema per propriam formam; ergo ſi vt Pater, & Filius per propriam formam mutuó referantur, requiritur, quod non ſolum Pater ſit in ordine ad Filium, ſed quod filius ſit in ordine ad Patrem, vt in-

intelligibiliter coexigantur, non ſolum requiretur, quod Pater cognoſcatur in ordine ad filium, ſed quod filius cognoſcatur in ordine ad Patrem; nunc ſic; ergo vt natura intelligatur vniverſalis, & individuum formaliter ſubjicibile non ſolum requiretur, quod natura cognoſcatur in ordine ad ſingularia, ſed etiam quod ſingularia cognoſcantur in ordine ad naturam; ſed iſti actus ſunt diſtincti; ergo. Prob. minor ex illo Philoſophi axiomate, ſcilicet, quod non eſt eadem via aſcendentis, & deſcendentis; ſed via intellectus cõparantis naturam ad inferiora eſt deſcendentis, & comparantis inferiora ad naturam eſt aſcendentis; ergo non eſt eiuſdem viæ comparatio. Sic non eſt eadem via Athenarum ad Thebas, ac è contra propter dicenda in minori; ſed per apprehenſionem naturæ ad inferiora tendit comparatio ad illa; & per apprehenſionem inferiorum ad naturam, comparatio revertitur; ergo non eſt eadem comparationis via.

78 Objicies, quod correlativa cognoſcuntur inſimul, cum non ſolum in natura, ſed & in cognitione ſint ſimul; ergo vnica apprehenſio, & comparatio ſufficit. Concedo antecedens, & diſtingui poteſt conſequens, vnica apprehenſio ſufficit, vt puré ſpeculativé cognoſcantur, permitto; vt cauſentur, nego. Itaque vt ſyllogiſmus ſpeculativé apprehendatur vnica ſufficere poteſt apprehenſio; atvero vt cauſetur, quod apprehenditur, triplex requiritur iudicium. Aliud enim eſt cognoſcere codẽ actu duo correlativa, aliud eodem actu ea cauſare.

79 Deinde, quia adhuc, vt perfecté duo correlativa cognoſcantur, levis videtur indiviſibilis cognitio; quia quando eodem actu cognoſco Patrem, & filium; filium tantum cognoſco ſecũdum ſuum abſolutum; ſolum enim requiritur, quod cognoſcatur, vt terminans relationem Patris; & vt ſic terminans non eſt quid relativum apud Scotiſtas; ergo vt relativum cognoſcatur, alia cognitio requiritur. Hoc idem debes nimis notare in correlativis intentionalibus, in quibus Scotica norma relationis terminantis eſt accomodanda; quare dum ex comparatione natura reſpicit inferiora, non refertur ad relativum, ſed ad abſolutum; quod cum detur, & deinceps ſufficiat pro terminante, hoc non requiret eſſe ſubjicibile, vt illa ſit vniverſalis. Ex quibus ſatisfaciendus eſt Scotus, dum ait, quod dato ſuperiori datur inferius; ita vt detur, non vt formaliter relativum, ſed vt abſolutum, & terminans relationem ſuperioris. Addit Rothericus, quod adhuc in eſſe termini per illum actũ non conſtituitur; ſed per actum abſolutum, quo cognoſcitur, vt inferius, quem actum ſimul cum comparativo poteſt habere intellectus.

80 Sed dices; tunc intelligitur cauſata relatio rationis, quando iuxta illam habet obiectum objici intellectui; ſed ex ſimplici comparatione naturæ ad inferiora poſſunt objici inferiora immediatiſsimé in ordine ad illam; ergo quia relatio ſubjicibilitatis fuit ex ſimplici illa comparatione cauſata in illis. Diſtinguo maiorem, quando habent objici ex circũſtantijs vtiliter, & intelligibiliter ex parte objectorum requiſitis, concedo, aliter nego; & ſic reliqua percipio. Itaque dico, quod ex perfectione fundamenti comparatione informati, & diſpoſiti exigitur, quod ſolum ſic habeat perfecté cauſari, & objici relatio; & aliter obiectam reprobabit intellectus, quouſque comparationem ex parte termini ponat; quod erit concludere, per id, per quod recté fundatus inciperet. Et ratio eſt, quia relatio debet reſultare ex illo termino ex parte cuius adsũt circunſtantiæ; ergo cum actus ille comparativus naturæ non ſe teneat ex parte inferiorum, ſed ex parte naturæ, ex qua reſultat vniverſalitas, hinc eſt, quod vt reſultet ſubjicibilitas, alter actus requiretur, qui ex parte aliorum ſe teneat.

81 Neque ob iſta omnem poſsibilem, & imaginabilem ſimultatem inter actus comparativos, auferre intendo; poteſt ſiquidem intellectus, ictu mentis, comparare naturam ad inferiora, & inferiora ad naturam; ſolum volui perſuadere, quod ex levi eminentia noſtræ cognitionis, videtur difficile, quod indiviſibili via tẽdat ad vnum, & ex illo tẽdat ad aliud, comprehendẽdo inſimul, & indiviſibiliter cauſando duplicem viam, & tendentiam, vnico cognitionis paſſu. Bene enim poſſunt eſſe continui, aut contigui; verumtamen diſtincti: & ſic non nego, quod ad invicem debeant, vel poſsint comparari, vt notat Ioan. de Magiſt. *tract. 2. de Prædicab.* Noto tamẽ in fine, quod nunc dicta debent accomodari iuxta vnam ex illis vijs, quas *quæſt.* 2. deambulabimus.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Andentur ſecundæ intentiones grammaticales?

82 CONſul ò propoſui, præſentē quæſtionem, vt etſi breviter, aliqua æquivocantia evadamus, quæ vt evitemus, potius explicatione, quam formalitate hanc eviſcerare difficultatem conabimur. Itaque advertendum eſt, quod ens rationis, ſeu ſecundo Intentionale in tota ſua latitudine logicam ſphæram ſuperat, ita vt extra ipſam extendatur; ſub ſe enim comprehendit nomē, verbum, participium, & quam plurima relativa grammaticę propria, quæ habent eſſe ſecundo intentionale, cum formaliter relativa rationis ſint etiam. Comprehendit deinde tropos, figuras, & alias ſimiles conſonantias, quæ Rethoricæ ſunt propria, & tamen etiam formaliter eſſe ſecundo intentionale imbibunt.

83 Deindè, eſt nimis conſiderādum, quod adhuc eſſe intentionale ad ſphæram logicalem contractum, non habet ſecundum omnem ſui ſpeculationem à logico conſiderari, aliter enim habet ſecunda intentio conſiderari à logico, & aliter habet conſiderari à non logico, qui, vt dicemus, poterit dici metalogicus, ſeu metaphyſicus rationalis. Logicus igitur conſiderat ſecundam intentionem in cōcreto; quia, vt ait Doctor Subtilis cum Avicena *in 2. d. 3. q. 1. §. ad quæſtionem, logicus conſiderat ſecundas intentiones, vt applicatas primis*; ita vt applicabilitas ſubiecto, ſeu fundamento, ſit ſecundæ intentionis propria paſsio: At autem Metaphyſicus rationalis conſiderat ſecundam intentionem iuxta quidditatem ſuam, vt eſt ens præciſè; ita vt vniverſale, quod prout eſt ens conſideratur à Metaphyſico, vt eſt ens applicabile naturis communibus, conſideretur à logico. Conſentit Tartaret. 1. Prædicab. art. 3.

84 Ergò iuxta hanc poſitionem videtur, quod adhuc ſecunda intentio logica iuxta omne eſſe, iuxta quod poteſt ſpeculari, non eſt de præciſa conſideratione logica. Et ratio (pro illis quibus dicta non diſpliceant) poteſt parificari ex ente reali, quod eſt in ſe, quodvis ens naturale: ſicuti enim ens reale habet eſſe applicabile ad differentias Phyſicas, ſeu naturalitatis; ſic ens rationis, ſemel cum fundamēto ſuppoſito, debet habere eſſe applicabile ad differentias logicas, ſeu prædicabilitatis, &c; ſed licet ens naturale ſit ens reale, iuxta quidditatem realem vt ſic, non conſideratur à phyſico, ſed vt alteri applicatum; ergo licet ens ſecundo intentionale logicum ſit ens rationis, non conſiderabitur à logico ſecundum quidditatem rationis, vt ſic, ſed vt alteri ſubiectū. Quam paritatem ſi percurras, plura Sophyſmata in contrarium auffugies. Sin autem velit aliquis dicere, quod adhuc ſecundæ intentioni ſic conſideratæ, non ſit neceſſarium ſignare aliam ſcientiam, quam realem Metahyſicam, non multum contra hoc inſiſtam; iam, quia totalis nominis queſtione confunditur; iam quia Doctor noſter id fovere videtur cum Philoſopho *in 1. d. 23. q. unica, §. item arguo*, vbi propè initium ex ore Philoſophi ait, *quod cōtrariorum eadem eſt ſcientiā*; ergo pro ente reali, & rationis eadem ſufficit Metaphyſica. Sed quidquid ſit de hoc, reſolvetur forſan in *diſtinctione* de obiecto logicæ

85 Solum reſtat ſemper primum quæſtionis intentum amplius informare circa ſecūdas intentiones, & entia rationis grammaticalia. Ens igitur rationis ſemper inducit extremum referens, quia vt paſsim ait Doctor, debet eſſe extremum conferentis cognitionis; ſed, vt dixi, in grammaticalibus dantur extrema collata; ergo dantur relativa rationis. Prob. minor; in omnibus relativis, ſcilicet, ille, ſuus, alter, &c. quę reſpectiva ſunt formaliter ex comparatione intellectus, ita vt licet nunc relativa realia videantur illa nomina, vt ex nimia, & vſitata impoſitione videtur Rami reſpectus ad vinum; ſed tamen aliquando, extrema fuerunt puræ rationis comparativæ: ergo.

86 Deinde in poeſi poteſt intellectus comparare dactylum nō ſolum in ordine ad ſpōdeum, ſed in ordine ad quemvis alium pedē; etſi metricus, & rithmicus non ſit, ſervando proportionem Metaphoræ; in quo caſu reſultabunt relationes rationis, ſolius grammaticę propriæ; nec non ex illa materia pedis, & ſyllabæ, & ex forma rationis, concretum ſecundo intentionale conflabitur. Sic etiam tribuere poteſt intellectus huic voci lilium lilij, quæ eſt ex ſe quid reale, & naturale, ſignificationē naturæ lilij, faciens, vt per ſignificationem ad illud referatur, & deinceps poteſt illi dare modos ſignificandi grammaticales, ſcilicet, caſus, & numeros, genus, & perſonam, & ſic alios, qui à grammatizantibus, nominis accidentia ſolent appellari.

87 Itaque ſicut ſecundæ intentiones logicæ, obiectivæ ſunt in intellectu, & quaſi ſubiectivè ſunt in naturis, & rebus, quas denominant; ſic, ſervatis ſervandis, omnes illi modi ſecundo intentionales ſubiectivè ſunt in voce,

illam

illam ſiquidem intrinſecè denominãt,& obiectivè ſũt in intellectu,eo quod omne eſſe illorum,non ſit extra objici illi. Quod ad tropos, metaphoras, rithmas, & ſic alia detur fundamentum intellectui ex primis intentionibus,ſicuti datur ad ſubjicibilia, diviſibilia, & vniverſalia, non dubito; etſi ex in opia praxis,& vſus, intellectus in explicandis tepeſcat. Certum eſt enim, quod invenict motiva excitantia ad Rithmicorum conſonantiam,& armoniam,ſicuti invenit ad pulchrum metaphoræ mendacium, & ad elevatum hyperbolis exceſſum. Sic & ad aliqua elegantia in forma exprimenda,imponit intellectus reſpectivam ſignificationem nominibus, quæ de ſe iam ſpecioſa,& criſpa ſonare præradiant; & ſic de omnibus invenietur, ſi rationabiliter percurratur.

88 Sed pro complemento prædictorum ſunt duo principaliter notanda. Primum eſt, quod illa relativa,& nomina grammaticalia, vt terminent relationem rationis, non requirunt eſſe recta,ita de per ſe,vt etſi ſint obliqua ſimiliter relationem dicant; v g. cuius eſt hic liber? Liber eſt illius, &c; at autem vt extrema logicalia prædictis relationibus informentur, cum requirant eſſe, vt perfecte ſubjicibilia,& prædicabilia ſint,requirunt de per ſe nominum rectitudinem, quod bene notavit Philoſophus 1. *de Interpret.* Secundum principaliter advertendum eſt,quod etſi relativa ſint grammaticalia, vt dicunt purum ſyncathegorema, v.g. qui,illi,hic, &c.Sed tamen ex cõſortio ad rectum logicum, in quo ſyncathegorema inhæret, in logicum concretivè trãſformatur, quia ex inflexibili ſubſtantia, ſeu entitate prædicati, aut ſubiecti, in quo in eſt, eius obliquitas impeditur. Simile invenies in qualitate quantitati inherente, cui coniuncta redditur extenſa, ita vt penetrabilitas eius ex conſortio impediatur.

89 Ex omnibus eſt inferendum, quod nõ debent renui grammaticales ſecundæ intentiones; quæ etſi conſiderari etiam poſſint, vt applicatæ primis; tamen ſemper logicæ intentiones diverſæ erunt; vel quia modus applicãdi eſt diverſus; vel quia ſubiecta, quibus applicanda ſunt ſub alia ratione illas fundãt,& excitant intellectum, vt non omnis ſecunda intentio, ſed peculiaris applicetur; v. g. vt ſunt præciſè ſubjicibilitatis, vniverſalitatis, &c. in quibus a quolibet eximia poteſt percipi differentia, ſicuti & tam comparationum, quam fundamentorum diverſa norma, & conſonãtia, videatur Scotus, qui *in q.16.univ.5.* ad quartum principale ſpecioſè intentiones grãmaticales à logicis diſtinguit.

QUÆSTIO VI.

Reſolvens ſecundas intentiones eſſe entia rationis.

90 Etſi in *diſtinc.* 1 & alibi propugnaverimus,quod ſecundæ intentiones ex parte obiecti ſe tenentes, ſunt aliquid extrinſecum, & nil reale poteſt cauſari in obiecto; ſed tamen ſpecialiter de ſecundis intentionibus reſtabat pro complemento præſentem inſtituere quæſtionem; non tantum, vt illam probemus, quantum vt aliquibus occurramus.

91 Reſolvendum eſt firmiter ſecundas intẽtiones logicas eſſe entia rationis, eſt decorde Doctoris Subtilis in ferè locis omnibus huc vſque citatis videantur, quæ extant in *quæſt.* 1. *oppoſ.* 1. Prob. 1. vniverſalitas logica eſt ſecunda intentio;ſed vniverſalitas logica eſt ens rationis formaliter; ergo ſecunda intentio eſt ens rationis formaliter. Prob. minor;illud eſt formaliter ens rationis, quod extra animã repugnat formaliter eſſe; ſed extra animam repugnat, quod in natura ſit vniverſalitas logica; ergo vniverſalitas logica eſt formaliter ens rationis. Prob. illam naturam intelligimus logicè vniverſalem, quam videmus poſitivè eamdem in pluribus; ſed excepta natura divina repugnat,quod aliqua natura ſit eadem poſitivè communicata pluribus extra animã; ergo extra animam repugnat, quod ſit in natura vniverſalitas logica. Minorem ſic relinquo vſque ad librum vniverſalium.

92 Quamplurimi, inter quos noſter Põtius *dp.1.de ente rationis quæſt. vltim.* prædictam probationem evertere intendent ex explicatione, quam pro ſecundis intentionibus obiectivis adducunt. Aſſerunt enim,quod eſſe genus v.g.nihil aliud eſt,quam eſſe prædicabile, vel eſſe prædicatum de pluribus ſpeciebus; ſed eſſe prædicatum nõ dicit aliud neceſſario, quam denominationem extrinſecam deſumptam ab actu intellectus,quo iudicatur aliquid de alio; & eſſe prædicabile non eſt aliud, quã aptitudo rei ad recipiendum talem denominationem; ergo cum ex talibus denominationibus extrinſecis nullum ſequatur ens rationis, & deinceps illa aptitudo ſequatur rem nullo intellectu conſiderante, ſine fundamento ſecundas intentiones entia rationis efficimus.

93 Eleganter eviſceravit Pater Pontius Scoti, & veterum Scotizantium medulam. Nimis calumniatur à Maſtrio, & merito hæc pati-

patitur; quia peccavit in Patrem ſuũ. Sed quidquid ſit de calumnia, miror, quod Pater Poncius non viderit, aliud eſſe, eſſe à parte rei naturam, quæ ſit prædicatum, vel prædicabile proximum; & aliud eſſe, eſſe à parte rei prædicabile, quam diſtinctionem percipies in Petro coniuncto cum lapide, vbi aliud eſt, eſſe à parte rei Petrus, qui ſit coniunctus cum lapide, & aliud eſt, eſſe à parte rei Petrus cum lapide coniunctus. His tamen ſic prævisis adverto impugnationes in Poncium, & alios Suarij ſequaces mancré *in diſt.* 1. præcipué *in quæſt.* 3. quæ militant cõtra extrinſecas denominationes; & *in quæſt.* 2. quæ contra ſic intellectam aptitudinem: quibus ibi.

94 Inſto nilhominus ſic: illud eſſe ſecundó intentionale, quod eſt à parte rei prædicatum, vel eſt ipſum obiectum à parte rei exiſtens, vel ipſemet realis actus intellectus? Si ipſum obiectum à parte rei exiſtens: ergo nullo conſiderante, & iudicante intellectu obiectum, v. g. natura erit formaliter prædicata. Si ipſemet realis actus intellectus ſit: ergo in hac propoſitione, v. g. Petrus eſt homo, prædicatum formaliter non erit homo, ſed actus intellectus, & conſequenter ipſemet actus iudicans, erit formaliter iudicatus.

95 Dices, quod ſecunda intentio prædicati, neque eſt præcisé natura, neque præcisé actus intellectus, ſed aliquid naturæ, & aliquid actus intellectus; ita vt natura ſit, quod prædicatur, & actus intellectus ſit, quo prædicat. Bené eſt, neque hoc reprobare intendo; ſed præcisé, quod vt natura ſit, & denominetur formaliter prædicata, debet aliquod eſſe, quod non habebat ante prædicationem, habere dum prædicatur, ſed actus intellectus non manet in natura, & extra actum, intellectum, & naturam, nullum eſſe reale poteſt dari; ergo vel quod datur in natura eſt quid rationis, vel quin nil detur in natura, realiter innovatur, & denominatur natura.

96 Perſiſtes in illo, quod derivatur in natura denominatio ab actu iudicante vnum de alio, qui actus cum ſit realis, & denominatio. Inſto ſic; illa denominatio, quæ derivatur eſt realis, quia ab actu reali derivatur; ergo ſemper, & quando ab actu reali intellectus, denominatio derivetur, erit realis: ergo ſi intellectus poſſet aſſentire, quod Petrus erat lapis, vel Deus chimæra, cum actus realiſsimus foret, ſecunda intentio, quæ ab illo derivaretur, foret realis; ergo poſſet ſecunda intentio eſſe realis, dum prima poterat eſſe nil; & ſecundum eſſe obiectivum poſſet eſſe à parte rei, dum ſimpliciter eſſet rationis primum obiectum, quod diffusé impugnavimus. Deindé dum dicunt quod in hac propoſitione Petrus eſt homo, homo dicitur prædicatum à denominatione deſumpta ab actu intellectus; inquiro, quis eam deſumit? Non actus prædictus, aliàs non foret directus; ergo actus reflexé comparans; ſed actus reflexé comparans nil reale formaliter poteſt aſſumere ex actu formali directo, quo iam exhibito, realiter denominet obiecta, quæ potius actus reflexi, quam directi ſunt obiecta; ergo ſolum à relatione rationis poſſunt aſſumere denominationem per actum comparativum, formæ rationis formaliter applicativum.

97 Inſto 2. ſic: (dicebant enim, quod eſſe prædicatum, non eſt aliud quam habere denominationem extrinſecam deſumptam ab actu iudicante; & ſic quod eſſe prædicabile non eſt aliud quam aptitudo ad habendum, & recipiendum talem denominationem) & in primis inferendo hanc conſequentiam; ſcilicet, quod vt natura eſſe ſecũdò intentionale habeat, requiritur, quod eſſe extrinſecum denominationis, recipiat; ſed vt iam propugnavi, nil reale poteſt intellectus mittere extra ſe; ergo. Deindé arguo ſic: inter prudenter contraria opinantes aliqua debet poni diſtinctio inter vniverſale phyſicum, & logicum, vt de facto in quam pluribus vidi poſitam; ſed ex eo, quod vniverſale logicum, & prædicabile ſtet in aptitudine intrinſeca naturæ ad talem denominationem, nulla apparet diſtinctio; ergo aliquid debet addi, per quod formaliter conſtituatur logicé vniverſalis. Probat. minor; quia etiam in natura, quæ eſt phyſicé vniverſalis datur aptitudo ad illam denominationem; ergo nulla apparet diſtinctio.

98 Dices ſtatim, quod aptitudo naturæ vt eſt phyſicé vniverſalis, non eſt proxima, ſed remota, in quo nimia diſtinctio ſignatur. Bené eſt; arguo ſic: ergo ſecunda intentio logicæ vniverſalitatis non ſtat præcisé in aptitudine, ſed & in proximitate, ita vt hoc concretum, ſcilicet, aptitudo proxima, ſit logicæ vniverſalitatis conſtitutivum; ſed ex hucuſque dictis extra id, quod à parte rei, & phyſicé habet natura, nil reale poteſt deinceps ipſi aproximari; ergo concretum illud ex aptitudine, & forma rationis debet conſtitui, vt vniverſalitas logica diſtincta ſalvetur.

99 Perſiſtes ſemper poſſe ipſi aproximari actum intellectus illam comparantem ad infe-

riora, qui actus eſt realis. Perſiſto etiam in dictis, & arguo aliter ſic: ſecunda intentio ſit per ipſos actus intellectus; ſed nil poteſt fieri per ſemetipſum; ergo cum illa proximitas ſit ſecunda intentio, & conſequenter debeat fieri, non poteſt eſſe actus ipſe intellectus. Quod ſecunda intentio, de qua loquimur, non ſit actus intellectus, ſed quod fiat per actum intellectus, ſuadetur; quia ſecunda intentio eſt aliquid obiectivum, ſed nil eſt obiectivum actus intellectus; ergo ſecunda intentio nõ eſt actus ipſe intellectus, ſed potius aliquid ab ipſo. Mai. pr. quia ſecunda intentio eſt eſſe paſsivum; ſed eſſe paſsivum ipſius obiecti, eſt eſſe obiectivum; ergo ſecunda intentio eſt eſſe obiectivum. Mai. pr. ex eo quod eſſe ſecundó intentionale ſit eſſe, quod tribuitur obiectis per dependentiam ab intellectu; ergo eſt eſſe paſsivum. Nunc ſic: ergo illud eſſe ſecundò intentionale aptitudinis proximæ, non poterit eſſe aptitudo, & actus intellectus.

100 Perſiſtes dicendo, quod hoc concretum aptitudo proxima, non dicit actum intellectus niſi cauſaliter, & originativé; ita vt eſſe obiectivum aproximatum paſsivé ſit realis denominatio, quaſi inhærens in primo ſubiecto, ſeu intentione; dicitur quaſi inhærens, quia naturæ nunquam extrinſecé denominantur per eſſe, quod ſit in ipſis, ſed quod ſit ad ipſas. Perſiſto in dictis, & arguo aliter ſic: apud prudentiùs opinantes nulla datur natura realis, quæ actû, poſitivé, & formaliter ſit à parte rei vniverſalis, quin ſaltim realem denominationem cognitionis connotet, vt ſupra Pater Poncius explicabat; ſed ex eo quod eſſe *ad* pro denominante naturam vnam in pluribus ſufficeret, nulla realis connotatio ad iudicantem cognitionẽ requireretur; ergo. Prob. minor; ipſa natura, quatenus eſt ex ſe, dicit aptitudinem ad plura, ita à parte rei, vt nullo cõſiderante iudicio, neque prædicante adhuc natura Petri dicat ex ſe aptitudinem ad eſſe in alijs; ergo ſi eſſe *ad*, pro denominante naturam vnam in pluribus, vel ad plura ſufficiat, cum eſſe *ad*, omni conſideratione ſecluſa inveniatur, vt ſit poſitivé vniverſalis, nulla realis connotatio ad cognitionem requiretur; ac per conſequens adhuc natura in Petro erit à parte rei formaliter vniverſalis; ita vt denominetur in eſſendo, quantum logici denominant cognitione, & præciſione negotiando.

101 Dices, ſemper requiri, quod illud eſſe *ad*, derivatum à reſpectu tranſcendentali naturæ, quod cognoſcatur ab intellectu, & ſic à cognitione derivetur. Cõtra efficaciter; quia non minus illa aptitudo derivat eſſe *Ad* à parte rei, quam cognitio à parte rei derivet eſſe *Ad*; ſed eſſe *Ad* cognitionis, etſi non cognoſcatur, dum derivatur, denominat naturam, cũ ſit neceſſarió conſequutum ad cognitionem; ergo eſſe *Ad* aptitudinis denominabit ſimiliter, etſi non cognoſcatur, dum derivatur, cum ſit ceceſſarió conſequutum ad aptitudinem.

102 Dices, quod à parte rei illa aptitudo non habet eſſe *Ad*, cum ſit quid abſolutum. Contra, & melius; ergo nunquam poteſt eſſe ad plura, neque exercité in pluribus niſi per actus rationis comparativos. Prob. aſſumptum; quia apud Poncium, & alios ſequentes Suariũ, tunc erunt extrinſecæ denominationes entia rationis, quando concipiantur in ſubiectis per eſſe *In*, cum in re ſolum habeant eſſe *Ad*; ergo ſi illa aptitudo cognoſcatur, vt eſſe *Ad*, cũ in re eſſe *Ad* non habeat illa extrinſeca denominatio, ſimiliter erit rationis.

103 Inſto 2. non eſt magis vniverſalis, nec minus vniformis actus intellectus, quã natura; ſed licet plura ſint illa, ad quæ naturę derivatur, cum non derivet niſi eſſe *Ad*, vniformiter omnia denominantur, & ſunt inferiora; ergo cum actus intellectus non derivet in extrema cognita pluſquam eſſe *Ad* extrinſecæ denominationis, amba extrema vniformiter denominabuntur; & ſic ex quo convincetur, quod vnum habeat ſecundam intentionem, & denominationem ſubiecti, & non aliud. Hanc inſtantiam adverte, & nota, quod in noſtra ſententia vnum extremum eſt formaliter ſubiectum, dum forma rationis ponitur in illo, non autem ipſum habet eſſe in forma, à qua vt à prædicato denominatur.

104 His omnibus audactér occurrere intẽdet aliquis dicendo nullum ſentire inconveniens, neque in hoc, quod ſecunda intentio nõ ſit aliquod obiectivũ, ſed ipſe formaliſsimus actus intellectus; neq; in hoc, quod etſi aliquid obiectivum foret, foret aliqua denominatio realis ab actu reali, & formali intellectus derivata. Contra iſtam ſolutionem nil pręter dicta habeo, quæ ſi non inconveniant, neque incõveniet illi cõtra primũ de formali actu, quod hucuſque actus intellectus non fuit denominatus ſpecies, ita vt quinque voces pręedicabiles non cognitionibus, ſed earum obiectis accomodentur. Contra ſecundum de reali denominatione, ſimiliter nil inconveniet illi admittere, quod in hac propoſitione, Deus eſt omnipotens, eſſe Deus ſubiectum in illa, ſit eſſe in Deo aliquod reale extrinſecum ab actu creato deſumptum, & cauſatum.

Obji-

105 Obijcies: omnis forma ſaltim à poſteriori notificat ſuum eſſe per illius exercitiũ; ſed omne exercitium formarum adhuc ſecundò intentionalium eſt concretivè primò intétionale; ergo omnis forma, à qua derivetur, eſt primò intentionalis; hoc eſt abſoluta, & realis. Minor ſuadetur, quia vt vniverſalis natura, v. g. humana exerceatur, ſemper dicitur homo eſt animal, & ſic de alijs quatuor prædicabilibus; ergo omne exercitium, adhuc formarum ſecundò intentionalium eſt reale, & abſolutum. Hoc argumentum, etſi in ſupradictis maneret aliquantulum ſolutum, nihilominus propono, vt ſequentibus doctrinis omnia confirmentur. In primis poteſt diſtingui maior inter formas reales, & rationis, vt iam diſtinxi pluriés. Deinde data minori, nil vnquã ſequitur, quia vt totiés dixi, quod ſecundæ intentiones ſignant, exercent primæ. Addo rationem ex eo, quod omne eſſe ſecundò intentionale, & logicum inutiliſſimum foret, ſi quod ſignat, non exerceretur in obiectis, & rebus; vt ſciamus enim illa exercere dexteré, & rationabiliter, omnes ſcientiarũ primores ſtudentur, & meditantur. Dixi, ſed data minori; quia poterat diſtingui ex eo, quod ſi concretivè dicitur reale, & primò intentionale exercitium, quia datur prima intentio exercens; potiori iure poterat dici concretivè rationis, & ſecundò intentionale; quia præterquam quod per vnionem intentionalem concomitatur, eſt forma rationis ratio exercendi.

106 Itaque nota nimis pro complemento huius reſolutionis magnam differentiam inter vocem conceptus ſignantis, & exercentis. Iſtud enim adverbium *Non*, exercet negationem; & tamen hæc vox *negatio* eſt, quæ negationem ſignat. Similiter hæc particula *excluſio*, ſignificat excluſionem, & tamen hæc particula *tãtum*, illam exercet; ſicuti exceptio ſignificat exceptionem, & per iſtam dictionem exceptivam *præter*, exercetur. Videatur Scotus de hoc *in q. 14. univerſ.* Sic pariter de his, de quibus dicitur hæc vox *prædicari* per ſignationem, non debet inferri prædicari per exercitium, ſeu per eſſe quod ſignant; ſed ita, vt à *prædicari* in ſecundis intentionibus valeat cõſequentia ad exerceri; ſeu ad *eſſe* in fundamẽtis; v. g. genus prædicatur de ſpecie; ergo ſpecies *eſt* genus, non debet ſequi: ſin autem, genus prædicatur de ſpecie; ergo homo *eſt* animal. Aliquando etiam experitur, quod ratione materiæ, in eiſdem terminis, in quibus invenitur ſignans, invenitur exercens: v. g. animal prædicatur de homine; ergo homo eſt animal.

607 Pro quo etiã opportet notare, quod dum dicitur animal prædicatur de homine; ergo homo eſt animal, tum ly *prædicatur* debet ſummi ſignaté, nõ ſolum quoad ipſum, ſed quoad extrema, quæ habet; ita vt animal ſignatum cum homine per ly *prædicari* ſupponat pro genere, reddens hunc ſenſum; animal prædicatur de homine; ergo animal eſt genus; vel ſic: ergo genus prædicatur de ſpecie. Si enim illa propoſitio non ſummatur ſignaté, nõ poteſt dari illatio formalis, ſed nugatoria (videatur Doctor in 14. vniverſ. & in 16.) faceret enim hunc ſenſum: animal eſt homo; ergo animal eſt homo: vel é contra in vtraque propoſitione.

DISTINCTIO III.

De cauſis, & cauſantibus entis ſecundò intentionalis.

1 NOTANTER poſui in titulo de cauſis, & cauſantibus, quia pro cauſa intelligo formam, ſeu præciſam virtutem cauſandi, v.g. potentiã intellectivam, volitivam, &c. pro cauſante vero, totum concretum percipio, ſcilicet, virtutem, & ſubiectum, in quo eſt, v.g. Deus, Angelus, homo, brutum, de quibus omnibus inquirendum venit, an entia ſecundò intentionalia poſſint cauſare: prius tamen de cauſis eſt examinanda diſtinctio.

QUÆSTIO I.

Quæ ſunt de ſphæra intellectiva examinantur.

2 CErtum eſt apud Doctorem in tot locis ſupra citatum poſſe cauſare entia rationis quamlibet potentiã, quæ actus collativos poſſit habere; non autem é contra; potentia ſiquidem cuius actus non ſit collativus, vel comparativus vnius obiecti cum alio cauſare ens rationis nequibit: ergo potentia intellectiva, quoad omnes illos actus, quoad quos ſit obiectorum collativa entium rationis, erit cauſativa. Reſtat nunc

examinare, quinam ſint iſti actus intellectus, qui comparatione valeant fœcundari; & primò examinandum eſt, de indigentia comparationis ad entia rationis efficienda.

3 Eſt igitur commune axioma Doctoris Subtilis, quod eſſe ſecundò intentionale ſine actu comparativo nunquam fit: ergo eſt firmiter inferendum iuxta Doctorem, quod entia rationis ſolum ex actibus comparativis poſſunt ſuum eſſe obiectivum formaliter participare. Ex quibus iudico, quod in cognitione vnius indiviſibilis formæ, non poteſt dari ens rationis formaliter, neque cum fundamento, neque ſine illo. Non cum fundamento; quia ſecunda intentio prædicati, v. g. non poteſt formaliter habere tale ſuum eſſe, quin ſubiicibile in quo, vel ad quod ſit, etiam cointelligatur; & ſic in alijs omnibus idem invenies exemplar: ergo. Deinde neque ſine fundamento; quia lapis v.g. ſic cognitus nil obiectivum habebit, quod à machinante intellectu recipiat, quouſque ipſum comparet ad aliud extremum in tertio repugnans; ergo requiruntur plures termini, inter quos debeat, & poſſit dari comparationis actus, vt poſſit dari eſſe rationis obiectivum.

4 Iudico ſecundo, quod etſi quis plures terminos habeat pro obiecto, imò licet tale obiectum ſit chimæra v.g. nullum ens rationis intellectus efficiet, ſi pura ſpeculatione abſoluta in ipſum ſiſtat, non autem reſpectiva, & collativa in illud tendat. Hoc iudiciũ verificabitur in *quæſtione* 3. vbi Deum non poſſe facere ſine fundamento obiecta rationis, dicemus. Ratio vero pro ente rationis cum fundamento poteſt eſſe; quia dum iam ſecundam intentionem vniverſalitatis v.g. abſoluté contemplatur intellectus, nullum eſſe obiectivum ei addit; ergo nullum ens rationis format. Prob. antecedens; quia quando eſſe factum, præcisé cognoſcitur nil, quod efficiat, additur; ſed quando ſecunda intentio vniverſalis contemplatur facta, nil efficitur; ergo nullum eſſe obiectivum additur. Prob. maior, quia quando vniverſale præcisé fit, nil tunc, quod cognoſcatur, additur; ergo quando factum præcisé cognoſcitur, nil debet addi, quod inſimul efficiatur.

5 Dices, quod iam facta vniverſalitate per ſimplicem comparationem, poteſt intellectus ipſam cognoſcendo applicare per comparationem iudicativam naturæ, dicendo natura eſt vniverſalis; ſed per hanc cognitionem cauſatur aliquod eſſe rationis obiectivum in natura; ergo præcisé contemplando, & habendo pro obiecto entia rationis cauſabuntur.

Reſpondeo concedendo maiorem iuxta viam probabilem Scotiſtarum, & diſtinguo minorem, cauſatur aliquod ens rationis per actum, qui eſt puré abſolutus, & contemplativus, negatur; qui eſt collativus, & reſpectivus, conceditur; & negatur conſequentia Itaque dico, diſsimilem omnino eſſe paritatem actus adducti. Ratio eſt; quia qui factam vniverſalitatem, applicat primæ intentioni formaliter denominando, de ſe patet, quod tunc non ſiſtit in abſoluta, & præciſa contemplatione obiecti; ſed tranſit vltra conferendo, & ſic nil mirum, quod ens rationis reſultet; illa enim cognitio eſt practica.

6 Dices ſecundo; ſimplicisſima apprehenſio poteſt concipere chimæram; ſed chimæra eſt ens rationis; ergo ſimplicisſima apprehenſio poteſt facere ens rationis, ac per conſequens comparatione non indiget intellectus. Prob. min. quia chimæra tunc habet eſſe præcisé in intellectu conſiderante; ergo eſt ens rationis. Idem argumentum fieri poteſt ex apprehenſione prædicati, vniverſalitatis, &c. In primis poteſt maior inverti; quia aliud eſt apprehendere nomen, aliud rem per ipſum ſignificatam. Si enim debilem conceptibilitatem ſimplicisſimæ apprehenſionis perpendamus, non concipere pluſquam nominis, ſeu vocis materialitatem inveniemus; quæ non tantum habet eſſe obiectivé in intellectu, cum poſſit habere, quod reliqua vocabula materialia. Quod non plus concipiat, ſuaderi poteſt; quia, etſi ſyllogiſmus ſit tres propoſitiones, per hãc vocem ſyllogiſmus expresſę, & ſignatæ; non tamen qui ſimplicisſima apprehenſione concipit ſyllogiſmum, poterit, & ſic tres propoſitiones concipere. Itaque quoad eſſe obiectivum chimæra, eſt aliquod ex pluribus, v.g. homo, & centaurum.

7 Deinde, id, quod intendit minor, ſcilicet, quod ex eo, quod tantum ſit obiectum intellectus, ſequitur, quod intellectus ens rationis efficiat, eſt aliter intelligẽdum *in quæſt.* 8. de ente rationis ſine fundamento in Deo. Sed quidquid ſit de hoc, iuxta illam primam viam Scotiſtarum *in* 2. *diſt.* poſitam poteſt diſtingui minor, chimæra eſt ens rationis materialiter, conceditur; formaliter, negatur. Et ſic ad min. prob. diſtingui poteſt antecedens; habet eſſe virtuale, conceditur; habet eſſe obiectivum actuale, negatur Itaque ſicuti *in quæſt.* de denominationibus extrinſecis diximus, quod dum quis abſolutè cognoſcit Petrum, tunc Petrus ſolum fundamentaliter habet aliquod eſſe obiectivum; ſic chimæra per illam cognitionem ſimplicisſimam non habet actualiter eſſe

eſſe obiectivum; quia à nulla forma ipſi communicatur, ſed ſolum datur ſundamentum, vt intellectus faciat concretum intentionale apprehenſi per actum reflexé comparans apprehenſionem, & illud chimæræ applicet, & formaliter communicet

8 Præcipuam rationem, ad hoc vt nil rationis cauſetur in actibus puré contemplativis, & comparatione non tendentibus, adducam, & exemplaribus verificare intendam. Itaque, vt intellectus aliquid in ſe cauſet, requiritur, quod ſe moveat, & actione tendat; ergo vt in obiectis aliquod eſſe paſsivum intẽtionale (hoc eſt actù eſſe obiectivum) cauſetur, requiritur, quod vnum obiectum moveatur intentionaliter, vel ad aliud, vel ad ipſum intellectum: ſed de ſe intelligitur, quod ſine comparante, & reflectente actu vnum obiectũ intentionaliter non movetur ad aliud; ergo ſine illo, neque eſſe obiectivum, & rationis actu habebit.

9 Deinde advertatur intellectus, vt movens, & vt quieſcens (habet enim ſtrictè motum, & terminum ad quem, vt dicemus 3. *phyſ. diſt. 1. q. 2.*) & invenietur à perfecté advertente, quod intellectus dum ſe movet, non intelligit; neque dum intelligit, ſe movet; propter quod Philoſophus, neque motui, neque actioni applicat purum intelligere, ſed ſoli quieſcenti aliàs intelligere foret quoddam agere. Sic pariter dum obiecta ſine tranſitu, & motu ad alia habent cognoſci, tunc nil adhuc rationis cauſatur in ipſis; ſed habent puré terminare ſterilem cognitionis ſpeculationem; & é contra dum intentionaliter vnum obiectum movetur in ordine ad aliud, tunc ſolus adeſt motus rationis in ipſis, cauſativus relationum rationis, quæ habent puré cognoſci, dum iam obiecta quieſcunt, quin ſic terminantia cognitionem abſolutam, aliquod eſſe obiectivum cauſetur in ipſis.

10 Cofirmatio rationis, reſplendet in omnibus naturis, & exemplaris, in cauſante, & conſervante. Nulla enim eſt perfecta natura, quæ cauſet, quando cauſata, fruitione præciſè præmeditatur, & reſpicit; propter quod (vt diffusé dicam) dixit Philoſophus, quod natura eſt principium motus, & deinceps quietis; quieſcens enim eſt veluti ſe phyſicé contemplans, quia tunc nil agit, ſed alia reſpicit: & ſic in omnibus idem invenies. Et ratio eſt, quia in omni linea debet dari ſtatus, in quo res illius, neque cauſentur, neque moveantur, ita vt principia earum circa ipſas meditentur, quin ipſæ aliqua alterentur cauſatione: ergo & etiam in ſtatu rationis debet hoc admitti, ita vt non ſemper, & quando intellectus obiecta percipit aliquod eſſe obiectivum cauſet, cum non removendo obiecta percipiat.

11 Hoc punctum entis rationis (difficilimum equidem) nullo melius ſuadetur, quam cauſante, & conſervante. Conſervãs enim habet pro obiecto (vt ita inquam; terminus enim eſt) illam eamdem entitatem, quam habuit pro obiecto cauſans; ita vt poſsit dici, quando conſervatur, quod illa entitas, quæ conſervatur, eſt illud obiectum, quod tantum habet eſſe extra cauſas; & tamen licet idem obiectum, quod fuit terminans actionem cauſantis, ſit & terminans reſpirativam actionem conſervantis, ita vt tantum exiſtere habeat in conſervante; nilhominus tamen, neque ipſum, neque aliquid in ipſo facit conſervans, ſed præciſé ad facta terminatur. Sic, ſervatis ſervandis debet logicus rationalis diſcurrere inter obiecta, & intellectum, huic accomodando eſſe agentem, & ſolum terminantẽ, erga omnia illa obiecta, quæ etſi tantum habeant obiici intellectui, ſiſtit tamen abſoluté in ipſis, apprehenſione veluti conſervans notitiam, nil tamen novi fabricans. Ex quibus inferes, quod ſi practicabilis ſit memoria entis rationis ſine collatione inter vnam eius partem ad aliam, formaliter nullatenus à memoria ens rationis, neque aliquid in ipſo cauſabitur Hiſita de cõparationis indigentia.

RESOLVITUR, QUIBUS ACTIBUS comparatio competat.

12 Vt communiſsimum ſuppono, quod intellectus per actus iudicandi, & diſcurrendi poſsit obiecta comparare, neque in hoc detineri debemus, eſto non ſit impoſsibilis comparatio; qua propter tota difficultas verſatur circa actus ſimplicis apprehenſionis, circa quos non eſt parua difficultas, quæ verſatur. Reſolvendum tame eſt, quod intellectus ſimplex poteſt comparare obiecta, ac per conſequens ens rationis cauſare. Ita Doctor *in 2. d. 6 q. 1. §. quia tamen*; & alibi, citatus pluriés. Quamplurimi ex noſtris, inter quos Rothericus *q. 1. vniverſ. art.* 8 probant concluſionem ex Ariſtot. 1. *de interpret. cap. 5*. tenente, quod vniverſale eſt, quod de pluribus aptum eſt prædicari: ex quo inferunt; ergo ante actualẽ prædicationem intelligitur vniverſale; ſed ante actualem prędicationem ſolum datur ſimplex actus comparativus, per quem poſsit reſultare; ergo comparatio rationis ſimplici actui poteſt convenire.

Sed

Digitized by Google

13 Sed hæc, & conſimiles rationes extra intentum tendent, ſi aliter non intendantur. Ratio eſt, quia aliud eſt inquirere de actu prędicāte naturam de inferiori, & aliud eſt inquirere de actu prædicante prædicabilitatem, ſeu vniverſalitatem de natura Certum eſt enim, quod antequam intellectus prædicet naturam de inferiori, quod fuit ſimplex actus, qui præceſsit ad naturam prædicandam de inferiori ex ſuppoſitione, quod alter actus ad prædicationem præcedat; dicent tamen, quod natura non eſt vniverſalis per actum ipſam prædicātem de inferiori; quia forté illo deſtruitur; ſed per actum prædicantem vniverſalitatem de natura, & dicentem, *natura eſt vniverſalis*, vel *prædicabilis*; & ſtatim per alium actum dicentem immediaté, natura eſt in Petro: v.g. Petrus eſt homo datur alter actus iudicativus, ex quo manet prædicans natura, quæ etſi ante illum actum foret prędicabilis; erat tamen prædicabilis, quia per alterum actum iudicativum prædicata fuit de natura ipſa prædicabilitas; ante quos actus nulla ſine iudicio potuit præcedere comparatio, niſi præciſa terminorum apprehenſio. Et ratio fundamentalis, in qua plures nervoſé ſiſtunt, deſumitur ex eo, quod iudicium ex vna parte ſit rationis Subtiliſsimus apex, qui imperceptibiliter ingreditur ad nutum levioris actus, dum pluriū terminorum ſit comparativus; imperceptibile enim eſt, quod ego recté fundatus poſsim cōparare animal ad hominem, quin aſſenſu meo, illa reſpectiva tendentia formetur; ſi non formali iudicio, & aſſenſu, ſaltim virtuali, vt nō ſine fundamento prævidere videtur Pater Rubio *queſt. 6. univerſ.* His tamen non obſtantibus, cum vrgeat Scotus ſupra tenens, quod intellectus ſimplex poteſt apprehendere æqualitatem Dei ſine errore; & ſequatur, quod vnū in ordine ad aliud conferre.

14 Arguendum eſt in favorem noſtratum ſic: non minus, imò magis requiritur ad præciſionem, quam ad comparationem; ſed receptiſsimum eſt principiū, quod poteſt dari pręciſio ſimplex, ſcilicet, negativa; ergo, & etiam ſimplex comparatio non minus poterit dari. Maior ſuadetur, quia difficilior videtur ſine iudicio deciſio, ſeu diviſio, quam ſine iudicio tendentia, ſeu comparatio; ſed negativa præciſio eſt ſciſio, ſeu diviſio, & ſine iudicio datur; ergo non minus, imò magis requiritur ad pręciſionem, quam ad comparationem. Suadetur magis eadem maior, non minus requiri videtur ad apprehendendum naturam, quæ eſt in Petro abſque Petro, & ab illo præciſam, quā ad apprehendendum illam præciſam, in ordine ad Petrum, & verſus illum; ergo non minus requiritur ad præciſionem, quam ad comparationem.

15 Arguo 2. & efficaciter, niſi fallor, ſi ſimplex comparatio non poſſet dari, ſeu non foret neceſſaria, maxime, quia ad prædicandum hominem de Petro v.g. ſufficiebat abſoluta apprehenſio hominis, & abſoluta apprehenſio petreitatis; ſed vt intellectus rationabiliter prędicet, ſeu vnum de alio firmiter iudicet hoc non ſufficit; ergo ſupra abſolutam apprehenſionem requiritur neceſſarió cōparatio. Prob. minor; quia ſi abſolutæ illę apprehenſiones ſufficerent, vt vnum cum alio iudicativé, & intentionaliter componat, quin antequā formet iudicium, illas conferat, & vnum obiectum in ordine ad aliud tenet; nō daretur maius motivum, vt ex illis abſolutis apprehenſionibus ductus ſentiret, Petrum eſſe hominem; quam vt ſentiat, quod Petrus eſt lapis, ductus ex abſoluta apprehenſione Petri, & ex abſoluta lapidis; ergo vt intellectus rationabiliter prædicet, ſeu vnum de alio firmiter iudicet, illa abſoluta apprehenſio non ſufficit Etſi non, dicant mihi, ex quo aſſentit, & iudicativé vnit Petrum, & hominem, non autem Petrum, & lapidem? Recurrendum eſt ad aliquod, quod dum non eſt iudicium, eſt tamen ipſi immediatum fundamentum, quod relinquit apprehenſio ſuperioritatis, quæ imperceptibilis videtur, quin ad aliud vertatur.

16 Arguo 3; quia adhuc dato, quod æqualitaté Dei in ordine ad ſe non apprehendiſſet lucifera ambitio ſine errore (ſine hac ſuppoſitione propugnat illam Doctor Subtilis ſupra tenens, quod æqualitatem Dei in ordine ad ſe valuit apprehendere Angelus; ergo tunc daretur Dei ad ipſum relatio, quæ ſolum rationis eſſe poſſet) poſſum ego apprehendere ſimilitudinem non ſolum inter divinas perſonas, ſed inter illas, & me, iuxta illud Geneſis *faciamus, &c* Sed eſt imperceptibilis cognitio ſimilis perſonæ, quin ſit ad aliud; ergo eſt imperceptibilis ſine comparatione, ſimilium apprehenſio: nunc ſic, ſed omnes prædictæ relationes, reales eſſe repugnāt; ergo dum repugnet, quod non ſint relationes; & quod non ſint rationis, repugnare debet.

17 Reſpondebis ſtatim, quod ex talibus apprehēſionibus reſultat obiici relationes, quia immdiatiſsimus eſt actus iudicativus. Sed cōtra, quia dum apprehendo ęqualitatem, ſimilitudinem, &c Eſt imperceptibile, quod relata, ſeu collata obiecta non objiciantur; ſed in aliquo priori ad iudicium illa apprehendo, quia eſt imperceptibile, quod inſimul intellectus

ſim-

ſimpliciter apprehendat, & iudicet; ergo, & eſt imperceptibile, quod antequam iudicet, non habuiſsēt objici relationes, quæ reſultāt. Deinde, quia dato, quod iudicando objicerentur, non ſequitur, quod apprehendendo, non fuiſſent cauſatæ, imò ex eo quod iudicando objiciantur debet inferri, quod iudicando non ſe cauſarunt; ergo per actum anteriorem ad iudicium debuerunt cauſari, vt poſſent ad actum iudic j objici.

18 Objicies; vt actus intellectus perfectè iudicet, requiritur collatio; ergo, & vt perfectè conferat, requiretur iudicium. Prob. Conſequentia, ex eo per me ad Judicandum requiritur collatio in ſecundis intentionalibus, quia ſine illa non datur maior ratio, vt vniat intentionaliter animal cum Petro, quam vt vniat lapidem cum illo: ſed ſi poſſet dari collatio ſine iudicio, non daretur maior ratio, vt ſimplici comparatione referat lapidem ad Petrum, quam quod referat animal; ergo vt perfectè conferat, requiritur iudicium; vel adminus requiretur, quod præcedat aliqua cognitio ad collationem, ita vt illa non ſit abſoluta præcisè, & ſic ad illam requiretur alia, quæ præcisé abſoluta non ſit, & ſic vſque in infinitum. Reſpondeo argumēto concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad probationem reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem. Ratio eſt, quia etſi ad ſimplicem comparationem alia ſimplex comparatio non præcedat; præcedit tamen negativa præciſio, & fundamentum ex parte naturæ cognitæ, vt ſuperior, quæ ſufficiunt, vt ſimplex comparatio formetur referēdo animal ad Petrum, non autem lapidem. Non enim inter omnia, vt toties diximus, poteſt verſari comparatio perfectè ſecundò intentionalizans, ſed inter ſuperiora, & inferiora, ſubjicibilia, & prædicabilia, de quo videatur Scotus in 1. *d.* 23. §. *contra illud*.

19 Dices, ſufficit præciſio, & cognitio fundamenti, vt natura ſimplici comparatione referatur; ergo, & ſufficient ipſa, vt perfecto iudicio comparetur. Reſpondeo negando conſequentiam propter duo. Propter primum; quia comparatio iudicativa eſt fortior, & elevatior, quam ſimplex, & ſic fundamentum, quod eſt ſufficiens ad ſimplicem, erit diminutum, & leve ad compoſitam; quare vt iudicativé comparetur, eo exigitur iuxta ordinem rectę intentionis, quod ſimplici comparatione pręcedenti, fundamentum augeatur. Propter ſecundū, quia ſi natura debet eſſe vniverſalis, prius quā intellectus vniverſalem eſſe iudicet (aliàs quomodo erit verus iſte actus natura eſt vniverſalis) ſequitur, quod debet eſſe vniverſalis ſimplici comparatione, quæ actum iudicandi præcedat.

20 Objicies 2.; facere ens rationes eſt dare rei aliquid, quod à parte rei repugnat habere; ſed huc eſt negocium maioris vis, quam ſimplicis intellectus; ergo cauſare ens rationis, non poteſt à ſimplici apprehenſione derivari. Reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem ex hucuſque dictis. Addo quod adhuc iuxta aliquos Scotiſtas noſtra principia de extrinſecis denominationibus non ſuſtinentes, non eſt roboris argumentum; imó aiunt, quód ens rationis, quod à iudicio diſſentitur, poteſt ab apprehenſione cauſari; quia ad rationem entis rationis non ſpectat neceſſarió error intellectus, ſed ſufficit, quod aliquod eſſe apprehendamus in re impoſsibile, & totaliter ab apprehenſiva operatione dependens, cum quo poterit eſſe iudicium, & aſſenſus oppoſitus. Vnde ait Scotus ſupra, quod Angelus ſine errore habuit apprehenſionem æqualitatis Dei in ordine ad ſe. Quid ergo refert, quod non affirmando, neque negando cognoſcat aliquis ſpiritualitatem in ordine ad Petrum? ergo cum talis ordo non ſit à parte rei, erit rationis à ſimplici intellectus.

21 Inſtabis, iuxta noſtra principia in diſtinct. 1. q. 1. & alibi, vt detur, & cauſetur ens rationis, requiritur, quod etſi illud, quod cauſatur à parte rei, rei non conveniat, tamen debet convenire ipſi ſine contradictione intellectus; ſed non contradictio intellectus eſt iudicium; ergo ſimplex comparatio non eſt entis rationis ſufficiens cauſa. Reſpōdeo concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, eſt iudicium non contradictio negativa, ſeu præciſiva, nego; poſitiva, concedo, & nego conſequentiam. Itaque dico, verum eſſe, ad comparationes ſimplices, ſi ſint cum fundamento (vt tenemus huius viæ Scotiſtæ in ſupradictis) requiri, quod intellectus non contradicat; poteſt tamen intellectus non contradicere, quin iudicet, ſed meré ſuſpenſivé ſe habens, quod forté non poterit facere, vt aprehendat illa entia impoſsibilia, circa quæ non poteſt cohibere iudicium contrarium, quod habet. Vt ſupra dicebamus de diſenſu contra æqualitatem apprehenſam. Dixi tamen, *fortè* non poſſe cohiberi, in caſu, quo iudicium iam formatum exiens in occurſum vitet apprehenſionem; aliter enim poſſunt dicere Scotiſtæ illius viæ, quod iudiciū deinceps occurrens non vitabit, quod iam fuiſſet apprehenſum. Reliqua argumenta, quæ contra hanc reſolutionem fieri poſſunt, tendent præcisé inquirendo, quomodo poteſt

vnum

vnum in ordine ad aliud conferri, dando illi formam rationis, quam à parte rei non habet; Ad quod modum ſignamus in diſt. 1. q. 2. & diſt. 2. q. 2.

QVÆSTIO II.

Quæ ſunt de ſphara volitiva examinantur.

22 RESolvendo eſt firmiter apud Doctoris textum *in 1. d. 35. §. poteſt dici, & in 2. d. 38. in fine, & quodl. 17. §. de ſecundo*, dico voluntatis actibus comparationes competere, & conſequentér entia non realia poſſe cauſare, Scotum ſequuntur plures ex Jeſuitis, quorum noviſſimus Lince *lib. 4. Metaphys. trac. 1. c. 3.* Notanter vero dixi entia non realia, vt ſervarem Scoti fraſim, qui ait (notanter etiam) quod ſi inquiratur, an ſit rationis relatio cauſata in obiecto per actum comparativum voluntatis, reſoluit, quod ſtrictè loquendo, non poteſt dici relatio rationis, quia comparatio illa non à parte rationis, ſed à volũtate immediatè cauſatur; ex quo infert, quod ſtrictè accipiendo relationem rationis, non omnis relatio eſt realis, vel rationis, ſed eſt tertia, ſcilicet, relatio voluntatis comparantis; ergo licet quod tantum habet eſſe obiectivè in intellectu ſit ens rationis; non autem, quod tantum habet eſſe obiectivè in intellectu erit ens non reale.

23 Quod autem voluntas poſsit compararare obiecta, & cauſare ens non reale, probatur ex Scoto in *quodlib.* quia ex eo intellectus poteſt cauſare ens non reale, quia poteſt comparare obiectum aliqua comparatione, quæ non eſt ex natura rei; ſed etiam voluntas poteſt comparare obiectum aliqua comparatione, quæ non ſit ex natura rei; ergo etiam volũtas poterit ex comparatione cauſare ens non reale. Prob. minor: dum intellectus comparet aliquod obiectum comparatione, quæ non ſit ex natura rei, poteſt illam acceptare voluntas; ergo poterit voluntas acceptando comparare obiectum aliqua comparatione, quæ non ſit ex natura rei. Prob. conſequentia, quia dum voluntas acceptat, quod hoc obiectum referatur ad aliud, tale obiectum acceptatione voluntatis impellitur in ordine ad aliud; aliàs in ordine ad aliud non acceptaretur, & ſic voluntas in ordine ad ſe acceptaret, & attingeret obiectum, quod intellectus in ordine ad aliud; ergo poterit voluntas acceptando comparare obiectum aliqua comparatione, quæ non ſit ex natura rei.

24 Probatur 2. & confirmatur ſic; voluntas eſt libera libertate contrarietatis, & contradictionis; ergo dum intellectus proponat aliquod obiectum ex natura rei in ordine ad aliud, poterit illud amare in ordine ad ſe; ergo & dum intellectus proponeret obiecta, quorũ aliquod ex natura rei foret in ordine ad ſe, poſſet voluntas erga quodlibet tendere non in ordine ad ſe, ſed, & in ordine ad aliud. Suppoſitio primæ conſequentis praxim veram ſuſtinet in Patre reſpectu filij, vt ſi Pater in eſſe Patris foret bonus, & filius in eſſe talis majus, &c. contra ſequitur melius. Deinde in Patre æterno, cui adoratione in ordine ad ſe, ſubjicitur voluntas, & tamen qua formaliſsimè dicit Paternitatem, ſuum eſſe eſt in ordine ad aliud: num ſic, tunc cauſatur ens rationis in obiecto, quod attingitur in ordine ad aliud, quia ex natura ipſius habet eſſe in ordine ad ſe; ergo tunc cauſabitur aliquid rationis in obiecto, quod attingitur in ordine ad ſe, quia ex natura eſſe rei habet eſſe in ordine ad aliud.

25 Prob. facilius concluſio in bonitate Dei, quę poteſt attingi à voluntate, vt bona alteri; ergo tunc haberet bonitas Dei eſſe referibiliter; ſed talis relatio non eſt realis; ergo rationis. Dices, & noviter cum Dioniſ. in 3. diſt. *6. quæſt. 6. art.* 2. quod in nullo caſu ſequitur, quod voluntas poſsit entia non realia cauſare propter aliqua. Propter primum, quia eſt intrinſecum enti rationis, quod ſuum eſſe ſit obiectivè in potentia; & nullum obiectum eſt informans voluntatem, imó ipſa per impulſum tendit ad obiecta. Propter ſecundum, quia voluntas movetur ab obiectis prout in cognitione, à qua deper ſe provenit, quod ea, quæ non ſunt, amentur, ac ſi eſſent; ergo voluntati vnquam competit fabricare entia rationis; ipſa enim non tendit ad res, vt ſunt, ſed vt repreſentantur. Sed dicta nil ſatisfaciunt; non primum; quia ſi obiecta veniunt ad intellectum, & non ad voluntatem; etiam voluntas it ad obiecta, & non it intellectus; ergo ſicuti in aliquibus entibus cauſatur ens rationis, quia aliquod eſſe obiectivum illorum reſultat ex eo quod tantum habeant eſſe in intellectu; ſic in aliquibus entibus cauſabitur ens non reale, quia aliquod eſſe obiectivum illorum reſultat, ſi non ex eo quod habeant eſſe in voluntate, ſin autem ex eo tantum, quod habeant, quod ad illa eat voluntas. Neque ſecundó dictum ſatisfacit rationẽ poſitam; quia vt dicam in 2. phys. diſtinc. de cauſa finali; licet obiectum cognitum excitet voluntatem; non vt cognitum, ſed vt bonum: ergo licet vt in cognitione ſit bonũ tantum, dum à voluntate ametur, vt bonum in ſe, cauſabitur ens rationis. Quod ſupponit an-

tece-

tecedens in loco citato diffusé ſuadebitur; & pro nunc dico, quod licet aliquod medium eligatur vt vtile, quod tantum in cognitione eſt vtile; ſed tamen à voluntate non ordinatur ad aliquem finem conſequendum, vt ſolum in cognitione eſt vtile; nullus enim ordinaté volens, ſic ordinat; ergo intendit illud ordinare extra vtilitatem cognitionis; ſicque cauſabit ens rationis.

26 Hinc ſolent Recentiores à paritate diſcurſus innovantis ens rationis iudicij argue-re; quæ ommito cum aliquibus argumentis, à quibus præfata reſolutio parum fatigatur. Solum noto, quod ſicuti intellectus comparat aliqua ſecundum rationem ſuperioris, & inferioris &c. ſic voluntas ſecundum rationem medij, & finis &c.

QUÆSTIO III.

De cauſantibus ens rationis, & præcipuè ſine fundamento.

27 Huc vſque de ente rationis cum fundamento omnia dicta dirigere, deperſe fui conatus; eo quod illud ſolum ens rationis videatur vtile, & perfecte intentionalizantibus proprium, vt poté conducens ad reliquas ſcientias capeſſendas; nec non quia tale ens rationis plus confundit, quam informet; quare merito ab aliquibus, & noviſsimé à Noſtro Groſſo, divertitur eius notitia. Verum enim veró, vt curioſitati aliquorum ſatisfaciam, in agendis *de cauſantibus ens rationis*, potiorem eius notitiam introducam, quam claritatis gracia, in ſequentes articulos componam.

ART. I.

AN DEVS, ET ANGELI VTRVMque ens rationis poſſint cauſare.

28 Reſoluo 1. Deum poſſe elicere actus ad quos reſultet relatio rationis. Ita Doctor *in 1. d. 35. q. vnic. §. poteſt dici*, & alibi, quod deducitur etiam ex *quodlib. 6. §. de tertio*. Suaderi poteſt, ſupponendo ex Doctore in 1. quod Deus in primo inſtanti cognoſcit ſuā eſſentiam ſub ratione meré abſoluta; in ſecundo producit lapidem in eſſe intelligibili; in tertio, forté poteſt Deus comparare ſuam intellectionem ad quodcunque intelligibile, ad quod nos poſſimus comparare: ergo tunc comparari poterit ad lapidem intellectum, ac per conſequens cauſare in ſe relationem rationis. Prob. conſequentia, quia ſi illam relationem rationis non poſſet Deus cauſare in ſe, foret, vel quia aliquid rationis repugnat in Deo, vel quia comparare ſe ad aliud, ſuæ intellectioni contradicit; ſed neutrum repugnat; ergo neque quod poſsit cōparare ſe, neque cauſare relationem rationis. Prob. minor quoad primam partem; quia non repugnat Deo eſſe ſubiectum in hac propoſitione, ſcilicet, ego hodie ſum generan-te; Deinde neque repugnat ipſi, quod per relationem rationis ſit creans; nec non quod multis alijs modis à me cauſentur, & ponantur in ipſo relationes rationis; ergo nō repugnat Deo cauſare in ſe relationem rationis, quia aliquid rationis repugnet ipſi. Sed neque repugnat, quia comparatio ſuæ intellectioni cōtradicat: ergo neutrum repugnat. Probo minorem ſecundæ partis; illud perfectæ intellectioni non contradicit, ad quod intelligendum exhibet fundamentum intelligenti; ſed dum Deus intellexit creaturas, datur fundamentum, vt ad illas comparetur; ergo iſtud comparans ſuæ intellectioni non contradicit. Prob. minor. datur fundamentum vt Deus intelligat, ſe intelligere creaturas; ergo dum Deus intellexit creaturas, datur fundamentum, vt ad illas comparetur. Hæc ita poſui, vt ſubtile Scoti ſervaretur aſſumptum; ſic Scotus ſupra in *quodlib.* probare videtur, ex eo quod Dei poteſtas poſsit ad poſsibilia comparari, & é contra; ſed neque relatio potentis ad poſsibilia; neque poſsibilium ad potens, eſt realis; ergo. Addo, facilius poſſe ſuaderi ex eo, quod vnam cauſam poſsibilem poſsit actū comparari ad effectum ſuum; ſed nulla cauſata relatio eſt realis, iuxta illam famoſam rationem Scoti, quod nulla relatio eſt maioris exiſtentiæ, quam fundamentum: ergo dum talis relatio ſit actualis, debet eſſe rationis.

29 Confirmari poſſunt omnia à paritate voluntatis divinæ, quæ per comparationem acceptam cauſat ens rationis, iuxta probabiliſsimam ſententiam, iuxta quam, gratia eſt concretum intentionale dicens pro materia entitatem phyſicam eius, cujus pulchritudo allicit voluntatem divinam, vt ponat in habente ipſum amicitiæ, & gratitudinis pactum; quo perficitur, & formaliter completur; ſed hoc quod dicit pro forma gratioſum concretum,

N eſt

eſt quid rationis, vt phyſice contra poſitum eſt ergo.

30 Reſolvo 2. debere inferri ex dictis, Deum poſſe cauſare ſecundas intentiones logicas. Colligitur ex Scoto ſupra repente, quod ad quodcumque intelligibile ad quod nos, poteſt, & Deus ſuam intellectionem comparare, ſed quod Petrus v. g. ſit ſubiectum in hac propoſitione, Petrus eſt homo, eſt intelligibile: ergo poterit Deus Petrum in eſſe ſubjicibilis comparare. Prob. illatio. Quia non repugnat, quod intellectus divinus vniat intelligibiliter hominem cum Petro, dicendo de Petro, quod eſt animal, & ſic quod animal ponat intentionaliter in Petro; ſed tale eſſe intẽtionaliter, eſt rationis; ergo non repugnat intellectui divino cõpoſita cõparatio, ex qua immediaté cauſetur eſſe intentionale, & rationis. Prob. maior illationis, ex eo quod repugnet, quod intentionaliter poſitivé dividat Deus hominem à Petro, ſiquidem non poteſt Deus intelligere, quod Petrus non ſit homo; ergo non repugnat, quod intellectus divinus intelligibiliter vniat hominem cum Petro. Prob. nunc minor illationis; tunc cõmunicatur animali, aut homini eſſe intentionaliter, & per rationem in alio, quando per vnionem rationis habet eſſe in illo; ſed per hunc actum, Petrus eſt homo, per vnionẽ rationis ponitur homo in Petro; ergo illud eſſe intentionaliter hominis in Petro, eſt rationis. Prob. minor, quia tunc non ponitur homo in Petro (in hoc quamplurimos vidi errantes) per idemptitatẽ realem; ergo per relationem vnitivã rationis. Prob. antecedens, quia ſi per idemptitatem realem poneretur homo in Petro, dum ſuſpenderetur actus, & realis idẽptitas aufferretur: ergo. Deinde, & melius; quia actus intellectus differt ab actu omnipotentiæ; ſed actus omnipotentiæ ad ſummum ponit vnũ in alio per idemptitatem realem; ergo actus intellectus ad ſummum poterit ponere illud per idemptitatem rationis.

31 Confirmantur omnia; dum homo ponitur in Petro intelligibiliter, eſt imperceptibile, quod homo non intelligatur in ordine ad Petrum, in quo ponitur, & quod Petrus non cointelligatur in ordine ad hominem, qui in ipſo intentionaliter ponitur; ſed tales reſpectus non ſunt reales, vtpoté, vt inter extrema realiter idemptificata; ergo ſunt rationis, ſicuti rationis eſt vnio fundans ipſos. Nunc ſic, illa vnio cum iam ſit, poteſt à Deo communicari per actum, per quẽ dicatur de Petro, & hunc conſtituere ſubiectum; & relationem rationis hominis prędicare de homine, & illum conſtituere ſic prædicatum; ergo ſecundas intentiones poſſe cauſari à Deo, non repugnat.

32 Tota igitur difficultas, & vigor reſolutioni noſtræ contrariens ſiſtit in hoc, quod Deus, ſine intelligibili contradictione, non poſſit in naturis à parte rei exiſtentibus, cauſare ſecundas intentiones rationis; quæ difficultas, & contradictio manet victa *in diſt. 1. q. 2. & in q. 3. præcipuè reſolutione vltima*, ſervatis ſervandis ad ſummum, ſicuti ſervant admittentes logicam in Deo, & reſervant modum, qui formalem logicæ ſpeciem non variet.

33 Reſoluo 3. Deum entia rationis ſine fundamento (illa, ſcilicet, de quibus loquuti ſumus *in diſt. 1. quæſt. 1.*) bené poteſt cognoſcere, non autem facere. Quod Deus illa facta cognoſcat, ſuaderi poteſt facilé; quia ex contrario ſequeretur, quod peccata contra fidem non poſſet vindicare, v. g. ſi ego intelligerem, quod erat alter Deus: ergo. Prob.; quia nullus poteſt ſumere vindictam de illo, de quo non habet cognitionẽ; ergo ſi Deus non poſſet cognoſcere illum actum, neque poſſet vindicare. Quod Deus talia entia rationis non poſſit facere, ſuadendum eſt omnibus illis rationibus, quibus *in diſt. 1. q. 5.* propugnavimus, quod neque intellectus noſter poteſt ponere vnionem intentionalem inter illa extrema, quæ adhuc intelligibiliter involuunt contradictionem. Neque nervoſiùs poteſt ſuaderi, quam illa ſubtili ratione Doctoris.

34 Objicies contra hanc vltimam reſolutionem; quando ego cognoſco alterum Deum non repugnare, Deus cognoſcit, quod ego cognoſco; ſed quod ego cognoſco, eſt alterũ Deum non repugnare; ergo, & hoc Deus cognoſcit; ergo, & cauſat, quod ego. Inſtandum eſt argumentum, ſed, vt aliqua dicamus, Reſpondeo ſtatim ad illam crucem in maiori prementem; cognoſcit Deus, quod ego cognoſco coniunctum cũ mea cognitione, concedo; præciſum, nego. Deinde, conceſſa minori, diſtinguo conſequens; ergo cognoſcit Deus alterũ Deum nõ repugnare, me cognoſcere, concedo. Se cognoſcere, ſubdiſtinguam infra, nego pro nunc. Itaque Deus nõ cognoſcit alterum Deum, non repugnare in ſe, ſed Deus cognoſcit alterum Deum non repugnare, cognoſci à me. Sic Deus cognoſcit eſſe odibilem ab iniquo; nunquam tamen ab illius actu præciſus, ſe eſſe odibilem cognoſcit.

35 Inſtabis Deus cognoſcit, quod tantum habet eſſe obiectivè in intellectu; ergo facit ens rationis. Ad antecedentis examen ibo ſtatim, illo dato, nego conſequentiam, ſolum enim infertur, quod à Deo cognoſcitur,

quod

Google

quod à me fit; cognoſcere igitur præcisè non eſt facere; fortè antequam ego cognoſcā ens rationis, dices quod facio; ita vt poſtea cognoſcendo, quod feci, non faciam; ſed ita vt quod feci, cognoſcam. Inſtas; Deus cognoſcit ens rationis; ergo cognoſcit, Petrum eſſe lapidem v. g. Reſpondeo ſic dato antecedenti, negando conſequentiam. Deus enim cognoſcendo ens rationis à me factum, v.g. Petrus eſt lapis, nunquam cognoſcit Petrum eſſe lapidē, ſed Petrum lapidem eſſe cognitum à me. Itaque Deus non vnit intentionaliter Petrum cū lapide; ſed præcisè cognoſcit Petrum, & lapidem eſſe vnitos intentionaliter à me; & cum ab illo fiat ens rationis à quo in tertio repugnanti ponuntur extrema, hinc eſt, quod cum illa Deus non vniat, ſed ab alia vnita cognoſcat, non faciet ens rationis. Itaque facere eſt illud cognoſcere practicè; non veró ſpeculativè. Videantur dicta *in quaſt.* 1.

36 Inſtas, ens rationis habet reſpectu intellectus diuini eſſe obiectum; ergo, & reſpectu illius habet eſſe factum. Adhuc relicto antecedenti, negari poteſt conſequentia; quia, etſi ex eo, quod ſit obiectum intellectus diuini, ſequatur, quod id, quod eſt obiectum, ens rationis ſit, nunquam tamen ſequitur, quod fiat ex eo, quod ſit; aliàs neque eſſet, neque fieret. Inſtas, non poteſt ens rationis tantum habere eſſe obiectum mei intellectus, quin ego ipſum faciam; ergo neque poterit eſſe obiectum intellectus diuini, quin ab ipſo fiat. Adhuc poteſt negari antecedens; quia dum factum ab alio præcisè cognoſco, habet eſſe obiectum mei intellectus, & habet eſſe factum reſpectu alterius. Pro quo eſt notandum, quod quando in communi explicatione entis rationis dicitur, eſſe id, quod tantum habet objici intellectui; tunc non explicatur, quid ſit facere, ſed quid ſit eſſe: verum enim eſt, quod illud quod habet objici, eſt ens rationis; non autem eſt verum, quod illud ſit eius fieri. Hęc ita exhibui; iam vt curioſitati aliquorum ſatisfaciam; iam vt aliquomodo ſimilium objectionum anxietatem ſatisfaciant, adhuc qui nobiſcum non ſeruant entis rationis ſupra poſita principia, iuxta quę, & Doctorem noſtrum ſolidiùs eſt reſpondendum.

37 Doctor igitur noſter, conformiter ad doctrinam, quàm ſupra *in diſt.* 1. ex poſuimus, præobiectum argumentum proponit, & ſoluit *in* 2. *d.* 1. *q.* 3. *§. Tenentes illam poſitionem*, verſ. *ad illud de vix intelligibili, &c.* Cum enim *in quodlib.* 3. & alibi teneat, quod duo contradictoria non poſſint cauſari ab intellectu, quia eſt imperceptibile, quod qui aſſentit omnem hominem eſſe animal, quod ipſe diſſentiat, aliquem hominem eſſe animal; & *in* 2. admittat contradictoria, poſſe apprehendi ab intellectu, (alioquin nullomodo intellectus poſſet dicere, ea eſſe cōntradictoria, ſiquidem affirmaret, quod adhuc per apprehenſionem ignorabat) cogitur explicare, quomodo apprehendar illa, ita vt vix intelligere, non ſit intentionaliter cauſare.

38 Reſpondet igitur Doctor ad argumētum, (quod innuit eſſe Angelici Doctoris) verum eſſe, quod contradictoria, & ſimiliter repugnantia poſſunt apprehendi ab intellectu; ita tamen, vt non intelligatur contradictoriū cum aſſenſu, defectu cuius ſic apprehendere, eſt vix intelligi, & ſic intelligi nil cauſare: quo pacto ait Scotus perfectè intelligimus, quod eſſe verum credimus, & aſſeveramus; & non intelligimus eſſe verū, quod nec aſſeveramus, nec credimus, etſi illud apprehendamus.

39 Ratio debet colligi ex ipſo citato *in quodlib.* quia ad hoc vt aliquid obiectivé habeat eſſe, requiritur, quod conſtet partibus, ex quibus ſaltim intentionaliter efficiatur, & ſit vnum; ſed ex contradictorio apprehenſo, adhuc intentionaliter fieri poteſt vnum; ergo ita vix intelligitur, vt formaliter eſſe obiectivum non habeat. Minor revocatur in memoriam; tunc ex aliquibus ſit intentionaliter vnū, quando intellectus intelligibiliter illa vnit; ſed eſt impoſsibile, quod intellectus vnita intelligat, quæ firmiter invnita intelligit; ergo eſt impoſsibile, quod ex contradictorio apprehenſo, adhuc intentionaliter fieri poſsit vnum. Prob. min. tam ſtricta vis contradictionis poteſt vigere in intellectionibus, & actibus intellectus, quam in intelligibilibus, & obiectis actuum; ſed eſt impoſsibile, quod aliquod obiectum ſit à parte rei vnitum, & non vnitum; ergo, & eſt non minus impoſsibile, quod intellectus vnita intelligat, quæ firmiter invnita intelligit.

40 Dices, quod licet ego non aſſentiam, lapidem tamen poſſum concipere poſitum in Petro. Sed contra; quia ex rectitudine actus contrarij concipio firmiter lapidem non eſſe in Petro poſitum: ergo, &c. Nilominus tamen, qui iuxta verba Doctoris velit ab humeris has cruces ingeniorum evertere, tergat ſi maluerit, vertere quibit dicendo, quod licet nullus intellectus poſsit aliquod eſſe obiectivū rationis cauſare per actum aſſentientem, ſin autem per puré apprehendentem. Ratio eſt; quia tunc aliquid rationis cauſatur iuxta Scoti Doctrinam, quando vnum cognoſcitur in ordine ad aliud; ſed dum audio, vel de alio intelli-

telligo, quod Petrus v.g. eſt lapis, concipio,& apprehendo, lapidem eſſe in ordine ad Petrum; ergo tunc ſaltim illa relatio rationis ex conceptu ſimplici relinquitur.

41 Undè ad obviantia ſupra poſſunt dicere, quod concipere lapidem in ordine ad Petrum, præſcindendo ab aſſenſu, bene poteſt compati cum non concipere lapidem in Petro per conceptum cum aſſenſu contractum, quia iſte eſt conceptus inferior. Semper tamen noto, quod adhuc ex ſuppoſitione, quod ſic aliquod eſſe rationis cauſetur, requiritur comparatio vnius ad aliud, quia ſi præcisé apprehenderem hanc propoſitionem v.g. Petrus eſt animal, ita vt apprehenderem abſoluté Petrum, idemptitatem, & animal; ſi nulla adſit comparatio, non cauſabitur ens rationis; ſimiliter ſi ſine cõparatione, apprehenderetur *Petrus, idemptitas, lapis*; tunc enim ſolum materialiter eſſent ens rationis, non autem proximé, & formaliter, quouſque vel relatio vnius ad aliud, vel vnius cum alio cauſaretur ex comparatione. Quibus addo, quod vt quilibet intellectus ſine aſſenſu, imó cum diſſenſu, ſimiles relationes cauſet, iam habere videtur fundamentum; quia dum audio v.g. quod Petrus eſt lapis, & tunc apprehendo lapidem in ordine ad Petrum, fundamentum huius comparationis, quæ videtur inevitabilis, non eſt lapis præcisé, ſed lapis auditus, vel ex alio errante, conceptus in ordine ad Petrum; quomodo illa ſuperior cõtradictio, minui videtur; ſiquidem tunc potius refero, & comparo lapidem cum intellectione alterius ad Petrum, quam referam lapidem, *vt in ſe* ad Petrum, quod innuere videtur Scotus *in 2. verſ.* immediato.

42 Reſolvo ex dictis aliqua ſummo metu in hac quæſtione reſolviſſe, quia vt in initio dixi cum ingenioſo Groſſo, hæc puncta, pluſquam proficiant, confundunt. Noto tamen, quod dicta hucuſque, non ſubjicio dictis in hac quæſtione; ſed é contra; & ſic in caſu alicuius diſſonantiæ, iſta reprobo, & anterioribus ſubſcribo. Infer etiam de Angelo, quæ ſervatis ſervandis, reſoluta ſunt de Deo.

ART. II.

QUÆ SUNT DE RATIONALI ſphæra expenduntur.

43 Etſi imperfecté, etiam in brutis dantur potentiæ intentionales, quæ ſolent dividi in internas, & externas, eo quod interius, exteriuſque percipiant. Pro internis intelligimus phantaſiam, & appetitus ſenſitivos, qui ſe habent reſpectu illius, ſicuti voluntas reſpectu intellectus. Pro externis intelligimus ſenſus exteriores, v.g. viſum, auditum, &c. de quibus omnibus, an ſaltim ens rationis non logicum poſſint fabricari, inquiritur.

44 Reſolvo de omnibus negativé. Ita colligitur ex Doctore *in quodlib. 17. §. de ſecūdo dico*, vbi Doctor probat comparationem poſſe convenire voluntati ſicuti, & intellectui, propter talium potentiarum immaterialitatem; ergo materialibus potentijs comparationem diſconvenire ſentit. Deinde colligitur ex *2. d. 1. q. 3 §. tenemus iſtam poſitionem, verſ. ad illud de vix intelligibili.* Vbi ait, quod adhuc ſenſus intellectivus poterit comparare extrema, ſi vtrumque non apprehendat; ergo cum prædicti ſenſus materiales vtrumque extremum, vt entis intentionaliter compoſibilis non apprehendant, ipſa non poterunt comparare, ac per conſequens, neque ens rationis componere. Prob.; quia ſi ſenſus internus bruti poſſet, vt capacia comparationis, vtrumque extremum apprehendere, poſſet, & vnum ponere intentionaliter in alio; ſiquidem illud cum alio poſſet conferre; ſed iſta repugnant brutis; ergo. Minor ſuadetur; (etſi melius ſolutione argumentorum) quia ſi poſſet vnum intentionaliter ponere in alio, debebat, & poſſe ponere vnionem, & copulam intentionalem in illo; ſed hoc poſſe ponere eſt poſſe iudicare; ergo iſta repugnant brutis. Suadetur minor, tunc nos elicimus actum iudicativum, quando per potentiam apprehenſivam, ſeu cognoſcitivam elicimus actum, per quem vnum primó apprehenſum ponitur in alio primò apprehenſo, concipientes, quod vnum eſt aliud; ſed hoc deducitur, poſſe facere brutum; ergo hoc poſſe ponere, eſt poſſe iudicare.

45 Dices ſolum ſequi, poſſe iudicare imperfectè. Bené eſt; ergo & poſſet imperfecté diſcurrere; ac proinde eſſent homines paulo minus perfecti à nobis; ſicuti in ratione, nos ſumus paulominus ab Angelis. Quod poſſet, etſi minus perfecté diſcurrere ſuadetur; quia ſi aliquid obviaret maximé immaterialitatis defectus; ſed iſte non obviat, vt vnum intentionaliter ponatur in alio; ergo neque, vt vnū intentionaliter inferatur ex alio. Confirmatur; quia non magis diſtat ſimplex apprehenſio à iudicio, quam diſtet iudicium à diſcurſu; ſicuti enim inter ponere duo præcisé, quod eſt apprehendere, & inter ponere illorum vnum in alio, quod eſt iudicare, nil mediat; ſic inter ponere vnum in alio, quod eſt iudicare, & inter

Digitized by Google

ter deducere illud poſitum ex alio, quod eſt diſcurrere, nil mediat; ergo ſi brutum poſsit ex duobus apprehenſis ponere vnum in alio, quod eſt iudicare; & poterit vnum poſitum ex alio deducere, quod eſt diſcurrere. Ex quo ſequeretur quod ſummum ipſis conveniens poſſent deducere, & beari.

46 Prob. reſolutio quoad ſenſus externos, & ponitur viſio pro omnibus. Ens rationis fabricandum à potentia viſibili debet eſſe coniũctum ex viſibili, & ex non viſibili, ſeu (vt vnius Recentioris vitemus evaſionem) ex viſo, & nõ viſo; ſicuti ens rationis, quod eſt v.g. Petrus eſt lapis, debet eſſe coniunctũ ex Petro, & ex non Petro, quia lapis eſt non Petrus; ſed coniunctũ ex viſibili, & non viſibili non poteſt à potentia viſiva videri; ſicuti neque videbitur coniunctũ ex viſo, & ex non viſo; aliàs non visũ, & inviſibile forent obiectũ potentiæ viſivæ, ergo penés viſibilitatem non poteſt ens rationis à tali potentia fabricari. Idem medium vertes in audibili, & appetibili. Dices, quod vt potentia viſiva v. g. cauſet ens rationis, non requiritur, quod habeat non viſibile pro obiecto, ſed quod id, quod videt, aliter videatur, ſcilicet, quod videatur, vt purpureum, quod eſt viride. Semper inſtat ſuperior ratio, quia id, quod videt, vel habet viſibilitatem purpuream, vel non habet? ſi habet: nil fingit. Si non habet: ergo non videt id, quod videt; ac per conſequens ſemper illius viſionis erit obiectum non viſibile.

47 Objicies, repreſentare rem aliter, ac eſt ipſe, eſt ſignum evidens entis rationis; ſed potẽtia viſiva vaculum rectum in aqua reſpicit vt curvum: ergo. Maior non videtur habere ſuppoſitam evidentiam, dum colatio non adſit, quia aqua repreſentat vaculum curvum, aliter ipſe ſtans, & non poſſum preſumere, quod aqua entia rationis fabricet. Deinde poteſt reſponderi ad minorem, quod obiectum potentiæ viſivæ, non eſt tũc vaculum rectum, ſed illud eſſe in re repreſentatum, vt curvum, ſeu pars aquæ habentis formam vaculi curvi; quod ſuaderi poteſt; quia ſi vſque ad vaculum tranſiret viſio, nullo intermedio vitiante, à fortiori vaculum rectum videretur. Hæc ſolutio poteſt ad plura huiuſmodi adaptari, tenẽdo ſemper, quod circa proprium ſenſibile, nunquam ſenſus externus fallitur per ſe, ſed ad ſummum per accidẽs, ex immutatione ſpeciei; oculus ſiquidem ſemper videt obiecta, vt per ſpecies repreſentata, & ideo non fingit illa, ſed per vitrum philoſophale, v. g. veros colores percipit; qui tamen etſi actù in terra non ſint, cum tamen illos non componat, ſed ſimpliciter apprehendat ens rationis non facit.

48 Objici ſolent 2. quod ovis fugit Paſtorem pele lupina veſtiium; ergo phantaſticé componit Paſtorem cum lupo, ac per conſequens dabit illi aliquod eſſe, quod tantum obiectivum ſit. Hæc & ſimilia, iuxta Doctorem in 2. & alibi citatum ſupra, abſoluté neganda ſunt, quoad punctum compoſitionis: ovis enim non vnit Paſtorem cum lupo, ſed præciſé apprehendit lupum, determinatum per ſpeciem accidentis lupi. Ratio eſt Doctoris, quia ſenſus intellectivus vt comparet, & vniat, debet ſupponere apprehenſionem partium, poſtquam fiat unio per tertiam cognitionem, quæ ſenſu communi repugnant; potentia enim materialis eſt tam turpis, & in tam nil obiectorum colativa, vt in caſu ovinæ fugæ, non concipiat illud eſſe lupum; non enim concipit lupum, & illud, ſed ſolum concipit lupum; & ſic duo colativé non concipit; quare nec valet vnire, & ſolum quæ valent ſic vniri, valent eſſe obiectivum recipere, vt diffusé extat explicatum ſupra.

49 Objicies 3. imaginatio eſt animalis quædam materialis, & interna potentia, hominibus, & brutis communis, eo quod propoſita obiecta magis diſcernat naturæ ductu, quam rationis; vt diximus in fuga ovis; ſed potentia imaginativa, & cogitativa hominis plura impoſsibilia fingit in ſomnijs, nec non dividit, componit, & diſcurrit; ergo dat illis, circa quæ ſic operatur, aliquod eſſe obiectivé tantum. Aliquando examinavi maiorem ſyllogiſmi, & exiſtimavi aliquam differentiam, etſi non ſtrictam, inter æſtimativam hominis, & bruti; etſi enim dum homo ſimpliciter apprehendit, ſimilis bruto videatur, ſemper tamẽ in ipſius actus ſimplicitate elevatior vis reſidet, quam in actibus bruti: homo enim poteſt apprehendere ſimpliciter diſcurſum, & licet talis actus non videatur hominis, quia quin diſcurrat, apprehendit, quod diſcurrit; at tamen adhuc ſic, ad illud apprehendendũ ampliatur actus, qui humanus non ſit. Sed quidquid de hoc in ſuo loco ſit. Reſponderi debet negando minorem ſyllogiſmi. Itaque ſicuti nunc dicebamus, homo in ſomnis formaliter, & practicé, neque componit, neque dividit, neque diſcurrit, ſed præciſé abſque comparatione, compoſitum, diviſum, & diſcurſum, ſimpliciter apprehendit: Sic etiam non practico, & comparativo, ſed ſimplici, & veluti ſpeculativo intuitu ovis fugit lupum, & non canẽ, non percipiendo formaliter oppoſitionem lupi, & familiaritatem canis, ſed fugit lupũ, quia ſpecies lupi repreſẽtat ipſi animal oppoſitum, non veró ſpecies canis, quæ intuetur ſine æſtimatione cõparativa.

Hæc

50 Hæc omnia, ſolum apparientia objicere difficultatem poſſunt ſuadere in ipſo, quod apparet in diſcurſu. Sicuti enim in ſomnis homo videtur nobis componens, dividens, &c. ſic nobis videtur diſcurrens; ſed revera non videtur bene ſonare, quod homo ſopitus diſcurrat; ergo etſi apparēter videatur cōponens, non debet coligi, quod cōponat. Minor poteſt ſuaderi dupliciter; primò ex eo, quod elatior ſit apprehenſiva cogitatio hominis pervigilis, quã ſumma cogitatio hominis conſopiti; ſed adhuc homo peruigil dum apprehendit diſcurrere, non diſcurrit; ergo dum ſoporatus ſummé apprehédat, & cogitet, nullatenus diſcurret. Secundó, quia ſi homo diſcurreret, debebat pati, quod ſtrictè intelligebat; ſed ex munere intelligibiliter, & diſcurſivé pati, eſt intellectus; ergo cum in ſomnis diſcurreret, ſequeretur, vel quod ex phantaſia non diſcurrebat, vel quod intelligibiliter pati ex munere intellectivo non erat.

QUÆSTIO IV.

Complens, quæ pro diviſione entis rationis reſtant, & quid ſit ens rationis ſine fundamento inferens.

51 Dividi poteſt primò ens rationis in ens rationis cum fundamento, & ſine illo. Ens rationis cum fundamento dicitur illud, quod cauſat intellectus in aliquo obiecto excitato ab aliquo modo, ſeu paſione illius ad inſtar cujus aliquod eſſe obiectivũ, & rationis ei applicat, v.g. dum eſſe obiectivum vniverſalitatis naturæ applicat, exhibente iſta realem pluralitatis aptitudinem. Ens rationis ſine fundamento dicitur illud, quod intellectus cauſat in obiectis nullam habentibus proportionem ad illud, imó contradictionem intelligibilẽ captui exhibentibus v.g. Deus non eſt ens &c. Deinde ens rationis cum fundamento poteſt ſubdividi in logicum, & non logicum. Logicum dicitur illud, quod cadit ſub perfecto diſſerendi metro iuxta eſſe ſubjicibile, & prædicabile, definibile, & diviſibile &c. Non logicum, vtile tamen, dicitur illud, quod cadit ſub vocis perfecta formatione, & locatione per caſus, & tempora, ſi ſit puré grammaticum; ſin autem ſit poeticum per metri, & rithmę conſonãtiam, & per elevationem, & pulchriorem vocum, & conceptuum locationem ſi ſit rhetoricum: qua propter multam affinitatem habet Rhetorica cum logica, cum finis Rhetoris ſit, per ſuadere dicẽdo.

52 Deinceps èns rationis tam logicum, quam grammaticum poteſt dividi in tranſcendens, ſeu metaphyſicum, & in determinatum, ſeu concretivum. Ens rationis metaphyſicum dicitur illud, quod eſſe rationis, non dicit vt huic vel illi ſpeciali primæ intentioni applicatum, ſed ſolum vt ſic formalitatem rationis explicat; é contra ens rationis determinatum, & concretivum, vt diximus *diſt. 2. quæſt. 5.* quod ſi ſit logicum eſt quintuplex, ſcilicet, Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens, & etiam erit multiplex, ſi ſit grammaticum iuxta verſionem, & declinationem vocum, & verborum tendentiam coniugantem. Rurſus vtrumque ens rationis primó ſubdiviſum dividi ſolet iuxta aliquos in negativum, privativum, & relativum. Primum dicunt, eſſè carentiam formæ in ſubiecto inepto, concepta, vt forma poſitiva; v.g. cœcitas concepta in lapide, vt forma poſitiva. Secundum dicunt, eſſe carentiam formæ in ſubiecto apto, vt poſitiva concepta, v.g. tenebræ in aere. Tertium dicunt eſſe, dum formam poſitivam concipimus cum reſpectu, quẽ revera non habet, v.g. relationem virtutis omnipotenter producentis. Simili modo concipiendo, poteris ſignare ens rationis poſitivum, abſolutum, & quodvis aliud per contrapoſitionem conceptus ad realitatem obiectorum, & entium.

53 Sentio tamen, quod ſi iuxta Doctorem ſtrictè alloqui debeamus, nullam diviſionem formaliter debemus ponere in ente rationis iuxta terminos abſolutos, & reſpectivos. Fundamentũ iuxta Scotum deſumitur ex eo, quod nullũ èns rationis ſit, quod non habeat eſſe immediaté formatum à comparatione; nullum eſſe à comparatione formatum poteſt eſſe abſque reſpectu, & eſſe in ordine ad aliud; ergo nullum eſſe rationis poteſt à reſpectivo dividi, & in abſolutum verti. Deinde aliud excitabo fundamẽtum iuxta rationem, ex eo, quod aliquando entia illa, quorum eſſe formale intrinſecum non percipitur, ſumere ſolent denominationem extrinſecé ſpecificam à terminis, in quibus inſunt; quo pacto poterat dici, quod dũ ex abſoluto fiebat figmentum, & é contra, poterat extrinſecé ens rationis denominari abſolutum, vel é contra; ergo dum infallibiliter cognoſcatur in ipſo eſſe entis, forma à qua póſſit ſecundum ipſam denominari, ſuperfluus erit ad extrinſeca recurſus, ſed ex tot iã dictis iuxta Doctorem, & ejus rationem, in ipſo eſſe proprio cõparationis rationis, relativa forma cognoſcitur; ergo recurſus ad alias denominationes ſuperflué, & inutiliter ex alijs extraneis habetur.

Con-

54 Contra primam diviſionem entis rationis objiciunt aliqui ſcotiſtæ intendentes probare non eſſe rigoroſam, ex eo, quod illud ens rationis, quod fit ſine fundamento poſsit fieri ſine illo: aiunt enim, quod ad hoc ſic faciendum nil poteſt intellectivæ fœcunditati contrariari: ergo produci cum fundamento, vel ſine illo, eſt quid accidens enti rationis. In primis ſentio, poſſe inſtari argumentum in ipſis admitentibus ens rationis ſtrictè dividi in abſolutum, & relativum; quia quid impedit fœcunditati intellectivæ, vt faciat relativum, ens rationis, quod effecit abſolutum, & ſic de quavis diviſione; ergo.

55 Si dicant, quod termini ſunt abſoluti, & ex illis abſolutum debet eſſe reſultans: Dicam; quod cum termini dent fundamentum, cum fundamento debet eſſe reſultans. Si dicant, quoddam ex abſolutis efficiatur relativum, nunquam ſequitur, quod ens rationis, quod erat abſolutum, ſit relativum; diſtinctum ſiquidem erit: ſimiliter in noſtro caſu dicã. Sẽtio tamen pro reſponſione, nunquã pro ſtricta membrorum diviſione debere argui ex eo, quod enti diviſo accidat, vel non accidat iuxta propoſitum modum argumenti; quia aliàs ſequeretur, quod adhuc diviſio in ſpecificas differentias non minus accideret animali, ſiquidem ſecundum ſe, accidit quodlibet ex dividentibus. Deinde dico fore imperceptibile, quod illud ens rationis, quod cum fundamento formatur, poſsit fieri ſine illo; ſicuti eſt imperceptibile, quod animal, quod formaliter prædicatur de homine, prædicetur de lapide, & quod ſecunda intentio vniverſalitatis, quæ cauſatur in natura communi, cauſetur ſine illa, & ſic de alijs.

56 Circa ſecundum in titulo propoſitum, ex dictis breviter poteſt formari reſolutio. Sentio igitur, ens rationis ſine fundamento poſſe explicari dicendo, eſſe *id ex cuius partibus, adhuc intelligibiliter non poteſt fieri vnum ſine contradictione*. Itaque hoc ens rationis v.g. Petrus non eſt Petrus, adhuc per intellectum non poteſt eſſe vnum, quin eius vnitas duo contradictoria inducat; v.g. quod Petrus eſt, & quod Petrus non eſt; & ſic de alijs ratiocinabis. Inferes etiam, ſufficientem eſſe explicationem pro communiſsimo ente rationis, quam tradit Doctor *in 3. d. 9. q. vn. §. ad aliud etiam dico*, vbi tenet, quod ens rationis non eſt in aliquo, *niſi vt tantum habet eſſe obiective in intellectu, ficut cognitum in cognoſcente*. Pro cuius deſcriptionis perfecta intelligentia debes notare, quod licet hoc concretum v.g. homo cognitus, ſit rationis; forma tamen, & eſſe obiectivum rationis, non eſt eſſe hominis, ſed eſſe cogniti, cum ſolum hoc eſſe, ſit ſimpliciter à cognoſcente dependens; itaque ſic eſt philoſophandum in his concretis ex prima, & ex ſecunda intentione formatis, ſicuti in concreto albo, ex ſubſtantia informata accidenti philoſophari ſolet.

57 Objicies, quod eſt à parte rei, eſt aliquid extra intellectum; ſed enti rationis convenit eſſe à parte rei; ergo enti rationis convenit eſſe aliquid extra intellectum. Minor ſuadetur, quia quod eſt tantum obiectivé in intellectu, eſt à parte rei repugnans, & impoſsibile; ergo ens rationis eſt à parte rei. Reſponderi poteſt huic, & ſimilibus argumentis, diſtinguendo maiorem ſic, quod eſt à parte rei repugnans exiſtere à parte rei, eſt aliquid extra eſſe obiectivum, nego; quod eſt à parte rei per non repugnantiam exiſtendi à parte rei, concedo. Vel ſic, quod eſt aliquid à parte rei, eſt aliquid extra eſſe obiectivum; concedo. Eſt aliquid, quod ſolum eſt à parte rei nil; nego, & ſic reliqua diſtinguo; & ad probationem minoris reſponderi debet ſimiliter diſtinguendo antecedens. Itaque exiſtere à parte rei convenit per repugnantiam enti rationis, iuxta fraſim argumentum, quod eſt ei diſconvenire exiſtere à parte rei; ſicuti qui velet dicere, quod diſcurrere convenit leoni, ſcilicét, per repugnantiam.

58 Inſtabis, quod eſt poſsibile, poteſt exiſtere à parte rei; ſed ens rationis eſt poſsibile, aliàs nõ poſſet fieri; ergo. Diſtingui poteſt maiorẽ ſic, ſi eſt poſsibile ad exiſtendũ extra ſphæram puré intentionalem, eſt verum; ſi vero ſolum ſit poſsibile ad exiſtendum intra illam, eſt falſum, & ſic reliqua percipio. Itaque licet conceptibilitas entis rationis æquivocetur cum ſtrictiori poſsibilitate, nil tamen in re habet vnivocum, quia ſi foret impoſsibile concipiens, per locum intrinſecum illa conceptibilitas entis rationis foret impoſsibilis; eo quod omne eſſe imaginabile ab actu intellectus derivetur.

59 Dubitabis, an vnio, qua partes entis repugnãtis vniuntur, ſit realis? Negative reſpondeo; imo addo, quod neque eſt realis vnio, quæ ponitur inter Petrum, & animal, ſed rationis, & intentionalis; quapropter ſæpé iuxta doctrinam doctoris dixi, quod ſi poſsibile ſit; quod intellectus dicat, quod Petrus eſt lapis, vt ignoranter poteſt, tam ens rationis formaliter erit Petrus eſt animal, quam Petrus eſt lapis; neque aliud pro tota prima *diſtinctione* huius *primi libri* perſuadere exiſtimavimus. Videantur dicta in hac *diſt. art. 1.* & quia in hoc

puncto

Digitized by Google

puncto aliqui ſcotiſtæ ſcandalizantur, breviſſimé illud explicabo.

60 Dixi, quod inter Petrum, & animal eſt vnio intentionalis, & rationis; quia ſi vnio poſita foret realis, vel foret realis quia in re poneretur vnio, quæ eſt idemptificans ex parte obiecti, vel quia vt ponatur vnio realis ab intellectu, ſufficit, quod intellectus vnionem realem intelligat, vel quia ipſemet realis actus intellectus ponitur, vt vnio; ſed nullo ex his modis vnio realis ponitur inter Petrum, & animal; ergo. Suadetur minor per partes, & in primis quod non ſit realis propter primum, eſt manifeſtum; quia in re idemptificata, ſolidiorem cauſam, quam intellectivam petunt, ita vt aliud intelligere, ſit ridiculum. Deinde non propter ſecundum; quia quod intellectus percipiat, & apprehendat vnionem realem, non infert, quod id, quod apprehendit, realiter ponat; ſed quod ex appehenſione vnionis realis inter extrema, habeat ſufficiens fundamentum vt illa, ſine intelligibili contradictione puré intentionaliter vniat, ex qua contradictione oritur, quod intellectus adhuc puré intentionaliter, non poſsit vnire Petrum, & lapidem, quia ex apprehenſione realis ſeparationis habet in fundamento apprehenſo vim contrariam, quam evincere eſt imperceptibile capienti contradictionem: quare dixi, quod ſi intellectus poſſet lapidem dicere de Petro, non foret hoc concretum plus rationis, quam illud animalis, ſiquidem tam realis eſt lapis, quam animal; deinde animal ſolum intentionaliter ponitur in Petro, ſquo pacto non minus poneretur lapis; ergo. Videantur in probatione huius partis, quæ manent *in hac diſt. art. 1. reſolutione 2.* & etiam videantur, quæ diximus *in diſt. 1. quaſt. 2.* vbi eſſe obiectivum, eſſe rationis propugnavimus; & ſic illud eſſe obiectivum vniti, rationis debet eſſe.

61 Denique, non propter tertium; quia omnis vnio, ſive realis, ſive rationis, debet eſſe relatio, & præcipué apud Noſtrates; ſed actus ipſe intellectus eſt qualitas; ergo ad ſummum ſolum poterit eſſe vnionis cauſativum. Deinde, quia poſtquam intellectus dicit Petrus eſt animal, poteſt Petrum intelligibiliter cognoſcere reflectendo, & ſic contemplare tale compoſitum; ſed tunc in tali compoſito, actus realis, & vitalis iam non manet; ergo vnio, quæ actui reflexo obiicitur, ſolum eſt pura relatio rationis. Deinceps, quia talis vnio ponitur in Petro, v. g. & non per aliud, quam per actum intellectus poteſt poni; ergo non eſt ipſemet actus. Tandem propter iam impugnata *in diſt. 1. quaſt. 2.* vbi diximus, quod non poterat eſſe aliquid reale extrinſeca denominationis.

QUÆST. V.

Exambiens corolaria aliqua diſperſa, quæ pro huius libri complemento reſtabant.

62 Reſtabant aliqua, quæ etſi pro complemento huius difficilimi libri non videantur parum proficua, ſed tamen cum ſupereſſet prolixitas, ſi de omnibus initemus ſpeciale certamen, ideo de illis in ſequentibus corolariis, commodiorem cingemus notitiam.

63 Sit primum corolarium. Ens rationis (intelligo cum fundamento, dum ſpeciali nota non reſtringatur) habet propriam intelligibilitatē, ita vt, ſit rigoroſé intelligibile; prove rigoroſé intelligi contra ponitur cum intelligere deperaccidens, & ſine contradictionis formidine, ita Doctor citatus in *quodlib. 3. & in quodlib. 6. §. de ſecundo art. verſ. & ſi inſtetur*, vbi occurrit aliquibus ſcotiſtis, qui fundati in hoc, quod minutæ entitatis ſit, propriā intelligibilitatem negant: Contraquod, ait Doctor, quod *quamvis relationes rationis* ſint diminutæ entitatis reſpectu relationum realium, tamen in ſua entitate habent oppoſitionem, & diſtinctionem correſpondentem ſuæ entitati; pro quibus ponit exemplum in relatione cauſæ, vt dicitur de Deo, quæ eſt rationis, & tamen ipſa cauſa, ſuo modo, oppoſitionem tantam *habet ad cauſatum, ſicut paternitas ad filium*; ſed talis oppoſitio, & diſtinctio ſunt proprié intelligibiles; ergo ipſa entitas, ſupra quam fundantur, proprius erit intelligibilis. Probo conſequentiā; quia non minus requiritur ad eſſe, opponi, & proprié diſtingui, quam ad intelligi; ſed diminutum eſſe entitatis, non impedit, vt ſit proprié diſtinguibile; ergo neque impediet, vt proprié ſit intelligibile.

64 Suadetur ratione contrarium fundamentum infringente. Si prædictumeſſe intentionale, & rationis non habuiſſet proprium eſſe intelligibile, vel eſſet, quia ſuum eſſe fuit in primo eſſe, intelligibili contradictione compoſitum, & formatum; vel quia vt intelligatur, requiritur, quod fundamenta, quæ ſunt primæ intentiones, primó moveant intellectum, ſed neutrum impedit propriam intelligibilitatem; ergo. Prob. minor quoad primum; quia tunc aliquod eſſe ſine contradictione intelligibili habet eſſe, quando intellectus habet ſufficiens fundamentum, ut ipſum alicui exiſtenti à parte

te rei applicet, & ex illo, & ex applicato, aliquod cõcretum conſtituat; ſed ex toties dictis, habet intellectus ſufficiens fundamentum, vt ſine formidine applicet naturę præciſæ eſſe intentionale vniverſalitatis, & ex vtroque hoc concretum vniverſale conſtituat; ergo ex eo, quod eſſe intentionale intelligibili contradictione foret formatum, propriam intelligibilitatem non impedit. Deinde prob. min. quoad partem principaliorem; licet relationes reales non moveant intellectum, niſi mediante fundamento; & licet diſtinctiones reales non moveant illum, niſi in entitatum virtute; nilhominus tamen, hoc non impedit eis, vt propriè, & per ſe ſint intelligibiles; ergo licet entia rationis non moveant intellectum, quin iſte prius moveatur à primis obiectis, nilhominus tamẽ, hoc non impediet, vt propriè ſint intelligibilia. Notanter dixi in concluſione de *per ſe*, vt contrapoſitũ ad de per accidẽs, quia ſi intelligatur, vt cõtrapoſitum ad eſſe primò cognitũ, certũ eſt, quod ſic de per ſe non intelliguntur; ſicuti neq; ſic de per ſe intelliguntur relationes reales, quia primò intelliguntur fundantia, & illis mediantibus, ipſæ intelliguntur.

65 Sit ſecundũ corolariũ. Ens rationis, vt formetur, & reſultet, non ſolũ habet pro cauſa mediata potentiã intentionalẽ, (dicimus potẽtiã cauſam mediatã eſſe, eo quod ſtabiliſſemus, cauſam immediatã eſſe ipſum actũ cõparativũ) ſed etiam obiectum motivũ excitans potentiã ad actum: quã concluſionẽ exiſtimo expreſſam Doctoris *in 1. d. 3. q. 6. in fine primi §. & §. contra iſtã opinionẽ, & in §. ad rationes alterius opinionis. Vers. quod arguitur*, & deducitur ex tota *quæſt.* in qua circa rationẽ notitiæ intelligibilis, ita ſubtilem calamũ acuit, & elevavit, vt ſupra ſe ipſũ, ſcribendo, volaret. Breviter nũc me geram in concluſionis probatione, quia petit radicitus diffuſum examẽ *in lib. de anima*, vbi de illa, & de Scoto teſtimonium verificabo.

66 Prob. 1. ex Doctore §. *Quæritur vtrũ*, vbi in fine ait cum Auguſt. *9. de trin. c.* 12. Liquidè tenendũ eſſe quãcumque rem, quã cognoſcimus, cõgenerare in nobis notitiã ſui; ſed à cognoſcente, & à cognito paritur notitia quę cõgenitur; ergo non ſolũ potẽtia cognoſcens, ſed obiectũ excitando fæcũdans erit cauſa, ens rationis cõgenerãs. Prob. ſic: id æquè concurrit cũ alio ad cauſatũ, ſivè ad reſultans, quod ęquè habuit cõcurſũ cũ illo ad cauſã cauſati, ſeu ad id, ex quo reſultat; ſed ad actũ cõparativũ, ex quo immediatiſsimè reſultat, aut cauſatur ens rationis, æqualẽ habuit cõcurſũ obiectũ, ac potẽtia; ergo, & ſimiliter illũ habebit æquè ad ens rationis, quod ex illo reſultat, & cauſatur. Cõfirmãtur dicta ex Doctore §. *ad quæſtionẽ igitur*; ſi ad ens rationis, v. g ad ſecũdã intẽtionẽ vniverſalitatis, non concurreret æquè obiectũ cũ intellectu, maximè, quia nulla ſimilitudinis, & proportionis cõſonãtia reluceret in illa ſecunda intẽtione genita reſpectu obiecti excitantis; ſed relucet; ergo. Prob. min. ſi non reluceret in ſecũda intẽtione vniverſalitatis, debebat eſſe, quia obiectũ excitãs, quod erat natura humana v. g. non poterat intelligi, neque vniri eius ſpecies intellectui, niſi exiſtẽs in ſingulari; ſed præterquam quod ſingularitas non eſt de quidditate naturæ, præceſit metaphyſici præciſio: ergo cum natura de per ſe ſit forma in genito exemplificanda, datur proportio, vt reluceat.

67 Confirmo dicta, ſignum maioris proportionis, & conſonantiæ deſumi debet ex eo, quod poſsit intellectus notitiã genitam applicare excitanti, & fæcundanti potentiam; ſed vt difusè diximus, ſine intelligibili cõtradictione, poteſt intellectus applicare illam ſecundam intentionem obiecto, & dicere quod natura eſt vniverſalis; ergo ex eo, quod datur relucẽs proportio, & ſimilitudinis conſonãtia; ac proinde motivum, vt concurrat. Maior ſuadetur in quovis obiecto movente ad cognitionem, quę cum illius ſit conſonans expreſio, valet ipſi applicari, ita vt obiectum dicatur cognitum: ergo &c. Quod etiã in ente rationis reluceat ſimilitudo obiecti, poteſt corroborari ex eo, quod ens rationis fiat ab intellectu ad ſimilitudinem entis realis; ſed ad ſimilitudinẽ, nullum ens reale apparet aptius, quam motivum obiectum; ergo nõ eſt cur etiam in ente rationis ſimilitudo obiecti motivi nõ reluceat. Reſtabat pro cõplemento iſtorum corolariorum, explicare à quo intellectu, & quomodo entia rationis phantaſientur, & modulitus producantur, quorum notitia cum longum, & difficile petat examen, ad libros de anima transfertur, in quibus, favente Deo, illam eviſcerabimus.

68 Sit Tertium corolarium. Omnis ille conceptus eſt intentionis primæ, qui natus eſt fieri immediatè à re ſine opere, vel actu intellectus negotiantis, qualis eſt, non tantum conceptus poſitivus, ſed etiam negativus. Hæc concluſio eſt Scoti ad literam *in 1. d. 23. §. Item arguo. verſ. ſed tamen non dicet.* Itaque omnes negationes, privationes &c. quæ ex natura rei conſequuntur, nil habent ſecundę intentionis. Suadetur breviter ex ipſo, prope initium ejuſdem §. Ex eo formaliſsimè homo eſt à ſecunda intentione præciſus,

Digitized by Google

non quia eſt homo, ſed quia eſt homo ex natura rei; ſed non minus ex natura rei eſt non aſinus, quam ex natura rei ſit homo ; ergo non minus conceptus ex natura rei negativus eſt à ſecunda intentione præciſus, quam ſit præciſus poſitivus.

69 Sit 4. corolarium. Firmiter eſt tenendum, ſecundas intentiones eſſe aliquid paſſivũ: Infertur ex ſupradictis, & ſuadetur; quia illa eſt ſecũda intẽtio logica, quæ habet eſſe obiectum libri Prædicabilium; ſed tale eſſe non habent actus ipſi intellectus: ergo ſolum eſſe obiectivum, & paſſivum eſſe ſecundam intentionem habebit. Prob. minor; quia illud eſt obiectum libri Prędicabiliũ circa quod poteſt exerceri prædicatio; ſed hæc circa eſſe activum vitalis qualitatis intellectus nõ exercetur; ergo. Prob. minor; circa illud eſſe exercetur, circa quod intellectus intendit prædicare; ſed intellectus non intendit prædicare vnum actum intellectus de alio, v.g. cognitionem animalis de cognitione hominis; ſed vnum obiectum cognitum de alio, quod eſſe paſsivum ſtabilivimus; ergo. Deinde, quia actus intellectus activé ſumpti ſunt reales qualitates, & ſic ad librum prædicamentorum ſpectantes; ergo nequeunt eſſe ſecundæ intentiones logicæ. Ita expreſsé Scotus in *q. 11. univerſ. §. ad primam quæſtionẽ*. Vbi ait: quod vniverſale eſt in re, veluti in ſubiecto, quia illam denominat, non intellectum; ſed in intellectu eſt, veluti in efficienti, & vt cognitum in cognoſcente.

70 Sit 5. corolarium. Vna relatio rationis poteſt ſufficienter fundari in alia relatione rationis. Eſt ad literam Doctoris Subtilis in *quodlib. 6. §. de tertio, in fine*. Suadetur ex ipſo ſic: omne illud poteſt eſſe fundamentum relationis rationis, quod ipſa ratio poteſt comparari ad alia; ſed poſſum relationem rationis intelligere, & in ordine ad aliam comparare; ergo cum illa ſecunda relatio fundaretur in prima, vna relatio rationis poterit ſufficienter fundari in alia relatione rationis. Ex quibus eſt notanter inferendum, quod quando vna intentio fundatur ſuper aliam, illa quæ eſt fundamentum, iam poteſt vocari prima intentio, etſi in ſe ſecunda intentio ſit ſine vlteriori reſpectu; ad modum quo vna relatio eſt forma ſubiecti, & fundamentum reſpectu alterius relationis; & quantitas eſt forma extrinſeca, & terminus dependens à ſubſtantia, & tamen poteſt eſſe ſubiectum aliorum accidentium, quæ ab ipſa quantitate dependeant; ſic anima eſt forma hominis, & ſubiectum reſpectu qualitatum immaterialium: ergo à ſimili ordo intentionalis poteſt exhiberi.

71 Sit tandem 6. corolarium. Secundę intentiones prædicantur de primis veré, non autem de per ſe. Quoad primam partem eſt Doctoris *quæſt. 1. laterali*. Ratio eſt, quia prædicantur de primis ſecundum eſſe cognitũ quod habent; ſed eſſe cognitum eſt verum; ergo veré de illis prædicantur. Minor probatur; quia vt aliquid veré prædicetur de alio ſecundum eſſe cognitum, ſufficit, quod cõceptus apprehenſus poſſit ſine intelligibili contradictione communicari ſubiecto; ſed eſſe apprehẽſum vniverſalitatis ſine vlla contradictione poteſt cõmunicari ſubiecto; ergo quia eſſe apprehẽſum, vel cognitum, eſt verum. Minor, nec non, & maior extant propugnatę *in diſt. 1. q. 2. & infra*.

72 Deinde explicatur breviter in natura humana, quæ cum ex natura rei ſit apta ad eſſendũ in multis, & vt talis ab intellectu apprehendatur, ipſe intellectus veré tribuit illi prędicatũ ſpecies, cui eſſentialiter cõvenit prædicari de pluribus differẽtibus numero, quod ſufficit, vt intelligibiliter ſit vera, hæc prædicatio homo eſt ſpecies; & ſimiliter animal eſt genus; Petrus eſt individuũ; rationale eſt differentia; riſibile eſt propriũ; nigredo eſt accidens; ita vt fundamentalis veritas ſumatur ex eo, quod ſecũda intentio accomodetur primę ratione alicuius proprietatis proportionantis. Quoad ſecundam partẽ ſuadetur; quia illud non convenit de per ſe ſubiecto, quod de per ſe ſupponit quidquid ex natura rei exigitur à ſubiecto; ſed vt recté notat Doctor in *quodlib. 3. §. de ſecũdo art.* propé initiũ, ſecũdę intentiones de per ſe ſupponũt quidquid ex natura rei exigitur à ſubiecto: ergo. Deinde ſuaderi poteſt ex ipſo Doctore *quæſt. 2. laterali*; quia prædicari de per ſe aliquid de alio confirmat, dici de omni; ſed ſecũda intẽtio nõ habet dici de omni; ergo neque prædicari per ſe. Prob. min.; quia ex eo, quod homo dicatur ſpecies, ſpecies non dicitur de Petro; ergo non habet dici de omni.

73 Objicies in hoc ſyllogiſmo, homo eſt ſpecies, ſpecies de per ſe eſt intentionalis: ergo homo eſt intẽtionalis, cõcluſio videtur homini cõvenire per ſe; ergo. Rx. quod in his, & alijs ſyllogiſmis mutatur mediũ, quia ſpecies reſpectu hominis ſumitur, vt modus adjacens; reſpectu veró eſſe intentionalis ſumitur vt *quid*; quia quodlibet in ſua linea, & ſpeciali genere eſsẽdi eſt quid, & habet intrinſeca quidditativa, quod eſt notãdum de ſecũdis intentionibus reſpectu quidditatum, & paſsionũ. Vnde licet ſpecies ſit modus accidẽs homini, tamẽ intẽtionalitas eſt forma quidditativa ſpeciei; cujus nulla quidditas poteſt naturæ humanæ eſſentialiùs convenire, quã ipſa ſpecies cõvenit ei, ac per cõſequẽs accidentaliter.

Idem

74 Idem notabis iuxta Noſtrates in hoc argumento: v. g. animal prædicatur perſe de homine, & bruto; ergo prędicatur perſe de pluribus ſpecie differentibus; ergo prædicari de pluribus ſpecie differentibus convenit illi perſe; ſed prædicari de pluribus ſpecie differentibus eſt ſecunda intentio generis; ergo ſecunda intentio generis convenit animali perſe. En quod hinc prædicari ſub conſideratione primę conſequentiæ, ſumitur quidditativé, & bene ſumitur; at ſic ſumitur malé, ſub conſideratione ſecundæ; quare conceſſo antecedenti cum prima conſequentia, eſt neganda ſecunda. Ratio eſt, quia animal prędicari perſe de pluribus ſpecie differentibus, eſt animal convenire eſſentialiter pluribus ſpecie differentibus, & eſt comparatio animalis ad plures ſpecies, quæ eſt eſſentialis; quia prædicatum, quod eſt animal, eſſentialiter convenit ſubiecto, quod eſt homo v. g; at veró prædicari de pluribus ſpecie differentibus, non convenit animali perſe, ſiquidem prædicari non convenit ipſi eſſentialiter. Itaque aliud eſt prædicationem comparari ad ipſum animal, & aliud eſt animal comparari ad ſua inferiora; in prima conſequentia comparatur animal ad ſua inferiora, in qua prædicatio eſt eſſentialis, quia animal eſſentialiter convenit ſuis inferioribus; in ſecunda conſequentia comparatur prædicatio ad ipſum animal; in qua prædicatio eſt accidentalis, quia prędicari convenit accidẽtaliter animali. Fundamentum extat in præcedenti argumento; quia etſi ſecundæ intentioni eſſentialiter, & quidditativé prædicandi forma conveniat, & hæc ſit in animali, ſic conveniet animali prædicari, ſicuti convenit prædicãdi forma. Deinde dum ſumitur, & dicitur *prædicari perſe animal de pluribus*, intelligitur convenientia animalis iuxta aptitudinem intrinſecam, quod eſt primę intentionis quidditas. Sed de his diffusé agemus in *diſtinct.* de poſt prædicabilibus, vbi de prædicationibus examinemus normam. Sufficiant dicta pro huius libri complemento.

LIBER SECVNDVS.

DE OBIECTO, ET NATVRA SCIENTIÆ ENTIS intentionalis in ſpeciali.

1 IN præcedenti libro egimus de ente ſecũdo intentionali in communi; egimus ſiquidem de ente rationis, tam logicæ, quam Metalogicæ, ſeu Metaphyſicæ rationali commune; qua propter, cum in ſequentibus de natura, & ſpeciali logicæ obiecto ſit agendum, ideo de logicis proœmialibus in ſpeciali intentionalizatis, hunc ſecundum librum conſultó ſtatuimus, vt maiori claritate procedamus.

DISTINCTIO I.

De exiſtentia logicæ, & de eius diviſione.

2 IN præſenti *diſt.* proponitur de exiſtentia logicę habenda notitia, circa quod longam habere concertationem, parum proficere exiſtimo; nullus ſiquidẽ iam dubitabit, quod logica ſit, & in rerum natura exiſtat; quia ſive ſumatur logica pro Arte bene loquendi, ſive ſumatur pro facultate arguendi ex probabilibus tantum, ſive ſumatur, vt moris eſt, pro tota arte diſſerendi, tam ex probabilibus, quam ex neceſſarijs, & apparentibus, non poteſt de exiſtentia logicæ dubitari ſicuti neque de exiſtentia prędictarum artium, à nullo mediocriter diſcurrenti dubitari præſumitur. Qua propter, de prima tituli parte nil amplius hic examinare intendemus, illam tamen pro nunc, etſi breviter, propoſuimus, quia etſi ſuppoſita, debet circa quodvis ens præire notitia de exiſtentia, antequam exhibeatur de diviſione.

QVÆSTIO VNICA.

De multiplici logica diviſione.

3 DIviditur primó logica in actualem, & habitualem: logica actualis eſt quodlibet exercitiũ intellectuale tendens circa ſecundas intentiones rationis, vel circa diſſerendi ſcopum. Logica habitualis eſt facilitas ex actibus, & exercitijs prædictis congenita, ad modum qualitatis permanentis perſeverans. Vnde, ex modo explicandi logicam actualem infertur non rectè aliquos, vel ad minus non expreſſe, logicam actualem explicaſſe per eſſe actum intellectus declarantem regulam logicam, ſeu dictantem modum collocandi ſecundas intentiones rationis, vt noviſſimé explicarũt Noſter Groſſo *diſſert. 9. &* Mag. Diony. *lib. 2. Diſt.* 3. Fundamentum illationis deſumitur ex eo, quod logica vtens ſit actualis, & tamen non ſic facilé convincitur, quod logica vtens declaret regulas logicæ, ſeu quod dictet, & explicet modum collocandi rationis intentiones: ergo.

4 Dividitur ſecundó logica in naturalem, & artificialem. Logica naturalis dicitur actus, ſeu habitus circa eſſe intentionale logicum tendens, à ſolo lumine naturæ inſito, formatus: v. g. omne totum eſt maius ſua parte; hoc eſt totum; ergo. Logica artificialis eſt qualitas inſtruens, & doctrinaliter informans intellectũ, vt perfecté exerceatur, ne in ſuis operationibus erranter habeatur; ad quam logicam ſpectant omnes regulæ logicæ, ita vt talis logicæ actus requirant laborem, & ſtudium, & quam plurima documenta, quibus ſolitum eſt ingeniorum vires aperire, & elevare. Dividitur tertiò logica in naturalem, & ſupernaturalem. Logica ſupernaturalis poteſt dici ille actus, ſeu habitus, in quo tanta viget perfectio, quod captum naturæ ſuperet, & excellat. Logica naturalis é contra explicata intelligetur. Dividitur etiam logica in practicam, & ſpeculativam. (Hęc diviſio non eſt communis, quia logicam ſimpliciter ſpeculativam practicantes, nil diviſioni relinquent) Actus practicus ſolet dici ille, qui ordinatur ad praxim, ſcilicet, qui dictat quomodo conficiendum ſit aliquod opus artificioſum; opus enim artificioſé confectum dicitur praxis, & regula dictans tale opus, dicitur actus practicus. Actus ſpeculativus é contra percipitur, ſpeculatio ſiquidem ſtat in cognitione contemplativa in veritatem obiecti præcisé tendente. Rurſus dividitur logica in docentem, & vtentem. Logica docens dicitur illa, quæ tradit regulas, vt recté quis definiat, dividat, enunciet, & ſyllogizet: v. g. definitio debet per genus, & differentiam explicare eſſentiam definiti. Logica vtens dicitur illa, quæ prædictis regulis vtitur, vt in prædictis operationibus bené exerceatur.

5 Dividi poteſt ſexto logica ratione partium eſſentialium, & integralium. (huc vſque fuit diviſa ratione partium potentialium, ſeu ſubiectivarum) Ratione partium eſſentialium, ratione ſcilicet, materiæ, & formæ. Alia eſt logica, quæ agit de materia ſyllogiſmi, vtpoté in duobus libris Perhiermeniarum, in duobus de poſteriori Annalisi, in octo topicorum, & in duobus ſophiſticorum: alia, quæ agit de forma logicæ per duos libros priorum. Secundó, alia logica agit de modo diſſerendi vniverſaliter, præſcindendo ab omni materia, vt ſunt libri Prædicamentorum, Perhiermeniarum, & Priorum: & alia, quę agit de modo diſſerendi determinato, vel ad materiam neceſſariã in libris Poſter. Vel ad probabilẽ in Topicis, vel ad ſolũ apparẽtem in ſophiſticis. Deinceps ratione partium integralium dividitur in eam, quæ agit de terminis in libris Perhiermeniarum, & Prædicamentis, de complexis, ſcilicet, de definitione, diviſione, enũciatione, & argumentatione, earumque ſpeciebus. Rurſus ratione remoti ſubiecti poteſt dividi in humanam, Angelicam, & divinam, quarum logicarum diſtinctio infra examinabitur. Denique dividitur logica in electivã, & directivã. Logica electiva dicitur illa, quæ ſupra materias tẽdens, ſolum aptas eligit: v. g. qui ad conficiendã domũ, non terrã, ſed latera, & planos lapides eligit, dicitur electivus domificator; qui vero electã materiã diſponit, & dirigit, dicitur directivus. Sic logica directiva dicitur. His, iuxta communiorem ſenſum, ad hibitis diviſionibus, reſtat, vt pro dividentium membrorum perfecta intelligentia aliquæ difficultates, quæ ex ipſis moventur, de vnoquoque ſigillatim eviſcerentur, & decidantur; in quarum deciſione, illum ordinem habebimus, quem in diviſionibus ſupra habuimus,

ART. I.

DE DIVISIONE LOGICÆ IN NATVralem, & artificialem fit examen.

6 CIrca logicæ naturalis, & artificialis diviſionem ſolum excitatur diſſidium penes earum diſtinctionem; an ſcilicet detur logica naturalis ab arti-

artificiali diſtincta, ita vt actus definiendi v.g. ſine vllo ſtudio, nec regulis à Magiſtro acceptis, acquiſitus, ſit dicendus logica naturalis, provt ab artificiali diſtincta Dequo ſentio poſſe reſolui, quod difficilimé poteſt aliqua ſignari diſtinctio. Quia in primis, eſſentialis non poteſt eſſe, ſiquidem actus, quo indoctus à Magiſtro explicaret hominem per animal rationale, neque ex parte obiecti, neque ex parte actus, neque ex parte principij effectivi, & formalis differret ab actu, quo per animal rationale hominem explicaret edoctus à Magiſtro. Deinde, neque ex aliquo alio capite poteſt derivari diſtinctio, quæ proprié talis valeat eſſe; ergo. Suadetur; quia ſi ex aliquo poſſet derivari diſtinctio, maxime, quia vnus actus oritur à principio doctrinis formato, non autem ſic alter; ſed in hoc nulla inuenitur diſtinctio; ergo. Prob. min. quia qui ſic hominem ſciret definire, iam haberet principia, quibus edoctus, & regulatus foret, ita vt natura ingenioſa, vel experientia, vel cura, foret Magiſtra, inquo caſu naturalis illa definitio, inſimul, & artificialis deberet eſſe non minus, quo pacto invenietur logica in omnibus naturaliter logizantibus; ſed eſto aliquis diſcat, effectus ex variatione magiſtrorũ, & ex modo docendi non variatur: ergo. Suadetur minor, quia certé non diſtinguetur definitio erudita, quia ſit à præpoſito Magiſtro, in cathedra elevato, Doctoratu inſignito; ſi enim ruſticus aliquis in campo poſitus erudiret aliquem ſic: omnis terra petroſa eſt apta ad vineam; hæc eſt terra petroſa; ergo. Nil diſtingueret aratrum pro calamo, neque terra pro papiro. Nec non, quod ille ruſticus foret à rudi terra edoctus; ſiquidem quod petræ ſint cathedraticæ, vel quod homines ſint, æqué accidit ingeniorum tabulæ raſſæ; ergo, vel vtraque artificialis, vel vtraque naturalis eſt dicenda doctrina.

7 Dices nullam dari naturam, cuius extra Deum, ars non ſit perfectiva: ergo ſemper illa logica indocti deberet ab arte logica perfici, ac perconſequens diſtingui. Sed contra, quia in primis actus prædicti non habent in quo perficiantur, aliàs actus edocti, non minus, in quo perficiantur habebunt. Dices, quod ſi non habeant, in quo perfici poſsint, deſumetur, quia ſaltim à proprio labore, & experientia habuerunt artem. Ita eſt; at autem ſine vna, aut altera arte, neque ſic naturales actus elicerentur, vt intuenti patebit, diſcurrendo per ruſticiorem logicam. Dices, ergo iam illa logica indocti erit artificialis, ac perconſequens à naturali diſtincta. Primùm ſine formidine fateor, non autem ſecundùm; quia ſi logica illa indocti eſt etiam artificialis, nulla dabitur logica, quæ talis non ſit; etſi non, ſignent illam. Erat enim quod poterant inferre, quod in tali caſu non ſolum logica, ſed, & ars poterat dici naturalis, quod concedere non renuam. Dices aliter, plura eſſe intra ſpheram logicam, quorum doctrina, & notitia eſt de facto naturaliter impoſsibilis, ſi Magiſter, comite regula, non inſtruat: ergo. Ita admiſſo, nil contrariat, quia vt aliquis dicatur ſtricte logicus, ſufficit, quod aliqua, quę ſtricté logica ſunt, attingat, aliàs, neque artificioſiores logici tales poſsẽt dici, cum non minus intra logicam, quam artificialem ſignant, plura dentur, quę nec adhuc ſunt adepta, nec defacto ſit poſsibile, ea omnia artificioſé adipiſci.

8 Dices, quod logici, ſolo ductu naturę, facile errant, qui in aliquibus logicalibus non errarent, ſi arte forent inſtructi; ergo quia debet ſignari logica artificialis ab eorum logicis diſtincta. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Videmus enim, quod homines arte logica inſtructi quotidie errant, & tamen dum recté paralogizant, logici ſunt. Verum enim eſt, quod debet dari logica ab illis erroribus logicis, vt ita dicam, diſtincta, nõ autem diſtincta ab illationibus perfectis. Sicuti enim edoctus errat, quia non bene eviſceravit Magiſtri doctrinam, ſic indoctus, & ruſticus erravit, quia non bene percepit experientias, tempora, & docentia ſaxa; ex quibus ſi recté, & infallibiliter eruditus eoſdem, ac edoctus proferat diſcurſus, neſcio ex quo inter ipſius, & alterius logicam ſit impònenda diſtinctio.

9 Dices aliter, quod homines rudes ignorant ſubiectum, & prædicatum, genus, & differentiam; ergo neque definitionem, neque propoſitionem formare poterunt, vt edocti. Reſpondeo permiſſo antecedenti, negando conſequentiam; quia etſi non ſciant, quid ſit ſubiectum, & prædicatum, faciunt tamen, quod ſubiecto, & prædicato conſtat, ita vt etſi habere logicam ignorent, logicé tamen operentur. Sic dum in morte Chriſti Pontifex anni illius ſenſivit expedire vnum mori, ne tota gens periret, ſtricté prophetavit, etſi tatem actũ eſſe propheticum, ignoraret. Deinde, ipſi edocti prius formant logicum artificium, quam formatum ſciant, imó ſi ad ſcientiam artificij, ipſum logicum artificium rigoroſé non præiret, ſcienciam de ipſo non haberent. Deinde poteſt reſpõderi, quod ſtricté loquendo, iam ſciunt quid ſit prædicatum, etſi non ſub hac voce à logicis impoſita, quia ſciunt, quid ſit dictum de Petro, & ſunt certi in hoc, quod hoc, vel illud poſsit

dici

dici de illo, non autem aliud. Deinde ſciunt, quid ſit eſſe ſimile, & diſsimile, & ſi ſub voce generis, & differentiæ vtrumque ignorent. Dices, aliquos eſſe tam rudes, quod adhuc prædicta neſciant. Dicam, quod etiam aliqui poſſunt eſſe tam rudes, quod ſciant plantare vineam, & tamen ignorent, quid ſit plantatio, ſi forte interrogentur. Aliud enim eſt habere ſcientiam, & aliud eſt ſcire eam, ſicuti aliud eſt habere fidem, & aliud quidditativé eam ſcire; ſi enim ruſtici non forent logici, quia quid erat logica, ignorabãt; neque fideliores ruſtici forent fideles. Nec valet, quod impoſsibile ſit aliquem ſcire, quin ſciat, ſe ſcire; in tali enim caſu iam ruſticus ſciret id, de quo habebat ſciẽtiam, quod ſcire non ignoraret.

10 Denique poteſt ſuaderi reſolutio ex eo, quod nulla ſit logica, naturalis vocitata, quæ pari paſſu non poſsit dici ſtricté artificialis; ſupponamus enim, quod ille diſcurſus de petroſa terra ad vineas apta, eſt naturalis, & ſic alij in diverſis materijs, quibus quotidie vtũtur ruſtici; nunc ſic, ſi ego vellem ſic aliqua deducere, debebam recurrere ad ruſticorum aulas, & ab ipſis diſcere, vt doctis accidit ad ſciẽdum horas nocturnas per motus, & aſpectus ſtellarũ; en igitur, quod tales diſcurſus, mihi ſine ipſorũ iuvamine difficiles; forẽt artificiales aliàs neq̃ artificialis foret logica alicui edocta, & dũ ego elicerẽ hũc ſyllogiſmũ, ſcilicet, omnis terra petroſa eſt apta ad vineas hæc eſt terra petroſa; ergo. Non differret vna ſcientia ab alia; ergo neque in alijs materijs differrent. Ex quibus conſtat, quod id quod naturaliùs diſcurritur, poteſt eſſe artificioſé diſcurſatum; ergo & id, quod artificioſiùs diſcurritur, poterit, & naturaliter, quin in hoc poſsit ſignari diſtinctio, pluſquam penès modum diſcendi, qui ad huc in gymnaſiijs variatur, & tamẽ æedem ſunt artes, quæ erudité apprehenduntur. Si dicas, quod in caſu prædictæ ſuppoſitionis, illi ſyllogiſmi, & logicæ differrent, ita vt in me foret artificioſum, quod in alio naturale; inferam, non dari logicam, quæ in ſe, & ex natura rei naturalitatem habeat. Deinde, ſi ſemper perſiſtant in eo, quod prædictæ logicæ haberẽt eſſe diſtinctæ, quia vna proprio labore, & altera diſcentis exercitio acquireretur; in tali caſu ſecuré inferam, quæ ſupra, ſcilicet, vtramque logicam eſſe artificioſam, quia ſi bené reſoluatur diſcentis diſcurſus, non deficiet magiſterium, in quo, vel ratione, vel experientia ſiſtatur, & quomodolibet ſit, ars diſcooperietur. Sufficiant iſta, levem ſiquidem, & nõ parum nominalem doctrinam inducunt.

ART. II.

DE DIVISIONE LOGICÆ IN naturalem, & ſupernaturalem.

11 CVm per logicã intellectus rationales operationes regulet, & dirigat circa diviſionẽ logicæ in naturalẽ, & ſupernaturalẽ, poteſt dubitari, an ad regulãdas operationes entitativé ſupernas egeat logica entitativé ſuperna; an vero logica noſtra pro illis regulandis ſufficiat. Aliqui circa hoc punctum diſcurrentes, admittunt logicam entitativé ſupernam, & adhuc illa admiſſa, defenſant logicam in entitate ſupernam, nõ eſſe ſimpliciter neceſſariam ad regulandos actus ſupernos definitionis, diviſionis, & argumẽtationis ſed tales actus ęqué bene poſſe regulari per logicã naturalẽ, ac per ſupernã. Ita noviſſimé Magiſter Dionys. Blaſco citans ſuũ Reſolutu Doctorẽ, & noſtrũ Subtilem. *Ita in lib. 2. diſt. 3. q. 2. art. 2. n. 75.* Ego vero, vt præcipuã, & ſolitam difficultatem hinc attingam, à naturalitate, & ſupernaturalitate in logica poſſibilibus abſtraham, & de per ſe nunc inquiram, an ad regulandas operationes entitativé ſupernas, logica naturaliter acquiſita ſufficiat.

12 Poteſt reſolui pars affirmativa. Sic illam ſuadeo ex D. Paulo ad *Heb.* 11. vbi ait, quod fides eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Vnde ad explicandam fidem ſupernam, & ſic ad regulandum actum intellectus in entitate ſupernum D. Paulus non vtitur alia regula, quam ipſa naturali à nobis in definiendis ſervata; ergo quia ad regulandos actus inquacunque materia diſuſos, logica noſtra ſuficit. Si dicas, ibi D. Paulum nõ intendiſſe tradere definitionem in materia ſuperna, quia ibi non ſupernam tantum fidem, ſed & omnem, naturalem etiam explicuit; cõtra, & melius, quia in tali caſu eadem definitiva explicatio ſufficiet pro fide tã ſuperna, quam naturali; ergo & ſufficiet eadem logica regulatio. Deinde ſuaderi poteſt ex illo Math. 17. vbi Chriſtus D. vt declaret Petro ſe à tributo eſſe liberum, noſtra logica mirabiliter vtitur, ſic aiens: Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? & dixit Petrus, ab alienis; & ſtatim intulit Chriſtus: *Ergo liberi ſunt filij.* Eñ, quod eodem argumento, tam libertatem filiorum terræ, quã libertatem Filij Divini, & ſuperni quoadnos, Chriſtus mirificé exambit: ergo.

Digitized by Google

13 Suadetur ratione, quia ſi aliquid de per ſe obſtaret, vt hanc noſtra logica non poſſent regulari actus in materia ſuperna, maximè, ob diſtantiam, quam cum naturali ſervat ſuperna materia; ſed hæc diſtantia evinci poteſt à regulis logicis; ergo. Prob. minor; quia non minus diſtat corporeum ab incorporeo, quam naturale à ſupernaturali, imo magis, naturalis, ſiquidem potentia poteſt elevari ad producendum actum ſupernum, & non ſic cõceditur, quod corporea poſsit elevari ad actũ ſpiritualem; ſed eadem regula, quæ logicé dirigit, & conflat artificia ex corporeis, poteſt & ex incorporeis, ita vt à regulis logicis talis diſtantia evincatur; ergo ſic conflando, & alia poteſt à regulis logicis evinci.

14 Suaderi poteſt aliter in ſyllogiſmo, in quo vnica, & indiviſibilis concluſio poteſt oriri ex vno principio evidenti, & ex alio obſcuro, ita vt ex duplici materia in ſpecie diverſa, ſyllogiſmi fabrica miſceatur, imo ex vna præmiſſa cuius notitia ſit naturalis, & alia ſuperna: Vg. quidquid dicit, qui nec poteſt falli, nec fallere, eſt verum; ſed hic dicit, quod eſt trinus; ergo eſſe trinum eſt verum; ergo & potiori iure ab ipſa regula, à qua dirigitur actus in materia naturali, poterit, & regulari in ſuperna. Dixi potiori iure, quia quando aliqua diſtincta poſſunt inſimul eiſdem regulis artificiari, magis facilé poterunt, & ſeorſim; ſic ſi aliquis faber lignarius eadem regula conſtruat cathedram ex lignis diverſis, faciliùs eam componet ex eodem. Vel melius, ſi dificile foret alicui elicere actum ſupernum, quia eius principium erat productivum ſolius actus oppoſiti, ſcilicet, naturalis, diſſiciliùs foret ipſi actum naturalem, & ſupernum inſimul elicere. Sic etiam, ſi regula ad movendum ſurſum, nõ ſufficeret ad movendum deorſum, minus ſufficeret, vt aliquis motus ex ſurſum, & ex deorſum, inſimul formaretur: ergo à ſimili.

15 Sic aliter aſſumptum ſuaderi ſentio: illæ regulę ſunt aptæ, & exacté habiles reſpectu cuiuſcumque materiæ; quibus conformis intellectus poſsit illam regularum ſcientiam habere; ſed hanc habebit intellectus, dum conformis regulis noſtræ demonſtrationis in materia quacumque ſuperna dirigat, & diſponat præmiſſas: ergo. Maior videtur certa; quia ex nullis regulis amplius poteſt colligere intellectus, quàm cognitionem certam, & evidentem per infallibile demonſtrationis medium, acquiſitam. Minor convincitur; quia ſi in creatis materia neceſſarior eligitur ad demoſtrandam noticiam, dum materia ſit ſuperna, non debet ex hoc motivo eſſe debilior; imó videtur, quod ipſis regulis poterat apparere abundantior. Deinde poteſt convinci experientia in quacunque materia, quamtumvis ſuperna, ſignent ipſam, vt ſignari poteſt in ſyllogiſmis in ſuperna fidei materia, paſsim logica noſtra conſtructis, in quibus non percipitur, quod infallibilitas, & certitudo diminuatur; ergo &c.

16 Obiicies 1. Regulæ iſtæ logicæ ſunt naturales; ſed regula naturalis non poteſt eſſe cauſa effectus ſupernaturalis, cum omnem vim cauſarum naturalium ſupernaturale excellat: ergo ad regulandos ſyllogiſmos ſupernos logica naturalis non ſufficit. Quidquid prædicto argumento aliqui reſpondeant, poteſt in primis reſponderi ad maiorem dicẽdo, quod regulæ logicæ non ſunt naturales intrinſecé vt intendit argumentum, quia ipſæ ſecundum ſe à naturalitate, & ſupernaturalitate abſtrhunt, ita vt prædicti ſtatus logicæ accidant, ſicuti, & exiſtimo, accidere obiecto metaphyſicæ, ſcilicet enti, de quo probabiliter dicitur, quod ſub hac conſideratione, ſit quid prius Deo conſiderandum, & Deitate, & ſupernaturalitate ſuperius. Vnde ſub modo iſtius conſiderationis poteſt adaptari ſolutio ad reliqua ſyllogiſmi obiecti.

17 Deinde aliter reſpondendo, conceſſo, quod prędictæ regulæ ſint naturales, hoc eſt cum ſtatu noſtro naturali compatibiles, ſicuti, & ens Deo ſuperius, eſt cum creaturæ ſtatu contrahibile, (Prædicta fundantur pennes hoc, quod logica ſit abſtractiſsima ſcientia, & non minus, ac metaphiſica, quia vt ait *Ariſtot.* apud Scotum *quæſt. 3: vniverſ.* Dialecticus, & metaphyſicus circa idem laborant.) poteſt ad minorem dupliciter reſponderi. Primó ſic, regula naturalis non poteſt eſſe cauſa effectus ſuperni, ſi phyſicé, & effectivé influat, eſt verum; ſi ſolum directivé, & formaliter, eſt falſum: & nego conſequentiam. Itaque dico, quod cauſæ, quę ſolum directivé influunt, quoad conformitatem cum effectibus, pennes quoſcumque ſtatus, ſumma æquivocatione operantur. Effectus enim phyſicus, & realis amoris pendet à principio nullam phyſicam, nec realem exiſtentiam habente, vt poté à cauſa finali, quæ ſolũ exiſtimativé eſt. Deinde, ab hac regula naturali, ſcilicet, ſummũ bonũ eſt ſummé diligendum, ſi ducatur voluntas, & habitũ ſupernum habeat, poterit actum ſupernum elicere, cuius, non minus aſpectus ille mentis directorius, foret cauſa. Secundo modo, poteſt ad minorem reſponderi dicendo, quod effectus non eſt vndequaque ſupernus,

cum

Digitized by Google

cum etſi ſit, quoad materiam, non autem ſit quoad formam, etſi enim ſyllogiſmus ſit in materia ſuperna conſtructus, ordo ſecundó intentionalis diſpoſitionis medij verbi cum extremis &c. ſupernus non foret, ſicuti neque ſuperna erat regula. Sic dum D. Joannes elicuit, mentis exceſſu, illam ſublimem propoſitionem, ſcilicet, Deus erat verbum, etſi materia ſuperna foret, non autem ordo ſecundó intentionalis ſubiecti, & prædicati, quia non aliter Deitas prædicatur de verbo à Joanne, quam de me prædicatur animalitas.

18 Inſtabis dicendo, quod in Divo Joanne non poterat regula naturalis obtinere copulationem il'am intellectus; ergo quia hæc ad omnem materiam copulandam non ſufficit. Diſtingui poteſt antecedens, non poterat ex parte regulæ, eſt falſum, ex parte aliorum ſe tenentium ex parte intellectus, eſt verum; & nego conſequentiam. Itaque ſtandum eſt in hoc, quod regula ad illam propoſitionem formandam ſufficiebat, non autẽ ſufficiebat intellectus, quia præter regulã requirit materiæ lucẽ, qua habita, regula ſufficiet. Hoc convincã duplici exẽplo, primũ ſit in ipſo intellectu lumine ſuperno illuſtrato ad viſionẽ, in quo ſtatu poſito, & elevato, quod auxiliũ, & concurſus naturalis cauſæ primæ, ſicuti ad reliquas cauſas naturales ad productionẽ effectus, ſufficiat, communiter, & nervoſé deffendunt Scotiſtæ, & plures alij. Secundum ſit in Arithmetica, cuius regula naturalis ad infallibiliter numeranda dona Spiritus Sancti, & perſonas diverſas ſufficit; ſufficit enim, ſi Arithmeticus numerandorum notitiam habeat; notitiam autem habere materiæ, non ſpectat ad regulam, ſed ad regulantem, qui etſi elevatur per notitiam, non autem regula elevatur per materiam. Ratio eſt omnibus; quia ſi intellectus cum Arithmetica naturali haberet notitiã miſterij Trinitatis, poſſet numerare perſonas; non autem poſſet, ſi cum Arithmetica ſuperna, Trinitatis non haberet notitiam. En rationem, ſi forté dicas, cur intellectus ſupernaturalizatur, non autem regula, cum verum ſit, quod etiam regula ſine ampliori luce inſufficiat, vt abſoluté conſequatur effectus.

19 Objiciunt 2. datur artificium, cuius materia, quia diverſa, diverſam requirit artem, etſi forma, & figura ſit eadem: v. g. vas luteum, & aureum; ergo, & artificium ſyllogiſticum, cujus materia ſit diverſa, diverſam requiret regulam, etſi forma, & figura eadem ſit, v. g. ſyllogiſmus naturalis, & ſupernus. Huic obiectioni ſatisfacit Diony. ſupra citatus. Reſponderi poteſt tamen dicendo, paritatem non tenere ex arte mecanica ad ſcientiam puré intentionalem. Ratio eſt, quia ratio pura, minus pendet à ſenſibilibus, quam mecanicum; ibi enim ſolus intellectus laborat in artificijs conflandis; hinc vero intellectus, & inferiores potentiæ; ex quo oritur, quod prædictarum artium inſtrumenta, minus vniverſalia ſint, debent ſiquidem, non ſolum ſuperioris, ſed, & inferioris facultatis eſſe exercitia; at autem, cum inſtrumenta logicæ, ſolum ſint inſtrumẽta ſciendi, communiora, & vniverſaliora cuicumque materiæ extant. Intellectualia enim, de ſe ſunt nimis tranſcendentia, & cuicumque materiæ idonea, cum intellectus, ſi aliquid faciat, ſolum faciat, quia intelligat, ex quo, non aliter fit Deus intelligendo Deum, quam fiat lapis intelligẽdo lapidem, ipſe enim vniverſaliſsimus eſt inter omnes potentias; ſic pariter eſt diſcurrendum de logica, quæ vniverſaliſsima eſt inter omnes ſciẽtias, omnibus ſiquidem præbet inſtrumenta ſciendi; ergo quod artificium vaſis petat diverſam Artem, non eſt à priori, quia materia ſit diverſa, ſed quia ars eſt nimis limitata. Aliàs ſi argumentum probaret aliquid, probaret etiam, quod ad diverſas materias naturales, diverſæ logicæ naturales debebant dari.

20 Sed objiciet aliquis, quod ex prædicta reſolutione videtur ſequi, non poſſe dari logicam ſupernaturalem; quia ſi regulæ naturales ſufficiant ad quoſcumque actus ſupernos logicé regulandos, difficile poteſt ſuaderi, quod quæcunque eorum regulatio non ſit naturalis; ex ſupernaturalitate ſiquidem actuum, nulla ſupernaturalitas in regulis infertur, aliàs enim actibus ſupernis regula naturalis non compateretur. Suaderi poſſunt iſta à paritate Arithmeticæ, quia ſi ad numerandas perſonas divinas, Arithmetica naturalis ſufficiat, quid ſupra hanc Arithmeticam intuetur in quacumque alia, tres divinas perſonas numerante, vt non naturalis, ſed ſuperna dicatur; ergo à ſimili. Suadetur conſimiliter in lumine naturali, ſi enim lumen naturale ſufficeret ad eliciendum actum viſionis beatificantis, difficilimé poſſet quis ſuadere, quod actus beatificans erat ſupernus, vt poté vires naturales excedens; ergo ſi ſupernaturaliori actui regula naturalis nõ inſufficiat, nulla poteſt Inferri ita abundans, quod valeat dici ſuperna.

21 Circa præfati argumenti reſponſionem ſentio, vtrumque poſſe probabiliter amplecti. Qui etenim deffenſare velint, logicas Dei, Angeli, & hominis eſſe in ſpecie formali diſtinctas, & inſimul logicam ſupernam poſſe dari, poteſt vim prædictatum rationum evadere, di-

cèndo, quod etſi regula naturalis ſufficiat pro directione actuum ſupernorum, nilhominus tamen actus logicæ ſupernæ poteſt dari. Fundamentum ſatisfaciens illam argumenti rationem poteſt deſumi ex fide, & ex amore. Ex fide, quia fide naturali poteſt aliquis credere propter Auctoritatem numinis aſſerentis, & tamen hoc non impedit, quod actum fidei in entitate supernum poſsit, propter eãdem Aſſerẽtis auctoritatem elicere. Ex amore, quia, etſi ad diligendũ Deũ ſuper omnia naturalis amor ſufficiat, vt abundé deffendit Doctor Seraphicus *in 2. diſt. 3. art. 3. quæſt. 1.* nunquam ex ſufficientia naturalis amoris impeditur, quod poſsit dari actus ſupernus, quo Deus ſuper omnia diligatur. Deinde poteſt evadi in auxilio inefficaci, quod etſi pro converſione ad Deum ſufficiat, nõ excludit, quod circa eandem converſionem efficaciori vi Deus cõcurrat: ergo à ſimili robur illud argumenti evadi non repugnat.

22 Qui veró aliter diſcurrere cupiat, non debet vereri intento argumenti convenire, ac proinde deffenſare, quod logica formaliter ſuperna non datur. Dixi formaliter, quia ordo ſecundó intentionalis, in quo eſſe logicum formaliter conſiſtit, non eſt vnquam ſupernus, eo quod formaliter quodlibet eſſe logicum, qua logicum, ſolum dicat eſſentialiter reſpectum ad regulas, & obiectum, quæ omnia ſunt ſemper invariata, ita vt eadem regula debeat pro quibuſlibet actibus artificioſis infallibiliter conſtitui, tametſi ordo phyſicus actuũ ad principia effectiva ſit longé diſtans, & diverſus; quę exemplificari poſſunt, quoad vtrumque ordinem in actu Dei arithmetico tres divinas vnitates numerante. Itaque ſtandum eſt in hoc, quod dantur principia effectiva, & phyſica; & principia formalia, & logica; reſpectus, & connexio cum principijs formalibus eſt logico eſſe quid intrinſecum; ſecus autem cum principijs effectivis, cum iſtis ſiquidem, non minus logici actus, quam phyſici, & medicinales connectuntur; ex quo, iuxta ſuperius dicta, poteſt reſolui, quod adhuc logica divina ex principijs formalibus non eſt ſuperna; neque ab his principijs facilé, hæc opinans, evertetur. Eodem modo debetur philoſophari de actu amoris ſuper omnia, ita vt dicat, quod actus amandi Deum ſuper omnia, non ſit ex principijs formalibus ſupernus, ſed abſtrahens; quia hæc regula, ſcilicet, ſummum bonum eſt ſuper omnia diligendum, vtrumque actum comprehendit, & ex alia parte obiectum, ſcilicet, Deus, non eſt ſupernaturale, ſed abſtrahens ſecũdum ſe; aliàs nec naturaliter poſſet cognoſci, nec ſuper omnia amari. Hæc pro nunc ſic ſiſtant.

ART. III.

DE DIVISIONE LOGICÆ IN PRActicam, & ſpeculativam.

23 SVpponit titulus, quod adhuc reſtat probandum; ſupponit igitur logicam in practicam, & ſpeculativam eſſe partitam, cum probabiliſsimé à pluribus erudité logicam practicãtibus, vel adæquaté practicam, vel adæquaté ſpeculativam eſſe, deffenſetur. Sed cum ante deciſionem hujus difficultatis, de practico, & praxi debeamus formare notitiam, de his aliqua prius enodare, non ſine fundamento decernimus.

SVBART. I.

QVID SIT PRAXIS, EXPLICATVR.

24 DOctor ſubtilis in prologo ſententiarũ, vt reſoluat, an Theologica ſit practica, plura notatu digna, tam propria, quam aliena mover, & reſoluit circa praxis notitiam; quam exhibet abundé *in §. Dico igitur*, vbi ait, quod praxis ad quam notitia practica extenditur, *eſt actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter poſterior intellectione, natus elici conformiter rationi recta, ad hoc vt ſit actus rectus.* Hanc definitionem admittunt quam plurimi ex alienis, & noviſsimé celebris Bachonij interpres *lib. 2. diſt. 3. q. 3. art. 1.* Sed cum hoc diſcrimine, ſcilicet, quod ſolum ſit praxis opus artificioſum externum, & vtile, ſeu commodum naturæ humanæ, ita vt praxis non ſolum debeat eſſe opus externum reſpectu intellectus, quia in hoc conſentit Scotus, ſed etiam debeat eſſe externum reſpectu voluntatis, taliter, quod actus interni voluntatis non ſint praxes, in quo ſiſtit Bachonius.

25 Poſtquam igitur Doctor noſter præfatam definitionem propoſuit, duplicem conditionem deduxit, & ex iſtis quoddam corolarium, ex quibus aſſumptum explicat quoad duas particulas. Prima conditio (ait Doctor) apparet, quod ſtando præcisé in actibus intellectus, nulla eſt praxis, quia nulla eſt extenſio intellectus, quia non ex ſe extenditur, niſi vt actus eius reſpicit actũ alterius potentiæ. Etſi dicas vnum actum intellectus extẽdi ad alium directum per illum: reſpondet Scotus dicendo, quod propter hoc, nec ſecundus eſt praxis, nec primus eſt cognitio practica, modo quo de praxi loquimur hinc; aliàs ſequeretur, quod logica foret practica, cum verum ſit, quod ſolos actus diſcurrendi dirigat, qui actus non

ſunt alterius potentię ab intellectu.Hanc conditionem ſuadent Rothericus, Poncius, Merinero,& alij Scotiſtę illo trito Ariſtotelis axiomate, ſcilicet, quod *intellectus extenſione fit practicus*; ex quo ſic ſolet argui, extendere eſt extra ſe tendere;ſed dum intellectus per vnum actum dirigat alium,non tendit extra ſe; ergo ſolum dirigendo actus aliarum potentiarum ipſe extendetur; ſed ſolum extenſione fit practicus ; ergo ſolum reſpectu actuum aliarum potentiarum ab ipſo, dabitur praxis.Qua conditione relinquit Doctor primam particulam definitionis explicatam.

26 Secunda conditio fœcundat illam ſecundam particulam, ſcilicet, *naturaliter poſterior intellectione*. Quæ patet, (ait Scotus) quia actus non habentes ordinem ad intellectum, cujus modi ſunt actus vegetativi, aut actus naturaliter præcedentes intellectionem, vt ſunt actus ſenſitivi, non dicuntur praxes, nec dicitur ad eos extendi notitia practica, vt ſunt priores intellectione. Similiter actus appetitus potentiæ ſenſitivæ, quatenus præcedunt actus intellectus, non ſunt praxes, hoc enim modo communes ſunt nobis,& brutis: Ex quo rectè infert,quod neque reſpectu talium actuū eſt cognitio practica, niſi vt aliquo modo eſt prædictorum actuum moderativa, quo pacto, ſcilicet,vt moderati, vel moderabiles, iam debent eſſe ipſa cognitione poſteriores,ſicuti, & vt imperati, poſteriores ſunt reliquarum potentiarum actus. Ex quibus conditionibus infert Scotus, quod praxis ad quam extenditur habitus practicus, non eſt niſi actus voluntatis elicitus,vel imperatus, quod ſuadet,quia quicumque alius actus detur præter elicitum,vel imperatum,poteſt eſſe prior,vt patet diſcurrēdo per omnes actus aliarum potentiarum ; ſed praxis ad quam extenditur habitus practicus, debet eſſe eſſentialiter poſterior ; ergo praxis ad quam extenditur habitus practicus,non eſt, niſi actus volūtatis elicitus,vel imperatus.Suadet ſecundò,quia praxis debet eſſe in poteſtate cognoſcentis,ſed ſolum actus elicitus, vel imperatus eſt in cognoſcentis poteſtate; ergo ſolus actus elicitus,vel imperatus eſt praxis. Maiorem probat ex Ariſt. 6. *Ethic.* Vbi ait, quod artifex eget virtute ad rectè agendum,& nullus eget aliquo reſpectu illius, quod in ſua poteſtate non eſt. Minor colligitur ab Scoto,quia quod non eſt elicitum, vel imperatum à voluntate,poteſt eſſe prius ipſo practicante, vt dicebamus ; ſed dum aliquid eſt prius alio, ſub ejus poteſtate non eſt;ergo ſolus actus elicitus, vel imperatus eſt in cognoſcentis poteſtate.

27 Pro vltima parte definitionis,vltimam conditionem ſuadet Scotus ex dicto Philoſophi 6. *Ethic.* Scilicet, quod electio recta, neceſſariò requirit rectam rationem, quod nō ſolum eſt verum (ait Scotus) de electione ſtrictè ſumpta,ſed,& de qualibet volitione recta; ergo ad hoc vt qullibet volūtatis actus ſit rectus, requiritur, quod eliciatur, vel imperetur conformiter ad rationem rectam. Prædictam conditionem informat Scotus inferendo duplicem reſpectum, ſcilicet,conformitatis,& poſterioritatis ad praxim requiſitum;ita verò,quod vt aliqua notitia, aut ſcientia dicatur practica, non ſit per ſe requiſitum, quod actū ſit prior praxi, & quod actū praxim regulet; ſed ſufficit quod ſit ap itudinaliter prior, & regulativa;quod ſuadet Scotus §. *contra de neceſſitate actus*, quia quod praxis (inquit ipſe) actualiter ſequatur conſiderationem, quæ conformis ſit ipſi conſiderationi, omnino accidentale, & contigens eſt ipſi conſiderationi ; ſi igitur ab actuali extēſione diceretur practica, nulla eſſet neceſſario practica,ſed eadem eſſet quandoque practica, quandoque ſpeculativa, quod nihil eſt. Deinde ex § contra iſtam poſitionem,vbi dicitur,quod tunc faber non actu operās, non haberet cognitionem practicam ; ergo ſufficit (infert Scotus ſuperiori etiam §.) duplex aptitudinalis extenſio ad praxim. Quod explicat amplius ibi,dicendo,non requiri cognitionem conformem,ſed conformativam,& ſic debere eſſe cui praxis ſit conformata,vel melius dices, *conformanda*,qua voce exprimitur,quod praxis ſit naturaliter poſterior. Sed ad corroborationem prædictarum conditionum,& ad intelligentiam aliquorum, quæ imminent, eſt nimis notandum,quæ Doctor ſubtilis *in §. ex hoc patet ſolutio*, vbi ait, quod praxi convenit poſteriotas, & cognitioni prioritas ex ordine potentiarum ordinatarum,ſcilicet,intellectus, & voluntas;nota tamen,quod non ſemper iſta intellectio prior, eſt practica,ſed tantum, quādo eſt determinativa rectitudinis reſpectu ipſius praxis,vel formaliter,vel virtualiter; quia ſi in apprehenſione prevja,nulla ſit determinatio formalis,vel virtualis de rectitudine praxis, licet ibi ſit prioritas, tamen tunc deficit conformitas, quia ipſa non eſt, cui debeat praxis cōformari, vt ſit recta, eo quod de rectitudine praxis nil determinatè oſtendat. Qua propter, ni fallor,melius exprimitur prędicta circunſtātia cognitionis conformativæ per illam particulam,ſcilicet, *natus elici*,quia etſi potētia ad regulādum alicui intellectioni non deficeret, deficere tamē fortè poſſet, eſſe natam ad illud, hoc eſt,ex illa potentia,& obiecto ad regulandum genitam.

Ex

Digitized by Google

28 Ex duabus conditionibus vltimis praxis ſequitur, (ait Scotus) quod actus imperatus à voluntate non eſt primò praxis, ſed quaſi per accidens, & ſecundariò, quia nec primò eſt poſterior intellectione, nec primò eſt natus elici conſormiter rationi rectæ: oportet igitur aliquem alium actum eſſe primò praxim; ſed iſte non eſt niſi elicita volitio, quia propter iſtam habet actus imperatus prædictas conditiones; ergo ſequitur, quod prima ratio praxis ſalvatur in actu elicito volũtatis. Hoc ſuadet Scotus in ipſo, §. *Dico igitur*. Verſ. *Ex duabus conditionibus*; quia tunc aliquid eſt primò tale, & aliud eſt ſecundò tale, quando illud coniunctum cum iſto, poteſt ab ipſo ſeparari, & adhuc manere tale; ſed actus proprius voluntatis, coniunctus cum actu alterius potentiæ, poteſt ab illo ſeparari, & manere praxis, adhuc ab illo ſeparatus; ergo eſt primò tale actus à voluntate elicitus, & eſt ſecundò, & quaſi per accidẽs talẽ, actus ab ipſa imperatus. Maior relinquitur vt certa, minor probatur à Doctore, quia tunc ſeparatur actus elicitus ab imperato, quando poteſt eſſe actus voluntatis, circa quòd non poteſt eſſe actus potentiæ inferioris, cuius modi ſunt omnia immaterialia; ſed adhuc circa iſta manet praxis actus elicitus voluntatis, etſi ab alio ſeparatus; ergo actus proprius voluntatis poteſt ſeparari ab actu imperato, & manere praxis, adhuc ab illo ſeparatus.

29 Hoc ipſum ſuaderi poteſt ex Philoſopho apud Scotum §. *Contra iſtud ſcilicet*, vbi ait, quòd ad hoc, vt electio ſit recta, requiritur virtus in appetitu, neque enim ſine habitu morali eſt electio recta; ergo virtus (infert Scotus) habet actum elicitum immediatiorem ſibi, quam ſit ille actus, cuius electio eſt principium, vt imperans: prius enim actus voluntatis elicitus, qui eſt electio, eſt actio bona, quàm actus exterior imperatus ab electione ſit bonus. Pro virtute debes intelligere regulam, vel habitum dirigentem, ſine quibus non poteſt dari rectitudo in electione, ſeu bonitas in praxi His ad literam Scotici textus eviſceratis, aliquæ ſolent moveri difficultates, ex quibus graves Auctores compulſi, Doctoris ſubtilis explicatam doctrinam non admittunt; circa quæ, præhabito examine, certiora in fide Scoti eligemus.

(?)

§. I.

Examinantur aliqua circa prædictam doctrinam occurrentia.

30 MAior difficultas, quæ ex definitione praxis communiter excitatur, ſolet eſſe, an actibus intellectus eſſe praxes conveniat. Quàm plurimi enim Doctores ab Illuſtr. Merinero *diſp. vnica proœm. q. 6. ſec. 1. num. 5. & 9.* videndi, definitionem Scoti rejiciũt, eo quòd, actus intellectus praxeos eſſe, excludat. Et ſi ipſis objiciatur præfactus textus Ariſt. ſcilicét, quòd intellectus extenſione fit practicus. Reſpondent Molina, Hurtadus, & Caverus, quod talis textus in nullo magnæ auctoritatis Auctore eſt inventus; de quo idem reſpondere videtur Bachonius apud Dioniſ. Blaſco citatum ſupra, exiſtimat enim prædictum textum eſſe fictitium. Sed præfatam reſponſionem non poſſunt ſuſtinere Noſtrates, & meritò, quia Doctor Subtilis probatam habet auctoritatem, & non ſolùm Philoſophicos, ſed & divinos textus laudatiſsimé concepit. Deinde, quia Graves Auctores, quos ipſe Scotus retardat §. *ad rationes pro opinione oppoſita*, iam ante Scoti tempora illo textu fuerũt viſi; quinimò exiſtimantes, quod intellectus ſpeculativus extenſione fiebat practicus, quod vt dictum à Philoſopho, non recipit Scotus. Denique, quia ipſo axiomate vtitur D. Thomas *quæſt 14. de veritate art. 4.* vbi ait: *Intellectus practicus idem eſt, quod operativus: unde ſola extenſio ad opus, facit aliquem intellectum eſſe practicum*. Denique, quia ipſe Doctor Subtilis §. *Contra iſtud*, citat Philoſophum *in 6. Ethic.* vbi ſatis apertè videtur aſſerere, quòd practica ſunt, gratia appetitus electivi; ſed quę fiunt gratia electionis, in voluntate habent principium; ergo.

31 Deinceps, textu, & ratione ſolet idem à noſtris ſuaderi ex eo, quòd Ariſt. textus, etſi non inveniatur in terminis *in* 3. de anima, tamen id ipſum poteſt colligi *ex cap 10. text. 50.* vbi intellectum practicum principium eſſe agendi, reputat; ſed non poteſt percipi, quòd ſit principium practicum, quia præciſé ſit principium agendi reſpectu actionis intellectivæ, cum ſic, etiam principium ſpeculativum ſit principium agendi; ergo quia ſufficienter deducitur ex Philoſopho, quòd praxis debet eſſe effectus alterius principij ab intellectivo. Hæc ſunt quibus cõmuniùs, & ſolidiùs ſolent Noſtrates mentem Scoti confirmare

circa praxis definitionem, ex cuius conditionibus praxim elicitam non poſſe dari in intellectu pugnatiſſimé defenſant. Sed re bené inſpecta, difficilé poſſe impugnari contrarios, exiſtimo; & non ſolùm eſt difficultas pro impugnatione aſſerentium, vnum actum intellectus eſſe praxim reſpectu alterius eum dirigentis, ſed etiam pro impugnatione variantium praxis intelligentiam; quia cum pauci ſiſtant in hoc, quod ex ſe hoc nomen *praxis* derivat, & vnuſquiſque, ſi velit ſpeciales conſtituat conditiones, difficilé impugnabitur, ſi de grata inſtitutione non impugnetur; & hoc modo, nullus ſignabitur, qui pari iure impugnari non valeat. His ita vt vtriuſque aſſumpti intentum liqueat, expoſitiones, quæ pro contrarijs adhiberi poſſent, proponam, & infrà in §. 3. ſolutio, & reſolutio expendetur.

32 Dicent igitur, quod etiamſi Philoſophus dixiſſet, quód intellectus extenſione fiebat practicus, adhuc non inferebatur, quód omnis praxis ſit actus alteriùs potentiæ ab ipſo. Poreſt hoc ſuaderi, quia intra ipſam ſphæram intellectivam poteſt dari vnus actus, qui extenſior ſit alio; ergo poteſt intellectus extendi ab alijs potentijs præciſus. Prob. antecedens; quia tunc vnus actus eſt extenſior alio, quando tranſijt ad id, ad quod ex natura ſua non poteſt tranſire alius; ſed dum vnus actus intellectus dirigat opus, intelligibili artificio faciendum, ad quod dirigendum alter actus non tranſeat, plus iſto extenditur ille; ergo intra ipſam ſphæram intellectivam poteſt dari vnus actus, qui ſit extenſior alio. Maior videtur certa, aliàs neque in noſtra ſententia intellectus extenſione fieret practicus. Minor ſuadetur; quia actus contemplativus, ſeu puré ſpeculativus ſiſtit tantum in contemplatione obiecti; ergo dum detur actus, qui in hoc tantum non ſiſtat, ſed veritatem artificialem intentionaliter dirigat, plus illo extendetur iſte, alter ſiquidem non habebit *tantum*, aliàs maledicetur, quód habet tantum ſic ſiſtere in contemplatione.

33 Deinde dicent, quód tam Scoti, quàm reliquorum opiniones erunt gratis formatæ, non autem ipſorum propriæ; quód non levi fundamento poterunt ſuadere. Quia, tunc recté intelligetur praxis, quando ita intelligatur, & explicetur, quod cognoſcatur in ipſa, differentia ab ſpeculatione: Sed dum explicetur praxis per eſſe actum productum ex directione operis producti, cognoſcetur differentia ab ſpeculatione; ergo. Prob. minor; quia dum aliquis actus intellectus dirigat aliquod opus, cognoſcetur diſtinctus ab actu, cuius non ſit vllum opus dirigere; ſed hic actus, cuius non ſit aliquod opus dirigere, ad minus erit ſpeculativus, & dum talis ſit, cognoſcetur, quod alter actus, ſcilicét, dirigens, eſt diſtinctus ab iſto; ergo dum præcisé explicetur praxis per eſſe aliquid productum ex directione ad opus productum, cognoſcetur differentia ab ſpeculatione. Nunc ſic, quando in intelligentia alicuius rei poſſunt exhiberi gratioſæ, & liberæ explicationes, tunc ſolidiùs talis res explicabitur, quando explicetur per extremum ipſi rei ſufficienter contrapoſitum, dum circa intelligentiam talis extremi oppoſiti, maior, & communior detur concordantia in Auctoribus; ergo dum in explicatione praxis detur opinionum variatio, & hæc non detur in explicatione ſpeculationis, dum ſciatur, quód id debet eſſe praxis, quod eſt contrapoſitum ſpeculationi, illi ſoli Auctores recté, & non gratioſé explicabunt praxim, qui puræ ſpeculationi oppoſitam explicent; Sed dum ſpeculatio communiter ſit, quæ ſiſtit in mera contemplatione obiecti, & explicetur notitia practica per directionem principij ad producendum actum alteri conformem, cognoſcitur, quòd hic actus ſit ſufficienter ab ſpeculatione diſtinctus; ergo dum intelligatur, quód id eſt praxis, intelligetur, quod ſolùm in eorum ſententia praxis recte, & non gratioſé explicatur, & quod ſufficienter explicatur.

34 Denique dicent, nil contra ipſos probari ex illa vltima ratione derivata ſupra *ex cap.* 10. *textu* 50. quia etiam ſi intellectus ſpeculativus ſit principium actionis, ſed tamen diſtinctus modus agendi poteſt ſignari inter principium ſpeculativum, & practicum, quia principium practicum, non eſt principium quo modocumque, ſed oſtendendo quomodo aliquid fieri poſſit recté; quo pacto manifeſté cognoſcitur differentia à modo agendi principij ſpeculativi, quin actus, ſeu operatio principij practici debeat eſſe alteriùs potentiæ ab intellectu: ergo dum inter actum dirigentem, & actum intellectus directum detur ille duplex reſpectus prioritatis, & conformitatis, nimis liberé, & gratioſé dicitur, quód huiuſmodi duplex reſpectus debeat eſſe inter actum intellectus, & voluntatis, ad hoc, vt in re detur praxis, & notitia practica. His ita examinatis circa contrariorum occurſum.

35 Secundus ocurſus ſolet excitari ab ipſis Scotiſtis contra conditionem, ex qua videtur ab Scoto praxim imperatam intra intelle-

ctum

Digitized by Google

ctum negari. Doctor enim Subtilis poſtquam praxim definitivo rigore explicuit in §. *Dico igitur* &c. paucis circa explicationem interiectis, opponit cōtra elicitam concluſionem, quod ex ea videtur ſequi, quod tunc aliqua intellectio erit praxis; quia aliqua intellectio (inquit ipſe) poteſt eſſe actus imperatus volūtatis, ſicut actus alterius potentiæ imperatur ab ipſa: ergo prima conditio eſt falſa, ſcilicet, quod praxis eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu. In huius ergo occurſus explicatione dividuntur Scotiſtæ; aliqui enim rigorem textus admittentes, firmiter aſſerunt, quod iuxta genuinam mentem Scoti, neque praxis imperata poteſt in actibus intellectus admitti, ipſe ſiquidem Scotus, reſolvendo obiectionem ſibi ſupra factam, ait, cum igitur dicitur intellectio eſt imperata à voluntate; ergo eſt praxis, non ſequitur; ſed ſequitur; ergo eſt praxis, vel practica, ipſa enim nata eſt denominari, quaſi accidentaliter à praxi, ad quam extenſibilis eſt, nō tamen eſt terminus talis extenſionis: tamen é contra benè conceditur, quod omnis praxis eſt actus elicitus, vel imperatus voluntatis: vnde ex iſta ſecunda conditione inferre oppoſitionem, eſt facere fallaciam conſequentis &c. Sic Antonius Andræas, Rada, Smiſing, Vulpes, Merinero, & Noviſsimé Antonius Groſſo in diſſertat. De demonſtratione.

36 Alij vero Scotiſtæ vim Scoticæ obiectionis ſentientes, & ad concedendam praxim imperatam compulſi, præfata verba Scoti interpretare conantur. Ita Cavellus, Faber, Bargius, Lychetus, Maſtrius, & Poncius, apud quem etiam Camerarius. Iſti enim Auctores in explicatione praxi. Scoticę ſiſtentes, praxim imperatam in intellectu ſuadent ex eo, quod non minus intellectus ſit ſubditus voluntati, quam reliquæ potentiæ inferiores; ergo ſicuti actus imperatus cuiuſvis alterius potentiæ à voluntate poteſt eſſe praxis, & actus intellectus à voluntate imperatus, praxis erit. Si reſpondeatur, quod ad praxim requiritur ex Scoto, quod ita actus practicus ſit poſterior intellectione, quod ex natura ſua poſtulet, non ſolum eſſe intellectione poſteriorem, ſed, & non poſſe eſſe actu voluntatis priorem, quod in nullis actibus intellectus poteſt evenire, quia nullus, quamtumvis imperatus, datur, qui aliter diſpoſitus non poſſet elici ante volūtatis actus, nec non, quod non poſſet elici, quin fuiſſet alteri conformis. Contra, & ni fallor efficaciter, quia hoc pacto neque praxis foret actus cuiuſvis potentiæ inferioris, vel ſaltim alicuius, quia apud ipſum Scotum actus appetitus potētiæ ſenſitivæ poſſunt eſſe praxes, vt imperati, & nilhominus tamen non ſunt ita naturaliter poſteriores, quod non potuerint elici, & eſſe ante intellectionem, & imperium, vt ſupradicebamus in litera textus; ergo quod actus intellectus à voluntate imperatus potuerit eſſe prior altera intellectione, & imperio, hoc non debet ſuadere, quod non ſint praxes, dum vt imperati ſint poſteriores. Deinde, quia etiam actus intellectus, vt imperatus debet eſſe poſterior intellectione, non minus, ac quivis alius actus imperatus, ita vt licet ex diſtincta intelligibilium diſpoſitione poſſet intellectio, quæ eſt imperata variari, nunquam tamen vt imperata, quia ſuppoſita reduplicatione imperij, non minus debet eſſe poſterior altera intellectione, & actu elicito imperante, quam quilbet alter actus, qui intellectionis non ſit; ergo licet illa expoſitio ſufficeret pro intellectione nudé ſumpta, non autem pro intellectione imperio coniuncta.

37 Dicet Noſter Groſſo cum Illuſtriſsimo Merinero, quod licet voluntas dicatur bona, vel mala, ſi actum viſionis imperet, vel imperet non videre, tamen non dicitur practicé bona, vel mala, quia proprié actus viſionis non poteſt eſſe praxis, neque immediaté imperari à voluntate, ſed ſolum mediaté, ſcilicet imperādo applicationem obiectorum, vel imperando impedimenta applicationis; ergo requiritur, quod actus ſit immediaté à voluntate imperatus, vt praxis dici poſsit, quod non reperitur in actu intellectus, quia ſimiliter operatur naturaliter, & non ex imperio voluntatis immediaté, ſed ſolum mediaté, ſicut potentia viſiva. Ad aliud intentum non diſplicet ſolutio. Sed contrà pro nunc, & in primis videtur plus reijcere, quam propugnare textualem mentē Scoti, quia actus viſionis non eſſet practicus; ſed eſt actus alterius potentiæ ab intellectu & ſic naturaliter poſterior intellectione ex imperio, ſicuti cæteri actus ex imperio practici dicuntur; ergo.

38 Deinde, quia eſto ſit infallibiliter cōnexus actus potentiæ cum potentia, vt actus dicatur proprié ex imperio ortus, nil impedit, quod voluntas immediaté, ſolum imperet applicationem obiectorum, dum ex imperio applicationis ſequatur actus non minus, ac ſi ipſum actū imperaret, & præcipué, dū actus non ſequeretur, ſi volūtas nō imperaret; ergo ſicuti vt actus dicatur liber, ſufficit, quod libertas, & contingētia extiterit in radice, etſi deinceps infallibiliter eliciatur, vt actus naturalis, ſaltim extrinſecé, ſit ab imperio, & habeat praxis contingentiam, ſufficiet, quod contingētia applicationis derivetur à voluntate. Tum etiam

Digitized by Google

etiam; quia ſi illa ratio de immediatione ſufficeret, ſequeretur, quod cum actus fidei ſimiliter oriatur ex applicatione obiectorum, non haberet libertatem ex imperio, cum etſi imperante voluntate eliciatur, elicitur tamen naturaliter, quin impediat, vt fides dicatur bona: ergo. Tum denique; quia non ſolum obiectorum applicatin, ſed etiam ipſa potentia poteſt immediaté imperari; ergo ex eo, quod imperium non ſit immediatum, nil evaditur. Dices, quod imperare potentiam, & actum ipſius, foret de per accidens, cũ etſi non imperaretur actus, ſequeretur, Imperata applicatione. Bene eſt; ergo ex eo foret de per accidens imperare actũ, quia iam non requirebatur; ergo quia dum applicatio fuit imperata de per ſe, idem erat imperare applicationem, ac foret in alijs potẽtijs imperare actum. Addo hinc, quod ſic diſcurrendo, difficilis foret praxis in qualiber potentia, maximé, dum appetitus ſenſitivus habeat rationem principij motivi cum ſenſu, in quo caſu etiam iſtius applicatio, ſolum imperaretur immediatè.

39 Si dicat aliquis, quod etſi actus intellectus vt imperatus ſit aliqua alia intellectione poſterior, non tamen eſt omni intellectione poſterior, quia non eſt ſe ipſo poſterior, neque hoc valet, quia ſic, neque actus elicitus voluntatis foret praxis, ſiquidem poſtquam voluntas elicit actum, eſt veluti naturale intellectui, ipsũ recognoſcere, vt ita dicam; in quo caſu non foret actus voluntatis omni intellectione poſterior. Deinde; quia ex conditionibus ab Scoto ad poſterioritatem praxis requiſitis, ſolum infertur, quod praxis debeat eſſe poſterior reſpectu omnis cognitionis dirigentis, ſcilicet, quæ ſolum eſt notitia practica, qualis non eſt actus ille imperatus. Si velis perſiſtere in hoc, quod ex Scoto, praxis non eſt actus liberé poſterior, ſed naturaliter, ita vt potentiæ actuum practicorum ex ordine naturali habeant prioritatem, & poſterioritatem, vt ſcilicet intellectus, & voluntas; contra ſemper, quia hoc modo nullus actus alicuius potentiæ, extra volitivam, foret praxis, cum actus ipſarum non ſint ex hoc ordine naturaliter poſteriores intellectu, vt ipſe Scotus ſupra retinuit. Etſi velis dicere, quod his admiſsis, ſolum ſequitur, quod actus intellectus vt imperatus, ſit praxis ſolum de per accidens; bene erit, ſed non aliter erit praxea intellectio, ac actus imperati reliquarũ potentiarum, qui reſpectu praxis elicitæ ſolum de per acciden. actraxes ab Scoto reputantur. Ex quo ſimiliter poſſunt impugnari, qui dicerent, Scotum non explicaſſe praxim per hoc, quod actus ſit *natus imperari*, ſed ſolum penés hoc, quod cónformitér ad rationem rectam ſit *natus elici*.

40 His ita eviſceratis in favorem Scotiſtarum praxim imperatam admittentium, reſtat nunc electio interpretationis illius difficilimi textus Scoti dicentis, actus intellectus eſt imperatus; ergo eſt praxis, non ſequitur; circa cuius textus interpretationem, non paucæ traduntur expoſitiones; ſed meo videri, veriſimilior apparet expoſitio Scotiſtarum dicentium, quod dum Scotus ex actu imperato nõ deduxit praxim in intellectu, deſummi debet ex eo, quod praxim accepiſſet in magis rigoroſa acceptione, quam communiter accipitur; ſic ſcilicet, vt pro tali ſolus habendus eſſet ille actus, qui, & haberet ſecundum ſe eſſe alterius potentiæ ab intellectu, & qui deinceps eſſet, vel elicitus, vel imperatus à voluntate, quarum conditionum altera ſi deficeret, non eſſet praxis in illo rigore, etſi poſſet eſſe praxis, prout communiùs accipitur. Hanc expoſitionem, vt genuinam ex mente Scoti deducunt, ipſe ſiquidem dixit, quod ex præciſo imperio inferre praxim, erat facere fallaciam conſequentis, quæ fallacia tunc fit, quãdo ex communiori, ſeu ex conſequenti infertur antecedens, ſeu determinatum; quæ ſequeretur, ſi ex eo quod Scotus dixiſſet, quod omnis praxis erat actus elicitus, vel imperatus à voluntate, inferretur, quod omne imperatum à voluntate erat praxis; hoc non infertur bené, ſicuti ex eo quod omnis homo eſſet albus, vel niger non infferretur bené, quod omne nigrum, & album foret homo; ſic non fuit dictum ab Scoto, omnem actum imperatum eſſe praxim, ſed omnem praxim eſſe actum elicitum, vel imperatum; in cuius textus expoſitione, etſi diverſa intendentes, concordant Scotiſtæ hinc oppoſiti, vt videri poteſt apud Poncium hinc num. *79*. & apud Merinerum ibidem num. *26*. Prædictis igitur ſic examine inſpectis, reſolvere debemus, quæ eorum in firmiori fide Scoti teneamus; & cum ex reſolutione pro ſecũdo occurſu, maior pars reſolutionis pro primo occurſu dependeat, placet circa Scotiſtarũ occurſum primam formare reſolutionem.

§. II.

De ſecundo occurſu ſit prima reſolutio.

41 ANtequam firmam, & propriam reſolutionem efformem, advertere vellem, propter plurium doctiſsimorum Scotiſtarum Auctoritatem, quod aliquam haberé poteſt probabilitatem

opinio

opinio exponens praxim in actibus intellectus à voluntate imperatis, quód ſuadere videntur aliquę rationes in eius favorem ſupra poſitæ. Sed tamen Scotiſtæ prædicta opinantes, duo nimis debent præcavere. Primùm debet eſſe, quód ſi praxim imperatam admittant, debent congruentias, & rationes fundare in eo, quód actus intellectus ſit imperatus, & vt imperatus habens aliquam poſterioritatem reſpectu notitiæ practicæ, non minùs, ac actus cuiuſvis alterius potentiæ, dum à voluntate imperatus; quibus innixi difficilimé avertentur rationibus, in contrarium adductis, vt liquido examine ſupra prævidimus. Secundum debet eſſe, quod ex ſuppoſitione, quód ſic fundati praxim imperatam admittant, debent indefectibiliter admittere ſpeculationem elicitam ab intellectu, poſſe eſſe praxim vt imperatam à voluntate, quia ſicuti poteſt voluntas imperare intellectui, quód ſtudeat, etiam ipſi poteſt imperare, quód ſpeculetur, & quód producat actum in mera obiecti contemplatione ſiſtentem, conformem notitiæ regularum, quam de ſpeculatione habet. Nequé in hoc poſſunt huiuſmodi Auctores aliquam habere expoſitionem; aliàs in rationibus ſupra adductis, nihil in favorem praxis imperatæ probarunt erga intellectum; quare ſi aliquid probant, probant ſimiliter aſſumptum nunc propoſitum, & ex ſuperioribus legitimé illatum, vt ſupradicta intuenti, patebit.

42 Conſimiliter etiam, debent abſque fuga amplectere, quód etiam actus Logici poſſunt ſic eſſe practici, quia præterquam quód etiam habitibus vtamur, prout volumus, poteſt à voluntate non minùs imperari actus Logicus, quàm quilibet alius actus ſtudij; ergo ſicuti actus intellectus, etſi ſecundùm ſe, non ſit practicus, neque vllo modo alterius potentiæ ab ipſo, tamen quia imperatus, eſt practicus, & aliquo modo alterius principij ab ipſo, ſcilicèt, principij imperantis; ſic etiam etſi Logica non ſit alterius principij, ac Logici, & intellectivi, tamẽ vt imperata poterit eſſe praxis, & aliquomodo alteriùs principij ab ipſa.

43 Adverti tamen nimis debet ab ipſis, quód etſi Logicæ actui poſsit convenire eſſe praxim, non tamen eſſe practicam notitiam, quia vt ſit praxis ſolùm requiritur, quód actus Logicæ ſit aliquid circa quod voluntas imperans exerceatur, quód actui Logico, qua imperato non repugnat; at vt ſit notitia practica, requiritur quód reſpiciat praxim vt talem, quòd Logicæ nunquam competit, cum eius habitus, & actus tendant ſolùm ad obiecta prout actus intellectus ſunt præcisé. Vnde etſi actus intellectus ſit directivus praxis, non autem Logicus; quia intellectus ex ordine potentiarum eſt directivus voluntatis; at Logica ex natura ſua ſolùm eſt directiva intellectus. Itaque etſi Logica ſit praxis, non dirigitur à Logica qua praxis eſt, ſed ab intellectu, cuius muneris eſt actiones voluntatis regulare; at Logicæ actus, etſi Logicam reſpiceret, non tamen vt imperatam, ſed vt actum intellectus, etſi actus ille Logicæ imperatus foret.

44 Nec valet ſi dicas, quód vnus actus intellectus poteſt reſpicere alterum actum intellectus imperatum, & vt imperatum, necnon, & imperari à voluntate, quód vt imperatum alterum actum reſpiciat; ergo ſic pariter vnus actus Logicus poterit alterum actum Logicæ vt imperatum reſpicere, & nec non, quód ſic reſpiciat imperari. Non enim valet, ſed datur ſumma diſparitas ex eo, quód intellectus ſit Logica vniverſalior; (ex quo Subtiliter ait Scotus §. *Ad rationes pro opinione oppoſita*, quòd etſi ſpeculativum, & practicum ſint differentiæ accidentales intellectus, & ita poſſet eſſe intellectus practicus, & ſpeculativus; at autem ſunt differentiæ eſſentiales reſpectu habitus, etſi practicus non poſſet eſſe, qui ſpeculativus foret) quare intellectus poterit extendi, ad quod habitus Logicæ non valeat, cum tam in materia, quam in forma ſit determinatior. Ex quibus infertur, quód nec poſsit imperari Logica, ſicuti imperatur intellectus, cum Logicæ ſit impoſsibile, quód intellectui practicabile, ſic etſi intellectus poſſit imperari, vt Theologicet, animaſticet, &c. non autem Logica, quia hæc habet determinatam ſphœram, vltra quam nulla res prætteriri poteſt, ſicuti neque intellectus poteſt imperari, vt amet; ſic pariter non poteſt ob idẽ imperari Logica vt circa imperatum tendat; ſed ſicuti ens, quod eſt determinatum conſiderat Metaphyſica, vt ens, ſic ſecunda intentio, quæ eſt imperata, conſideratur à Logica, vt ſecunda intentio, non attingendo imperium, ſicuti neque Metaphyſica determinationem. His ita relictis, tot virorum Doctorum gratia.

45 Reſolvo firmiter, quód iuxta genuinam intentionem Scoti, neque actus intellectus, vt imperati poſſunt eſſe praxes. Et vt hanc reſolutionem veriſsimam in fide Scoti ſuadeam, tradendum, & manifeſtandum eſt intentum ipſius circa praxim, de qua loqui intendat. Intentum igitur Doctoris ex nullo mellius aperiri debet, quàm ex ſolutione ipſius poſita immediaté ad rationem obiectam. Ait enim ipſe in §. *Dico igitur*, quód etſi aliqua

qua intellectio poſsit eſſe imperata, ſicuti quilibet actus alterius potentiæ, nunquam tamen eſſe praxim, (in quo ſuadere debeo neque eſſe praxim, ſicuti praxes ſunt actus imperati cuiuſvis alteriùs potentiæ.) Solutio Scoti literalis ſic ſe habet: *Licet* ſpeculatio ſit quædam operatio, & ita praxis, ſic extendendo nomen, tamen vt praxis dicitur ſola operatio, ad quam intellectus poteſt extendi, nulla intellectio (puta etiam de, imperata, quia de hac ſibi obiecit oppoſitum) eſt praxis; & hoc modo accipitur, quando ad praxim cognitio practica dicitur extendi, &c. Quibus manifeſtat Scotus, quód ſolùm ab ipſo accipitur praxis, vt praxis dicitur illa operatio, ad quam intellectus poteſt extendi. Nunc videamus, an reſpectu intellectionis imperatæ extendatur intellectus. Ad quod eſt ſciendum, & nimis notandum, quod intellectus non debet dici extenſus dum cognoſcit bonum, & ſi bonum ſit ratio formalis obiectiva voluntatis, quia præterquam quod hic actus, ſcilicét, virtus eſt bona, eſt ſpeculativus, poſſet intellectus eandem cognitionem virtutis bonæ habere, etſi non daretur voluntas, & ſic neque altera potentia ab ipſo, quæ requiritur vt intellectus extendatur; ergo intellectum extendi, non ſiſtit in hoc, quód intellectus percipiat, & poſsit tendere in res, in quibus datur ſpeciale eſſe motivum reſpectu actus aliarum potentiarum ab ipſo, cùm ſi tales potentiæ non darētur, poſſet intellectus tendere in res ipſas; Sed intellectum extendi, debet ſiſtere in hoc, quód tales actus producat, quòd ſi ipſe ſolus eſſet, & non eſſent aliæ potentiæ ab ipſo, illos actus non produceret. Hoc enim proprié loquendo debet eſſe, ſe extendere intellectum; aliàs dum contemplaretur bonum, extenderetur; nec non dum contemplaretur vtile, & quodvis opus externum; quód falſum eſt, & non debet eſſe aliunde, vt ex radice reſolutoria, niſi quia ſi potentiæ illæ ſpeciales non darentur, ſimiliter bonum perciperet intellectus; ergo ſolum intellectus extendi debet dici, circa illos actus, quos ſolus ipſe non eliceret, ſi non darentur alteræ potentiæ ab ipſo.

46 Suadetur intentum, & explicatur in intellectu reſpectu voluntatis. Dum intellectus cognoſcit præcisé bonum, datur notitia ſpeculativa; dum autem intellectus elicit actum exprimentem bonum eſſe amandum, datur notitia practica; cur ergo (dum vterque actus tendit in bonum, ſolus vltimus eſt practicus? Profectó non aliunde, niſi quia ſi non daretur voluntas, non eliceret intellectus actum dictantem, bonum eſſe amandum, ſin autem eliceret actum tendentem in bonum, cum bonum non ſit, quia amabile, ſin autem é contra: ergo quód illa notitia, practica dicatur, & extenſa, oritur reſolutorié ex eó, quód ſi non darentur alteræ potentiæ ab intellectu, intellectus illum actum non eliceret, & ſic dum illum elicit, quia dantur, extenditur intellectus, & hac ſola extenſione rectè ab Scoto, & Ariſtot. intellectus dicitur practicus. Nunc ſic; ergo omnes illi actus, quos poſſet elicere intellectus ex proprijs, tametſi voluntas non daretur, non ſunt dicendi praxes. Suadetur ex doctrina textui, & menti Scoticæ ſupra innixæ; quia per illos ſolos actus extenditur intellectus, quos ſi alteræ potentiæ non darentur non poſſet elicere; ergo cum actus, per quos ſic extēditur, ſint praxes dumtaxat, omnes illi actus quos poſſet elicere intellectus ex proprijs, tametſi voluntas non daretur, non ſunt dicendi praxes. Sed actus illi, qui imperantur à voluntate intra intellectum: v.g. ſtudere &c. poſſent dari, tametſi voluntas non daretur; ergo actus illi, dum imperantur, non ſunt praxes. Suadetur minor, quia ſtudere, vt ad intellectum pertinet, non eſt aperire librum manibus, viſum fatigare, &c Sed habere cognitionem veri, ipſumque à falſo diſcernere; ſed hunc actum ſtudij poſſet intellectus habere, tametſi non daretur voluntas: ergo actus illi, &c. Suadetur nunc conſequentia; quia actus illi, quibus non extenditur intellectus, non ſunt praxes; ſed illis actibus non extenditur intellectus, qui poſſent elici, tametſi altera potentia non daretur: ergo cum darentur actus illi, tametſi non daretur voluntas, actus illi dum imperantur non ſunt praxes.

47 Similiter debet Scoticé practicans de actibus aliarum potentiarum Philoſophare. Ille enim actus eſt dicendus praxis in qualibet potentia, ad quem cognitio dicitur extendi; ergo cum cognitio ſolùm dicatur extendi, dum talis non foret, ſi illæ alteræ potentiæ non darentur, illi ſoli actus erunt praxes, ad quos ſic poteſt extendi cognitio. Exemplificatur in alijs potentijs, v.g. deambulatio eſt eligenda, appetenda, vel quocumque alio modo exercenda; iſti actus ſunt practici, quia ſi reſpectu aliarum potentiarum ab intellectu forent opera illa impoſsibilia, neque in intellectu daretur regulatio, neque in voluntate expedibile foret imperium: ergo ſic dirigendo, extenditur intellectus, ita vt extra ſuos limites diffundatur. Qua propter noſter Doctor Subtiliſsimé hoc punctum intuens, expreſsit, quod parxis de qua hinc loqui intéde-

debat, formaliſsimé, & rigoroſé ſolum debebat deſumi ex eo, ex quo cognitio dicebatur extendi. Vnde Scotiſtæ, ſecundum hanc doctrinam (infallibilem, ni fallor Doctoris ſubtilis, vt videbitur ampliùs) non tantum debent ſiſtere in prioritate, & poſterioritate actuum, quantum in prædicta extenſione, quia inter actus aliquos intellectus, fortè eſt infallibilis prioritas, non tamen extenſio.

48 Dices, quod dum intellectus dirigit voluntatem, oſtendens ei bonitatem ſtudij v. g, & voluntas ſic directa imperat ſtudium intellectui, tunc datur notitia practica, nec non extenſio in cognitione oſtenſiva; ergo quia actus ille imperatus eſt praxis. Hoc argumẽtum, etſi in re non proponatur à Doctore, eſt mihi certum, quod illud in mente habuit, vt conſtabit ex ſolutione ab ipſo derivata ſupra in locis citatis. Reſpondeo ſic, datur in intellectu extenſio reſpectu voluntatis, & imperij, cõcedo; reſpectu actus imperati, nego, & nego, quod actus imperatus ſit in re praxis, ſed ſolũ denominativé, ita vt ſolũ habeat dici practicus ex eo, quod actus imperãs, quod eſt praxis, terminetur ad ipſum. Itaque dico, verum eſſe, quod in prædicto, & ſimilibus actibus intellectus, datur notitia practica, & extenſio; *at autem extenſio ſolum datur reſpectu volũtatis*, eo quod expedito formaliſsimé actu imperãte, quod deinceps ſubſequitur, ita incipit intra ſphæram intellectus, quod iſte ab illo tunc inextendatur, ipſe ſiquidẽ actus expleretur intra ipſum; extẽditur tamẽ reſpectu actus voluntatis, quia abſq; iſto non daretur ipſemet ille actus intellectus. Quare reſpectu prędictæ cognitionis, ſolus actus elicitus volũtatis eſt praxis, ſolus ſiquidẽ iſte eſt terminus talis extenſionis, & non terminus vtcũque, ſed vltimus, eo quod poſt ipsũ, intellectus reſtringatur; ex quo oritur, quod actus intellectus imperatus non poſſit dici iã praxis, ſed denominativé practicus, eo quod, etſi incipiat in linea intelligibili, & ſpeculabili, incipit tamen immediaté poſt actũ, qui eſt praxis, ſcilicet, poſt imperium. En verba Doctoris, quibus ſolutionẽ innuit: *cum igitur dicitur intellectio eſt imperata à voluntate, ergo eſt praxis, nõ ſequitur; ſed ſequitur, ergo eſt praxis, vel practica; ipſa enim nata eſt denominari, quaſi accidentaliter à praxi ad quam extenſibilis eſt; non autem eſt terminus talis extenſionis.*

49 Inſtabis, quando in voluntate datur actus elicitus, qui inſimul eſt imperãs, inſimul debet dari reſpectu alterius potẽtiæ actus, qui ſit imperatus; ergo quãdo in actu elicito voluntatis datur praxis elicita, in actu imperato alterius potentiæ à volũtate, debet dari praxis imperata; ſed non poteſt volũtas imperare intellectui, quin in actu imperãte detur elicita praxis; ergo neq; poterit actus intellectus eſſe imperatus, quin in ipſo detur praxis imperata. Huic inſtantiæ difficilis apparientiæ, iam faciliter reſponderi poteſt, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequẽs: quando in actu elicito datur praxis elicita, in imperato debet dari praxis imperata, ſi in cognitione, nõ ſolum detur extenſio ad actũ elicitum, ſed & ad imperatũ, eſt verum; ſi cognitio extenſa reſpectu eliciti, maneat reſtricta reſpectu imperati, eſt falſum; & conceſſa minori, negatur conſequentia. Explicatio ſolutionis claret ex dictis. His tamen non obſtantibus, dicendũ eſt, quod non ſemper, & quando in actu imperante datur praxis elicita, in actu imperato debet dari praxis imperata, ſi actus imperatus, de per ſe non ſit terminus extenſivus cognitionis dirigentis, neq; de per ſe ſit terminus reſtrictivus, & anextenſivus talis cognitionis. Qua propter, etſi actus potentiarum inferiorũ, non ſint primarió praxes, eo quod ſolus actus voluntatis talis ſit; attamen ſẽper habẽt eſſe praxeos, modo quo actus intellectus, adhuc imperatus, eſſe praxeũ, non habet. Ratio eſt; quia actus imperatus potentię inferioris, cum ſit quid exercendũ extra potentiam dirigentem, & imperantẽ illam cognitionem extenſam in ordine ad actũ imperantem, ſemper conſervat extenſam; vel ad minus illam de per ſe nõ reſtringit; ita vt licet non ſit terminus primarió extendens intellectum, tamẽ etſi ſecundarió, terminus extenſionis manet ſemper; ſiquidem ſi illa potentia non daretur, reſpectu talis actus non daretur regulans cognitio: qua propter, etſi actus illius potentiæ ſit praxis ſecundarió, quia etſi non daretur intellectus, ille actus poſſet elici; attamẽ ſemper vt imperatus eſt praxis, illo modo, quo non eſt actus intellectus; cum actus intellectus, adhuc vt imperatus, non extendat cognitionem ad terminum, ad quem ſine imperio non tenderet intellectus ipſe.

50 Inſtabis: non minùs extenditur volũtatis imperium reſpectu intellectionis, quã reſpectu actus cuiuſcumque potentiæ, quia ſicuti ſi potentiæ inferiores non forent, non poſſet imperare voluntas, ſic neq; poſſet imperare intellectionẽ, ſi non foret intellectus; ergo ſicuti actus inferiores sũt praxes, quia ad eos extẽditur imperium, ſic, & actus intellectus erunt praxes, cũ ſic ad eos extendatur. Reſp. ex doctrina, & mente Scoti, permiſſo antecedenti, negãdo cõſequentiam. Ratio eſt; quia praxis, iuxta intentum Scoti, non eſt ille terminus ad quem

extenditur voluntas, ſed ad quem extenditur intellectus; quare cum reſpectu intellectionis imperatę non extendatur intellectus, ſin autem reſpectu imperatorum actuum aliarum potentiarũ ab ipſo, hinc eſt, quod iſti actus vt imperati ſunt praxes, ſecus autem illi, ſi, vt inquit Scotus, *praxis ſit illa operatio ad quam intellectus poteſt extendi*. Nec valet dicere, quod ſi voluntas non imperaret alijs inferioribus potẽtijs, nõ extenderetur intellectus; ergo quia actus aliarum potentiarũ ſolum ſunt praxes reſpectu voluntatis. Non enim valet, quia ex hoc ſolũ infertur, quod actus aliarũ potẽtiarũ ſolũ ſũt praxes ſecũdarió, & veluti de per accidẽs, ſiquidẽ etiã ſi volũtas nõ imperaret, neq; adeſſet intellectus, poſſet elici; at autẽ, nunquam ſic ſunt praxes actus intellectus; quia etſi conveniant in hoc, quod ſicuti actus intellectus imperatus potuit elici ſine imperio, ſic ſine imperio potuit elici actus inferior imperatus; differunt tamen in hoc, quod actus intellectus adhuc ſecundarió, & ex ſuppoſitione quod imperetur, manet intra ipſũ, eo modo quo maneret, ſi abſque imperio eliceretur, ita vt intellectus nõ extendatur ad ipſum; at autẽ actus inferiores dũ imperantur, extendunt intellectũ, cum ad illa opera ſic tendat intellectus extra ſe, ac tẽderet, ſi abſque intellectu ipſamet opera nunquã poſſẽt elici, vt evenit reſpectu actus volũtatis. Vndé ſic extenditur cognitio ad illa opera, quod licet ſolum extendatur ex ſuppoſitione quod imperentur, quia ante imperium, & cognitionẽ potuerunt elici; tamẽ ex ſuppoſitione quod nõ poſſet elici, niſi ex imperio, & poſt intellectum, non poſſet amplius extendi intellectus ad illa: é contra invenies in actibus intellectus imperatis. Hæc nimis nota, quia profectó ſunt difficilima.

51 Dices, prædictorum præcipuã doctrinam eſſe inſufficientem, quia ſi in illa eſſet ſiſtendum, debebamus dicere, quod erant practicæ, plures cognitiones ſpeculativæ: v.g. volũtas eſt principium liberũ: deambulatio eſt motus &c. quia ſi tales potentiæ non forent, erat impoſsibile, quod ſimiles actus eliceret intellectus; ergo ſi illæ cognitiones ſint practicæ, quarum termini ſi deficerent, & deficerẽt ipſæ, cum non daretur intellectualis extenſio, practicæ erũt plures cognitiones ſpeculativæ. Reſpondendum ſentio, negando inſufficientẽ eſſe doctrinam ex illo motivo. Ratio eſt, quia dum diximus, quod illi ſoli actus ſunt practici, qui non elicerentur, ſi alteræ potentiæ non darẽtur, notanter diximus, quod alteræ potẽtiæ, vt potentiæ, ſeu vt principia operativa requirebantur; quare etſi vt prædictos actus eliciat intellectus v.g. voluntas eſt libera, requiratur voluntas, requiritur tamẽ ſic in eſſe obiecti, ſeu termini formaliter, & in eſſe potentiæ, materialiter, & diſparaté. Requiritur enim in eſſe obiecti formaliter, & de per ſe, quia nullius rei poteſt dari cognitio, quæ vt obiectum non cõcurrat cum intellectu, cum ex obiecto, & potẽtia gignatur notitia; quo pacto neque ſpeculativa cognitio eliceretur, ſi res ſpeculabilis non adeſſet; in quo ſenſu, valdé materiale eſt cognitioni elicitæ, quod voluntas ſit potentia operatoria, cum etſi quodcumque aliud foret, eãdem dependentiam habuiſſet intellectus, vt actum eliceret. Ex quo cognoſcitur, nil directé contra datam doctrinam argui.

§. III.

De primo occurſu ſit ſecunda reſolutio; & impugnatione, prius eviſceratur ocurſus.

52 Circa primum occurſum, circa quem graviſsimi Jeſuitarum Auctores praxim elicitam intra viſcera intellectus aſſirmabant, velem ante deciſivam reſolutionem, rationes in eorum favorem formatas, aliqua impugnatione eviſcerare, vt ex ipſius ſolutione intentũ pateat. Arguitur ſic: ſi inter actus ipſos intellectus poſsit dari praxis, quia poteſt vnus extendi ad id, ad quod non extendatur alius, pari iure poterit aliquis dicere, quod actus ſpeculativus practicus ſit etiam. Suadetur, quia ex eo per illã rationẽ actus dirigens opus intelligibiliter faciendũ eſt practicus, quia extẽderetur ad id, ad quod non extenderetur actus veritatẽ obiecti præciſé contẽplans; ſed etiam ad id, ad quod tenderet actus præciſé contẽplans, non extenderetur actus opus faciendũ intelligibiliter dictans; ergo pari iure poſſet aliquis dicere, quod actus ſpeculativus ſit etiam practicus. Prob. min. quia ſicuti eſt impoſsibile, quod actus ſpeculativus tranſeat ad id, ad quod actus ille ſpeculativus; non enim minus repugnat, quod ſit dictãs actus ſiſtens in obiecti contemplatione, quã quod ſit ſtricté contemplans actus ſiſtens in dictamine operis obiecti; ergo ſi extenſio ſumatur ex eo, quod vnus actus nõ tranſeat ex natura ſua ad id, ad quod tranſit alius, ad id, ad quod tenderet actus præciſé contemplans, non extẽderetur actus opus faciendũ intelligibiliter dictans. Dices, quod actus ille practicus, ſcilicet, dictãs, ex eo eſt extenſior, quia dum veritatem operis contẽplatur, ipſum faciendũ dictat etiã, ſicque dicitur practicus, quia in veritatis cõtẽplatione

non

non ſiſtit, ſed vlterius ad operis dictamen tranſijt. Sed contra, quia ex hoc non infertur quod actus practicus extendatur pluſquam ſpeculativus. Suadetur, quia ad omne id, ad quod tranſit vnus actus dictamine; alter actus tranſit cõtemplatione; ergo non infertur quod actus practicus extendatur pluſquam ſpeculativus. Suadetur, quia dum aliqua principia idem obiectum habeant, licet modi tendendi ſint diverſi non infertur maior extenſio, vt patet in intellectu attingente per cognitionem, quidquid in ente attingit voluntas per amorem: ergo.

53 Dices, quod contemplari eſt quid genericum ſpeculationi, & practicæ notitiæ, ita vt per cõtemplari tantum obiecti veritatem reddatur contemplatio ſpeculativa, & per vlterius dictare, reddatur practica; & ſic actus practicus conſtat contemplatione, & dictamine, & ſpeculativus ſola contemplatione; vnde cum actus practicus contemplet obiectum, quia etiam debet cognoſcere opus, & vlterius dictet eſſe faciẽdum, habet quod ſpeculativus, & vlterius habet aliquid, & ſic nunquam evaſionem infringimus, cum ſpeculatio ad opus vt faciendum, nullo modo tranſeat, & ſic non attingit contemplatione, quod practicus attingit dictamine. Sed contra, quia etſi illi actus ſint diſtincti, nunquam ex maiori extenſione poteſt inferri, quod vnus ſit practicus, & alter ſpeculativus. Suadetur in primis: quia, etſi actus, qui dicitur ſpeculativus non tranſeat ad cognoſcendum opus faciendum, poteſt tamen tranſire ad cognoſcendum opus factum, ad quod non poteſt tranſire actus practicus; ergo ex maiori extenſione non infertur, quod vnus ſit practicus, & alius ſpeculativus. Deinde, ſi ex maiori extenſione actus diceretur practicus, vel ſpeculativus, ſequeretur, quod ſola contemplatio, vt generica ſpeculativo, & practico, foret ſpeculativa. Suadetur, quia illa, ſecundum eſſe genericum, neque extenditur ad tantum, ad quod ſpeculativum, neque ad tantum, ad quod practicum; aliàs non poſſet contrahi; ergo erit illa ſola ſtrictiùs ſpeculativa. Vel ſi mavis, quod quia generica plus extendatur, ſola contemplatio vt ſic, erit ſtrictè practica. Sed his non obſtantibus.

54 Reſoluo 1. quod ſi prædicti Auctores ſuæ opinioni velint affigi, difficilime poſſunt averti. Hoc ſuadent rationes in primo occurſu poſitæ, in quarum impugnatione non adeſt parva difficultas. Nulla tamen eſt ipſis gloria de opinionis fortitudine, cum Doctor ſubtilis prius eam inveniſſet, & ſic deffenſabilem agnoverit, extendendo ad opera intellectualia nomen praxis. Videatur in quæſt. 4. Prologi §. *Dico igitur*, vbi paucis de definitione praxis expoſitis, ait: *licet ſpeculatio ſit quadam operatio, & ita praxis, ſic extendendo nomen &c.* Nilhominus tamen, cum ſubtilis Doctor mentem Ariſtotelis eviſceraret erga extenſionem ad praxim requiſitam, in opinione exiſtimante praxim in intellectu non ſtetit, ſed ſtatim in hæc verba reſolutus dixit; *tamen, vt praxis dicitur ſola operatio ad quam intellectus poteſt extendi, nulla intellectio eſt praxis &c.* Etſi enim prædictam diſtinctionẽ in actibus intellectus percepiſſet, rectè fundatus, ſolum pennes alias poteutias praxim admiſit, eo quod dum Philoſophus dixerit, quod intellectus extenſione fiebat practicus, deberet ſtrictè intelligi de extenſione maiori; ergo cum maior extenſio ſit illa, quam erga alias potentias habet intellectus, de illa eſt, ſtrictè loquendo, intelligendus Philoſophus; vel ad minus eſt dicendum, quod pennes illam erit intellectus magis practicus; pennes illam ſiquidem in prima reſolutione propugnavimus, quod eſt magis extenſus. Suaderi poteſt præſens aſſumptum ex eo, quod in voluntate detur praxis, à qua actus intellectus, adhuc in linea practica, denominatur vlteriùs; ergo quia verſus talem praxim habet practicè vltimum complementũ. Deinde, quia in voluntate, vt dictum eſt, datur praxis; ſed conſiderata praxis intellectus reſpectu praxis voluntatis, poteſt dici ſpeculatio, quia maior extẽſio intellectus inter ſuos actus, poteſt dici inextenſio, comparata ad extenſionem actus voluntatis, & aliarum potentiarum; ergo quia ſecundum ſtrictam acceptionem, ſola praxis Scotica, eſt talis reputanda.

55 Deinde corroboratur aſſumptũ enervando illas tres rationes in examine primi occurſus traditas. Non valet prima de extenſione, tum propter nunc dicta, tum, quia ſi ſuæ opinioni velent inniti, poſſet quilibet aliã praxim, & ſpeculationem tradere. Poſſet enim aliquis dicere, quod actus præciſè ſiſtens in veritate eſſentiæ erit ſpeculativus, & actus vlteriùs tendens ad ipſam, vt erat principium dimanativum, practicus; erant enim formaliter diſtincti, & vnus alio extenſior. Deindè, ex quo iſti Auctores poſſent impugnare dicentem, quod actus ſiſtens in veritate obiecti erat practicus; & actus dictans, ſpeculativus? Spero diſcrimen, ſi ad gratam inſtitutionem nõ recurrant. Nec non, ex quo poſſet impugnari aſſerens, quod actus illi intellectus, qui ad cognoſcendum, præciſè intellectum tendebant, erant ſolum ſpeculativi, & actus qui ad alia, non ſic vicina, & propria cognoſcenda extendebantur, erant practici. Denique ex quo poſſet impugnari aſſe-

aſſerens, quod actus reflexus erat practicus, & directus ſpeculativus, cum inter ipſos detur etiam diſtinctio, & intra maiorem extenſionem? ergo iuxta graviores Doctores, non quęcunqué, ſed propria, & ſtrictior extenſio eſt requirenda. Neque ſecunda ratio aliquid vrget contra Scotum; quia etſi inter actum dirigentem opus, & inter actum tali directione carentem, detur diſtinctio; ex eo quod ſecundus actus ſit ſpeculativus, adminus non ſequitur, quod primus quia diſtinctus ſit practicus, ſed ſolũ quod ſit diſtĩctus actus ſpeculativus. Quod ſuadeo, quia poſsũt dari diſtinctę in ſpecie ſpeculationes, ſicuti intra lineã intelligibilẽ dantur diſtinctæ in ſpecie actus intelligendi; nec non, & diſtinctæ praxes in eorum ſententia, eo quod dentur opera, & artifitia intentionalia diſtinctiſsima. Vel dicent Scotiſtæ, quod vnus actus, ſolum materialiter, eſt alio ſpeculatior. Neque aliquid probat illa confirmatio de variatione opinionum erga praxim, non autem erga ſpeculationẽ. Eadem enim eſt variatio, ſi ipſis ſit conſetiendum; ſpeculatio igitur praxi ſtrictæ contrapoſita, debet eſſe, actus in veritatem obiecti tendens; quo pacto recté infertur quod omnes actus intellectus ſunt ſpeculationes, omnes ſiquidem in veritate obiecti ſiſtunt, & non vltra, cum vltra verum non tendant; ergo ſoli illi actus erunt praxei, vt recté contrapoſiti ſpeculationi, qui non verum, ſed quid vero contrapoſitum reſpiciant.

56 Deinde corroboratur aſſumptũ iuxta intentum Scoti, quia non poteſt negari, quod actus voluntatis ſit practicus, ſaltim imperans. Nunc ſic; intra volũtatem datur rigoroſa praxis, nil autem ſpeculationis; ergo vt ſtricté ex principijs, & obiectis actus intellectus, & volũtatis diſtinguamus, recté procedimus Scotiſtæ, dum intra intellectũ detur rigoroſa ſpeculatio, nil autem praxis. Suadetur, quia non aliunde non datur in voluntate aliquid ſpeculationis, niſi quia non adeſt cognoſcituvum; ergo cum quidquid in intellectu adſit, cognoſcitivum ſit, omne quod intra ipſum adeſt, debet eſſe ſpeculatio. Hoc debet deduci ex eo, quod ita praxis cum ſpeculatione opponatur, quod in communiori contrariorum ſententia, non poſsit actus, qui eſt ſpeculativus, eſſe practicus; ergo ſi amplius, & perfectius praxim, & ſpeculationẽ diſcernamus, recté dicemus Scotiſtæ, quod neque principium practicum poterit eſſe productivum ſpeculationis, neque ſpeculativum productivum praxis.

57 Reſoluo 2, ex dictis, opinionem Doctoris ſubtilis eſſe ſemper prævalendam, ita vt ſi de libera inſtitutione examinetur, nulla maiori Authoritate, & congruẽtia ſuaderi valeat. Manet intentum propugnatum, tam Ariſtotelicis textibus, quam proprijs rationibus, vt ex hũc vſque dictis, liquido, tametſi contentioſo examine, conſtat.

58 Infero ex dictis, notitiam practicam ſtare in recta ratione intellectus, prout verſa ad potentiam praxis productivam. Itaque, ſic poterit explicari: *cognitio recta reſpiciẽs potentiam verſus quam valeat extendi.* Dicitur: *recta cognitio*; quia non ſufficit quilibet actus intellectus, ſed directivus. Supponimus enim, quod praxis recta fuit ſupra ab Scoto definita. Neque defecit ſubtilis Magiſter, quia praxim pravam non explicuit: dum enim rectam explicuit, pravam ſignavit, quia vt celebres ipſius commentatores aiunt, rectum eſt index ſui obliqui. Ponitur: *reſpiciens potentiam &c.* Quia, vt ſupra ſtatuimus, ſola ſtricta extenſione, debet intellectus dici ſtricté practicus. Dictum fuit etiam: *verſus potentiam*, & non verſus praxim; quia de per ſe, potentia debet eſſe, quæ ad praxim recté producendam, directione indigeat. Vndé ex oppoſitis, ſatis conſtare poteſt, quomodo explicanda ſit notitia ſpeculativa.

§. IV.

Reſoluitur, an logica ſit practica, vel ſpeculativa.

59 IN præſentis puncti deciſione, non parum diffunduntur quamplurimi Auctores; ego veró breviſsimé ab illo expediar, tota ſiquidem huius difficultatis extenſio pendet ab examine, & deciſione de intelligentia praxis, & notitiæ practicæ. Vndé ſemel reſoluto quid ſit praxis, nil amplius circa logicam practicam, vel ſpeculativam habendam reſtat reſolvendum.

60 Sentio igitur, quod iuxta doctrinam ſtabilitam de praxi, abſque lite, logica eſt ſimpliciter ſpeculatiua. Ita Doctor ſubtilis ſupra citatus *in q. 4. Prologi, & in 1. Metaph. q. 7. & in 6. Metaphy q. 1* Hæc reſolutio eſt inexpugnabilis, ſuppoſita veritate in ſupra dictis, quia logica ſolum poterat eſſe ſciencia, ſeu notitia practica ex praxis directione; ſed logica nullam praxim dirigit; ergo logica nullo modo eſt practica. Suadetur minor; quia logica ſulum dirigit actus intellectus; ſed praxis eſt actus alterius potentiæ ab intellectu; ergo logica nullam praxim dirigit. Sic conſequenter debent reſoluere Auctores, qui praxim intra intellectum admittant. Semel enim ſuppo-

ſito,

ſito, quód actus intellectûs poteſt eſſe tam praxis, tam ſpeculatio, inexpugnabiles redduntur penes diviſionē Logicę in practicam, & ſpeculativam. Sic pariter, qui apud Scotum praxim imperatam probabilem relinquant, debent, ſervatis ſervandis, circa Logicam Philoſophare. Videantur dicta in reſolutione prima de ſecūdo occurſu. Neque ampliùs ſentio hinc requiri immorandum, cum hæc ſolùm poſsint propugnari illis, quibus praxim elucidavimus; neque poſsint impugnari, niſi eorum elucidatio impugnetur. Unum, aut aliud argumentum ſolent ex Philoſopho opponere, quæ, quia valdè trita relinquo.

61 Dubitabis pro antecedentium complemento: an idem actus poſsit inſimul eſſe practicus, & ſpeculativus? Reſpondeo negativè. Suadetur ex Doctore Subtili ſupra in Prologo, ſic; quia quando aliquid commune dividitur primó per differentias oppoſitas, impoſſibile eſt vtramque differentiam inveniri ſub aliquo vno contento ſub communi; ſed notitia in communi dividitur primó in practicam, & ſpeculativam; ergo impoſsibile eſt, iſtas differentias ſimul inveniri in aliqua vna notitia. Suadetur minor, quia nulla poteſt percipi cognitio vt ſic, ſeu contemplatio cui dirigere, vel ſpeculari non ſit immediatiſsimum: ergo notitia in communi dividitur primó in practicam, & ſpeculativam. Maior vt manifeſta fuit relicta, quia aliàs idem corpus poſſet eſſe vivens, & non vivens, idem vivens ſenſibile, & inſenſibile, & idem ſenſibile rationale, & irrationale. Nunc ſic; ſed idem ſequeretur ex eo, quod eadem cognitio inſimul foret practica, & ſpeculativa: ergo. Prob. min. quia de eodem ſequeretur idem genus contradictionum, v. g. ſiſtere tantum in contemplatione obiecti, & non ſiſtere tantum; extendi, & non extendi: ergo. Deinde, illa minor ſuadetur Authoritate Avicenæ 1. Metaphyſ. in principio, & per commentatorem 1. Ethic. & per Gondiſalvum de diviſione ſcientiarum. Sic apud Doctorem noſtrum, §. *Alia opinio, &c.*

62 Obijcies, non eſſe contra rationem actus practici, quód obiectum contempletur; ergo neque contra rationem ſpeculativi, quod dirigatur: ergo poterit idem actus eſſe practicus, & ſpeculativus. Conceditur antecedens, & negatur conſeq. Ratio eſt, quia contemplari eſt quid genericum practico, & ſpeculativo; contemplari enim nil aliud dicit, quàm cognoſcere: vnde contradictoriè ſolùm opponuntur ſpeculari, & practicare, ita vt ſpeculari ſit tantum contemplare obiectum; cum autem actus practicus non habeat tantùm contemplari obiectum, hinc eſt quod nunquam habet ſpeculari. Neque in hoc ſiſtentes poterunt alijs obiectionibus expugnari.

SUBART. II.

AN AD PRAXIM REQUIRATUR contingentia in principio.

63 EXtensè manet prævio examine propugnatum, quód extenſio vnius potentiæ ad aliam eſt vna ex principalioribus circunſtantijs ad ſubſtantiam practici requiſitis: cum verò aliquarum rerum ſubſtantia non vnico, ſed pluribus requiſitis perficiatur, inquiritur etiam: an vt principium ſit perfectè practicum, requiratur talis contingentia in elicitione praxis, quód poſſet aliunde determinari?

64 Doctor Subtilis problematicè prædictam contingentiam requiri ſuſtinet ſupra in prologo ad ſententias §. *Si obiciatur. verſ. Licèt hac reſpōſio.* Et expreſsiùs parti affirmativæ favere videtur ſuperius in §. *Ex hoc patet ſolutio.* Ubi ait, quod ſi potentia cuius eſt praxis, non ſit determinabilis aliunde, tunc illa cognitio non habebit conformitatem priorem in ratione regulæ dirigentis, nec ſic erit plené practica. Suaderi poteſt ex 1. Ethic. apud Scotum, vbi praxis eſt operatio ſecundùm electionem; ſed electio ex 3 Ethic. eſt tātum circa contingens: ergo. Prob. minor, quia electio eſt appetitus conſiliativus; Sed conſilium ſolùm datur de contingenti: ergo electio eſt tantum circa contingens. Deinde, ſuaderi poteſt ex his quæ adducit Scotus, vt probabiliter defendens cognitionem Dei non eſſe practicam: quod ſuadet, quia ad notitiam practicam requiritur, quod erga ſuum primum obiectum rectificet voluntatem, v. g. & voluntas divina non exigit, quód cognitio rectificet ipſam, aut quód eius volitionem dirigat, ſed tantum, quod bonitatem ſui primi obiecti oſtendat: ergo quia voluntas eſt principium propriæ rectitudinis, iſtam infallibiliter ex ſe, & abſque alteriùs directione inducens.

65 Huic vltimæ rationi reliquit Scotus ſolutionem in ſuperiori verſ. In quo aliam partem probabiliter amplexit; ait enim, quod non ſolùm eſt oſtenſivus divinus intellectus, ſed eſt etiam ſaltim æquivalenter regulativus, quod ſolet explicari ab Scotiſtis dicendo, etiam ſcientiam Dei eſſe practicam, quia tametſi voluntas divina à nullo rectificetur,

quia

quia ex ſe habet eſſe primam regulam, tamen ſi per impoſsibile voluntas divina ſic non foret, daretur vigor in eius cognitione, vt non ſolum foret oſtenſiva bonitatis, ſed, & regula directiva. Sed hæc expoſitio, etſi celebris videatur, nũquam tamen poſitam Scoti rationem ſoluit. Suadetur, quia notitia practica dicitur illa, quæ regulat, & rectificat aliquod principium: ergo ex eo, quod ſi tale principium foret per impoſsibile regulabile, & rectificabile, tunc illa notitia ipsũ regularet, & rectificaret, nunquã debet inferri, quod ſit practica, ſed quod per impoſsile foret; ita vt nõ aliter ſit poſsibilis praxis, quàm ſit poſsibilis rectificans regulatio; ſic nec dicitur de Beato, quód habeat fidem, quia crederet ſi nõ haberet viſionẽ. Neq; hinc dicas, quòd notitia non dicitur practica ex actu, ſed ex aptitudine, ita vt reſpectus conformitatis ſolùm debeat eſſe aptitudinalis. Non enim hoc valet, quia talis aptitudo eſt expedibilis, & ſupponit poſsibilitatẽ obiecti praxei, qualis hinc nõ invenitur. Requiritur enim, quod ſaltim in virtutute ſit expedibilis praxis; quod profũdiſsimé exãbit Scotus §. *ex hoc patet ſolutio.* Vbi ait, quod licet ex ordine potẽtiarũ ſit intellectus prior volũtate, non tamen ſemper iſta intellectio prior eſt practica, ſed tantùm, quando eſt determinativa rectitudinis reſpectu ipſius praxis, vel formaliter, vel virtualiter; quia quãdo in apprehenſione prævia nulla eſt determinatio formalis, vel virtualis de rectitudine praxis, licét ibi ſit prioritas, tamen tunc deficit conformitas, quia ipſa non eſt, cui praxis debeat conformari, vt ſit recta, &c.

66 Deinde ſuaderi poteſt ratione, ex eo, quod ſcientia practica detur ad præcavendos errores, quos poteſt potentia executiva committere; ergo vbi nulla de rectitudine adſit cõtingentia, ſuperflua erit ſcientia practica. Ideo enim nulla eſt ſcientia practica in brutis ad eorum operationes, & in noſtris occulis ad videndum, nec in ſenſibus ad ſciendum, nec in Beatis ad Deum amandum, quia tales actiones ſunt neceſſariæ, & ex natura ſua eſt potentia determinata ad illas recté faciendas; ergo in potentia, in qua de rectitudine non adſit contingentia, nulla dabitur ſcienita practica. Reſpondet Dionyſ. Blaſco ſequens Bachonium, negando antecedens, quia finis primarius ſciẽtiæ practicæ, ſolum eſt regulare opus artificioſum; præcavere autem errores potentiæ executivæ, eſt finis ſecundarius, & de per accidens. Præcavet quidem, ſi potentia ſit capax errandi; ſi tamẽ non ſit capax, integra manet eſſentia actus practici cum ſuo effectu primario efficiendi opus artificioſũ, quód eſt praxis. Deinde negat, quod exẽpla aliquid probent, quia opera brutorum, noſtræ ſenſationes, &c. non ideó non ſunt praxis, nec requirunt regulam practicam, quia ſunt opera neceſſaria, ſed quia non ſunt artificioſa; ſunt enim opera naturalia, non ab arte, ſed à natura facta. Sed contra, ſcientia practica ſolum pręcavet errores, ſi potentia ſit capax errandi; non autem præcavet, ſi capax errandi non ſit: ergo ſolum regulat, ſi potentia ſit capax errandi, non autem ſi errandi non ſit capax. Prob. conſe.; quia præcavere errorem, nil aliud eſt, quam diſponere potentiam, eam regulis conformando; ergo cum ſolum poſsit præcaveri, quod regulari, ſolum regulabit, ſi potentia ſit capax errandi, non autem ſi errandi non ſit capax. Contra 2.; quia ſi finis principalis ſcientiæ practicæ ſit regulare opus artificioſum, difficilé ſalvabit P. Diony. iuxta Bach. quod nõ detur praxis in intellectu, cum dentur intentionalia artificia, & etiam ab arte facta; concurrit liquidem logica, quæ artificialis eſt apud ipſum; ergo. Contra 3. dicebat enim, quod finis principalis ſcientię practicę ſolum eſt regulare opus artificioſum. Inquiro: cur regulat? Debet reſpondere, quod ad hoc, vt opus ſit rectum. Inquiro amplius; à quo exercetur operis rectitudo? debet reſpondere, quod à principio elicitivo operis; ergo ſi ſit impoſsibile, quod principium in recta elicitione operis deficiat, erit impoſsibile, quod tale principiũ reguletur, ſeu quod reguletur opus, vt non deſinat eſſe rectum ex principio. Quare in tali caſu, malé dicitur regulatio, ſed ſimplex, & nuda obiecti oſtenſio; hæc enim ſufficit.

67 Deindé ſi inſtetur, quód nulla actio naturalis, & neceſſaria poteſt eſſe artificioſa, aut praxis; ergo ad praxim requiritur libertas: & probatur, quia opus artificioſum in eo conſiſtit, quod eius partes contingenter, & accidẽtaliter coniungantur ſecundum regulas: ergo poſſunt non coniungi, quia ſi earum coniunctio eſt contingens, non coniunguntur neceſſarió; ergo potentia executiva poteſt ceſſare ab artificio, imó, & errare coniũgendo alias partes, vel eaſdem aliter, ac regula dictat; ergo neceſſaria eſt libertas contrarietatis, & contradictionis ad praxim, & ſciẽtiam practicam. Reſpondet Dionyſius negando antecedẽns: & ad probationem reſpondet concedendo, quod artificium conſiſtit in accidentali coniunctione partium in potentia; at neceſſarió operante aliquod opus artificioſum, eius partes per ſe, & natura ſua accidentaliter coniunguntur, quia vna non exigit coexiſtentiam cum alia; ſi tamen in aliqua potentia neceſſaria coniungan-

gan-

guntur, hæc neceſsitas non deſumitur à natura partium, quæ ex ſe non exigunt coexiſtentiam, ſed à natura potentiæ, quæ natura ſua, & ex ſe eſt neceſsitata ad rectè coniungendum illas partes, & ideó talis coniunctio partium per ſe eſt artificioſa.

68 Sed contra, quia ex antecedenti ſolutione ſequeretur, quód principium magis ſpeculativum, foret practicum. Suadetur ex eo, quód etiam entia contemplatione coniuncta, accidentaliter coniungantur, v. g. ſi aliquis ſiſteret in veritate Petri, & albedinis, concipiendo Petrum eſſe album. Sequeretur etiam, quod Logica foret practica, (quod non videtur teneri à Dionyſio) quia dum faceret intellectus, Logica ſecundatus, quod animal eſſet genus, non ſolùm foret opus artificioſum, ſed & accidentaliter coniunctum; animali ſiquidem accidit omne eſſe ſecundó intentionale. Deinde ſequeretur, quod omnis intellectus, circa contingentia tendens, foret practicus, quia etſi neceſſarió, & naturaliter intelligeret, tamen obiecta ſecundantia, & intelligenda non exigerent coexiſtentiam, ita vt ex rebus ſe non coexigentibus, formaretur intellectio. Contra 2. quia tunc non debemus loqui de partibus vtcumque, ſed de partibus operis rectificandi: ergo de partibus ſe coexigentibus. Prob. quia licét aquæ v. g. accidat calor, tamen aquæ vt calidæ non accidit calefacere; ergo licét partes operis non ſe coexigant, tamen partes operis rectificandi, poſſunt ſe coexigere. Addo deinde, quod calefactio foret ex maiori parte artificioſa in aqua, cum extrema calefactionis non coexigantur. Et ſi dicas, quod reſpectu agentis vltimó determinati, iam coexiguntur; dicam ſimiliter, quod partes illæ, vt cadunt ſub principio ex ſe neceſsitato ad illas coniungendum., etiam coexigentur. Contra 3. ex eo, quod omnes præcedentes ſolutiones, nitantur principio iam impugnato; ſupponitur enim, idem eſſe aliquod opus eſſe praxeum, ac eſſe artificioſum, quod non parùm liberum habet principium. Suadetur hinc, quia ſi bené attendatur, ſic dirigitur voluntas, ac quævis externa potentia dirigatur. Deindé, ſic reſpectu obiecti elicitur amor, quod ex natura principij liberi nõ magis coexigatur, ac odium. Nec non, eſt operis interni determinativa: eſto praxis apud Dionyſ. ſit actus alterius potentiæ, ac intellectus, dum dentur opera interna in voluntate, & opera externa in alijs ab ipſa, debet dici, quod opus externum eſt praxeum externé, & opus internum eſt interné praxeum; non enim aliter debet opus eſſe praxim, ac eſt opus. Quód non ſolùm opus externum ſit practicum, manet propugnatum omnibus illis, quibus praxim Scoticam ſtabilivimus.

69 Obijcies 1. quod ſcientia eſt neceſſariorum; ergo circa cõtingentia non eſt Scientia. Antec. videtur certum, ex definitione ſcientiæ 1. Poſter. Similiter ex 6. Ethic. vbi ſcientificum diſtinguitur à ratiocinativo penes neceſſarium, & contigens; ergo omnes habitus partis ſcientificæ ſunt circa neceſſarium; ergo & ſcientia practica erit habitus iſtius partis. Ad hoc argumentum reſpondet Scotus §. *Ad argumenta principalia*, & dicit ad antecedens, quód de contingentibus ſunt multæ veritates neceſſariæ, quia actus, qui contingenter elicitur, concludit neceſſarió debere eſſe talis, ad hoc vt ſit rectus; de ipſo ergo eſt ſcientia, quantum ad concluſionem demonſtratam neceſſarió, licét in ſe ſit contingens, in quantum elicitur à potentia propria. Ex quibus exponit Authoritatem ex 1. Poſterior. dicendo, quod ſcientia eſt neceſſarij dicti de contingenti, ita vt veritates neceſſariæ poſsint includi in veritate contingentis; vel ita, vt concludant de aliquo, quod eſt contingens per rationem alicuius prioris neceſſarij, quod ad magis contingens ſupponitur, non minùs, ac ad magis neceſſarium.

70 Obijcies 2. quod in ſupra dictis circa praxis intelligentiam, firmiter iuxta Scoti doctrinam reſolvimus, practicum fieri principium penes extenſionem ad potentias ipſo poſteriores: ergo cum hæc extenſio non deficiat reſpectu actus voluntatis, tametſi neceſſariſsimé eliciatur, practica erit potentia, vel mentem Scoti deſtruimus. Hoc argumentum etiam fuit ab Scoto prævifum in §. *Ex hoc patet ſolutio*, vbi directam reliquit ſolutionem, quam hinc applicando dico, veram, & firmam doctrinam cum Scoto ſupra ſtabiliſſe, & præſenti in nullo oppoſitam; quia Scotus dedit ſubſtantiam actus, & deinceps circunſtantias, (vnde debes notare, quod potentia tendit in ſubſtantiam actus, non autem habitus directivus; quia iſte non ponitur propter ſubſtantiam actus, ſed propter circunſtantias, quia vt ait Scotus §. *Contra hoc ſic arguitur*, temperantia non ponitur propter ſubſtãtiam actus comedendi, vel alterius actus, ſed propter circunſtantias: idem diſcurre in alijs habitibus, & potentijs.) quæ poſſunt eſſe plures ad hoc, vt actus ſit rectus, & bené circunſtantionatus; quare, vt actus plené ſit practicus debet habere omnes circunſtantias ad hoc requiſitas; & ſic, licét actus habens extenſionem poſsit dici practicus, quia habet principaliorem

rem

rem circunſtantiam, ſi tamen principium practicum non ſit contingens,ſeu aliundè determinabile, non erit plené practicum, cum ipſi deficiat aliqua circunſtantia ex requiſitis, qua in eſſe practici impletur. Ex quo, ait Scotus ibi, quod ſi potentia cuius eſt praxis, nõ eſt determinabilis aliundé, quód tunc cognitio neque erit conformativa, nec *plenè practica*.

EXPENDITUR ILLATIO, notabilis valdè.

71 EX dictis intuli, quód opus bonum,& practicũ erat actus circunſtãtijs plené perfectus: vbi nimis noto, quod huiuſmodi circunſtantijs nõ imbuitur actus, qui eſt intellectio, ex quibus rectè infere, pro complemento ſtabilitarum doctrinarum, quod actus intellectus maximum habent fundamentum, vt praxei non dicatur. Neque in horum favorem, alias vólo adducere congruentias, quàm ipſam literalem, & profectó eximiam Scoti doctrinam. Ait enim in *pene vltimo §. q. 4. Prologi*; quod etſi circunſtantia formaliter circunſtet praxim, vt ſit bona, non tamen formaliter circunſtat intellectionem practicam; non enim intellectus moderaté, ſive medio modo dictat actum, ita quod dictare circunſtantionetur hac circunſtantia *mediocritatis*; Sed intellectus dictat *ſecundum vltimum ſuæ potentiæ*: eſt autem illud dictare rectum à principio, & principium ſumitur à primo obiecto. Perpendantur verba tanti Doctoris digna, quibus præſens opus conſummatur.

ART. IV.

DE DIVISIONE LOGICÆ IN docentem, & vtentem.

72 ANtequam ad præcipuam difficultatem præſentis articuli ingrediamur, advertendum eſt, quod iuxta communiorem intelligentiam, nil aliud eſt Logica docens, quam facultas dictans quomodo artificium Logicum ſit conficiendum: & ſic Logica vtens nil aliud eſt, quàm id, quod artificium exequitur iuxta dictamen regularum. Deindé eſt ſciendum, quod Logica docens, alia eſt habitualis, & alia actualis. Secunda eſt ipſa præſens cognitio, quæ habetur de natura artificij: Prima veró, eſt habitus inclinans intellectum ad illam artificij cognitionem. Similiter Logica vtens actualis eſt ipſa executio artificij, & habitualis eſt habitus inclinans ad talem executionem. Hinc etiam, iuxta pluriũ Doctorũ eruditionem prævenitur, quod aliud eſt Logica vtẽs, & aliud vtẽns Logica; quia primo modo Logica eſt in nominativo caſu, concordatque cum ly *vtens*; at veró ſecundo modo, eſt in ablativo, & illud participium vtens, non cum Logica, ſed cum illo, qui ea vtitur, concordat; & in hoc ſenſu Logica, potiùs paſſivé vſa, quàm activé vtens debet appellari; & ſcientia, quæ ad ſui perfectam acquiſitionem vtitur Logica, vtens Logica debet dici, non veró Logica vtens in nominativo, quia hæc denominatio ſoli Logicæ vtenti, de qua hinc vertitur ſermo, ſolet accõmodari. Vndé aſſeruit Doctor Subtilis *q. 1. Vniverſ.* quod Logica vtens dicitur, in quantum vtimur ea, applicando eam ad illa, in quibus ſit vſus; hoc eſt, Logica vtens activé eſt ipſamet Logica, quatenus alijs ſcientijs ſua inſtrumenta applicat. Si velis dicere, quod intellectus eſt, qui vtitur Logica ad quæcumque, & ſic Logica erit ſemper vſa, & activé vtens ſolus intellectus, quæſtionem de nomine ſuſcitabis, & ipſo pacto Logica docens poterit dici vſa reſpectu intellectus, qui doctrinis vtitur, præterquam quod poterit dici vtens reſpectu aliorum, etſi vſa reſpectu intellectus. Itaque vnico verbo dicam, quod Logica vtens, nil aliud eſt, quàm *verbi gratia dictaminis*, vt ſyllogiſmus debet conſtare tribus propoſitionibus: v.g. omnis homo eſt animal, &c.

73 His ita, in ſenſu non parum communi, annotatis, vnica ſolum ſoletiam excitari principalis difficultas, ſcilicét, an habitus Logicæ ſit idem reſpectu doctrinæ, & vſus, ita vt Logica docens, & vtens habitualiter non diſtinguantur. Circa quod, varij ſunt diſcurrendi modi, vt videri poſſunt apud Noſtrates, & ex alienis noviſsimé apud Bachonij celebrem Commentatorem, qui plures fideliter refert, & eruditè impugnat. Quare ſolùm Bachonij Commentatoris intelligentiam referam, quia dum ipſe impugnetur, reliqui ab eo impugnati manebunt.

74 In libro igitur 2. diſt. 3. q 4 ar. 2 aſſerit, quod dantur regulæ Logicæ in communi dictantes modum diſſerendi: v.g. *Syllogiſmum in Barbara debere conſtare tribus propoſitionibus vniverſalibus affirmativis*; quæ principia per ſe nota docent, vt ab omni materia avulſa. Sed iſtæ regulæ non ſufficiunt, vt intellectus in actu ſecundo operetur modum ſciendi, ideó requiritur alius actus magis particularis determinans materiam ſyllogiſmi, hic, & nunc faciendi: v.g. *Ad concludendum, quod omnis homo ſit animal in Barbara ſu-*

ſumendum eſt pro medio rationale. Quibus ſic ſtabilitis, deducit, quod logica docens actualis, eſt actus dictans in communi modum diſſerendi, præſcindendo ab omni materia; vtēs veró, eſt iudicium particulare, & determinatum intellectus, dictans in materia determinata modum diſſerendi in actu ſecundo, & in exercitio faciendum: reſoluens tamen, quod prædicti actus ſunt eliciti ab eodem habitu ſimul docente, & vtente.

75 Sed licet præſens doctrina fundata videatur, aliquid patitur oppoſitionis; quia vel habitus dictans in communi, eſt idem, ac dictans in particulari, vel non? Si eſt idem: ergo non poteſt diſtingui habitus, qui dictet in communi vt contra diſtinctus ab alio, qui ſolum dictet in particulari. Si non eſt idem; ergo contradictione reſoluit, quod vtens, & docens actuale ſint elicita ab eodē habitu ſimul docente, & vtente. Si dicat, quod habitus dictans ſemper eſt idem, non autem actus dictantes, quod valde diverſum eſt. Contra, quia ſi quis reppetat actum dictantem in particulari materia, ſolum in ipſo manebit facilitas ad determinatam materiam habitualiter inclinans; & é contra, ſi quis ſolum in materia communi reppetat dictamen; ergo quia habitus inclinans in communi, non determinat in particulari; aliàs in vtroque facilitaretur, & quoad vtrumque augeretur habitus. Antec. ſuadetur, quia habitus eſt genitus ab actu; ergo illi ſoli determinaté ſimilis; ergo ſi quis reppetat actum dictantem in particulari materia, ſolum in ipſo manebit facilitas &c. Suadetur amplius, quia adhuc maior indifferentia datur in naturis ad vniverſalitatem aptis, quam in habitibus, cum iſti principia indifferentia reſoluant; ſed repugnat, quod eadem natura ſit vniverſalis, & particularis, abſtracta, & contracta, indifferens, & determinata; nec non, quod ex actualibus prædicationibus, & contractionibus augeatur habitus abſtractivus; ergo magis repugnabit, quod idem habitus inclinet, & derivet intellectū ad actum in abracto, & in determinata materia dictantes, & quod in contractis cognitionibus habitus doctrinæ abſtracte augeatur.

76 Deinde poteſt impugnari ex eo, quod quidquid dictat debet eſſe docens, ita vt aliud docere, videatur liberum. Suadetur, quia doctrina debet eſſe ita abundans, quod ipſi nil deficiat, vt valeat expediri, præter materię propoſitionem; regulæ enim ſtricté loquēdo, debent dici omnia illa, quę poſſint exerceri, ſi materia adſit; quia aliàs, ſi non poſſēt regulare, & exequi, adhuc deficeret quidquid ad perfectam regularum, & doctrinæ lineam ſpectabat; ergo ſi poſitū quidquid ſpectat ad regulas, & doctrinas logicas, nil adhuc poſſit expediri, ſignum evidens eſt, quod adhuc in linea ſtricta, & propria doctrinæ, & regularū, aliquid deficiebat. Ex quibus infero, quod habitus ille in particulari dictans, proprié loquendo, non vtens, ſed docens debet cenſeri. Etſi velis inſiſtere dicendo, verū eſſe, quod eſt docens, eſt tamen docens in particulari, & deinceps docens in particulari vocari vtens, & ſolum vocari docens, docens in communi, ad quæſtionem de puro nomine difficultatem reduces. Mihi, niſi fallor, videtur congruū; quia ex quo opponitur contra eſſe regulę, & doctrinę, quod de minus communi ſit, ita vt regulę particulares, & minus communes non valeant regulæ nuncupari? Si quis enim vellet domum fabricare, etiam actus dictātes, quod latera plana debebant ad conſtructionē ſummi, quod arena aqua fluviali madefieri &c. ſunt actus regulantes, tametſi dentur alij iſtis cōmuniores, & à determinata materia abtracti. Neq; aliquid vrget illa ratio Dion. qua præcipuā partē cōcluſionis probat; ait enim, quod idē habitus metaphyſicæ, per diverſos actus attingit ens vt ſic, & ens Petri, & Pauli; ergo etiā idem habitus logicæ, per diverſos actus poteſt attingere modū ſciendi vt ſic, à rebus avulſum, & in particulari, pro vt eſt in rebus concretū. Nō enim valet, quia apud graves Philoſophos, petit prīcipium; Aliqui enim, inter quos noſter Antonius Andræas, & Rodriguez, etiā Metaphyſicā in docētē, & vtentem dividunt. Vnde, qui ſic dividat, & deinceps doctrinam, & vtentē habitū diſcernat, nō ſentiet vim in argumēto.

77 Denique, neq; videtur conſona illa applicatio Diony dicentis, quod eſt etiā propriſſimus logicę, actus dictans, quod ad cōcludendū, quod omnis homo ſit animal, in Barbara, debet rationale deſumi vt medium. Ratio eſt, quia ad concluſionem ſcientificā hominis, mediū iam determinatū adducere, & proponere, debet ſpectare ad principia talis determinatæ ſcientiæ, vtpote humanæ; ad quālibet enim cōcluſionē deducendā demonſtrativé, mediū potiſſimū eſt deſinitio ſubiecti illius ſcientiæ; ergo ad cōcludēdū de homine, quod eſt animal, ſignare determinatū mediū, quod eſt rationale, ad principia ſcientiæ ipſius primi ſubiecti, quod eſt homo, ſpectat. Quare, dixit Doctor ſubtilis, quod de ratione primi ſubiecti erat continere omnes veritates illius ſcientiæ, cuius eſt ſubiectū. Dictamen igitur, quod vt propriū logicę ad concludendū in Barbara de homine, poſſet contēplari, foret iſtud: v.g. ad concludēdū de qualibet eſſētia aliquod prędicatū genericū mediū eſt differētia. Ratiq eſt, quia hoc dicta-

&tamen non ſuperat metas Logicæ, cum ſecundis intentionibus ſemper informetur. Deindé, eſt ad concludendum in ſcientia cuiuslibet ſubiecti æquale, quod Logicæ eſt propriiſsimum, cum media Logicæ, ad quamlibet ſcientiam debeant eſſe habilia, & talia non forent, ſi magis determinaté dictarent, vt dicebat Dionyſius. Deinceps, illa regula Logicę poſſet expediri, eſto proponatur materia à quacunque determinata ſcientia, ad cuius habitum ſpectaret, illam regulam contrahere ad media ſpecialia habitus, & principij determinati; ergo non videtur conſonũ, quod ſupra de dictamine Logicæ Diony. aſſerebat. His, ita.

78 Maius diſsidium ſtat inter ipſos Scotiſtas. Aliqui enim pro viribus defenſant, Logicam docentem habitualem, & habitualem vtentem non diſtingui realiter, ſed ad ſummum formaliter. Ita Faber Theorem. 5. cap. 5. Lafuente quæſt. 4. diff. 2. art 1. Rodriguez quæſt. 5. ar. 3. Poncius diſp. 2 quæſt. 6. Quem opinandi modum deducunt ex Doctore Subtili q. 5. vniverſ. & quęſt. 5. Elench. Alij veró Scotiſtæ è contra opinantes, aſſerunt vtrumque eſſe realiter diſtinctum. Ita Doctiſsimus Tartaretus quæſt 5. procem. dub. 1. Caberus tract. 1. procem. diſp 2. dub. 1. P. Maſtrius in Logica q. procem. art. 1 à num. 4. Quem dicendi modum deducunt etiam ex Doctore in q. 4. Prologi in ſolut. ad 2. & 3. vbi ait, quod cognitio, quæ non ſolum eſt propter ſpeculari, ſed propter operari, requirit duplicẽ actum. Alij veró, prædictum modum dicendi deducunt ex Docto. in q. 1. vniverſ. vbi ait, quod Logica docens eſt ſcientia, non veró vtens; & ſic ex ſcientia, & ex non ſcientia inferunt diſtinctionem. Alij denique Scotiſtæ, vtrumque opinandi modum intendunt concordare; ſed difficilem video concordiam. Ita noviſsimé in Groſſo diſſert. 8. elucid 2.

PERMITTITVR, ET PROPVGnatur reſolutio.

79 PErmitto opinionem reſolventem eumdem habitum Logicæ docentis ſufficere, vt effectivè quilibet actus eliciatur, etiam ſi ſit vtentis Logicæ. Suaderi poteſt hæc reſolutio ex eo, quod ad eliciendum quodlibet opus regulatum, nil amplius requiritur, quàm regula, & potentia operi proportionata; ſed nullum opus Logicę eſt pluſquam Logicale regulatum: ergo vt ipſum eliciatur, ſufficit habitus ipſe Logicæ docentis cum intellectu, ipſe ſiquidem habitus eſt regula, & inhęrens potentiæ operi proportionata. Maior convincitur, quia reſpectu nullius operis ſunt plura principia ſignanda, quã illa, reſpectu quorum aliquid ſpeciale in opere reſplendeat, ita vt ſi quidquid eſt in opere determinatis principijs exambiatur, inutiliter plura principia ſignentur; ſed quidquid eſt in opere exercito, regula, & potentia intellectiva exambitur: ergo quia ad quolibet opus regulatum, nil amplius requiritur, quam regula, & potentia operi proportionata. Minor videtur certa, quia ſi aliquod opus Logicæ eſſet pluſquam Logicale regulatum, ſequeretur, quod eſſet Logicę, & non eſſet Logicæ: Eſſet Logicę, vt ſupponitur; Non eſſet Logicæ, quia regulis Logicæ non foret vndequaque meritum, & ſubiectum. Ex quibus ſic infero reſolutionis congruentiam: dum elicitur opus regulatum, etſi ſit primum regularum exercitium, iam datur Logica vtẽs actualis; ſed omnis hæc Logica vtens actualis, derivatur ab habitu indiſtincto docentis; ergo vt effectivé quilibet actus viſualis eliciatur, ſuperfluit omnis habitus extra docentem.

80 Huic rationi, quã plurimas ſolutiones adducere intendunt. Dicunt aliqui, quod etſi in opere regulato nil reſplendeat, quod regulæ, & potentiæ non correſpondeat, ita tamẽ, quod reſpectu illius operis non ſit regula principiũ effectivum, ſed puré directoriũ, & illuminativum potentiæ, à qua ſolum opus illud effectivé derivatur. Sed cõtra, quia difficilimè invenient motivũ, ex quo inconveniat, quod ad illud, etiam effectivé cõcurrat habitus ipſe dirigens. Non quia illuminet: cum non minus ſpecies impreſſa illuminet circa opus, & hoc effectivé etiam ab ipſa derivatur, in opinione Scotiſtarum: & melius in aliorum opinione, cũ lumen viſionis ſit tota ratio agendi, & nulli proprius, vt nomen indicit, illuminare competit. Non quia deficiat ſimilitudo, quia ſicuti actus intellectus eſt expreſſa imago, & ſimilitudo obiecti, & hoc, non aliundé, niſi quia explicat obiectum, ſicuti virtualiter fuit obiectũ ipſi, ſic regula explicat viſum, & viſus exprimit regulam ſicuti eſt; ergo datur ęqua ſimilitudo inter regulam, & viſũ, ac inter actum, & obiectũ. Ergo ſi propter illam ſimilitudinem, vt à cauſa efficienti, producitur actus ab obiecto; propter aliam, vt à cauſa efficienti producetur viſus à regula. Denique, quia ex obiecto, & potentia pariter effectivé omnis notitia; ſed obiectum illius potentiæ, non eſt aliud, quam regulabile: ergo.

81 Dicunt alij, quod ad hoc vt abſoluté Logica vtens eliciatur, non requiritur habitus Logicæ vtentis, ſed ſufficit habitus ipſe docentis Logicæ; requiritur enim habitus vtens,

vt

vt faciliter eliciatur. Vndè dicunt, quod actus primus Logicæ vtentis oritur ab intellectu, doctrina illuminato; oritur tamen cum difficultate, ad quam evincendam, non ſufficit habitus doctrinæ, ſed vltra requiritur habitus vſus: & ſi ſemper inſtetur difficultas, inquirendo, quomodo producetur primus actus vtens ſine habitu vtenti, iſte ſiquidem ad actum primum non præcedit, cum debeat eſſe genitus ab actibus: necnon ſi dubitetur, ex quo poſsit dici vtens, ſine habitu præcedenti, &c. Reſpondent ad primum inſtando rationem, dicendo, quod neque ante primum actum Logicæ docentis dabitur habitus Logicæ docentis, & ſic inquirent à quo habitu actus ille primò docens procedit. Deindè, dicunt ad ſecundum, quod actus ille primus pertinet ad Logicam vtentem, non quia à Logica vtente producatur, ſed quia habitus Logicæ vtentis eſt productivus; actus enim temperantiæ, non ſolum dicitur, qui à virtute temperantiæ procedit, ſed qui virtutem temperantiæ producit. En rationes, quibus Recentiores plus à difficultate avertuntur.

82 Sed contra primum ſic arguo: etſi difficulter, ab habitu, à quo procedit Logica docens actualis, poteſt procedere Logica actualis vtens: ergo etſi difficulter, iam poterit eſſe vnus vtriuſque Logicæ habitus. Contra 2: etſi difficulter oriatur actus Logicę vtentis, tamen hæc difficultas evinci poteſt, vt in re evincitur in primò actu, quin detur habitus diſtinctus ab habitu docentis: ergo cum habitus diſtinctus ſolum detur, vt evincatur difficultas, ſuperfluè dabitur habitus à docente diſtinctus. Dices ad primum, quòd, etſi Logica vtens in primò actu non ſupponat alium habitum, quam docentem, nunquam ſequitur, quod vtriuſque Logicæ habitus ſit idem, ſicuti nec ſequitur, quod ſit diſtinctus, quia cum ibi non detur habitus vtens, ſolum poteſt ſequi quod ſit non idem. Dices ad ſecundum, quod, etſi illa difficultas evincatur à ſolo habitu docentis, tamen difficultate evincitur difficultas; quare vt faciliter evincatur, alius habitus requiretur.

83 Sed contra primum arguo ſemper, quia ad minus debet concedi, quod ibi detur reale, & effectivum principium Logicum, reſpectu illius primi actus Logicæ vtentis; ſed tale principium eſt idem principium Logicę docentis; ergo iam in re dabitur vtriuſque Logicæ idē principium. Deindè, poteſt ſuaderi, quod ibi detur principium, quod idem poſsit dici principium vtentis, non minus, ac principium docentis; quia ſi aliquid ad talem denominationem obſtaret, foret ſuperius dictum, ſcilicet, quod vtentis denominatio habetur in actu, nō reſpectu principij, à quo producitur, ſed reſpectu habitus, quem poteſt actus vtens producere; ſed hoc nil obſtat: ergo. Suadetur minor, quia etſi foret impoſsibilis habitus vtēs ab actu vtenti, ſemper diceretur, quod reſpectu talis primi, & ſolius exercitij, dabatur vſus, & Logica vtens; ergo quia principio ipſi docenti, adhuc ibi vtētis denominatio ſtrictè cōveniret.

84 Nequè in præfata inſtantia acquieſcere volo, ſed intendam probare, quod Logica docens, non ſolum rationem principij, ſed & eādem rationem habitus poteſt habere. Dicere enim poteras, quod in ratione principij erat idem, nunquam tamen in ratione habitus, quia poterat habere rationē habitus reſpectu actualis doctrinę, & ſolū rationē principij reſpectu actualis vſus. Suppono igitur, quod Deus impediret habitus vtentis reſultantiam, videlicèt reſultantiā habitus illius, quē ex frequētatione exercitij actuum vſualium deducunt contrarij. Nunc ſic, ſiquis repeteret puram rationem principij illius primi actus, de quo ſupra dicebamus, in tali caſu illa ratio principij maneret habitualis; ſed illa ratio principij erat in re ratio principij Logicæ vtentis, ita vt ſine vlteriori vſu talis denominatio competeret, vt ſupra dicebam: ergo non ſolum ratio eadē principij, ſed & habitus, poſſet habere Logica vtens, quin ad diſtinctos actus recurratur. Explicatur habilitas rationis ex eo, quod in re daretur ibi ratio principij reſpectu Logicæ vtentis. Deindé, nulli poteſt eſſe dubium, quod ratio principij poſſet repeti; ſed habitualitas habita ex repetitione, non foret ex actibus orta: ergo.

85 Si dicas, quod illa ratio principij, etſi repetita, non induceret habilitatem, ſi facilitas ex actibus maneret impedita. Contra directè: illa ratio principij, & ſic repetita, nō induceret habitualitatem, ſi facilitas ex actibus vſus maneret impedita: ergo quia illa ratio principij ſolum facilitatur ex actibus vſus; ſed illa ratio principij, eſt indiſtinctiſsimè Logica docēs. ergo iam ex repetitione actuum vſus, infertur, quod Logica docēs facilitatur. Deindè contra ſecundam rationem, ſcilicet, quod difficultate vincebatur difficultas, argui poteſt ſic; qui primò eſt potens ad vincendum vnam difficultatem, poterit melius eſſe potens ad iterum, & iterum illam vincendam, dum vincēdi principia non deficiant: ergo ſi ſemel potuit illa difficultas à docentis habitu evinci, multò melius poſſet evinci pluries; ſed quidquid pluries fit, apud vos, in illis facilitatur: ergo.

86 Veniendo deinceps ad illam inſtantiam, iuxta quam dicebant, quod neque Logicæ docentis primus actus habet habitum à quo procedat, exiſtimo parum vrgere opinioni permiſſæ; quia, etſi primus actus docens non habeat habitum, vt ipſi intendunt, habet tamen proprium, & ſpeciale principium, quod eſt regula: ergo etſi Logica vtens non habeat habitum, quod nos non negamus, quia vt non diſtinguatur, non debet plus habere, quam docens, habebit tamen principium. Nunc ſic; ſed idem principium, quod eſt tale reſpectu doctrinæ actualis, eſt invariatum reſpectu vſus doctrinæ: ergo ſi ſit habitus docens, quia principium, quod eſt doctrinæ, facilitatur; idem erit habitus vtens, quia principium, quod eſt doctrinæ, eſt idem principium vſus. Et ſi non, dicant mihi contrarij, quid valeat ſignari in vſu, cuius regula, quæ eſt principium docens, non ſit invariata principium? Ex hoc enim vnicé, hanc, & non alteram opinionem permiſsi.

87 Dicet aliquis veriſsimum eſſe, quod Logica vtens, necnon cuiuslibet artis vſus, debet ita evíſcerare regulam, & principia doctrinæ, quod nec ſuperet, nec deficiat; ex quo bené arguebamus in prima probatione, quod ad vſum nullum principium requirebatur extra regulam, & potentiam: at tamen hoc eſt verum, dum in vſu non detur facilitas, quia etſi ad opus, vt ſic faciendum, adæquent regulæ, & principia, non tamen dum in opere augeatur facilitas, quia hæc eſt extra regulam: ergo quia ad faciliter operandum, non ſufficit regula cum potentia. Hæc adhuc impugnabuntur inferius dicendis. Sed pro nunc, arguo ſic; nullus poteſt dari vſus vt ſic, cui regula, & potentia non ſufficiat, ita vt vſus ex conformitate ad regulas, nec magis, nec minus exequatur: ergo neque vlla poterit dari facilitas in vſu, cui facilitas in regula non ſufficiat, ita vt ſicuti vſus non ſuperat regulam, neque facilis vſus debeat regulam facilem ſuperare. Contrà 2. quia adhuc dato, quod intendunt faciliter contrarij, ſemper ſalvatur, quod habitualitas vſus, ſit ipſa habitualitas doctrinæ. Suadetur, quia etiam datur regula docens, quod vt generetur facilitas, debent repeti actus, ita vt ſic doceat, & explicet habitus quidditatem. Deindé, hoc docere, poterit eſſe ſpeciale Logicæ, cum ſit maxima cognitionis perfectio, expedire actus ſcientificos ad Logicæ lineam ſpectantes: in quo caſu, nunquam vſus à notitia dictante deficiet: ergo, &c. Venio nunc ad illam vltimam, & aliquibus ſpecioſam rationem, videlicét, quod vt actus ille primus dicatur vtens, ſat erat, quod habitus vtentis foret productivus. Contra igitur, ex eo, quod ſupra ſupponebamus impoſsibili habitu, in quo caſu, adhuc per locum intrinſecum, non repugnaret Logica vtens, quia Deus poteſt artifitia Logica conſlare, & tamen eſt ipſi talis habitus impoſsibilis: ergo quia vtens, non eſt de per ſe Logica ab habitu, quem poteſt producere, ſed ab alio principio, à quo habuit à priori produci. Hoc ſuadetur claré, quia habitus ille, cum ſit genitus ab actu, non poteſt exprimi, & produci niſi ex viſceribus conformitatis: ergo quia eſſe vtentis accepit ab actu, ipſo priori; ſed eſſe vtentis non accepit actus à ſe: ergo a principio actum antecedenti.

88 Contra 2. & roborantur dicta permiſsivæ reſolutioni faventia. Ex eo, per Groſſum, & alios, actus ille dicitur vtens, quia poteſt producere habitum Logicæ vtentis: ergo ſi poſſet applicatus potentiæ, producere principium, ſivé actum Logicæ docentis, poſſet conſimiliter actus ille dici docens; ſed poteſt; ergo. Suadetur, quia non minus relucet regula in vſu, & artifitio, quam reluceat habitus ille vtens; imò magis relucet regula, quam habitus, cum iſte ſolum reluceat virtualiter, illa veró formaliter, & expreſsé. Deindé, quia ſi aliquis foret regulæ oblitus, propoſito artificio illius, foret memor, vt multoties aliqui Poëtæ ex artificijs rithmicis, ſyllabarum quantitatem perpendunt: ergo ſi actus ille vtens potentiæ intellectivæ applicaretur, infertur, quod doctrinalem notitiam poſſet comprodlucere. Nunc ſic: actus ille vtens poſſet eſſe principium, à quo tam doctrina, quam habitus vtens derivaretur: ergo potiori iure habitus docens poterit eſſe principium, à quo actus doctinæ, & vſus deriventur. Dixi potiori, quia ſemper in principio productivo actus, debet dari maior extenſio, quam in ipſo actu.

89 Suaderi poteſt ſecundó permiſsiva reſolutio ex eo, quod idem habitus, qui inclinat ad regulandum opus, inclinat etiam ad regulati conſtructionem; ſed regulativé inclinans, eſt docens, & conſtructivé inclinans, eſt vtens: ergo habitus docens, & vtens eſt vnus, & idem habitus. Reſpondebam aliquando ad maiorem, dicendo, quod inclinat immediaté ad regulandum, & mediaté ad efficiendum; hoc eſt, vna inclinatio infert aliam, etſi diſtinctam; ſicuti in nobis actus, quo directé tendimus

dimus in finem, eſt diſtinctus ab illo, quo tendimus in media, etſi ille iſtum inferat, & inducat. Alij etiam hinc reſpondent dicendo, quod habitus inclinans intellectum ad cognoſcendas regulas ſyllogiſmi v. g, inclinat etiam ad illũ conſtruendum directivé, ſeu regulativé; non autem elicitivé. Sed hoc iam manet impugnatum, vbi diximus, nullum dari inconveniens, vt vſus à regulante doctrina elicitivé producatur. Sed contra primam ſolutionem poteſt inſtari ſic: illud immediaté inclinat ad opus, quod immediaté inducit potentiam operis productivam; ſed habitus docens immediaté inducit intellectum, qui eſt potentia operis productiva: ergo. Maior ſuadetur in ſpecie impreſſa excitante, & movente intellectivam potentiam ad opus intellectualiter formandum. Minor ſuadetur, quia potentia cognoſcitivé operans, nullo immediatiùs inclinatur ad opus, quam principio opus virtualiter continente, & ipſum intelligibiliter dictante; ita vt ſit ſufficiens comprincipium, adhuc vt potentia circa opus exerceatur; ſed hoc eſt proprium doctrinæ, & habitus regulantis: ergo habitus docens immediaté inducit intellectum, qui eſt potentia operis productiva.

90 Dices, nunquam ex dictis probari immediationem ad opus; quia etſi habitus dictãs, immediaté inſit intellectivæ potentiæ, tamen operi non eſt immediatus, cum etſi dictamen inhæreat intellectui, poſsit adhuc non induci opus, quod eſſet defectu alterius habitus operi immediatioris, quod eſt vtens. Deindé, quia intellectus habet difficultatem reſpectu operis, & ſic licet ſit doctrina immediata intellectui, non autem elicitivé eſt immediata operi, cum intellectui nõ minus immediata ſit difficultas. Sed contra, & in primis prima ratio videtur nulla, quia etiam ſi habitus vtens immediaté inhæreat intellectui, tamen opus defectibile eſt, aliàs ſemel acquiſito habitu ſyllogizandi, ſyllogizaret ſemper illum habens; ergo ex defectu operis, non ſuadetur deffectus immediationis in principio. Deindé, ſi ſiſtant in hoc, quod habitus docens non eſt immediatus ad opus, ſed quod tale eſt, immediaté illud applicans, taliter, quod illud ſit habitus à docente diſtinctus; contra, quia cum habitus vtens poſſit inhærere intellectui ſine habitus exercitio, dicemus, quod id, quo habitus vtens exercetur, eſt immediatum operi, nec non alius diſtinctus habitus ab vtenti, & de illo idem dicemus vſque in infinitum, cum neque applicans, poſsit ſemper applicare indefectibiliter.

91 Deindé, neque ſecunda ratio aliquid præcavet, quia opera, quæ ſolum ſcitu exercẽtur, vt ſunt intellectualia, nullã poſsũt habere difficultatẽ, ſi nullã habeant ignorantiã; ignorantię enim, ſunt intelligentis difficultates; quare intellectus, nõ aliter vincit difficultates, quam rerum vincendo ignorantias: ergo ſi intellectus ſit perfecté edoctus, erit perfecté facilis, ita vt ſi ipſi circa opus ſit immediata doctrina, erit immediaté vincenda, illa immediata difficultas, & etiam, quia ex difficultate non improbatur immediatio ad opus, dũ ſufficiens adſit, vt patet in igne calefaciente aquam, cui non minus eſt immediatus calor, quam foret frigus, tametſi igni non minus immediata ſit difficultas, quam calefactio. Denique, neque illo finis aliquid ſoluitur, imó noſtrum intentum corroboratur, quia etſi intentio bonitatis, & electio mediorum ſint diſtincti actus, tamen idem finis, qui inclinat ad intendendum bonitatem, inclinat ad eligendum media, ita vt licét actus, & exercitia ſint diſtincta, non veró principia incliuantia; aliàs non vnicus, ſed duplex daretur finis; ergo ſic pariter eſt philoſophandum, circa diſtinctionem actualis doctrinæ, & vſus, erga eundem habitum derivati.

ARGVMENTA CONTRARIA ſolvuntur.

92 CONTRA permiſſam reſolutionem multiformiter inſurgunt contrarij, ſed tamen ſolum præcipuas obiectiones proponam, & ipſis reſpondere intendam. Obijcies, quod poteſt eſſe aliquis facilis in docendo, & in cognoſcendo regulas ſyllogizandi, & tamen difficulter ſe habere erga ſyllogiſmi conſtructionem: Deindé quotidie experitur, quod ex frequenti habitu ſyllogizandi, aliquis prompté conficiat ſyllogiſmos, quin regulæ præſentia adſit; ergo quia dum datur habitus docens, abeſt habitus vtens, & é contra; ac per conſequens dabitur realis diſtinctio, vt ex mutua ſeparatione colligitur. En contrariorum aquiles, cuius prima vis facilé rejicitur, negando primam partem in antecedenti inrentam, quod mihi ſemper bene reſponſum fuit viſum. Imperceptibile enim videtur, quod aliquis perfecté regulans intueatur, & quod difficulter artifitia regulet, dum inſtrumentum intuendi, & exercité regulandi ſit idem, vt eſt idem in operibus intentionalibus. Si enim ego perfecté intelligam, quod in arte venatoria v.g. deſerta talibus paſsibus explorantur, quod canes ſic inducuntur, quod retia taliter applicantur, quod animalia venanda hoc, vel illo modo moventur, & perſequuntur; intellectus, ſi venator foret, illam facilitatem

in

in venandis haberet, quam in intuendo prædictas regulas ſupponitur habuiſſe, quia ſi cognitio foret ſagittaria, faciliſmé cum venandis concluderet.

93 Qua propter, firmiter eſt ſtandum in hoc, quod ſi aliquis expedité ſyllogiſmos non conſtruat, oritur ex eo, quod regulas omnes perfecté non comprehendat, ita vt ſi aliquis omnium regularum plenam, & perfectam habeat notitiam, elevatam in illo gradu, quem regularum notitia expoſcit, manebit ita facilis, & expeditus, quod facilior non poſsit manere, neque in facilitate intendi, tametſi deinceps multas ſyllogiſmorum conſtructiones frequentaret. Si enim aliquando videtur experiri, quod cognitis regulis, & propoſita materia, adhuc inexpedité, & tardé ſyllogiſmos conſtruat, hoc non oritur ex defectu habitus vtentis, ſed ex defectu doctrinæ, vel materiæ. Dixi ex defectu doctrinæ, vel materiæ, quia cum minor ſit ad ſingula ſenſus, dum intellectus vertit ſenſum ad materiam, regulæ, & doctrinæ facilé divertuntur; & dum vertit ſenſum ad regulas, facilé à mentis perfecta comprehenſione divertitur materia. Vnde maximé notabis, quod ſi tunc difficulter operetur, ſaltim à priori, non eſt, quia deficiat vſus, ſed quia deficit perfecta præſentia doctrinæ erga materiam; & ſic, ſi augetur facilitas vtendo regulis, non eſt à priori ex alio capite, niſi quia ſic augetur regularum, & materiæ intuitio, ita vt plené ſint præſentes.

94 Intueatur enim ſyllogiſmus in Barbara, & volens illum conſtruere perfecté, videat, quod ſyllogiſmus in Barbara debet conſtare tribus vniverſaliter affirmativis, quod medium verbũ ſit ſubiectum in maiori, & prædicatũ in minori; maius extremum, prædicatũ in maiori, & in concluſione; minus extremum ſubiectum in minori, & in concluſione. Deinde ſciat, quod prædicatum debet eſſe connexum cum ſubiecto, & ſic intentionaliter vnitum cum illo; & poſtea ſciat intellectus, quod non poteſt omnibus regulis vti, niſi aliæ ſcientiæ miniſtrent materiam; adſit ergo Philoſophia, & miniſtret primó intentionales terminos, ſcilicet, homo, rationale, & animal; ſciat necne, quod homo eſt ſubiectum, quod animal prædicatum, & quod ad concludendum de homine aliquid genericum, medium potiſsimum eſt eius definitio, ſeu differentia. Si igitur omnibus his regulis ſit ita inſtructus intellectus, quod dum vna ſit præſens, non abſit altera, & dum omnes inſimul ſint præſentes non abſit materia; imperceptibile videtur, quod ſumma facilitate ſyllogiſmum in Barbara non expediatur; imó non eſt parum difficilé, percipere, quod ſic prædicta intuendo, iam ſyllogiſmum conſtructum non relinquat. Ex quo inferes, quod difficultas non vincitur per vſum, ſed per omnium regularum præſentiam, ita vt difficultas oriatur, ex difficili omnium præſentia.

95 Ad ſecundam partem antecedentis reſpondendo, exiſtimo poſſe ſufficere expoſitionem Pontij, & aliorum recentiorum Scotiſtarum. Dum enim aliquis efficit ſyllogiſmum, quin regula adſit, ſcit, quod perfecté ſyllogizat, vel non ſcit? Si non ſcit, ita vt ſyllogizationis principium ſit plura conſuetudo, tunc ſyllogizatio illa habitualis, non provenit ab habitu logicæ, ſed caſu accidit; quare ille actus, non erit de per ſe logicus, ſed erit actus puré memoriæ, ſicuti foret ſyllogiſmus factus ab inſcio logicæ, & ab ipſo vt Ave Maria reppetitus, qui etiam ex reppetitione vinceret difficultatem ſyllogizandi. Neque hæc expoſitio debet reprobari, quia probabiliſsimum eſt apud Graves Theologos, quod actus fidei, eliciti ex conſuetudine, non ſunt actus ſpectantes ad fidem theologicam; non aliunde, niſi quia deſicit doctrina regulans vſum, cum non eliciantur attendentes motivum formale fidei, propter quod debebant elici. Si ſciat, quod perfecte ſyllogizat: ergo adeſt doctrina, & regula dictans, quia ex ſyllogiſmo ſecundum ſe, non poteſt probari perfectio, ſed ex ſyllogiſmo ſecundum regulam.

96 Dices, quod vt perfecté, & logicé procedendo ſyllogizet, non requiritur regulæ, & doctrinæ præſentia, ſed ſufficit alius ſyllogiſmus factus, ex quo ſumpſit habitum, & ſpeciem. Contrà; quia hic recurſus eſt ſine doctrinali cognitione imperceptibilis, quia ad hoc requiritur, quod cognoſcat, ſyllogiſmum factum eſſe recté diſpoſitum, in quo, præterquam quod expreſſa fuit regula, viget etiam docens principium; quia facit ſecundum exemplar; nec non, quia docentis principij foret dictare, quod omnis ſyllogiſmus in Darij debebat eſſe conformis illi, vel illi ſyllogiſmo in Darij: ſicuti ſi aliquis cognoſcens in alio actum fidei propter Deum veracem, & alloquentem, & ſervando exemplar in actu, actum conformem eliceret, actus ille, qui reſpectu primi eſſet vtens, reſpectu ſecundi eſſet docens; ſic enim, non repugnaret, quod vnus actus logicus foret vtens, & docens. Quid enim repugnat, quod per pannum vlna metitum, metiatur aliud pannum, dum primo regula foret impreſſa? Deinde poterat dici, quod omnes illi actus ſyllogiſtici, qui immediaté ex regula non derivaban-

bantur, ſolum affectivé, & moraliter poterant dici logicæ, non autem effectivé, & evidenter. Ratio eſt, quia erga illos ſolum poterat dici certitudo moralis penes hoc, quod logici forent, nunquam tamen poterat dari certitudo phyſica, & prout ad ſcientiam requiritur, quia ad hanc deficiebat doctrina, & ſpecifici obiecti regulatio movens: vnde prædicti actus, ſi logici dicendi eſſent, potius deberent dici logici ex fide, quam ex ſcientia.

97 Denique ſuadentur dicta ſic: ſi aliquis ruſticus, & logici vſſus inſcius, diceret: ſyllogiſmus in Barbara debet conſtare tribus propoſitionibus vniverſalibus affirmativis, & toties diceret, quod acquireret habitum, nonné tam habitus, quam illa prima cognitio dicens, forent logicé docẽtes? Mihi videtur, quod non, quia non poteſt actus intellectus eſſe docens, & erudiens, qui adhuc indiget eruditione, & doctrina; & qui ignorat primã regulam, & obiectum formale, ex quo actus formalis doctrinæ paritur, & exprimitur: nec non qui ignorat quomodo terminus illius actus eſt conſtruendus, & qualis debeat doctrinæ eſſe vſſus; ergo cum non minus, imò magis, vſſus dependeat à regula, & opus à principio directivé efficiente, quam regula, & principium pendeant ab opere, & vſſu, erit incongruentius, quod ſine regulæ præſentia, & principij directione poſſit dari vſſus doctrinæ, & principij logici exercitium, quam quod poſſet dari doctrina, ſine operis, & obiecti notitia. Si dicas, quod actus ille foret docẽs ex parte obiecti, etſi non foret docens ex parte intellectus ignorãtis; nec non, quod foret docens reſpectu logici audientis: Contrà, quia ſimiliter dicam, quod ſyllogiſmi ex vſſu conſtructi, forent vſſualiter logici ex parte obiecti, nec non reſpectu doctrinaliter, & regulaté audientis; etſi tales non forent reſpectu vſſum doctrinæ ignorantis. Vnde dico etiam, quod etſi ſyllogiſmus obiectivus haberet vtentem logicam, nil incongrueret contra nos, quia etiam foret inffallibiliter connexus cum obiectiva regula. Vbi debes notare, quod regulæ non fiunt ab intellectu, neque principia logicæ; ab intellectu enim, ſolum habent intelligi, quod non haberent ſi ex parte obiecti non ſupponerentur. Regulæ enim logicæ ſunt intentionaliter prima principia, quæ in eſſe formali à nullo habent dependentiam, cum ſic nõ fiant ex alijs, in omni enim ſtatu ſunt vera, & connexivé exiſtentia, vt eſt homo cum animali rationali, tametſi effectivé pendeat à cauſa prima.

98 Objicies ſecundó, ex eo, quod actus diverſæ ſpeciei non poſsint provenire ab eodem habitu; ſed actus doctrinæ, & vſſus ſunt diverſæ ſpeciei; ergo. Hinc Pontius, & aliqui Scotiſtæ ſequentes ipſum, concedunt maiorem, quando vterque actus eſt elicitivé ab habitu; non autem quando vnus actus elicitivé, & directivé alius dimanat. Vnde dicunt, quod directivé opus vtens doctrina logica, oritur ab habitu logicæ; elicitivé tamen oritur ab illa ſcientia, in cuius materia fit vſſus. Ex quo aiunt etiam, quod etſi ex vſſu augeatur habitus ſcientiæ miniſtrãtis materiam, non autem ex hoc debebit augeri habitus directivé ſolum concurrens. Quare, poterit eſſe aliquis facilis ad ſyllogizandum in phyſicis, & non ſic in aſtrologicis, quæ facilitas augebit habitũ, à quo elicitivé procedit; non autem à quo directivé tantum, cum iſte omnis materiæ ſit æqualiter directivus; aliàs non foret logica omnium vniverſaliſsima. Quando autem actus fit in ipſa materia logicæ, tunc etiam elicitivé à logica procedit, ſed tunc cum dirigere, & elicere non ſit duplex difficultas, ſed vnica, quia qui eſt facilis in docendo, eſt facilis in eliciendo, idem habitus ſufficiet ad duos actus, quia etſi actus ſint diſtincti, difficultas veró eſt vnica, & habitus ſolum debent eſſe plures propter plures difficultates.

99 Sentio ſufficientem eſſe præfatam doctrinam, vt vim argumenti retardet. Reſponderi tamen poteſt faciliùs, dicendo ad maiorem, non repugnare, quod ab eodem principio, tametſi determinato, procedant duo actus, quando vterqué eſt ſummé ſubordinatus, ita vt ad invicem exprimantur; tunc enim, licet exercitia ſint diverſa, tamen cum repreſentativé ſint idem, poteſt dici, quod ęquivalenter ſunt idem actus, reſpectu principij intentionaliter, & cognoſcitivé operantis. Sic licet actus directus, & reflexus ſint actus alterius rationis, tamen reſpectu cognoſcentis, pro vnico reputãtur, ex eo, quod vnus in altero reluceat; propter quod dixit Chriſtus D. ad Philippum, qui videt me, videt, & Patrem meum. Ergo cum doctrina exprimatur ſummé per vſſum, ita vt vnum in altero contineatur, & deinde maior idemptitas, & vnitas in continendis, adhuc debeat dari in virtutibus, quam in actibus, videtur, quod dum actus ſint vnicus æquivalenter, quod virtus ſit eadem entitativé.

100 Deinde, poteſt hoc ampliùs ſuaderi in ſpecie, quæ etſi determinatum ſit principiũ, eadem tamen movet, & effectivé concurrit, illuminans, ſeu erudiens obiectum, & effectivé producens actum, ita vt ſit cauſa formalis, & effectiva; ſicut intellectus eam recipiens eſt cauſa effectiva, & materialis. Difficiliùs enim non

vide-

videtur, quod eidem principio competat duplex cauſarum ſpecies, quam quod competat eius effectibus, duplex effectuum differentia. Deinde ex hac ſumma connexione, finis eſt cauſa ſui, & aliorum ab ipſo: ergo &c.

101 Denique, quia ex prædicto argumento, non levem vim inferre intendunt contrarij, aliter ſolutionem opponam. Vide igitur, quod idem effectus non poteſt procedere à duplici cauſa adæquata, non minus quam duo effectus, ſeu adæquati actus ab eodem principio; ſed tamé poſſunt duę cauſę eumdem effectũ producere totalitate effectus, Etſi nunquam totalitate cauſæ, vt communiter conceditur, & explicatur de cauſa ſecunda, & prima. Nunc ſic; ratio propterquam effectus, qui non poteſt produci à duplici cauſa totalitate cauſæ, poteſt produci totalitate effectus, deſumitur ex eo, quod etſi cauſa ſecũda v.g. cauſet totũ effectũ, tamen cũ ad ſic cauſandum ſummé dependens ſit ab alia cauſa, nunquam reputatur cauſa totalis totalitate cauſæ; ita vt totalitate cauſæ, vna ſolum cauſa ibi reputanda ſit; ex quo oritur, quod non detur repugnantia in eo, quod idem effectus ſic derivetur à duplici cauſa. Sic pariter, vice verſa, eſt philoſophandum; repugnat in re, quod duplex effectus, ſeu actus adęquatus oriatur ex vnico habitu; quando vterque actus eſt totalis totalitate effectus; non autem quando ſolum eſt totalis totalitate habitus, quia vterque ab habitu adæquaté derivetur; Non tamen erunt totales totalitate effectus, ſeu actus, quando aliquis eorum ita derivetur, quod ſine dependentia ab alio, nunquam derivaretur. In hoc enim caſu vterque effectus, vt vnicus eſt reputandus, ne reſpectu ipſorum detur difficultas in principio; ſed ſic eſt, quod actus logicę docentis hanc dependentiam, & connexionem habet reſpectu actus logicę docentis; quia vt probatum extat, etſi poſſit dari doctrina ſine vſu, non autem vſus ſine directione doctrinæ, quæ ſe habet, veluti cauſa prima; ergo licet actus totales totalitate actus repugnarent ab eodem principio derivari, non autem actus, ſolum totalitate principij totales.

102 Hæc adhibui ſine vlteriori recurſu ad aliorum Scotiſtarum doctrinam, aſſerentium cum P. Rodriguez, quod habitus docens, & vtens eſt idem in re, etſi in realitate ſit formaliter, & ex natura rei diſtinctus. Qui enim ab hac doctrina ducatur, facilius exhibebit reſolutionem, quia quando in principijs datur diſtinctio ex natura rei, bene poterit dari realis in principiatis, de quo abũdant exempla. Nec non eadem doctrina, qui duci velit, poterit ſatisfacere ad illud Doctoris ſubtilis tenentis, quod logica docens eſt ſcientia, non autem logica vtens; vna ſiquidem denominatio poteſt convenire vni principio, ſub vnius formalitatis expreſsione, quæ ipſi ſub alterius expreſsione non competat, de quo paſsim Scotiſtæ.

ART. V.

DE DIVISIONE LOGICÆ IN DIVINAM, ANGELICAM, & HUMANAM.

103 Circa prędictam logicę diviſionem, vnica ſolet excitari difficultas, an, ſcilicet, logica Dei, Angeli, & hominis in ſpecie formali differant. Pro quo notandum eſt, illa differre in ſpecie formali, quę formas habent in ſpecie diſtinctas; v.g. homo, & leo per formas rugiendi, & diſcurrendi. Illa veró ſpecie materialiter differunt, quæ eamdem in ſpecie formam habent, ſubiecta tamen habentia ſunt diſtincta; v.g. albedines homini, & columbæ communicatæ, & in ipſis, veluti in ſubiectis, inhærentes. Vnde infertur, certiſsimum eſſe, quod tales logicę ſpecie phyſica, & entitativa differant, tam ex parte actuum, quam ex parte principiorum phyſicé ſumptorum; ſic enim infinita percipitur diſtantia. Difficultas igitur ſolum verſatur de ſpecie formali, ab obiecto deſumpta; quo pacto eſt ordo intentionalis actus, ab obiecto in obiectum derivatus.

104 Reſoluendum exiſtimo, prædictas logicas in ſpecie formali, ſeu intentionali non differre. Suaderi poteſt concluſio ſic; etſi in hac propoſitione, Deus eſt homo, ſubiectum primó intentionaliter ſumptum, infinité diſtet à quolibet alio phyſicé creato ſubiecto, & phyſicé in ſpecie differat, tamen ſecunda intentio ſubiecti, non ſic diſtat ab alijs ſecundis ſubiectorum intentionibus; ergo licet actus Dei ex ordine phyſico infinité diſtet, & in phyſica ſpecie differat, non tamen in intentionali ſic differet. Antecedens prob. quia ſecunda intentio ſubiecti illius propoſitionis, ſecundum eſſe formaliſsimum ſecundæ intentionis, nil aliud exprimit, quam eſſe relationem rationis; & ne in hoc ſit de relatione controverſia, dicam, nil aliud exprimere, præter eſſe id, de quo aliquid prædicetur intelligibiliter; ſed huiuſmodi ſubjicibilitas, & eſſe ſecundó intentionale, non differt in ſpecie ab alijs; ergo. Suadetur minor, quia, ſi in ſpecie differret ab alijs, maximé ob indefectibilitatem entitatis ſubiectivæ, quod nil iuvat ad eſſe ſecundó intentionale ſubiecti,

cum

cum ſicuti accidit Petro eſſe intentionaliter ſubiectum, cum accidat, quod aliquid de ipſo prædicetur, ſic etiã hoc accidit Deo, cum contingens non minus ſit, quod aliquid de ipſo dicatur: ergo cum in his, quæ ſecundæ intentionis ſunt, nil indefectibilitatis in Deo reperiatur, potius, quam in alijs, huiuſmodi ſubijcibilitas, & eſſe ſecundò intentionale, non differet in ſpecie ab alijs.

105 Suaderi poteſt ſecundò ex parte principiorum ſic: vniat Deus intentionaliter hominem cum Petro, & efficiat hanc propoſitionẽ, ſcilicet, Petrus eſt homo; hominem etiam vniat Joannes intentionaliter cum Petro, & faciat hanc propoſitionem, Petrus eſt homo: etſi homo ſit prædicatum habens eſſe ſecundò intentionale ab actu divino, & infinitè perfecto, tamen ob id, non eſt vna ſecunda intentio prædicari diſtincta ab alia; neque logicè eſt vna veriùs prædicans, ac alia; vtraque enim eſt in veritate æterna; neq; ex vna intentionali vnione, potius quam ex alia, perfectiùs eſſe in ſubiectum derivatur; ergo quia illa, quæ ordinis logici, & ſpeciei ſecundò intentionalis ſunt, non variant formalem ſpeciem ex principiorum phyſicorum diſtantia. In noſtra ſententia, iuxta dicta de ente ſecundò intentionali, faciliùs poterat ſuaderi intentum. Propugnato enim ibi, quod eſſe logicum, eſt eſſe ſecundò intentionale, & quod eſſe ſecundò intentionale, eſt relatio rationis, & relatio rationis effectus reſultantiæ actus ad obiectum, ſic ſuadetur; etſi actio, cum qua Deus, & creatura derivant effectum, ſit in ſpecie diſtincta, nilhominus tamen, effectus reſultans ab actione Dei, & creaturæ eſt in ſpecie idem cum effectu derivato à ſola actione Dei, non aliunde, niſi quia effectus per vtramque actionem ſervat connexionem cum ſuis principijs formalibus, & obiectivis: ergo licet actus intellectus Dei, & creaturæ ſint non minus diſtincti, tamen relatio rationis, derivata ab vtroque actu, erit in ſpecie eadem, cum per vtramque actionem ſervet connexionem cum ſuis principijs formalibus, & obiectivis. Principia formalia effectus phyſici, v.g. hominis, ſunt animal, & rationale; principia formalia relationis rationis logicę, ſunt prædicata eſſe ſecundò intentionale quidditativè exprimentia.

106 Objicies, quod modus tendendi eſt diverſus, cum Deus tendat in obiectum per actum in entitate ſimpliciſsimum, non autem ſic tendant Angelus, & homo; ſed modus tendendi eſt ſufficiens principiũ ſpecificæ diſtinctionis: ergo. Reſpondetur ad maiorem, modum tendendi eſſe diverſum extra rationem formalem logicæ, cum ſit diverſus ex parte materiæ, quæ in actibus eſt; in actu enim Dei eſt identificata, ſed hoc accidit actui, qua logico. Sed contra: licet motui eſſe in inſtanti, & cum ſucceſſione accidat, quia de ſe, neq; eſt inſtantaneus, neque ſucceſivus, tamen motus ſimpliciſsimus, formaliter in ſpecie, differt à motu ſucceſivo; ſed intellectus divinus tendit, & movetur ad obiectum logicæ per ſimpliciſsimum motum, & intellectus creatus tendit per actum, qui ſucceſsivo motui ſimilis eſt, cum pluribus indigeat, vt terminum acquirat: ergo.

107 Reſpondendum ſemper eſt, diſtinguendo maiorem: modus tendendi phyſicus, & entitativus eſt diverſus, eſt verum; intentionalis, & præciſè logicus, eſt falſum. Deinde minor ſimiliter eſt diſtinguenda, & deinceps neganda eſt conſequentia. Itaque dico, quod duplex datur ordo in actibus, vnus intentionalis, alter phyſicus. Ordo intentionalis eſt ille, quem dicit actus ad obiectum formale; ordo verò phyſicus eſt, quem dicit actus ad ſubiectũ, & principium effectivum. Quare ordo, qua phyſicus ſpecificatur à ſubiecto, & effectivo principio; at verò qua intentionalis, ſpecificatur à termino formali, qui eſt obiectum formale logicæ. Pro nobis poteſt eſſe ratio; quia ordo intẽtionalis eſt relatio rationis, & relationes tametſi diverſa ſubiecta habeant, ſpecificationẽ tamẽ deſumunt à terminis formalibus, qui in ſpecie ſunt idem. Quod autẽ relationes logicæ non debeãt aliunde ſpecificari, tametſi in principijs ſubiectivis, ex quibus reſultẽt, detur diverſitas, exemplificabitur apud tenentes, quod in vocibus datur logicũ artificium: licet enim in hac propoſitione vocali, Petrus, ſcilicet, eſt vox, voces ſint quid corporeũ, ac per cõſequẽs ſint in phyſicis diſtinctæ in ſpecie à propoſitione purè mentali; & deinceps videatur, quod tendẽtiæ ex parte ſubiectorũ ſint diſtãtes infinitè, cũ ex parte vnius, tendentia ſit immaterialis, & materialis ex parte alterius, tamen relatio actus, vt intẽtionaliter, & logicè reſpicientis obiectũ, non poteſt dici in ſpecie diſtincta, & tamẽ ſubiectũ, ex quo derivatur in phyſica ſpecie, non poteſt ampliùs diſtingui: ergo à ſimili. Quod relatio intentionalis, & logica nõ ſit in ſpecie diſtincta, ſuadetur; quia aliàs definitio relationis ſubijcibilis, & prædicabilis, vt à logico iuxta regulas formales expẽditur, non poſſet æquè comprehendere vtrumque ſubiectum, ſcilicet, quod phyſicè eſt corporeum, & aliud, quod incorporeum eſt phyſicè.

108 Deinde ad inſtantiam factam ex motu, reſponderi poteſt dicendo, quod motui accidit ratio inſtantanei, & ſucceſsivi, ſicuti ſpe-

ſpecies,& differentię accidunt generi;at autem divinitas,& humanitas accidunt logicæ, ſicuti accidentia accidunt ſubiectis;in quo accidendi modo,maxima diguoſcitur differentia,& non minus ab ipſis,quam à nobis ſignanda,cū apud feré omnes, alia ſit diviſio generis in ſpecies, & alia ſit diviſio accidentis in ſubiecta, & é contra, vt aliqui volunt. Deinde, quia modus tendendi in motibus, eſt puré phyſicus, & ſic diſtinctas actiones ſupponens, ex quibus ſpecies phyſica multoties differiur. Nec non poteſt reſponderi,quod terminus motus inſtantanei eſt diſtinctus à termino motus ſucceſsivi; quia ſi calor vt octo in inſtanti acquiratur, tunc terminus eſt calor inſimul, hoc eſt, octo gradus inſimul; etſi ſucceſsivé, terminus erit octo gradus diviſivé. Ex quo deffenſant in phyſicis aliqui, quod diverſitas, adhuc in motibus phyſicis, eſt ſemper à priori ex terminis ad quos,& non ex modo tendendi.

109 Sed dices, quod obiectum formale logicæ Dei eſt diſtinctum in ſpecie ab obiecto formali logicæ creatæ;ergo ruit antecedens doctrina. Prob.antecedens,quia obiectum logicæ divinæ eſt divina eſſentia,cum ſit prima, & perfectior regula, & obiectum logicę humanæ eſt ſecunda intentio,vel aliquid,quod divina eſſentia non eſt:ergo obiecta ſunt diſtincta. Huic deductioni reſponderi poteſt,concedendo, quod eſſentia divina ſit obiectum motivū, non autem terminativum formale,ex quo hinc præſumitur ſpecificatio:nec non in alijs; quia obiectum motivum reſpectu Deitatis ſuperné cognoſcendę,poteſt eſſe ſpecies impreſſa,& tamen ſpecificativum non ſpecirs,neque intelligens, ſed terminus intellectus, qui eſt eſſentia divina,dicitur.Imó reſpectu Beatorum movet voluntas divina,vel eſſentia manutenta voluntate,& tamē ſola eſſentia ſpecificat actus, cum ſola eſſentia ſit terminus formalis eorum:ergo à ſimili. Addo,quod poterat reſponderi,eſſentiam divinam movere, movere tamen ſub expreſsione logica,ita vt licet reſpectu Dei,aliud ſit,quod moveat,ac reſpectu noſtri;non autem moveat ad aliud. Vnde poteſt dici, quod non eſt aliud iuxta id, quod ſpecificé repreſentat.

110 Obijcies ſecundó, intendens probare actum logicæ Angeli, & hominis eſſe diſtinctum. Potentia intellectiva Angeli eſt in ſpecie diſtincta à potentia intellectiva hominis:ergo, & actus vtriuſque potentiæ erunt in ſpecie diſtincti. Antecedens ſuadetur,& inſimul infertur conſequens. Quia natura Angeli eſt in ſpecie diſtincta à natura hominis: ergo, & proprietas,ſeu potentia illius naturæ diſtinguetur ſimiliter:ergo,& actus talis proprietatis:ergo, & formalis logica huius actus:ergo &c. Sentio in primis, quod ſi ex præſato arguendi modo aliquid probatur,probabitur etiā, quod viſio, & motus bruti, nec non reliquæ operationes vitales, diſtinguentur in ſpecie à viſione, & motu corporeo hominis, cum motus corporeus iſtius procedat etiam ab anima ſpirituali, quę eſt principium in ſpecie diſtinctum ab anima bruti, ac per conſequens poſſet vſque ad ima actuum intendi diſtinctionis illatio. Reſponderi enim poterat argumento,ſicuti ad alia exhibita fuit reſponſio;quę vt melius eviſcerata videantur, permitto, quod potentiæ diſtinguantur ſpecie,nec non,quod ſic diſtinguantur actus quoad entitatem;nego tamen ſic logicas debere diſtingui. Ratio eſt,quia quando cū aliquo principio concurrit aliud principium, alterius determinativum, & ipſo ſpecialius, diſtinctio,vel vnitas actus producti,ab ſpecialiori debet derivari. Quare,etſi intellectus angelicus foret in ſpecie diſtinctus ab intellectu humano,cū tamen concurreret ad logicā eliciēdā cum habitu & principijs ſpecialibus logicę, ipſum formaliter,& ſpecificé determinantibus, hinc eſſet,quod logica producta, non erit potius diſtincta in ſpecie,quam ſit principium,& habitus; ſed habitus idem, qui determinat potentiam intellectivam Angeli, determinat, & potentiam intellectivam hominis: ergo actus, vt ex illo habitu logicæ derivati, non erunt in ſpecie diſtincti. Quod idem habitus vtrique intellectui ſufficiat,videtur manifeſtum,iam quia Angelus non poteſt habere ad definiendum alias regulas,nec ſui logici modi ſciendi aliud inſtrumentum; quod ſuaderi poteſt à paritate habitus fidei, ſpei, & charitatis, nec non à paritate ſpeciei, & luminis, habilium pro vtroque intellectu:ergo. Videantur dicta Art. 2.

111 Ex quibus debes notare,quod quando ad productionem alicuius effectus concurrunt duo principia, iam quod principio determinatiori non correſpondeat totus effectus quoad punctum ſpecificandi, ſaltim debet ipſi aliqua effectus formalitas ſignaté correſpondere, vt experitur, & ſolité phyloſophatur in viſione à lumine,& potentia derivata:ergo dū habitus logicæ, ſeu logicæ obiectum concurrat cum potentia Angelica, & cum humana, & deinceps pateat, quod etſi potentiæ ſint diſtinctæ,habitus tamen ſit idem, formalitas illa,quæ habitui debet correſpondere, etiā erit indiſtincta; ſed formalitas, quæ habitui, ſeu obiecto logicæ correſpondet, (dico etiam obiecto, quia etiā ex obiecto paritur ſcientia, ſicuti,& quælibet notitia) eſt formalitas, quæ eſſe logicum habet:ergo id,quod formaliſsimé logicum eſt, indiſtincté debet conſiderari.

112 Ex his expreſsiùs infertur ſolutio ad illud contrariorum dictum, ſcilicet, quod modus tendendi eſt diverſus. Modus enim tendendi erit in actibus logicæ diverſus ex parte formalitatis, principio Angelico correſpōdentis; non autem erit diverſus ex parte correſpondentis ad habitum logicæ. Ex quo bene deducitur, quod tametſi ſpecies entitativa, & phyſica actuum ſit diverſa, non autem ſpecies intentionalis, cuius principium eſt idem. Nec valet dicere, quod repugnant duæ ſpecies diſtinctæ in vnico actu. Non enim valet, quia intentionale eſt nimis ſubordinatum phyſico, & in ſubordinatis vincitur incompatibilitas. Quod etiam ſuadetur in ſole, & homine, hominem generantibus. Deinde poteſt ſuaderi in ipſo principio logico, & Angelico: vnde ſi principia poſſunt eſſe duplicis ſubordinatæ ſpeciei, nil mirum, quod id ipſum in actibus reſplendeat: ergo &c. Sufficiant iſta pro principalibus logicæ diviſionibus, ex quibus aliquas ommitto, quia in parum vtilia.

DISTINCTIO II.

De Obiecto logicæ.

1 DIFFVSA nimis, apud aliquos, pręſens controverſia; quia cum logica, vniverſaliſsima ſit ſcientia, & hæc ab obiecti cōprehenſione pænitus intueatur, æqué de obiecto nimis extenſum, & vniverſale requiretur examen. Deinde hinc, non parum opinionum diverſitas diſeminatur, quæ, etſi vtiliſsima, propter quatuor motiva *in q. 2. reportat. ſuper 1. ſent.* ab Scoto reputetur, multoties tamen materiam, iam difficilem, magna variationis machina confundit. Qua propter, circa hoc valdé variatum punctum, ſolius claritatis, & genuinæ mentis exquiram Scopum; præterquam quod non tarda ſit iam inter noſtrates deciſio, circa obiecti adæquati logicæ notitiam. Ad tollendam igitur æquivocationem, plura inquirenda ſunt. Primó enim debemus inquirere, quænam ſit amplitudo logicæ, de qua obiectum diſputamus, vt cognita eius ſphera, magis, vel minus commune ſubiectum illius declaremus. Secundò debemus eviſcerare, & determinaté ſignare, quas condiriones ſubiectum adæquatum ſcientiæ debeat habere; atque hinc, de diſtinctis ſubiectorum claſsibus, clarum vertere ſermonem. Denique, quodnam ſit tale ſcientiæ ſubiectum, iuxta veriorem ſenſum, & ſolidiorem Doctoris doctrinam, firma reſolutione debemus aperire; ex quibus alias reſolutiones pro huius Diſtinctionis complemento, poſsibili brevitate deciſas, relinquemus.

QVÆSTIO I.

Explicantur præfata requiſita ad notitiam obiecti præambula.

2 CIrca primum præambulum, hinc examinare oportet, quam amplitudinem habeat logica, de cuius obiecto exoptamus notitiam. Circa quod, ſciēdum eſt, quod ſicuti in nobis tres ſunt operationes, & rationis actus, ſic etiam in logica tres inveniuntur tractatus, quibus, tribus illis mentis actibus correſpondere videtur. Mentis igitur tres noſtri actus ſunt, indiviſibilium intelligētia; ſimplicium, vel indiviſibilium compoſitio, aut diviſio; & ipſorum compoſitorum diſcurſatio. De conceptu formato à primo actu rationis, eſt liber Prędicamentorum, qui eſt de terminis ſimplicibus, & incomplexis, v. g. de ſubſtātia, corpore, & aliјs generibus ſupremis. De conceptu formato à ſecundo actu rationis, eſt liber Perihermeniarum, qui eſt dictus de enunciatione; v.g. de ſubſtantia compoſita intentionaliter cum animali. De conceptu formato à tertio actu, eſt liber ſyllogizationis, qui iuxta omnes eius partes ſubiectivas, tota nova logica nuncupatur, de qua ſtatim exhibetur ſubdiviſio.

3 Tota igitur nova logica, dicta illa, quæ agit de ſyllogiſmo, & eius partibus ſubiectivis, ſubdividi poteſt in libros Priorum, Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum. Si enim fiat conſideratio de argumentatione ſecundum ſe totam formaliſsimé, ita vt concipiatur abſtracté, & quantum ad proprietates communes ſe tenentes ex parte formalis illationis, ſic eſt de ipſa liber Priorum, veluti de primo ſubiecto. Si conſideratio fiat de argumentatione, quatenus ad ſpeciales proprietates, contracta ad aliquam materiam ſpecialem, ſic ſunt de ipſa reliqui libri, explicando contractionem ſic: ſi contrahatur ad materiam probabilem, ſic eſt de ipſa liber topicorum, qui eſt dictus de ſyllogiſmo dialectico, & probabili. Si contrahatur ad materiam neceſſariam, ſic eſt liber Poſteriorum, dictus de Demonſtratione: ſi

contrahatur ad materiam ſolum apparenter probabilem, ſic erit liber Elenchorum, dictus de Fallatijs: ſi contrahatur ad materiam perſuaſivam circa humana agibilia, ſic eſt liber Rhetoricæ; ſi autem contrahatur ad materiam animæ illicitam, propter delectationem, ſic eſt Poeſia.

4 Deinde eſt ſciendum, quod ad primum librum veteris logicæ, ſcilicet, Prædicamentorum, adminiculatur liber Porphyrij, dictus de quinque vocibus. Cum enim Ariſtotiles librum elicuiſſet, in quo res omnes ad decem claſſes, ea arte reduxerit, vt in qualibet omnes conceptus rerum, ad eam pertinentium, ab vno ſupremo genere vſque ad indiuidua, apta quadam diſpoſitione, ordinaret, (quas vocavit Categorias, Latiné Prædicamenta) & hæc deinceps difficilé à Tyronibus, ſine prævia aliqua diſpoſitione, poſſent capi, per quam, quid genus, ſpecies, &c. eſſent, docerentur, introductionem quamdam inſtituit Porphyrius, in qua de his omnibus inſtruxit, quinque vocibus perfecté alloquens. Libris etiam logicalibus addi ſolet liber diviſionum Boetij; ſed quia modus ſciendi per diviſionem eſt valdé imperfectus, non multum curat de ipſo Ariſt. ſin autem de modo ſciendi per definitionem in ſecundo Poſterior, & in ſexto Topic. tametſi definiendi ars, Architæ, aut Socrati ſit apropriata.

5 Deinceps, vt diviſionem logicæ in novam, & in veterem, perfecto examine attingamus, nec non, vt prædicta amplius explicemus, ſupponemus quoddam in logica totum, vt ipſum, quoad omnes logicæ partes, æqualiter diſtribuamus. Sit igitur totum *ſyllogiſmus*, qui continet materiam, & formam. Materia autem ſyllogiſmi eſt duplex, ſcilicet, materia prima, quæ vocatur materia remota, & materia ſecunda, vel vltima, quæ vocatur materia proxima. Materia prima ſyllogiſmi eſt illa, ex qua primó cõponitur ſyllogiſmus, & in quam vltimó reſoluitur, cuiuſmodi ſunt termini incomplexi. Materia autem proxima eſt, ex qua proximé componitur, & vltimatur, & in quam immediaté reſoluitur ſyllogiſmus, cuiuſmodi ſunt propoſitiones, & Orationes. Forma autem ſyllogiſmi ſiſtit in hoc, quod habeat tres terminos, & tres propoſitiones in modo, & figura formatas.

6 Ex his debes ſubnotare, quod prædictæ partes dicuntur integrales reſpectu ſyllogiſmi; remoté tamen integrãtes, primæ, & proximé integrantes, ſecundæ; ſed quibuſlibet propriæ paſsiones correſpondent, quarum paſsiones correſpondent etiam ſyllogiſmo, ſicuti paſsionum partes ipſi correſpondere diximus. Paſsiones igitur terminorum incõplexorum, ſunt ſignificatio, ſuppoſitio, ſubiectio, prædicatio, & ordinatio in prædicamento, & huiuſmodi aliæ. Paſsiones autem terminorum complexorum, ſive propoſitionum, ſunt converſio, æquipollentia, contradictio, contrarietas, affirmatio, negatio, veritas, falſitas, quantitas, qualitas, vniverſalitas, particularitas, & huiuſmodi aliæ. Vbi poteſt adverti, quod horum omnium terminorum paſsiones non conveniunt perſe primó ſyllogiſmo in communi, ſeu in ſua maxima communitate; quia ſyllogiſmus ſic, & ſecundum ſe, eſt ſuperior; prædictæ paſsiones ſunt inferiorum, & inferiora accidere videntur ſuperioribus. Partes autem ſubiectivæ ſyllogiſmi, dicuntur illæ, quæ in ſyllogiſmo in communi poſſunt per prædicationem ſubeſſe, ita vt ſyllogiſmus poſsit prædicari de illis, vt ſolet effici inter ſubijcibile, & prædicabile. Subijcibiles igitur partes ſunt ſyllogiſmi dialectici, & demonſtrativi, qui etiam ſpeciales derivant paſsiones. Paſsio enim notior ſyllogiſmi dialectici dicitur probabilitas, ſeu probabiliter, & topicé concludere. Syllogiſmi veró demõſtrativi paſsio, dicitur neceſſitas, ſeu neceſſarió, & veré facere ſcire; & ſic, ſuo modo, logizatur de alijs ſubiectivis, ad ſyllogiſmum in communi reducibilibus, cuiuſmodi ſunt, inductio, & exemplum, quę, etſi imperfecté, poſſunt illi ſubijci. De quibus omnibus totam novam logicam occupavit Philoſophus, quia reducibilia ſunt ad ſtrictam argumentationem, veluti ſolent imperfecta ad perfecta reduci. Egit etiam de ſyllogiſmo ſophiſtico, vt de veri privatione; quia einſdem eſt cognoſcere habitum, & eius privationem, ſic ſecundum Philoſophum 1. *de anima*, nullus cognoſcit cęcitatem, niſi qui cognoſcit viſum. Similiter etiam, apud ipſum 2. *de anima*. per habitum menſuratur privatio.

7. His ita expoſitis, venit nunc explicandum, propter quid logica in novam, & in veterem dividatur. Circa quod, cõmuniter veteres Scotiſtæ ſolent reſpondere, ex eo eſſe, quod partes ſyllogiſmum, tam proximé, quam remoté integrantes, ſunt partes, & pars, ſaltim prioritate generationis, & imperfectionis, dicitur prius toto: ergo antiquior toto, & totum recens, & novum ſimiliter debet dici, veluti proles poſterius formata; quaré omnes illi libri, per quos de ſyllogiſmo, & de totis ipſi ſubiectis agit Ariſtot. logica nova vocatur; Omnes autem alij, per quos agit de partibus, vt de incomplexis, & de enunciatis, logica vetus cenſetur. Ita cenſent feré omnes veteres noſtri. Videatur *Ioan. de Magiſtris in Proœmio ſum-*

ſummul. Tartar. in Proœmio ad Prædicab. §. *ſciendum eſt primò, verſ. adverto finaliter. Mauritius de Portu. quæſt. 3. in expoſitione Dialec. Ioan. Anglic. ibidem. Et Cardinalis ſarnanus in litera Scoti.* Notat tamē Mauritius §. *de ſecūdo.* In fine, logicam dici novam, aut veterem, poſſe derivari ex inventione, & ex Auctoribus; & meo videri, hoc eſt rationabilius; quia ſi termini incomplexi dicuntur veteres, quia primó incipiunt, ſi recta debeat ſequi proportio, etiam debebant dici novi, quia reſpectu ſyllogiſmi vltimó reſolvuntur, & id vltimó perijt, quod recencius videtur. Noto in fine, feré omnia dicta eſſe menti, & textui Scotico conſormia. Videatur *in quæſt 3. Vniverſalium.* §. *Dicitur. Et* §. *Dicendum ergo. Et in 1. Prior. quæſt. 2. in 2. concluſione.*

SECVNDVM PRÆAMBVLVM, Acceptiones obiecti recitans.

8 Obiectum multiformiter accipitur, & æquivocatur; ſed tamen ſi obiectum, provt ex propria voce exprimitur, ſit percipiendum, nil aliud videtur eſſe, quam id, quod actui, habitui, ſeu potentiæ objicitur. Vndé ſicuti color obiectus potentiæ viſivæ, obiectum actus viſivi dicitur, ſic ens illud, quod alicui potentiæ, vt ſcientia informatæ objiciatur, obiectum actus ſcientifici dicetur. Et videtur ex terminis conſona præſens explicatio, provt iuvat hinc intentum; quia id, quod objicitur potentię, quid prius videtur ad actum potentiæ, cui objicitur; ſed de ratione obiecti actus ſcientifici eſt, quod ſit prius ad ſciētiam de ipſo; quia vt ait Scotus *ex 4. Metaph.* prope initium. 1. *libri Reportat. Ratio ſubiecti eſt prior ratione ſcientiæ; quia mēſura eius;* ergo ex expreſione obiecti; conſona videtur illatio. Nunc autem obiectū ſub nomine ſubiecti etiam exquiritur; & in re; licet in aliquibus diſtinguantur, hinc pro eodem accipiuntur Et antequam de ipſorum convenientia aliquid explicemus, notandum eſt cum Doctore ſubtili *in 1. Prior. q. 2. verſ. in quæſtione primò*: quod hoc nomen ſubiectum eſt æquivocum ad plura. Nam primó dicitur ſubiectum de ſubſtantia, cui inhæret aliqua forma, v. g. paries dicitur ſubiectum albedinis. Secundó dicitur ſubiectum de ente in actu; quo pacto dicitur 5. *Phyſ.* neceſſe eſſe, omnem motum eſſe de ſubiecto in ſubiecto mutationē. Tertió dicitur ſubiectū de ſervo, vt dicitur 1. *Politic* Quartó dicitur ſubiectum de inferiori prædicatione, vt dicitur in *Antepradicam.* Quintó dicitur ſubiectum in relatione ad prædicatum, & ſic dicit Author ſummul. apud Scotum ſupra, quod ſubiectum eſt id, de quo aliquid dicitur. Sextó dicitur ſubiectum in relatione ad rationem; quo pacto dicimus, quod in aliqua ſcientia rationali eſt vnum ſubiectum, & iſto modo ſubiectum, & obiectum ſub eadem ratione combinantur; quare Author in 1. *Poſteriorum*, de tali ſubiecto ait, quod ſciētia vna, eſt vnius generis ſubiecti partes, & paſsiones eius conſiderans.

9 In quibus debes notare, quod dum aliquando dicitur, quod intellectus eſt ſubiectum ſcientiæ, intelligitur eſſe ſubiectum inhæſionis, vt in prima acceptione ſubiectum intelleximus, quia omnium ſcientiarum eſt idem intellectus ſubiectum, & omnium ſcientiarum non eſt idem ſubiectum. Subiectum enim cuiuſvis ſcientiæ eſt per relationem ad rationē; id eſt, per reſpectum ſcibilis ad ſcientiam, ſive ad mentis, & rationis notitiam; quo pacto ſubiectum, & obiectum combinantur, vt patet in ſcientia hominis, cuius ſubiectum, & obiectum eſt homo. Dicitur ſubiectum, quia de ipſo, vt de ſubiecto, demonſtrantur paſsiones, quæ in ipſo ſubiectivé continebantur; qua propter notitiæ riſibilitatis habitæ, ſubiectum dicitur homo. Idem ipſe homo dicitur talis ſcientiæ humanæ obiectum, quia ad ſcientiam habendam de riſibilitate, eſt primum, quod objicitur mēti, & circa quod, veluti materiam circa quam tendit ſcientia, & ſcientificé operatur intellectus. Ex quibus claré percipitur, quod ſubiectum, & obiectum provt in præſenti inquiritur, ſummé combinātur; & hoc amplius ſuadetur, ex eo, quod de ente non habente demonſtrabiles paſsiones, ſcientia impoſsibilitetur: ergo quia deficiet obiectum, dum ſubiectum, paſsionum demonſtrandarum contentivum, deficiat, ſed de his, infrà, forté amplius.

10 His ita, provt ad præſens ſpectat, de obiecto ſtabilito diſtinctionem, poterit obiectum dividi in adæquatum, & in inadæquatum. Adæquatum poteſt dici, quod ſub aliqua ratione propria ſcientiæ continet veritates reliquorum obiectorum, quæ à ſcientia attinguntur; quod voluit Scotus ex illa trita explicatione *in q. 3. Prologi*, ſcilicet, *ratio primi ſubiecti eſt continere veritates omnes* &c. quibus vtitur *in q. 3. vniverſ. & in q. 2. 1. Prior.* Obiectum inadæquatum dicitur illud, quod ſub adæquato cōtentum, ſpecialiter etiam à ſcientia tangitur.

11 Deinde, ſcire oportet, aliud eſſe obiectum materiale, & aliud formale. Materiale obiectum ſolet dici, quod ratione alterius, vtpote formalis, attingitur; v. g. color, qui ratione

lucis

Digitized by Google

lucis videtur. Formale obiectũ dici ſolet, quod ratione ſui attingitur: v.g. lux, quæ videtur, & in ſe habet rationem vt videatur. Aliud etiam datur obiectum, quod dicitur motivum, & aliud, quod dicitur terminativum, etſi aliquando idem ſit obiectum quod movet, & quod terminat. Obiectum motivum ſolet dici, quod movet potentiam, vt obiectum ab ipſa attingatur: v.g. ſpecies albi dicitur motivum, vt albedo à potentia viſiva percipiatur. Terminativum obiectum ſolet dici id, ad quod tendit potentia mota, & in quod eius actus terminatur: v.g. omne id, *quod* videtur, *quod* cognoſcitur, *quod* attingitur. Sic puré terminativum ſolet dici, quod terminat, & non movet; & puré motivum, quod movet, & non terminat.

12 Rurſus debet ſciri, quod communiter triplici differentia ſignantur cuiuſvis ſcientiæ obiecta, ſcilicet, prædicationis, attributionis, & principalitatis, de quibus etiam fecit mentionem Scotus ſupra citatus in *univerſ.* & in *Prior.* Obiectum prædicationis dicitur, quod prædicatur de omnibus, quæ in tali ſcientia conſiderautur. Obiectum attributionis dicitur illud, ad quod ſub aliqua ratione, omnia conſiderata in ſcientia attribuuntur. Obiectũ principalitatis dicitur illud, quod ex perfectiori differentia habet rationem obiecti communis, perfectiùs participatam. Exemplum primi, iuxta valdé probabilem opinionem, poteſt eſſe modus ſciendi: exemplum ſecundi, ſyllogiſmus vt ſic; & tertij, ſyllogiſmus ad vnum ex quatuor modis contractus. Noto tamen hinc, quod hæc vltima obiectorum diſtinctio, non eſt ab omnibus recepta, quia etſi commune ſit dare obiectum prædicationis, attributionis, & principalitatis, non tamen ita, vt diſtincta obiecta reputentur; quia aliqui obiectum principalitatis cenſent eſſe idem, ac attributionis. Alij obiectum attributionis cenſent eſſe obiectum adæquationis. Alij obiectum adequationis ſolum cum obiecto prędicationis cenſent idem, de quibus exiſtimo poſſe ex dicendis inferri diſtinctio. Aliæ quamplurimæ ſunt diviſiones obiectorum, quas omitto, quia differté logizanti, hæc ad hoc punctum ſufficiunt.

TERTIVM PRÆAMBVLVM CONDItionum obiecti adæquati expoſitivum.

13 DOctor ſubtilis pluribus in locis de conditionibus obiecti ſcientiæ loquitur. Ratio ſtat in hoc, quod de ſubiecto ſcientiæ pluries inquirat. Sic cum in 3. *univerſ.* de ſubiecto logicæ dubitet, eius conditionibus vertit doctrinam; ſicuti propter idem, aliquas tradit *in 1. Priorum q. 2. & in 1. Phyſ. q. 1. & in 1. Reportat. q. 1.* inquirens hinc, an Deus ſit ſubiectum Theologiæ. Notandum tamen, quod in aliquibus locis, tres tantum conditiones ſignat: ſic ſe habet in *q. 3. univerſ.* In alijs veró, ſex conditiones ſignat: ſic in *1. Prior. q. 2.* Nunc igitur intendam cõditiones principaliores, ab Scoto in litera traditas, referre, & alias, quæ ex ipſius dictis manifeſté deducuntur, annotare, vt ſic abũdé propoſitis, quilibet Scotiſta, & omnes ſciat, & de omnibus, pro ſuo libito, ſpecialiores eligat. Supra 3. *univerſ.* tres tantum paſsiones Doctor anuumerat, & illæ ſunt, quæ communiter recitantur. Prima eſt, quod ſit notum *quid eſt, & quia eſt*; nam hæc duo, vt inquit *Ariſtot. 1. Poſt.* oportet præſuponere de omni ſubiecto demouſtrationis. Secunda eſt, quod per eius quod quid eſt, demoſtrẽtur in ſcientia paſsiones illius ſubiecti de eo. Tertia eſt, quod ad ipſum omnia alia in ſcientia determinata reducantur, & propter ipſum conſiderentur; aliter enim, ait Scotus, ab eius vnitate non eſſet vnitas ſcientiæ.

14 Circa primam conditionem alloquendo, intendit Doctor, quod ſubiectum cuiuſvis ſcientiæ ſit notum quoad eſſe, & quoad conceptum aliquem, definitivé tale eſſe exprimens, vel ſaltim quidditativé illud eſſe notificans. Quód enim ſubiectum debeat eſſe primó notum, ſuadet Scotus *in 1. q. Reportat.* ex eo, quód in per ſe ordinatis debet ſtari ad aliquod primum; ſed in ſcientijs debent dari per ſe ordinata; aliàs ſcientia neque de per ſe foret vna, neque de per ſe ſcientia: ergo ſtandum eſt in aliquo primo, reſpectu cuius, reliqua ſint poſteriora, Suadentur iſta, quia ſcientia debet eſſe notitia certa; ſed vbi nullum datur primó notum, nulla poteſt dari certitudo, imó nec dubitabilis notio: ergo aliquod primò notum requiritur, vt ſciẽtia de aliquo exhibeatur. Quod enim debeat non ſolum *eſſe quid, ſed eſſe quia* (puta conceptum definitivum) præſuponi ad ſcientiam de ſubiecto, cuius ſunt, ſuadet Philoſopho Scotus *in 1. Report.* quia ratio quidditativa primi ſubiecti eſt menſura reſpectu notitiæ ſcientificæ; ſed vbi menſura non præſuponitur, omnis commenſuratio impoſsibilitatur: ergo vt ſcientis cognitio certó menſuretur, requiritur, quod ſubiecti quidditas ſupponatur. Deinde ſuadetur, quia ad conſecutionem cuinſlibet effectus, debent præſuponi media determinaté ipſum continẽtia; ſed ad conſecutionem effectus ſcientifici de aliquo ſubiecto, nullum eſt medium determinatius, quam

ipſius

ipſius ſpecialis quidditas, & definitio: ergo ad effectum ſcientificum requiritur, quod ſubiecti quidditas præſupponatur. Nec non, quia in omnibus noſcibilibus dantur primò nota; in omnibus enim dari debent prima principia, quæ non ex alijs, ſed & ex ipſis cognoſcantur: ergo illa quæ cognoſcuntur ex alijs, debent ſupponere alia, quæ cognoſcantur ex ipſis; ſed effectus ſcientificus de quocumque ſubiecto, eſt ex alijs, & non ſunt alia, ex quibus ſit, præter prima ſubiecti prædicata: ergo iſta debent ſupponi ad effectum ſcientificum.

15 Circa ſecundam conditionem intendit Doctor, quod per id, quod eſt ſubiectum demonſtrentur, & ſciantur paſsiones de ipſo; quapropter paſsim Scotus cum feré omnibus ſuis expoſitoribus aſſerit, quod ad demonſtrandum aliquid de ſubiecto, medium potiſsimum eſt ipſius definitio. Et meritó, quia ad explicandum quod eſt ſecundum, & poſterius, nil aptius, quã id, quod nobis poteſt occurrere prius. Deinde, quia ad probandum aliquem effectum euiſceratum ab aliquo ſubiecto, & ipſi ex neceſsitate propinquum, nullum medium poteſt eſſe aptius, quam illud principium, quod viſceribus intrinſecis ſubiecti eſt vicinius, & ſub maiori expreſsione, eius intimius, & immediatius: ſic enim vulgariter intimitates conſanguineę quotidié demonſtrãtur; ſed nil poteſt vicinius, & eſſentialius excogitari ſubiecto, quam eius quidditatiua definitio: ergo ad probandum aliquid *quod ſit de ipſo*, vt ſunt paſsiones, nullum medium erit eius definitione aptius. Scientia enim, nil aliud eſt, quam cognitio convertens ad ſubiectum paſsiones: ergo ad ſcientificé ſic paſsiones convertendum, nil aptius, quam illud principium, quod cum ſubiecto à priori convertatur, quod eſt definitio. Hæc enim eſt via clariùs, & propinquiùs ſignans intellectui quidquid de aliquo ſubiecto ſit demonſtrandum. Videatur Doctor *in 1. Prior. q. 2. §. quantum ad ſecundum*. Et etiam in *q. 56. Poſter.*

16 Sed quia forté aliquis cupiet ſcire, ex quo motivo de omnibus ſubiectis ſcientiarum ſemper exquiritur, quod paſsiones demonſtrentur, ita vt in definitione ſubiecti ſiſtat, & non prætereat probatio? Dico, ex eo eſſe, quod ſi medium, per quod probatur paſsio, deberet probari, nunquam probaretur paſsio, quamtumvis plus probari intenderetur: ergo tunc magis certé paſsiones probantur de ſubiecto, quando medium aliquod, ita ex terminis percipitur in illo, quod reliqua probari valeant per medium, quia ipſum probatione non indiget. En cur ſolum paſsiones ſunt termini à ſcientia demonſtrandi, & cur Scotus *in 1. Reportation.* in per ſe ordinatis elevat notitiam vſque ad aliquod primum non probandum, & ita in ſe certum, vt poſsint reliqva probari vſque ad illud; non enim minus deficeret certitudo, & ſcientia in cognitionibus, in quibus proceſſus foret infinitus, quam deficeret in cauſis, in quibus non perciperetur primus influxus.

17 Circa tertiam conditionem intendit Doctor, quod ſubiectum ſcientiæ adæquatum tale ſit, quod propter illã rationem primam, ex ipſo à ratione derivatam, reliqua à ſcientia ſubiecti ſpecialiter ſpeculentur, & eorum veritates diſcernantur. Propter hoc Doctor *in q. 3. Prologi*, & alibi infert, continere veritates cæterorum, quæ à ſcientia attinguntur, eſſe de ratione primi ſubiecti; & meritó, quia vbi continetur aliquod ens, contineri debet tam vnitas, quam eius veritas: ergo cum ſub ente priori contineantur poſteriorum entitates, & ſub ente communi entitates ſingularium virtualiter exiſtant, nil mirum, quod, & ipſorum veritates contineantur, dum continentur veritatum entia. Sed in *2. q. Repoatat.* Signat Doctor modum continendi, explicans, quod ſubiectum debet ambire omnia conſiderata in ſcientia, nec non, & continere; ſed non ita, quod ſub omni ratione illorum ſpeciali, illa contineat; non enim continere debet omnia, omni modo, quo conſiderabilia ſunt; quod ſubtiliter ſuadet Scotus ibi ex eo, quod ſi obiectum contineret omnia omni modo, quo conſiderabilia ſunt, *ſuperfluerent omnes ſcientiæ, quæ tali ſcientiæ non forent ſubalternatæ*; nullum enim datur ens, quod ſub infinitis conſiderationibus non valeat ſpeculari: ſic enim Deus, in quantum Deus, eſt ſubiectum ſcientiæ ſuæ: in quantum ens, eſt ſubiectum Metaph. & in quantum gubernator, eſt ſubiectum in ſcientia noſtra: ergo. Neque exiſtimo debere intelligi, quod ita contineat omnia obiecta partialia, quod ex cognitione obiecti adæquati, cognoſcat omnia obiecta partialia ſecundum rationes particulares, & individuas. Non enim videtur ſic; quia ex cognitione alicuius ſuperioris ſubiecti, non ſic inferiora cognoſcuntur, ſed cognita ratione ſuperioris, cognoſcitur ipſorum aliqua ratio, propria etiam illius cognitionis, cum ratio ſuperioris, quâ communis, ſit ipſorum aliquid. Aliter enim, non aliter cognoſceretur rationale in animali, quam in homine. Et vt vno verbo dicam ſic debent inferiora ambiri à ſcientia ſuperioris ſubiecti, ac ſingularia ambiuntur ab vniverſi natura.

18 Ex quibus infert, quod primum ſubiectum ſcientiæ debet eſſe centrum ad quod

reli-

reliqua inferiora, & partialia ſubiecta tendant, ſive prędicatione, ſive attributione, & ordinatione. Prędicatione enim ita ſubiectum ſcientię dicitur centrum, quod ipſum ſit, in quo ſcientia quieſcat, dum ipſum, & non aliud valeat prædicari de omnibus illis, de quibus ſcientia percipitur, & ad quæ, illationis curſu movetur. Sic enim, & non aliter omnium individuorum humanorum eſt per prædicationem vniverſale centrum natura humana. Dicitur enim, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, &c. ita vt in natura humana omnis prædicatio ſiſtat; & talitér quòd de alterius naturæ ſubiectis non valeat prædicari, vt patet reſpectu leoninorum. Similiter igitur poteſt dici, quod ſyllogiſmus probabilis eſt ſyllogiſmus, necnon, & demonſtrativus; non auté ſic prædicabitur de ſubiecto alterius ſcientiæ, vt patet in ente, quod non eſt ſyllogiſmus, &c.

19 Attributione, & ordinatione alitér dicitur centrum, quia vt notat Doctor in *q.2. Priorum, & in 3. univerſ.* non requiritur, vt aliquid ſit ſub ſcientiæ conſideratione, quod ſcientiæ ſubiectum prædicetur de illo, vt patet in phyſica, quæ agit de natura, & motu, quæ de corpore mobili, quod eſt phyſicæ ſubiectum, non prædicantur; motus enim, corpus mobile non eſt. Sufficit enim, ait Doctor, quod omnia conſiderata in illa ſcientia reducantur ad illud ſubiectum, vel vt principium, vel vt pars ſubiecti, vel vt paſsio totius ſubiecti, vel vt paſsio alicuius principij, vel partis ſubiecti, & ſic de alijs modis, quibus ſit reductio vnius ad aliud. Quod enim, ſaltim per reductionem, idem ſit omnibus ſubiectum, ſuadet Scotus, quia aliàs ab eius vnitate non eſſet in ſcientia vnitas. Ratio eſt, quia ſi non daretur aliquod ſubiectum, ad quod, aliquo ex dictis modis, omnia, quæ tractantur in ſcientia, reducerentur, debebat ſignari aliud ſubiectum, ad quod reducerentur, quæ ad illud ſubiectum non reducebantur: ergo deberent dari tot vnitates, quot ſubiecta, & tales deberent eſſe vnitates, qualia forent ſubiecta; ſed inter ſubiecta nulla daretur ſubordinatio, vt ex illa deſinerent aliquomodo eſſe multiplicia: ergo neque vlla daretur ſubordinatio, vt ex eorum vnitatibus ſcientia non foret multiplex, ſed vna.

20 Suadentur iſta efficaciter, & interrogo, cur Logica non eſt Metaphyſica? Reſpondetur, quia ſubiectum Logicæ, diſtinctum eſt à ſubiecto Metaphyſicæ, ita vt dum ſubiectum aliquomodo non ſit vnum, ſcientiæ omnimodo debeant eſſe diſtinctæ. Vndé ad probandum, quod Logica non agit de illis, de quibus agunt reliquæ ſcientię, medium efficacius deſumitur ex eo, quod vnū obiectum, nequé eſt alteri ſubiectum, nequé attributum: ergo ſi in Logica, vel in quavis ſcientia darentur obiecta, quæ nec ſubiectionem, nequé attributionem ad aliquod idem haberent, non daretur motivum, vt Logicæ non ſint plures, eo modo, quo plures ſunt reliquæ ſcientiæ. Ex quo recté deduxit Doctor, quod in per ſe ordinatis deveniendum erat ad aliquod primum.

21 Sufficiant iſta pro trium principalium conditionum literali intelligentia. Nunc reſtat pro complemento doctrinæ Scoticæ aliqua deducere, quibus prædicta magis eviſcerata videantur. Diximus enim, quod ad demonſtrādum aliquid de ſubiecto, medium potiſsimum erat ſubiecti definitio. Ubi ſcire oportet, quod dum ſubiectum non ſit definibile, ſi habeat conceptum quidditativum, & paſsiones ordinatas, bené poterit de ipſo, aliquid per demonſtrationem deduci. Sic enim de Deo admittitur ſcientia, etſi ſtricta definitio de ipſo non admittatur; & idem in ente inſpicies, etſi ſit Metaphyſicæ ſubiectum. Metaphyſica enim ſic de ente demonſtrat paſsiones ex ipſarum ordinatione: quidquid eſt vnum, habet in ſe veritatem; ſed ens in communi eſt vnum: ergo. Deindé, per conceptum quidditatis expreſsivum ſic; quidquid non repugnat exiſtere à parte rei, eſt vnum, verum, & bonum; ſed nullum ens repugnat exiſtere à parte rei, ergo. Inferuntur dicta ex Doctore in *q.1. Reportat. & ex q.1. Perbier.*

22 Deindé, ex eo, quod Subtilis Doctor dixiſſet, quod de ratione formali cuiuſvis ſciētiæ erat habere aliquod primum, recté deducitur, quod ens per accidens, non eſt practicabile ſubiectum. Et antequam hoc ſuadeatur, adverto, quod licet hæc conditio non ponatur in tribus principalioribus ab Scoto ſignatis, tamē in litera textus invenitur, tam in 3 *Univerſ.* impugnans opinionem tenentium, aliquod æquivocum poſſe eſſe ſcientiæ ſubiectum, quā in *1.q Report.* impugnans opinionem tenentium, quod Deus cum aliquo, quod faciat vnū per accidens, poteſt eſſe Theologię ſubiectum.

23 Probat ſubtiliſsimé Scotus aſſumptum; quia ratio, quæ in ſubiecto ſcientiæ debet eſſe propria reſpectu ſcientiæ, debet eſſe prima ratio ſubiecti; ſed ratio, quæ facit conceptum per accidens cum conceptu ſubiecti, non eſt prima ratio ſubiecti: ergo ratio, quæ facit cōceptum per accidens in ſubiecto ſcientiæ, non debet eſſe propria reſpectu ſcientiæ. Minor in

qua

qua eſt difficultas prob. Scotus, quia antequam illud conflatum per accidens cognoſcatur, oportet cognoſcere ſubiectum, cui per accidens inhæret altera pars, quæ cum ipſo de per accidens vnitur; ergo ad ſcientiam ſubiecti, ratio, quæ facit conceptum per accidens cum conceptu ſubiecti, non eſt prima ratio ſubiecti.

24 Probatur amplius ex Doctore aſſumptum; quia quod de per ſe non eſt in ſe verum, non poteſt eſſe de per ſe ſcientiæ ſubiectum; ſed ens per accidens non eſt de per ſe verum: ergo. Probatur minor; quia eo modo aliquod ens eſt in ſe verum, ac eſt in ſe vnum; ſed tale ens non de per ſe, ſed de per accidens eſt vnum: ergo non de per ſe, ſed de per accidens eſt verum. Similiter videtur deduci ex Scoto ibi, quod tale ens debeat eſſe neceſſarium, ſervando in probatione eamdem formalitatem, ac ſupra. Sed tamen, etſi Doctor dicat, ſupra *Vniverſ. Porphirij*, quod obiectum ſcientiæ debet eſſe aliquid neceſſarió cauſatum à ratione, vel à ratione conſiderandum; debet veró notari, quod dum Doctor dicit nil eſſe ſubiectum ſcientiæ, niſi ſic conſideratum à ratione, non eſt ſic intelligendum, quod ſubiectum ſcientiæ ſit ſemper actu à ratione conſiderandum; quia ſic, ſi homines omnes dormirent, vt ſæpe accidit, Logica non foret ſcientia; quare eſt intelligendus de aptitudinali conſideratione, & de fundamento reſpectu rationis ſemper, & neceſſarié apto.

25 Denique, infertur ex Doctore, mediocritas pro conditione ſubiecti. Subiectum enim ſcientiæ, ita debet ipſius extrema ambire, quod neque illa ſuperet, neque ad illa deficiat. Qua propter Doctor ſubtilis reſpuit opinionem tenentium, ſubiectum primum Logicæ eſſe ſecundas intentiones, ſub omni Vniverſalitate intellectas; & dat rationem ex eo, quod licet Logica ſit de illis, illæ tamen ſunt communiores Logicæ ſubiecto. Sic enim, ait Doctor, nulla ſcientia, præter Metaphyſicam, habet ens pro primo ſubiecto, & tamen nulla eſt ſcientia, quæ de ente non ſit; nulla ſiquidem de non ente eſt; ſed cum ens ſuperet aliarum ſcientiarum motivum, ideo non congruit ad eſſe earum ſubiectum.

EX DICTIS INFERTVR, & FORmatur congrua, & vtilis eruditio.

26 VT perfectam, & vndequaqué plenam, de obiecto ſcientiæ habeas notitiam, ſcientiæ intelligentiam, cum vtili quadam illatione, breviter formabo. Sciētia enim poteſt haberi circa quodlibet ſubiectum, cuius adſit propria, & ſpecialis definitio; quia ad Scientiam de aliquo habendam, ſolum requiritur, quod ſit, & quod habeat medium, per quod aliqua paſsio de ipſo deducatur; quod medium, ex ſupra ſtabilitis, debet potiſsimé eſſe illius definitio: ſcientia (vide inferiùs poſita in lib. de Poſter. Analiſ.) enim eſt notitia certa, & evidens per diſcurſum habita; vnde infertur, quod ſi medium deficiat ſubiecto, nil de ipſo per illationem poteſt noſci. Ratio eſt, quia ſcientia eſt terminus curſus ſcientificæ cognitionis, & quies motus diſcurſivi; ſed vbi vnicus detur terminus, nullus poteſt dari motus, quia ab vno dumtaxat, nil poteſt moveri: ergo vt cognitio, per curſum illationis, de aliquo ſubiecto moveatur, requiritur, quod adſit alter terminus, & medium. Subiectum enim, eſt terminus à quo ſcientiæ, ſeu primum mobile ipſius; terminus, ad quem movetur, eſt paſsio, & effectus, qui deducitur ex ipſo; medium, per quod movetur, eſt definitio ſubiecti; eo quod tale ſubiectum non poſsit habere aliam ſpecialiorem viam, per quam moveatur; non enim poteſt diſcurſivé, & ſcientificé moveri homo per viam animalis rugibilis, ſed per viam rationalis. Vndé, ſcientia nil aliud eſt, quam illa notitia, quæ de motu ſubiecti nobis adeſt per curſum intellectus, & per viam definitionis conducta.

27 Ex quibus inferendum eſt firmiter, quod tot ſunt ſcientiæ, quot ſubiectorum definitiones. Ratio eſt manifeſta, quia tot ſunt ſcientiæ, quot rationes formales ſubiectorum; ſed quot ſunt definitiones, tot ſunt ſubiectorum rationes formales: ergo tot ſunt ſcientiæ, quot ſubiectorum definitiones. Deinde, quia non poſſunt plures eſſe ſcientiæ, quam ſint media, per quæ infallibiliter poſsint probari paſsiones de ſubiecto; ſed non ſunt plura media ſic infallibilia, & neceſſaria, quam ſunt definitiones, vt liquet ex dictis: ergo non ſunt plures ſcientiæ, quam definitiones. Suadentur iſta, quia quando aliquid probatur de ſubiecto, ſi medium ſit topicum, tunc notitia ex illo curſu quieſcens in anima, (ſi poſsit dare quietem, quod non dat ſcientiam, ſed opinionem) non eſt ſcientifica, ſed opinativa, & non aliunde, niſi quia medium eſt commune, & probabile, non autem ſpeciale, & infallibile; ſed ſpeciale, & infallibile medium non poteſt extra definitionem inveniri: ergo quia ſupra nume-

rum definitionum, non poteſt adipiſci numerus ſcientiarum.

28 Intellige nunc igitur, quod tot erunt obiecta formalia, quot definitiones primorum ſubiectorum. Itaque, tot erunt ſcientiæ, quot naturæ, in ſpecie adæquata, diſtinctæ. Sicque natura humana diſtinctam habet ſcientiam, ac leonina, & ſic de reliquis naturis diſtinctas definitiones non ſubordinatas habentibus. Vndé ad concludendum aliquid de homine, medium erit animal rationale: ad concludendum aliquid de Deo, medium erit exiſtentia imparticipata: & ſic ad concludendum aliquid de ſyllogiſmo, medium erit oratio, in qua quibuſdam poſitis &c. Qua propter meritó, & non parum conſultó diximus, quod tot erant obiecta formalia, quot definitiones; imó debemus dicere, quod ipſæ definitiones ſunt cuiuſvis ſcientiæ formaliora obiecta. Illatio eſt ex prædictis genuina, quia ſi aliquod excogitetur ſubiectum, de quo definitio non ſciatur, ignoratur ſcientia de illo; & é contra, adeſt ſcientia, quia de ſubiecto, menti adeſt definitio: ergo. Deinde, quia ſi homo v. g. ſit humanæ ſcientiæ ſubiectum, illud erit formaliſsima ratio, in linea obiecti, reſpectu ſcientiæ humanæ, quod ſit formaliſsima ratio in linea ſubiecti, reſpectu ſubiecti humani; ſed reſpectu hominis, qui eſt ſubiectum, formaliſsima ratio eſt eius definitio: ergo, & eadem erit formaliſsima ratio obiecti, reſpectu notitiæ, quæ ſit ſcientia. His ita præiactis, deveniamus iam ad notitiam principalem Diſtinc. præſentis, circa quam ſit.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit in Logica primum, & adæquatum Subiectum.

29 Difficilimam præſentem quæſtionem reliquerunt tot ingeniorum placita. Illa ſolum recitare, punctum foret non parum prolixum. Videatur P. Lynce Ieſuita, qui in *lib. 2. proam. Tract. 2. cap. 5.* decem, & novem opiniones refert, excepta Zabarellæ *lib. 1. de natura Logica*, aſſerentis, Dialecticæ, proprié ſumptum, nullum eſſe ſubiectum. Dum igitur feré infinita eſt opinantium machina, ſolum cenſeo proficuum, quod in nervoſa propriæ opinionis erectione, reliquarum vigor expellatur. Et vtinam ſic, ab huius quæſtionis deciſione, breviter poſſemus expediri, cum inter Noſtratum doctrinas, circa genuinam Scoti, non levis opponatur controverſia. Qua propter, vt maiori claritate procedamus, prius exponetur Scotus, & deinceps proprior eius opinio propugnabitur.

ART. I.

EXAMINATVR DOCTOR SVBTILIS cum ſuorum expoſitionibus.

30 Celebris, & longa apud Scotiſtas, tam veteres, quam novos, fuit concertatio, quodnam, apud Scotum, totius Logicæ foret ſubiectum. Aliqui enim pro viribus deffenſſant, ſubiectum in tota Logica adæquatum eſſe modum ſciendi. Alij, eſſe ſyllogiſmum. Alij, etſi pauciores in fide Scoti, non tenent ſyllogiſmum vtcumque pro obiecto, ſed ſolum demonſtrativum. Alij, ſecundas intentiones ſignant pro obiecto; cum hac tamen differentia, quod etſi eſſe ſecundó intentionale, & rationis ſit obiectum apud ipſos, ita veró, quod eſſe intentionale, & rationis, neque intelligatur abſtracté, neque concretivé in tota latitudine. Alij vero Scotiſtæ, cum rationali diſtinctione, circa hoc punctum procedunt. Dicunt enim aliqui, Logicam, aliam eſſe novam, & aliam eſſe veterem, & ſic diſtingunt, obiectum novæ Logicæ eſſe modum ſciendi, & obiectum veteris eſſe ſyllogiſmum. Dicunt alij, aliter diſtinguentes, aliud eſſe loqui de obiecto principalitatis, & aliud loqui de obiecto adæquationis. Si loquendum ſit de obiecto principalitatis, obiectū erit apud aliquos ſyllogiſmus vt ſic, & apud alteros demonſtratio. Sin autem ſit loquendum de obiecto adæquationis, obiectum erit, apud quoſdam, ens rationis, vel ſecunda intentio, & apud alios, modus ſciendi. Alij denique, aliter diſtinguentes aſſerunt, quod ſi loquantur de obiecto prædicationis, obiectum erit conceptus formatus ab actu rationis. Si loquantur de obiecto adæquato, conflato ex omnibus partialibus, etſi non vltimó, obiectum erit modus ſciendi. Si loquantur de obiecto attributionis vltimó, obiectum erit ſyllogiſmus formalis. Si autem loquantur de obiecto principalitatis, obiectum erit ſyllogiſmus, ſed inter ſyllogiſmos, ille, qui in Barbara ſit fundatus.

31 In prædictis dicendi modis, ni fallor, omnes Scotiſtæ ſiſtunt; & ita, quod feré omnes relati ſenſus, ex corde Scoti animentur. Videatur Mauritius de Portu in expoſitione *quæſt. ſecunda, & tertia. Dialec. Ioan. Angl. in quæſt. ſecunda, & 3. in expoſit. Scoti ſupra Vniverſ. Porphyrij. Tartar. quæſt. 3. dub. 1. & in Proam. ad Prædicab.*

Car-

Cardinal. Sarnan. *in quæſt. de Obiecto Logicæ.* Joann. de Magiſtris *in Proam. ſummul. & in Tract. 2. de Prædicab.* Rodriguez *in Proam. Scoti. quæſt.* 3. *Art.* 1. & pro recentiſsimis ſufficiat Antonius Groſſo *Diſſertat.* 9. *elucid.* 4. Circa quæ, omni cura eſt explorandus Doctor, & iuxta conformiorem ſenſum, fideliter interpretandus.

32 Scotus enim ſupra *q.* 3. *Vniverſ.* abſolutè videtvr ſic reſoluere, vt ſyllogiſmum ſubiectum logicæ conſtituat, ait enim. *Dicendum ergo, quod ſubiectum primum, & proprium Logicæ eſt ſyllogiſmus &c.* Neque hinc videtur proficere expoſitio Scotiſtarum dicentium, loqui Scotum, vel de ſubiecto principalitatis, vel de ſubiecto attributionis. Deſummi poteſt fundamentum ex eo, quod Doctor ibi alloquatur de illo ſubiecto, de quo ſolicitè ſignavit conditiones; ſed conditiones paulò ſupra ſignatę ab Scoto, ſunt conditiones ſubiecti adæquati; ergo, vel eſſe ſubiectum principalitatis, aut attributionis eſt idem, ac eſſe ſubiectum adæquationis, vel ſi non, infertur, quod Scotus non fuit loquutus, nec de ſubiecto attributionis, nec de ſubiecto principalitatis. Quod Doctor alloqueretur in reſolutione concluſionis de illo ſubiecto, cuius paulò ante ſignaverat conditiones, videtur evidens, quia poſtquam reſoluit ſubiectum Logicæ eſſe ſyllogiſmum, ſtatim id probat, dicendo, *habet primam conditionem* &c. ergo. Deinde ſuaderi poteſt intentum poſitum ex eo, quod in ſolutione argumentorum omnis dubitatio propriæ mentis potius auferatur; ſed in eadem quæſtione, in ſolutione ad ſecundum argumentum principale, reſoluit Scotus, quod etſi ſyllogiſmus, quoad omnes proprietates, formaliter ipſum conſequentes, ſit ſubiectum libri Priorum, at quoad paſsiones omnes in ſe, vel in ſuis partibus integralibus, & ſubiectivis, vel reducibilibus ad ipſum, eſt *ſubiectum totius Logicæ*: ergo quia abſque dubitatione ſentit, quod Logicæ eſt totale ſubiectum abſolutè.

33 Tertium motivum contra prædictam Doctoris interpretationem, fuit mihi ſemper vrgentius. Motivum igitur deſummo ex omnibus Logicæ locis, in quibus, dum Doctor alloquitur de conditionibus obiecti ſcientiæ, ſemper vniformis videtur; ſed non debet eſſe credibile, quod in aliquibus non alloquatur de obiecto adæquatiſsimo: ergo ſi vbi loquitur de ſyllogiſmo, vt de obiecto, tradit conſimiles conditiones, ac dum loquitur de obiectis ſtrictè adæquatis, ſignum eſt, quod à conditionibus poſitis, obiectum adæquarum relinquet ſyllogiſmum. Maior, in qua poteſt eſſe difficultas, poterit probari ex 3. *q. Vniverſ. verſ. ad videndum autem.* Et ex *quæſtione ſupra q.* 8. *Vniverſ. §. ad primam quæſt. dicendum*, vbi reſoluit, quod vniverſale eſt ſubiectum in ſcientia quinque Vniverſ. videatur etiam *ſupra q.* 1. *Prædicam.* Et expreſsiùs ſupra *q.* 2. & ſupra. *q.* 4. videatur etiam ſupra *q.* 1. *Perhierm. verſ. ad primum.* De his etiam poteſt videri ſupra *q.* 1. *lib. Elench.* Nec non ſupra *q.* 2. *lib.* 1. *Prior.* Deinde minor, non minus conſona videtur: ergo.

34 Neque his proficere videtur interpretatio aliorum Scotiſtarum dicentium, quod ſupra *q.* 3. *Vniverſ.* loquebatur Scotus de obiecto per attributionem adæquato, non autem de obiecto per prædicationem adæquato, vt videtur alloqui *ſupra quæſt.* 2. *lib.* 1. *Prior.* Non enim hoc valere videtur. Ratio eſt, quia non ſolum in 3. *Vniverſ.* decidit, quod ſubiectum ſcientiæ non requirit eſſe per prædicationem commune, ſed, & hoc ipſum decidit *in q.* 2. 1. *Priorum*, vbi pro ſubiecto Logicæ, non ſyllogiſmum, ſed modum ſciendi declarat. Videatur Scotus ibi, vbi tradens ſex conditiones pro obiecto adæquato, ſtatim annotatat, quod communitas, quæ eſt ſecunda conditio, non debet eſſe prædicatione communitas: ſed ablata hac communitate, nulla eſt conditio, quæ ſyllogiſmo non conveniat, iuxta quamlibet adæquationem: ergo Scotus loquitur ſupra 3. *Vniverſ.* vt de obiecto adæquato debetur alloqui. Deinde, quia non alia adæquatione poſſumus excogitari, ſyllogiſmum eſſe adæquatum, quam illa, iuxta quam corpus mobile eſt ſubiectum naturalis ſcientię; ſed ita eſt corpus mobile ſubiectum ſcientiæ naturalis, quod apud Scotum *in tertio Vniverſalium*, ſic videatur ſyllogiſmus, obiectum Logicæ: ergo infertur inutilis omnis diſtinctio, quæ ſyllogiſmum ab adæquatione excludat. Minor ſuadetur; quia ad probandam rationem ſubiecti in ſyllogiſmo, ſummit exemplar ex corpore mobili, & ita, quod licet de motu, & natura non prædicetur corpus mobile, nil obſtet, vt corpus mobile ſit ſubiectum reſpectu ſcientiæ naturalis de motu, & natura etiam agentis: ergo cum ſimiliter de partibus integrantibus ſyllogiſmum loquatur Scotus, vt ſyllogiſmus eſt Logicæ ſubiectum, ſic erit, apud Scotum, ſyllogiſmus ſubiectum Logicæ, ac corpus mobile eſt ſubiectum naturalis ſcientiæ.

35 Nec videtur valere interpretatio aliorum Scotiſtarum dicentium, Scotum intelligendum eſſe iuxta diviſionem logicæ in veterem, & in novam. Itaque, quod dum Scotus conſtituit ſyllogiſmum, logicę ſubiectum, non debet intelligi de ſubiecto novæ, & veteris logicæ, ſed dumtaxat de novæ logicæ ſubiecto. Non enim valere videtut hæc interpretatio. Ratio eſt in promptu, quia Scotus *in 3. Vniverſ.* de omnibus illis intendit facere ſubiectum, ſyllogiſmum, de quibus ipſe explicat, quod agitur propter ipſum in ſcientia de ſyllogiſmo; ſed manifeſtè explicat Scotus ibi, quod propter ſyllogiſmum agit logica de incomplexo, de Enuntiatione, &c. quæ omnia ſunt de veteri logica: ergo, quia dum Scotus ſyllogiſmum conſtituit ſubiectum, non ſolum intendit de ſubiecto novæ logicę, ſed de ſubiecto novæ, & veteris.

36 Ex altera parte Doctor ſubtilis *in q. 2. 1. Priorum*, non minus manifeſtè duplicem concluſionem exponit, & vtramque præcendenti contrariam. Poſtquam enim de ſubiecto logicæ, ſex conditiones ſtabilitas reliquit, in hæc verba prorumpit: *Tunc ſit prima concluſio, quod iſte terminus ſyllogiſmus non eſt ſubiectum in tota logica.* Et ſtatim ad probationem, addit hæc: *Secunda concluſio eſt, quod iſte terminus inſtrumentum ſciendi eſt ſubiectum in tota logica:* quod etiam probat ibi. Circa quæ dico, quod ſi aliquis voluerit aliquo ex prædictis modis, formatas concluſiones concordare, ipſi opponentur omnia illa, quæ ſuperiùs manent oppoſita.

37 En Scotum ſummè difficilem Scotiſtis. Neque prædicta ſunt adhuc totius difficultatis complementum. Doctor enim in pluribus locis, pro obiecto logicæ ſphæræ, ens ſecundò intentionale, & rationis ſignat. Sic Doctor *quæſt. 8. Vniverſ.* propè finem. Vbi vult decidere, quod obiectum logicæ, non eſt idem ens, quod eſt obiectum Metaphy. quia etſi logicus conſideret intentionem, quæ eſt ens, illam tamen non vt ens, ſed vt intentionem conſiderat. Sic non eſt idem, mobile, in quantum mobile, & in quantum ens. Deinde ſupra *q. 12. Vniverſ.* permittit, quod logicus per ſe conſideret intentiones. Et etiam ſupra *1. q. Prædicam.* verſ. *ad aliud dico, quod logica non eſt ſcientia realis;* vbi ſubtiliter infert, medium dari inter rem, & vocem, ſcilicet, conceptum: & ſic, quod ſicuti datur ſcientia per ſe de rebus, & ſcientia per ſe de vocibus, ita poteſt dari aliqua ſcientia per ſe de conceptu, & hęc (ait Scotus) eſt logica. Idem firmiter explicat ſuprà *q. 1. lib. 1. Elench.* Nec non ex *libris ſenten.* pluries à me *in lib. 1. de ente ſecundò intentionali*, invenietur citatus. His ita, circa examen Scoti, & Noſtratum prævisis, reſolvenda venit interpretatio omnium fideliſsima.

ART. II.

EXPONITVR SCOTVS, ET GENVINIOR INTERPRETATIO AMPLECTITVR.

38 IN primis firmiter reſolvendum exiſtimo, quod dum Doctor Subtilis, ſupra citatus, reſoluit, quod ſyllogiſmus non erat logicæ ſubiectum, & quod tale erat inſtrumentum ſciendi, nequè de ſyllogiſmo negans rationem ſubiecti in logica, negabat rationem primi ſubiecti per attributionem, & ordinem omnium logicalium ad aliquod primum, & vnum; neque de inſtrumento ſciendi in logica rationem ſubiecti aſfirmans, affirmabat rationem primi ſubiecti per prædictam omnium attributionem, & reductionem ad aliquod primum. Hæc illatio ponenda, & probanda eſt in fronte præſentis difficultatis, vt ipſa duce, maiori congruentia, & claritate ad reliqua, nunc exponenda, procedamus. Deducitur igitur evidenter; quia de inſtrumento ſciendi non poterat, neque intendebat affirmare illam rationem ſubiecti, quam ſyllogiſmus habebat, & de ſyllogiſmo ſemper Scotus firmiter explicabat: ergo neque prædictam rationem attributionis negavit de ſyllogiſmo, neque affirmavit de inſtrumento ſciendi. Antecedens clariſsimè infertur, quia ſi eadem foret ratio ſubiecti in ſyllogiſmo, & in inſtrumento ſciendi, non poſſet Scotus per duplicem concluſionem reſoluere, quod vnum ens, ſcilicet, ſyllogiſmus, non erat logicę ſubiectum, & quod tale erat aliud ens, ſcilicet, inſtrumentum ſciendi, quod patet ex illo principio: *quæ ſunt eadem vni tertio:* ergo de inſtrumento ſciendi non poterat, nequè intendebat affirmare illam rationem ſubiecti, quam de ſyllogiſmo ſemper Scotus explicabat. Prob. nunc conſequentia, inferendo hanc minorem; ſed prædictam rationem attributionis habuit ſyllogiſmus, & de illo eam firmiter Scotus explicuit: ergo neque rationem prædictæ attributionis negavit de ſyllogiſmo, neque affirmavit de inſtrumento ſciendi. Minor deducta patet apud Scotum, ex ipſa *q. 2. Prior*, vbi ait, quod vt aliquod ſubiectum ſit ſic in ſcientia commune, ſufficit, quod conſiderata in illa ſcientia reducantur ad illud, vel vt principium, vel vt pars ſubiecti, vel vt paſsio totius, vel

par-

partis ſubiecti,&c. ſic, vt iam dixi; ſed hanc cōditionem habet ſyllogiſmus, vt etiam dixi, & explicat de illo Scotus in 3. *vniverſ. §. dicendum ergo, & §. ad primum argum.* in fine, vt iam retuli: ergo &c. Ex quibus manifeſté deducitur, Doctoré Subtilem, tam de ſyllogiſmo, quam de inſtrumento ſciendi, rationem obiecti reſpectu totius Logicæ affirmaſſe; etſi ſub communitate, ſub qua inſtrumentū ſciendi obiectum Logicæ conſtituit, non conſtituerit ſyllogiſmum. Nunc igitur reſtat exponēdum, qualiter vtrumque ens ſit ſubiectum totius Logicæ, quin ex hoc, nequé cum ſcientia, nequé cum doctrina Scoti, relinquatur incompatibilitas.

39 Reſolvi poteſt circa primum, quod communitas, iuxta quam inſtrumentum ſciendi eſt, apud Scotum, ſubiectum totius Logicæ, eſt communitas prædicationis. Suadetur 1. reſolutio ex eo, quod aliter ſit commune inſtrumentum ſciendi, ac eſt ſyllogiſmus; ſed abſtracta communitate, iuxta quam ſyllogiſmus eſt cōmunis, nulla videtur excogitabilis, præter communitatem vniformis entitatis, & vnitatis, quæ eſt communitas prædicationis: ergo. Suaderi poteſt 2. ex Ariſtotile in 10. *Metaph.* tradito à Doct. Subtili ſupra *q. 4. Predicam.* aiente, quod in omni genere eſt vnum primum, quod eſt menſura omnium poſteriorum. Nunc ſic: id, quod aliquorum eſt menſura, concipitur de illis predicabile; ſed inſtrumentum ſciendi videtur aptum, vt ſit omnium logicalium menſura: ergo, & vt ſit de illis prædicabile. Maior exprimitur in natura ſpecifica, quæ eſt menſura omnium individuorum. Nec non, quia nil vniformius, & ſimilius menſuræ, quam menſurata, & é contra. Minor ſuadetur, quia omnia obiecta inferiora logicæ habent modum ſciendi, per quem, veluti per regulam vniformem, poſſunt metiri: ergo.

40 Suaderi poteſt 3. variando fundamentum primæ rationis, quia Doctor Subtilis in *q. 2. Prior.* aſſerit, quod ſyllogiſmus non eſt obiectum logicæ, quia non eſt terminus communis reſpectu definitionis, diviſionis, &c; ſed ablata communitate conceptus prædicabilis, nulla deficit ſyllogiſmo communitas, vt ſit obiectum reſpectu definitionis, diviſionis, &c: ergo dum inſtrumētum ſciendi habeat aliquid, quo ſic ſit commune definitioni, diviſioni, &c, deducitur evidenter, quod conceptu prædicabilitatis ſit commune.

41 His ita, explicandum venit, qualiter prædicta obiecta compatibilia ſint, quin ex parte ſcientiæ vnitatis detur repugnantia. In primis, vt ambo obiecta dicantur prima, ſine eorum, & ſcientiæ repugnantia, deſummam ſcopum ex Doct. Subtili, qui in *q. 15. Predicam. §. ad queſt.* aſſerit, quod ſubſtantia eſt primum ens, ſub vna conſideratione, non autem ſub alia. Dicit enim eſſe primum ens, cōparando generaliſsimum ſubſtantiæ ad alia genera, id eſt, entium per ſe in genere, eſt primum ens ſubſtantia; non tamen eſt primum ens ſubſtantia, vt principiata ſimpliciter, quia principia talis ſubſtantiæ, ſunt illa priora, vt dicitur *7. Metaphy.* ex quibus, in hæc prorumpit Doctor: *ferè tamen poteſt concedi abſoluté, quod ſubſtantia eſt primum perfectione, licet non via generationis.*

42 Ex quibus verbis infero, quod ſicuti reſpectu Metaphyſici nō repugnat, quod ſubſtantia non ſit via generationis primum ens adæquaté, & quod via perfectionis ſit adæquaté primum ens, quin reſpectu Metaphyſicę detur in ſubordinata diverſitas, ſic non repugnabit reſpectu Logicę, quod ſyllogiſmus perfectus in forma ſit primum ens adequaté iuxta vnam viam, ſcilicet, perfectæ attribuitionis, & quod tale non ſit iuxta aliam viam, ſcilicet, aliqualis conceptus prædicabilitatis, quin reſpectu Logicæ inferatur in ſubordinata diverſitas.

43 Neque iſta poſſunt repugnare menti, quia in ſolidioribus, & ſenſibilioribus entibus claré percipiuntur. In ente enim phyſico, dantur duo prima entia adequata, vnum via potentiæ, & ſubiecti, & aliud via formę, & termini. In primo ſenſu, materia prima eſt primum ens adæquaté, & tale eſt forma in ſecundo ſenſu. Similiter in ente Metaphyſico, in quo ens, ſubſtantia, vivens, &c. ſunt primó entia, iuxta aliquam viam reſpectu rationalis, quod iuxtá aliam viam perfectiorem, eſt primum ens omnibus prædictis. Sic pariter, ſi velis, poteris logizare reſpectu modi ſciendi, & reſpectu formalis ſyllogiſmi. Sed de his, in ſolutione argumentorum exhibebitur notitia exactior.

44 Deinde, reſtat componendum qualiter modus ſciendi debeat accipi, quia iuxta aliqua, quæ dereliqui in *diſt. 4. q. 1. & 2. Dialectica erudit. compendij*, modus ſciendi vt ſic ſumptus ſphæram logicam ſuperare videtur. Quaré ibi reſolvi, quod modus ſciendi ad logicam ſphæram ſpectans, debebat eſſe inſtrumentum manifeſtandi ignotum dependenter à ſecunda intentione logica. Ex quibus notari debet etiam, me ibi ſignaſſe ſecundam intentionem logicam, quia vt dixi in 1. *lib. entis ſecundò intentionalis*, dantur intentiones,

Digitized by Google

nes, quæ Logicę non ſunt, ſed Grammaticæ, vel communioris ſcientiæ, ac Logicæ. Videantur, quę ibi dixi, ſpecialiter in *Diſt.2. quæſ.5.* ergo modus ſciendi, qui, prædicto modo, manet Logicæ obiectum, debet eſſe inſtrumentum logicé ſecundó intentionale; quod etſi aliqui Scotiſtæ ſic ſentient, modum tamen, logicé eſſendi tale, non explicant.

45 Cum igitur inter alia, quæ Logica propriè habet, vnum ſit ipſi, præbere inſtrumenta ſciendi ad alias ſcientias, vt defectu inſtrumenti, nullum maneat ens, cuius exacta menti non obiiciatur notitia, & aliàs inſtrumenta Logicæ ſint ſecūdó intentionalia; illud eſſe intentionale debebunt habere, quo Logica ad omnem notitiam eviſcerādam, habiliſsima vniverſæ rationi exiſtat. Nunc ſic, videamus ad quæ reducantur cuiuſcumque ſubiecti noſcibilia, & ad tot reducētur intentiones Logicæ, quibus applicatis ad obiecta, omnem notitiam inſtrumentent. Quod igitur, quodlibet ens, vndequaqué eviſceratum, intelligibile offert, videtur eſſe, quod habet ex genere, quod excludit ex differentia, quod conſtituit ex ſpecie, quod dimanat ex proprio, & quod ſuſtentat ex accidenti. In his enim, omnium ſcibilium numerus impletur, & omnium ſcientiarum deſideria vndequaqué ſatiātur. Logica igitur, ex eſſe intentionali, omnibus ſcientijs *applicatione* communis, applicat rebus illas determinatas intentiones, quarum quinqué vocibus omnis ſcientia loquitur, quin aliqua de obiecto muteſcat.

46 Noto tamen hinc, me non ignorare, dari alias ſecundas intentiones, medijs quibus, illæ quinque applicantur; quia ipſæ applicationes illarum quinque, ſunt etiam ſecundæ intentionales, & poſſunt dici Logicæ propriæ; poſſunt tamen dici propriæ diſpoſitivé, & vialiter, ſicuti reſpectu entis naturalis propriæ ſunt etiam naturales applicationes, & reliquæ diſpoſitiones, quibus formæ applicātur ſubiectis, ſunt tamen vialiter propriæ. Vndé nota, quod ſi ex ſecundis intentionibus formalibus, & diſpoſitivis, velis conſtituere aliquod vnum, metas Logicæ non excedes; at tamen, tunc tale eſſe ſecundó intentionale, non erit omnibus logicis intētionibus vnivocum, ſed analogum. Si hæc velit aliquis Scotiſta, etiam pro ſe inveniet Scotum, quia vt ſtatim dicam, etiam in *ſecunda intentione cauſantis* hoc innuit. Sed ſpecialiūs de ſecundis intentionibus, quæ ſunt termini formales, videtur alloqui, & ſic eſt perfectiùs logizandum. Elige, quod malueris. Sequar nunc primum intentum.

47 Itaque, quando dicimus modum ſciēdi eſſe, prædicto modo, obiectum Logicæ, debet percipi modus ſciendi, ſecūda intētione logica informatus; & nunc logicum intentionale explicantes, dicimus eſſe prædicabilitatem, illis quinque vocibus communem. Ita deducitur ex Doct. Subtili in 1. *Perhier. q. 1.* vbi explicans modum, iuxta quem Logica ex cōmunibus procedat, in hæc prorumpit: *Ens rationis dicitur de quibuſdam intentionibus, quas adinvenit ratio in ipſis rebus, cuiuſmodi ſunt, Genus, & Species, Definitio, &c.* Et paucis interiectis, ait: *Non enim eſt aliquod ens naturæ, quin poſsit cadere ſub ente rationis, & quin ſuper ipſum poſsit fundari aliqua intentio, vt puta, Generis, vel Speciei, Proprij, &c. Vel ſaltim cauſa, & cauſati; quia ergo Logica eſt de huiuſmodi intentionibus, quæ applicabiles ſunt omnibus rebus, ideo Logica dicitur ex communibus procedere.* En, quomodo conciliantur Scotiſtæ, quorum aliqui ſecundas intentiones, & quorum alij modum ſciendi, ſubiectum prędicationis, Scoticé deffenſabant.

ART. III.

SOLVUNTUR ALIQUA, EX QUIBUS amplius explicantur prædicta.

48 Contra primam, & principalem mentis Scoticæ interpretationem, primum, & principalé, quod opponitur, eſt illud ipſum, quod contra Scotiſtas interpretantes, Scotum intelligendum de ſubiecto prędicationis, opponebamus. Reſpondeo igitur, bene poſſe compati, quod Scotus ſignans communitatem obiecti adæquati, notaſſet non requiri, eam eſſe per prædicationis conceptum, & nilominus reſolvere, quod modus ſciendi erat obiectum ita cōmune, quod iuxta eius communitatem, non foret commune obiectum ſyllogiſmus. Ratio conſonans illa deducitur ex verbis ipſius Scoti, qui nunquam negavit, poſſe in ſcientia dari obiectum, quod iuxta conceptibilem prædicationem foret alijs commune; ſed dixit notanter, quod ſufficiebat ad primum, proprium, & adęquatum ſcientię ſubiectum, quod ita foret commune, quod ipſum foret formaliſsimum movens, vt nil eſſet, de quo ſcientia, propter ipſum, non ageret. Videatur Scotus in *q. 2. 1. Prior. §. quantum ad ſecundum.* Vbi poſt ſextam conditionem ſubiecti adæquati, notat, quod vt ſubiectum ſit commune, non requiritur prædicatio, *ſed ſufficit, quod omnia*

nia conſiderata reducantur ad ipſum &c. Et idem inveniet curioſus in 3. *Vniverſ. in 4. Prædicam.* Et alibi ſupracitatus. Nunc ſic: ſufficit ad communitatem ſubiecti ſcientię, communitas attributionis: ergo, quia ſentit Scotus, quod poteſt dari in ſcietia ſubiectum, quod habeat aliam communitatē vltra illam, quæ ſufficit. Illatio in quampluribus habet praxim.

49 Quod ita ſit capiendus Scotus, infertur evidenter ex *q. 2. 1. Prior.* vbi ſignans quintam conditionem obiecti, ait; quinta, *quod poſſit dici in recto, vel in obliquo de ſubiectis aliarum concluſionum minus principalium, quæ determinantur in illa ſcientia.* Arguo ſic: requiritur, quod poſſit dici in recto, vel in obliquo: ergo, etſi deinceps Scotus dicat, ſufficere, quod in obliquo dicatur, non negat, quod poſſit obiectum aliquod dici in recto; imo ex illa diſiunctiva, *quod poſſit dici in recto*, evidenter affirmat. Sed vt iuxta Doctorē ſcias, quid ſit aliquod dici in obliquo, adducam explicationem traditam à Doctore ſupra *q. 4. Prædicamen.* Tunc enim aliquid dicitur in recto, quando iuxta vniformem idempritatē, vnum poſſe eſſe aliud, concipimus: v.g. ſyllogiſmus eſt modus ſciendi &c. Tunc verò aliquid in obliquo dicitur (veluti hinc ex terminis requiritur) de alio, quando etſi ipſum non cognoſcatur, eſſe aliud, habens rectam, & vniformem idemptitatē, tamen habet aliquam habitudinem, vt cognoſcatur in ordine ad illud, vel in illo: ſic, etſi ſyllogiſmus non poſſit in recto dici de aliquo ex terminis ipſum integrantibus: v.g. ſyllogiſmus eſt propoſitio, tamen in quantum cognoſcitur in ordine ad ſyllogiſmum, dicit illam; qui modus dicendi, dicitur prædicari in obliquo.

50 Ex quibus inferes etiam, qualiter de ſubiecto communitatem rectæ prædicationis, Scoto negante, reſolvat etiam, quod ſit commune. Dicitur enim commune, quia illud, v.g. ſyllogiſmus, eſt vnicum ens, in ordine ad cuius indiviſibilem vnitatem plura cognoſcantur; ſub illis tamen habitudinibus, & conſiderationibus, ſub quibus plura alia, non cognoſcantur in ordine ad ſyllogiſmum: ergo videtur, quod ſyllogiſmus, cum aliquibus habet communitatem, ſeu incluſionem, ſicuti cum alijs pluribus habet excluſionem, & diverſitatem. Prædicta igitur convenientia, dicta communitas in obliquo, & valida, vt dicatur communitas propoſitionis, dicitur illa, quæ in mēte Doctoris pro ſubiecto ſcietiæ ſufficiebat. Vide Scotum ſupra citatum, in *vltimo verſ. quæſtionis*, vbi hæc omnia, Subtili calamo, percurrit. Deinde, Doctor id ipſum confirmat ſupra *q. 1. Perhier.* vbi ad argumentum petens in ſubiecto vnitatem prædicationis, ſatiſfacit, dicendo, id eſſe falſum, ſi quod petit argumentum, intelligatur de vniverſalitate prędicationis, qualis eſt totius vniverſalis in ſuas partes integrales, in omni namque ſcientia, *cuius ſubiectum eſt compoſitum*, neceſſé eſt determinari de partibus ſubiecti, de quibus tamen ſubiectum non prædicatur. Tandem reſpondendo ad oppoſitionem contra interpretationem illam factam, dico verum eſſe, Doctorem, adhuc loquentem de obiecto, quod futurum erat modus ſciendi, dixiſſe, non ſemper oportere communitatem prædicationis, quod dixit, non quia alia communitate, modum ſciendi intellexiſſet commune, ſed vt maneret ſemper ſalva illa ſpecialis doctrina, iuxta quam communitas proportionis obiecto ſuficiebat. veluti ſi dixiſſet, modus ſciendi eſt aliter communis, ac ſyllogiſmus; eſt ſiquidem prædicatione communis; ſufficit tamen ſcientiæ ſubiecto, quod altera ſyllogiſmi communitate ſit commune.

51 Sed dices, contra ferè omnem noſtrā doctrinam, dificilem habere praxim, imo incompatibilem, quia ſi modus ille ſciendi ſit adæquatum obiectum, & deinde adæquatum obiectum ſit ſyllogiſmus formalis, & perfectus, ſemper poterit dubitari, à quo ſcientia poſſit habere vnitatem, nec non, quale debeat eſſe primum, & præcipuum, vt ſcientia ſpecificé conſtituatur; ſimiliter, quodnam eorum alteri ſubiaceat; & ſic quam plurima alia poſſunt inferri, ex quibus plures oriantur æquivocationes: ergo &c.

52 Reſpondendum ſentio, dicendo in primis, quod iuxta Doctorem Subtilem, ad vnitatem ſcientiæ, ſufficit vnitas ſubiecti, per attributionem adæquati, & præcipué, dum de ſubiecto ſcientiæ poſsit dubitari, an ſit analogum, vt poteſt dubitari de omni multitudine modi ſciendi. Quaré, ad omnes authoritates, & rationes, quibus intendunt probare, ſubiectum neceſſarió debere eſſe vnivocum, reſpondet ſubtiliter Scotus ſupra *q. 4. Prædicam.* dicendo, quod omnes illæ authoritates, & probationes procedunt de ſubiecto demonſtrationis: quando autem ſubiectum ſcientiæ eſt analogum, de illo ſecundum ſe, non fiunt demonſtrationes, ſed de primo, ad quod omnia alia attribuuntur; quia ad determinandum de multis analogatis, ſufficit determinari de primo, ad quod reliqua dicunt attributionem, & habitudinem. Nequé eſt inconveniens, de ſubiecto ſcientiæ ſecundum ſe, nullam paſsionem

nem oſtendere, quando eſt analogum, ſi tamen de primo, ad quod reliqua attribuuntur, paſſiones oſtendantur.

53 Sed ab his præciſus, reſpondeo, nullum inconveniens ſequi ex eo, quod dicamus ſciẽtiam dici vnam ab vnitate ſubiecti per attributionem. Ratio eſt, quia tale ſubiectum eſt communiſsimum, & ni fallor, adæquatius, vel ad minus eſt adæquatum expeditiùs, ſiquidem reliqua ſcientiæ obiecta ſunt partes integrantes ipſius, quæ partes promptiùs, & exactiùs cognoſcuntur ex habitudine ad totum, ita vt nil ſit in parte, quod in toto ſubiecti non ſit, aut poſsit eſſe, quoad cognoſci: difficilé enim poſſum cognoſcere hominem, quin prompté cognoſcam partes integrãtes, & eſſentiales illius; at autem cognito homine, vt eſt totum vnivocũ, & poteſtativum, non facilé cognoſcentur partes ſubiectivæ, vt ſunt individua omnia. Sic etiam, cognito compoſito phyſico, facilé cognoſcuntur materia, & forma, difficilé tamen cognoſcuntur partes ſubiectivæ, ſcilicet, omnes compoſitorum ſpecies. Deinde, ſubiectum ex attributione adæquatum eſt ſpecialius adæquatum, quia ſubiectum ex attributione, ita eſt adæquatum, quod nil ſit in ſcientia, quod non dicat habitudinem ad ipſum, vt ad ens dicens aliquam ſpecialiorem rationem, ſupra illam, quam dicebat ſubiectum ex prædicatione commune: ergo vt ſcientiam moveat ad omnia, habet intra ſpecialiorem differentiam omne motivum, quod ad ſummũ poterat ſubiectum prædicationis habere in communiori prædicato: ergo eſt ad ſcientiam idonius, ſiquidem cum non minori adæquatione, dat ſcientiæ maiorem, & ſtrictiorem ſpecificationem. Si enim in aliqua ſcientia habente pro ſubiecto amimal, & etiam rationale, non minus ad plura moveretur ex rationali, quam ex animali, non videretur irrationabile, quod à rationali ſummeret ſpecificationem: ergo à ſimili in Logica eſt ratiocinandum reſpectu ſyllogiſmi, ad quem dicunt habitudinem omnia illa, quæ reſpectu modi ſciendi habent ex prædicatione ſubijcibilitatem.

54 Dices, verum eſſe, quod ſyllogiſmus v. g. ſit non minus tranſcendens, ac modus ſciendi, ſed tamen modus ſciendi tranſcendit omnia ſcientiæ in recto, dicitur ſiquidem de omnibus Logicæ; ſyllogiſmus veró tranſcendit in obliquo, cum non ſit omnia, ſed habens omnia, ſeu omnia indicens: ergo. Reſpõdeo, quod eſtò ſyllogiſmus omnia indicet, cum rectum indicet omnia obliqua, perfectius ſubiectum demonſtrabitur. Ratio eſt, quia dicens in obliquo omnia, ſufficienter movet potentiam ad ſcientiam, & notitiam illorum, & deinceps, ſpecialem ſibi excellentiam, & notam ſervat, videlicet, quod dum propter ipſum cognoſcantur omnia, nullum cognoſcatur eſſe ipſum, ſibi ſpecialem perfectionem ſervans. Sic propter idem eſt Theologiæ non parva perfectio ex obiecto, ſcilicet, ex Deo, qui dum ad plura extra ipſum excitat, nulli tamen extra ipſum ſuum eſſe in recto communicat, ſed ſolum vt index, plura extra ipſum derivat, quin reſpectu Theologiæ aliud ſubiectum ſit primum, nec reſpectu ſubiecti, ab alio Theologia ſit vna. Denique, poſſemus ſatisfacere argumento inſtanti, ex illa doctrina antecedenter poſita, iuxta quam dicebamus, aliud eſſe, eſſe ſubiectum via generationis, & aliud via perfectionis, &c. Videantur dicta in expoſitione Doctoris Subtilis.

55 Dicet aliquis contra alias réſolutiones, inconſequenter iuxta Scotum conſtitui pro obiecto Logicæ ſecundas intentiones, quomodocumque ſint obiectum. Inconſequentia deducitur ex eo, quod Scotus dixiſſet, quod ens per accidens non poterat eſſe vllius ſcientiæ ſubiectum; ſed ſecundæ intentiones, iuxta modum, iuxta quem accipiuntur ab Scoto, conſtituunt ens per accidens, quia debent ſic accipi, vt applicatæ ad primas: ergo. Reſpondeo ex D. Subtili *q. 8. Vniverſ.* quod iuxta modum, iuxta quem Doctor negavit ens per accidens pro obiecto, nec non, & ens ſecundó intentionale, non debet hinc negari ſecunda intentio, quia ens per accidens ſit. Ratio eſt; quia dum ſecunda intentio applicatur enti reali, ait Scotus, quod res, ſeu ens reale, non cadit in intellectu illius totius, vt *pars*, ſed *vt terminans reſpectum*; quomodo, ait Scotus, poteſt intelligi accidens in dependentia ad ſubſtantiam, & tamen non vt ens per accidens, at autem illi, quos Scotus impugnavit, ponebant pro obiecto ens ſecundo intentionale, vt æqué conflatum ex re, & ex ſecunda intentione, ita vt eius vtraque foret pars.

56 Dicet alius, non bené nos ſuperiùs explicaſſe, qualiter ens ſecundó intentionale debet eſſe ſubiectum prædicationis, videlicet, vt illas quinque voces dicens. Ratio eſt; quia tale ſubiectum, proprius eſt reſpectu ſcientiæ libri Porphyrij, cũ talis ſubiecti notitia non in tota Logica, ſed ſolũ in illo libro expẽdatur: ergo. His poteſt ſatisfieri, dicendo, nil refferre, quod de aliquo obiecto in determinato loco exhibeatur notitia, vt ſit obiectis aliorum locorum commune. Ratio eſt in exemplari, ſiquidem, nec de modo ſciendi, nec de ſyllogiſmo, & ſic de alijs, in tota ſcientia expenditur notitia directa,

recta,

recta, neque in recto paſsiones demonſtrantur, ſed ſolum in determinatis libris, & tamen alijs deſerviunt, & de alijs propter ipſa agitur; ergo à ſimili.

57 Relinquo, iuxta mei ingenij paruitatem, mentem, & literam textus Doctoris Subtilis expoſitam. Plura comſumpſi, de prolixitate nil anxius, quia præterquam quod neceſſaria viſa ſint omnia, quæſtio præſens eſt, veluti plurium princeps, tractanda. Et antequam finem ponam, in favorem noſtratum plures vias adaptare intendam, quod facere cupiam, ſemper, & quando in mente Scoti fundamenta inſpiciam, vt ſic defectu viæ, Scoticus curſus, nunquam à ſuis deſeratur.

58 Dico igitur, me ſuprà, iuxta Doctoris mentem, reliquiſſe ſtabilitum modum ſciendi eſſe ſubiectum prædicationis, & ſyllogiſmum formalem ſubiectum eſſe attributionis, reſolvens vtrumque ſubiectum eſſe in ſcientia compatibile, tametſi vtrumque ſit adæquatum, eo quod ſint ſubordinatæ adæquationes. Sed tamen, qui velit dicere, quod modus ſciendi eſt vnicum adæquationis ſubiectum, poterit ab ipſo dare Logicæ vnitatem, & ſpecificationem, reſolvendo iuxta Scotum, quod ſyllogiſmus formalis eſt ſolum ſubiectum principalitatis. Et licet Scotus dixerit, ſyllogiſmum eſſe etiam adæquatum ſubiectum, poteſt reſpondere, poſſe dici adæquatum in linea principalitatis; omne ſiquidem principale ſcientiæ eſt ſyllogiſmus, in linea perfectionis quæcunque omnia principaliter ambiens. Sin autem alij Scotiſtæ aliter iuxta Scotum philoſophare cupiant, poſſunt reſolvere, modum ſciendi eſſe ſubiectum prædicationis, & ſyllogiſmum formalem eſſe abſoluté ſubiectum adæquatum; abſoluté ſiquidem tale ſit, quod, ſubiectum attributionis in ſcientia inveniatur. Et ſi objiciatur, quod ſolum apparet ſyllogiſmus vt ſubiectum principalitatis, poſſunt dicere, nil refferre, quod ſit tale ſubiectum, dum ita ſit principale, quod ipſum ſit primum, & etiam adæquatum, cum propter ipſum omnia ſcientia inquirat, & demonſtret. Sicque ſolum de nomine erit controverſia, dum tale ſubiectum principale vocetur, cum tale principale in re inveniatur adæquatum, & ſufficiens, vt ab ipſo ſcientia ſummat vnitaté, & ſpeciem, ab alijs ſcientijs diſtinctam.

59 En vtramque opinionem vltimaté expoſitam: quælibet expoſitio videtur valdé probabilis; ſed tamen, ſemper ad ſecundam de ſyllogiſmo fuit propenſior animus. Rationem maioris propenſionis, extra ſuperius poſitas, deduco ex eo, quod cum ſcientia ſit ex indefectibilibus, & neceſarijs, ſi dentur aliqua, quæ aliquo modo ſint indefectibiliora, ex illis ſimpliciter, & perfectiùs debebit eſſe ſcientia; ſed ſubiectum adæquatum attributionis videtur in ſcientijs indefectibilius, quam prædicationis ſubiectum: ergo à ſubiecto attributionis debet ſimpliciter, & propriùs eſſe ſcientia. Minor, in qua eſt difficultas, ſuadetur, quia videmus quod ſacra Theologia, omnium ſcientiarum perfectiſsima, non habet prædicationis ſubiectum, quia nil poteſt prædicari de Deo, & de alijs, quæ ibi propter ipſum aguntur. Deinde, in Metaphyſica, in qua, iuxta mentem Scoti, & aliorum, ſolum recurritur ad ſubſtantiam, vt ad ſubiectum attributionis, quia ens ſolum analogicé eſt dicibile: ergo iam invenimus, quod ſubiectum attributionis eſt indefectibilius. Ergo cum videamus deinceps, quod ſcientia perfectiſsima ſit Theologia, quin aliquid ipſi deficiat ex defectu prædicationis, cum adſit attributionis ſubiectum, meritó ad hoc, præ alijs, propendimur, & non leviter Scotus, hoc ſufficere pro ſubiecti conditione, paſsim exponebat. His ita iam expoſitis, neceſſarium videtur, quod noſtras reſolutiones rationibus, aliquantulum, propugnemus, & præcipué, quod eas argumentorum ſolutionibus corroboratas relinquamus.

ART. IV.

OBIECTVM ADÆQVATVM Logicæ rationibus confirmatur.

60 ADverto, quod vſque adhuc loquuti fuimus de obiecto adæquato, vt ex materiali, & formali eſſentialiter conſtituto. Sic enim, alloquitur Doctor Subtilis in feré omnibus locis, in tota Logica ſuprà citatus, et ſic ſentio in omni ſcientia debere alloqui, quia ſi de ſcientia humana, ſubiectum adæquatum inquireremus, nec de ſolo animali, nec de ſolo rationali exhiberemus notitiam, ſed de homine, vt ex materia, & ex forma eſſentialiter conſtituto. Deinde, quia ſemel habita notitia de obiecto vndequa-

Digitized by Google

qué adæquato facilimé ratio formalis illius invenietur, & præcipué ex ſupra dictis in *queſtio. 1. Poſt. 3. præambulum*; vbi valdé notamus, quod tot erant obiecta formalia, quot definitiones, & ſic ex definitione cuiuſvis ſubiecti ſcientiæ, ratio formalis ſtatim deducetur. Sed tamen, né in terminis, pro omnium intelligentia deficiamus, expleto præſenti puncto, ſpecialem quęſtionem, de materiali, & formali obiecto, poſsibili brevitate, inſtituemus.

61 Probatur igitur ſupra ſtabilita doctrina de eo, quod iuxta conſiderationem ibi poſitam ſint ſecundæ intentiones ſubiectum in Logica adæquatum. Suadetur principaliter, quia illud eſt obiectum adæquatum ſcientiæ, quod in linea ſpeciali, & propria ſcientiæ, omnia ſcibilia ambit; ſed hoc habet ens logicé intentionale (dicam logicé intentionale, né modum intelligendi logicam intentionem cum moleſtia repetam. Videatur modus in dictis ſupra): ergo. Minor, in qua eſt difficultas facilé concedetur à pluribus, etiam extra puram ſcholam Div. Thomæ, pro obiecto Logicæ ens intentionale opinantibus; difficilé tamen concedent, tales ſecundas intentiones logicas, & alias conſimiles denominationes eſſe rationis. Cum enim firmiter defſendant, extrinſecas denominationes eſſe reales v. g. eſſe cognitum, eſſe viſum, &c. firmiter etiam aſſerunt, intellectum formaliter definite obiectum, & obiectum eſſe formaliter definitum, formaliter eſſe idem; & ſic illud eſſe paſsivum denominationis eſſe reale, ſicuti realis eſt actus formalis activus: vnde dicunt, reales eſſe omnes denominationes, & intentiones logicas. v. g. eſſe genus, eſſe predicatum &c. Contra quæ ſentio, nil exacté poſſe tradi in eorũ eiectionem, & noſtræ concluſionis favorem, ſi pro firmioribus viribus de eſſe intentionali non ſuadeatur contrarium. Videantur dicta pro feré omni *lib. entis ſecundo intentionalis*, præcipué in *Diſtinct. 1. queſt. 2. & 3. & in Diſt. 2. queſt. 6.* & noto ſimiliter, quod eorum argumenta ſimili facilitate à nobis avertentur, ſi contra intelligentiam primam intetionum militare non conantur. His tamen non obſtantibus, aliqua hinc attingemus. Suadetur igitur illa minor, intendendo probare, quod eſſe intentionale eſt rationis. Suadetur 1. ipſa ratione Scoti, qui ex celebri plauſu, & omnium recto ſenſu aſſeritur in 1. *q. Prædicam* quod Logica præ alijs dicitur ſcientia rationalis: ergo quia eos adæquaté intentionale eſt rationis.

62 Reſpondent ſtatim aliqui RR. inter quos noviſsimé Peinado *Trac. 1. Proem. diſp. 2. ſec. 3.* verum eſſe, quod Logica præ alis dicitur rationalis, dicitur tamen talis, non quia agat de ente rationis obiectivo, ſed quia præ alijs directivé procedit circa ens rationis ſubiectivum, nempe, circa actus intellectus. Nequé caret nomine ſcientiæ realis, quia de obiecto reali non agit, ſed quia de ente reali obiectivo ſecundum ſe non agit, ſed prout ſubeſſe poteſt conceptibus formalibus. Sed contrà, quia ex eo, quod Logica agat de ente rationis ſubiectivo, non datur motivum, vt cum alijs ſcientijs non dicatur realis, & præ alijs dicatur rationis: ergo. Prob. quia eſſe ſubiectivé ens rationis, non ſolum dicit eſſe reale in ſe, ſed in clariſsima ſignificatione, cum audita voce *ſubiectivi*, ſtatim percipiatur, quod eſt ens oppoſitum enti rationis nil habenti realitatis; qua nota, entia realia, quæ ſubiectivé non ſunt rationis, realitatem ſuam, & oppoſitũ non exprimunt: ergo non datur ex eo motivũ, vt præ alijs dicatur rationis, imó potius datur, vt prę alijs dicatur realis. Deindé, quia ſi eius obiectum reale, dum habet notam rationis, ex eſſe ſubiectivo rationis, Logica præ alijs dicitur rationis, cum nulla ſit ſcientia, cuius obiectum reale, terminativé non ſit rationis, nulla erit ſcientia, quæ præ Logica, non dicatur rationis. Nec non, & ſcientia agens de actibus humanis, vt rationi conſonis, & Animaſtica etiam agens præ alijs de principio, & radice rationis dicentur rationis præ alijs, & præ Logica. Item, quia ſi quæ tendit ad actus intellectus, qui ſunt rationis, dicitur rationalis, proprié deberet dici actualis, præ alijs, cum præ alijs tendat ad obiecta, quæ ſunt actus; quod frivolum videtur: ergo.

63 Dices, Logicam dici rationalem, non quia tẽdat in actus intellectus, ſed quia directivé tendat. Sed contrà, inſto ſemper, ex eo, quod in alijs ſcientijs dentur principia erudientia, & regulę ſpecialiter docentes: ergo cum iſta partialiter cũ intellectu cõcurrant, & partialiter in directionem actuum influent. Dices, tales regulas, & doctrinas eſſe circa obiectorum intelligentiam. Bene eſt, inſto ſemper: licet actus intellectus ſit erudiendus de obiectis, actus tamen

intel-

intellectus eſt, qui eſt erudiendus; obiectum enim extat eruditionis incapax; imo ex notitia obiecti, veluti ex propriori menſura, quilibet intellectus ſpecialiter eruditur. Deindé, quia intelligentia obiecti eſt actus ipſe intellectus: ergo ſi circa intelligentiam obiecti datur regulans principium, difficilé non dabitur circa actum ipſum intellectus.

64 Contra aliam partem, ſecundum quam aſſerunt, logicam de ente reali obiectivo non agere, niſi vt ſubeſt conceptibus formalibus, ſic arguo. Etſi Logica de ente reali obiectivo ſecundum ſe non agat, agit tamen ſpecialiter de illo, vt ſubeſt conceptui formali: ergo dato, quod Logica non ageret de ente rationis obiectivo, deberet tamen agere de illo, vt ſubeſt conceptui formali. Augeo vires argumenti: etſi ens reale obiectivum, ſecundum ſe, non ſit quid ſpecialiter tractabile à Logica, ſpecialiter à Logica tractatur, quia ſubeſt actibus formalibus; ergo quidquid ſpecialius, & ſtrictius ſubſit, ſpecialius, & ſtrictius in Logica tractabitur; ſed nil ſpecialius, & ſtrictius ſubeſſe poteſt, quam ens rationis obiectivum: ergo nil ſpecialius tractabitur. Suadetur minor, quia nil ſpecialius poteſt ſubeſſe alicui, quam illud, cuius totum ſuum eſſe eſt intra illud; ſed totum eſſe entis rationis obiectivi eſt intra actus mentis: ergo. Minor eſt in communi acceptione, iuxta quam ens rationis eſt, quod tantum habet eſſe obiectivé in intellectu.

65 Contra aliter ex eo, quod ſemper, & quando in aliqua linea poſsit dari terminus formalis, in quo entia illius lineæ ſiſtant vltimó, & præter hoc habeant denominare, & ſpecificare actum vniverſaliſsimé, ab illo in tali caſu eſt reſolvenda ſeries, & linea illa ſpecificé, & vltimaté adæquanda; ergo ſi ſine intelligibili repugnantia ſignare poſsimus, quod entia rationis ſic compleant, & in non minori vniverſalitate adæquent lineam, & ſphæram omnium logicalium, ab iſtis, & non à conceptibus medijs, qui ſunt actus formales, erit logica ſphæra ſpecificé adæquanda. Antecedens ſuaderi poteſt ex entibus metaphyſicis, & phyſicis, in quibus, ab vltimo ſpecificé terminãte, & reſolvente denominantur ſubiecta. Illatio in conſequentia imbibita ponitur. Quia conceptus obiectivi rationis ſunt vltimi termini actuum intellectus, poſt quos nil amplius derivatur. Deindé ſunt non minus vniverſales, cum tametſi æquivocé, dividant ens vt ſic, & deinceps habent ſpeciem, qua Logica poſsit diſtingui ſub conceptu, & nota definiendi, dividendi, prædicandi, &c. ergo inutiliter pro horum linea, altera ſcientia ſpecialis erigitur, ſed ſuficienter ab eis logica ſphæra poterit ſpecificé adæquari.

66 Suadentur aliter iſta, quia intellectus eſt principium omnibus ſcientijs æqué vniverſale; non enim intellectus eſt potius huius ſcientiæ, quam illius; tum, quia nulla ſcientia poteſt ſine intellectu dari; tum, quia intellectus omnium ſcientiarum eſt proprium ſubiectum, omnes ſiquidem ſcientiæ in ipſo inſunt, & ab ipſo ſuſtentantur: ergo ſi de actibus intellectus, & de alijs intelligibilibus poſsimus vſqué ad obiecta hanc diſcurrere paritatem, quin ſphæra ſpecifica logicalium deperdatur, inferemus, valdé liberum eſſe, ſic conceptus, & actus intellectus pro ſphæra logicalium adducere; ſed poteſt hoc inveniri: ergo. Suadetur, tum, quia actus intellectus poſſunt, imó, & debent, ſubeſſe obiectis ſub illa nota, quæ ſolius Logicæ ſit propria, quia dantur definitiones obiectivæ, differentiæ, & concluſiones; tum, quia etſi ſit ex ſuppoſitione, ſi dentur conceptus obiectivi ſecundò intentionales, qui valeant obiectis applicari, tunc ab obiectis, ſic per relationem rationis ſecundas intentiones logicas habentibus, Logica ſignaté præ alijs cognoſceretur: ergo ex conceptu obiectivo rationis, vt forma Logica ſignato, debet etiam Logica dignoſci; ſicuti ex eſſe obiectivo reali, abſque vlla nota intentionum, reliquæ ſcientiæ dignoſcuntur.

67 Deinde hæc confirmo, quia in quo poteſt ſiſtere anxia de eo, quod conceptus omnes ſubſint formalibus, vt logici ſint? Si dicas, quia directio eſt ratio formalis Logicæ, & hęc in conceptibus formalibus invenitur. Contrà, quia ſine directione logica poſſunt dari conceptus formales, vt patet in conceptibus à Rethorica directis: ergo punctum tantæ diſtinctionis, non deſumitur præcisé ex formalitate conceptuum, ſed ex directione: ergo cũ obiecta dirigi valeant, non erunt obiecta ſpecialia Logicæ, quia ſubſint conceptui formali præciſé, ſed quia ſubſunt præcisé directioni. Dices, quod obiecta non poſſunt ſubeſſe directioni, niſi ſubſint actibus formalibus. Contrà etiam, quia ſi obiecta ex ſe non haberent non repugnantiam dirigendi, omnis directio foret ipſis contradicens, nec poſſent ſubeſſe

conceptibus formalibus, quia nõ poſſent ex repugnantia ſubeſſe: ergo ſicuti Logica agit de conceptibus obiectivis, vt ſunt connotati à formalibus; cum etiam ſi Logica ageret de formalibus, vt connotati ab illa non repugnantia ſpeciali obiectivorum, adhuc logicé ageret, non videtur cur potius obiecta non poſsint ſubeſſe directioni, niſi quia ſubſint conceptibus formalibus. Si enim logicus adæquaté conſideret omnem denominationem logicam, ad quam in obiectis datur non repugnantia, quidquid logicum eſt, poterit imprimi in obiecta: ergo logicé procederet, qui exerceretur in actibus formalibus, in quantum ipſos verteret, ita, vt ſubeſſent illis non repugnantijs logicis obiectorum. Quod enim in eſſe obiectivo, vt terminans eſt, poſsit dari aliquid ſpeciale, ratione cuius ſignetur, & ſpecificetur facultas, circa ipſum ſuos actus vertens, & dirigens, ſuaderi poteſt in obiecto terminante potentiam materialem, cuius nuda terminatio, ita ſpecialis eſt, vt non quodvis obiectum ſpecificum eſſe puræ terminationis exerceat, vt patet in Deo, qui potentiam materialiter viſivam terminare non valet. Deindé, ex terminatione viſionis dici poteſt viſum, quod ex illa terminatione nõ dicitur intellectũ, auditum, &c: ergo ex parte entis, iuxta ſuum eſſe obiectiuum, & terminans, datur ſufficens motivum, vt cuiuslibet lineæ exercitia ſpecificé adæquentur.

68 Probari poterat etiam illa minor primi argumenti ex eo, quod tametſi Logica haberet pro obiecto ſecundas intentiones, quæ forent quid rationis obiectivum, non deperderet ex his, ſcientiæ qualitatem, & rationem. Suadetur ex ipſis contrarijs, qui ad agendum de formis puræ rationis, ſpecialem ſcientiam conſtituunt: vel de ipſis metaphyſicam ſignant ſcientiam, dum huic, ſolum poſsit competere de pura ratione agere, quia non agere de pura ratione, competit: ergo dum de pura ratione eſſent notæ intentionales, & alijs ſcientijs impropriæ, nullo ſpecialius, quam nuda ratione in eſſe ſubiecti, Logica adæquabitur, quin ſcientiæ qualitatem deperdat. Sic enim ſalvaretur perfectiſsimus ordo ſcientiarum, ſicuti & entium. Daretur enim intentionalium entiũ arbor, cuius radix foret in linea rationis primum ens, pulchram derivans varietatem in vniverſum rationis, ex quo vniverſaliſsima elevaretur ſcientia, ſicuti ex vniverſo realitatum, vniverſaliſsima elevatur methaphyſica. Vndé perfectum haberet ſenſum illud dictum Philoſophi 4. *Metaphyſica*, citatum ab Scoto 3. *vniverſal.* dicentis, *quod methaphyſicus, & logicus circa idem laborant*, cum certum ſit, quod ſubiectum vtriuſque elaborationis non ſit idem; quare ita debet intelligi, vt *idem* capiatur pro intento, & ſcopo vniverſalizandi ſcientias; illam vniverſalitatem conſulens logicus in ratione, quam metaphyſicus in realitate. Sic laborant circa idem, & ſic debent laborare, vt vndequaqué æqué fecundetur intellectus, & æqualibus obiectis dividantur ſcientiæ. Sic enim ens non perficitur per ſubſtantiam, quin ſubſtantiæ lineæ, altera accidentis ſtatim correſpondeat linea; et ſic impenetrabili, penetrabilis; abſolutę, relativa; & individuę, individua quin in rationibus dividentibus ſervent paritatem, niſi in correſpondentia vniverſalizandi, & contrahendi: ſimiliter diſcurrere poteris in cauſis, in quibus nunquam deficere poteſt vna, quæ ſit finalis, habens cum reliquis correſpondentiam, penes hoc, quod eſt, eſſe cauſam, habere cauſalitatem, & inducere effectum; ſed tamen vniverſum cauſarum relinquit, ex oppoſito cauſandi modo, ſæcundum, cum finalis, non phyſicam, ſed puré rationis, & intentionis requirat exiſtentiam, quin ratio, eſſe veram cauſam minuat: ergo à ſimili omnium predictorum, dicere debemus, quod debet dari quædam ſcientia, quæ ſit non minus vniverſalis, quam metaphyſica, & habens in obiecto differentiam rationis, ſicuti illa differẽtiã habet realitatis, & ita omnibus apta, & cõmunis, quod ſicuti mthaphyſica per realitatẽ exhibet materiã, & inſtrumẽtũ eſsẽtijs, diſcõvenientijs, proprijs, accidẽtibus, cõmunibus, & indiuiduis, ſic & hæc alia vnicuiquẽ, conſimilibus intentionibus, circa ipſa tendet, applicando eſſentiæ notionem ſpeciei, convenientiæ notionem generis, & ſic omnibus, aliter verum, ac metaphyſica, diſtribuens.

69. En, ex quo, præ alijs, Logica vocatur ſcientia rationis, & cum Doctor Subtilis, docta comprehenſione prævidens prædicta, in *queſ.* 1 *Predicam.* hanc format illationem: *ergo ſicut eſt aliqua ſcientia per ſe de rebus, aliqua per ſe de vocibus ſignificativis, vt Grammatica, & Rethorica, quæ conſiderant paſsiones vocis in quantum vocis, ſcilicet congruum, & ornatum: ita poteſt aliqua ſcientia eſſe de per ſe de conceptu, & hæc eſt Logica. Vndè per ſe habet dici ſcientia rationalis, non tantum quia traditur per rationem, ſicut qualibet alia ſcientia, ſed ex hoc, quod ſit de conceptibus formatis ab actu rationis.*

Ne-

70 Neque ſentio, quod aliter poſſimus noſtræ reſolutionis aſſumptum propugnare, cum maneat ligatus intellectus, à probatione eſſendi ſecundas intentiones aliquid rationis, ſuſpenſus. Videantur dicta in lib. entis intentionalis, vbi ſatisfit rationibus in contrarium, & etiam quibus noviſsimè tradit P. Peynado, & præcipuè, cum propè ſupponat, denominationes extrinſecas, & eſſe paſsivum obiectorum, eſſe quid reale, quod diffusè ibi impugnamus. Proponam tamen hinc aliqua argumenta, quę, meo videri, ſunt contra reſolutionem directiora.

71 Obijcies 1. poſita directione logica, ponitur id, quod formaliter ad Logicam ſpectat: ergo liberè additur ſecunda intentio. Diſtingui pôteſt antecedens, ponitur id, quod formaliter ad Logicam ſpectat, tanquam diſpoſitio, eſt verum; tanquam forma, eſt falſum; & negatur conſequentia. Itaque, ſtandum eſt in hoc, quod id, quod formaliter eſt directio, ſolum diſpoſitivè eſt forma, vt patet in forma, & in eius formalibus diſpoſitionibus. Aliud enim eſt, quod formaliter ſit diſpoſitio, & aliud eſt, quod formaliter ſit forma. In linea enim formali alicuius entis, plura ingrediuntur, aliqua enim vt principium effectivam diſpoſitionum formalium, alia vt diſpoſitiones formales termini formalis, qui ſolum eſt forma, vt patet in linea intelligibili, vbi licet dici poſsit, quod plura ſpectant ad lineam formalem intelligendi, non tamen, quod omnia, quę ſpectant ad lineam formalem, ſpectant vt forma. Fundamentum ad huiuſmodi expoſitionem deſumi poteſt ex eo, quod difficilimè poſsit ſignari forma, ad quam non præcedant diſpoſitiones, & directiones; & ſimiliter difficilimè poſſunt ſignari diſpoſitiones, quæ non ſint ad aliquam formam: ergo dum in Logicis, diſpoſitiones videamus, formam ſperare debemus, quia illa entia ad aliquid diſponuntur: ergo cum in omni linea, perfectior ſit forma; ad eam ſiquidem reliqua diſponi videntur; non diſpoſitiva directio, ſed forma intentionalis reſultans, erit eius ſpeciale obiectum.

72 Dices, nos vera dixiſſe, in ferè omnibus caſibus, demptis tamen Logicalibus, quia Logicus aliter, ac reliqui ſcientifici debet reſpicere obiecta: ergo vt ſpecialiter Logica conſideratio diſtinguatur, debent à Logico haberi pro obiecto ipſæ diſpoſitiones actuum, iſtæ ſiquidem à nullo ſcientifico reſpiciuntur. Nil enim mirum, quod Logicus directiones habeat pro obiecto, cum Logici proprium munus, in dirigendo ſundeatur. Reſpondeo ad argumentum, dicendo, veram eſſe cauſalem antecedentis, ſcilicet, quod Logicus aliter debet reſpicere obiecta; nego tamen conſequentiam cauſalis. Ratio eſt, quia in caſu, in quo ſolum reſpectu diſpoſitionum inveniſſemus diſtinctionem, & ſpeciem, tranſiret, quod Logicus ſolum à diſpoſitionibus ſpecificabatur; At verò, dum extra ipſas diſpoſitivas directiones, ſpeciales formas, & eſſe obiectivum reſultans, inveniamus, ſolum peſsimè obiecta dirigentes, ponemus formam ſubiecti in diſpoſitionibus ad ipſam formam. Hoc enim videtur rationabilius, dum intra ambitum ſcientiæ, non ſolum directio, ſed, & terminus formalis directionis inveniatur. Neque nego, Logicam reſpicere directionem ſpecialiter, & aliter, ac alia quæcumque ſcientia; ſolum nego, quod eam reſpiciat vt formam, & vt ſpecificans; ſicuti in quovis compoſito, & ſubiecto, tametſi actus phyſici ſpecialiter reſpiciant diſpoſitiones, ita vt ab actibus alterius agentis non reſpiciantur ſic, reſpiciuntur tamen, ſervatis ſervandis in forma, propter quam ſpecialiter diſpoſitiones prævidentur.

73 Nec valet ſi inſtes, quod Logica non dirigit ſecundas intentiones, ſed conceptus formales, ſeu actus intellectus: ergo, quia immediatiùs attingit actus intellectus, quam ſecundas intentiones, dato, quod ſecundas intentiones attingat. Non enim valet, & ſic reſponderi poteſt, negando antecedens, quia Logica dirigit eſſe intentionale, ſed cum tale eſſe dependeat ab actibus intellectus per effectionem, aut reſultantiam, nequit illud dirigere, niſi dirigendo actus intellectus, quibus veluti inſtrumentis vtitur, ad ſecundas intentiones, vel dirigendum, vel efformandum. Sic, licet ad conſequendam ſanitatem, debeat Medicus etiam dirigere curationem, tamen, non curatio, ſed ſanitas, quæ ex illius directione dimanat, eſt obiectum ſpecialiter intentum. Similiter igitur, actus intellectus eſt veluti illud inſtrumentum, quo directo, tota ſecunda intentio formatur, ita, vt licet actus intellectus dirigatur, tamen ipſe eſt inſtrumentum, ipſa directio eſt diſpoſitio, & ſolum ſecunda intentio eſt forma. Et ad illud, quod prius dirigitur actus intellectus, reſpondetur facile, quod ex eo, ſolum ſequitur, quod ſit primus via generationis, non autem via perfectionis, & formalitatis; vt patet in phyſico compoſito, ante quod, prius educuntur diſpoſitiones, quam forma ipſa, quæ illius generationis eſt terminus formalis.

74 Obijcies 2. impoſsibili ſecunda intentione, adhuc eſſet poſsibilis Logica: ergo ſecunda intentio non eſt eius obiectum propriũ, &

& adæquans. Prob. antecedens; quia impoſsibili illa reſultantia, poſſet rectè dirigi actus intellectus ad modum ſciendi, & explicandi eſſentias, & earum eviſcerare proprietates: ergo. Reſpondet Noſter Groſſo negando antecedens, & meritò, quia impoſsibili illa reſultantia, etiam eſſet actus impoſsibilis, cum reſultantia illa, poſito actu, neceſſariò procedat. Deinde poteſt dici, quod impoſsibili ſecundæ intentionis relatone, etſi actus ille directus daretur, ſolum eſſet logicalis fundamentaliter, & diſpoſitivè. Sic tenentes, quod duo parietes albi ſunt formaliter ſimiles relatione reali, reſultanti ex poſitione qualitatum, ſi relatio impoſsibilitaretur, vt aliqui putant, & etiam ex noſtris, diceretur, quod impedita reſultantia, ſolum fundamentaliter forent ſimiles. Nec valet, ſi dicas, quod poſito actu, eſt impoſsibile, quod omnis forma logica non detur: ergo quia ab actu omne eſſe logicum derivatur; Non enim valet, quia non ipſe, ſed ſecunda intentio erit forma ſemper in illo, & in omni eventu. Sic, licet poſito materiali peccati, non poſsit non dari formale, tamen ſemper ſalvatur vna formalitas, quæ ſit materia, & altera, quæ ſit forma. Similiter nota.

75 Sed contra dicta, has inferes conſequentias, ſcilicet, quod ſecunda intentio dirigitur: ergo iam obiectum proprium eſt ſecunda intentio directa: ergo iam ſecunda intentio, inſimul cum directione, eſt obiectum formaliter adæquans. Reſponderi adhuc poteſt, concedendo illationem, cum prima conſequentia, & negando vltimam. Ratio eſt, quia ex eo, quod ſecunda intentio directa ſit obiectum formale, nunquam illud eſt directio, ſed directum; quod ſolum dicit, eſſe terminum formalem directionis. Sic licet dicatur, quod anima, quæ eſt vnita, eſt terminus formalis compoſiti, nunquam infertur, quod terminus ſit vnio, ſed vnitum, quod ſolum exprimit, eſſe terminum, ad quem tendit vnio. Sic forma diſpoſita eſt terminus formalis, in quo non exprimitur, quod terminus ſit diſpoſitio. Vnde, poterit congruè dici, quod licet ſecunda intentio, vt ſit obiectum formale, non poſsit non eſſe directa, nunquam tamen forma erit, quatenus directa, ſed formaliter, quatenus ſecunda intentio. Sic, licet bonitas non poſsit eſſe obiectum formale voluntatis, quin ſit cognita, nunquam tamen res eſt obiectum, quâ cognita, ſed quâ bona, quia eſſe cognitum, ſolum directivè, ſpectat ad amorem: ergo ſic, licet ſecunda intentio debeat eſſe directa, directio non erit forma logici actus, cum ſolum diſpoſitivè ſpectet ad ſecundam intentionem.

ART. V.

OBIECTVM LOGICÆ, EX ATTRIbutione adæquatum, comprobatur.

76 RESoluimus ſupra, obiectum ex attributione adæquatum, eſſe ſyllogiſmum, quin ibi de ſtrictiori modificatione ſyllogiſmi, reſolutionem intenderemus; quia cum controverſia ſubſtantialis ſtaret inter modum ſciendi, & ſyllogiſmum, quomodocunque intellectum; vt Doctoris Subtilis doctrina, â maiori difficultate maneret libera, de ſyllogiſmo vt ſic, vel formali, alloqui ſufficiebat. Suppoſito igitur, quod ſyllogiſmus ſit ſubiectum ex attributione adæquatum, reſtat nunc amplius reſolvendum: an tale adæquationis ſubiectum ſit ſyllogiſmus vt ſic; an verò formalis, & demonſtrativus?

77 Quam plurimi Noſtratum reſolvunt, ſubiectum attributionis logicalium eſſe ſyllogiſmum vt ſic, vt ſub ſe habentem dialecticum, & demonſtrativum. Ita etiam reſolvere videtur Oviedo *controv. 2. punc. 1. §. 8. Spinula diſp. 2. ſec. 5.* qui aſſerunt, ſubiectum attributionis eſſe ſyllogiſmum, prout ex parte obiecti comprehendit demonſtrativum, & probabilem, & ex parte modi præſcindit ab eis. Hæc reſolutio poſſet ſuaderi ex eo, quod illud ſit ſubiectum ex attributione adæquatum, ad quod omnia illius ſcientiæ reducuntur, vel vt principium, vel vt pars ſubiecti, vel vt paſsio totius ſubiecti, vel principij, vel partis eius, & ſic de alijs modis, quibus ſit reductio vnius ad aliud; ſed ad ſyllogiſmum vt ſic poſſunt ſub vna, aut altera ratione, reduci omnia, quæ ſunt in Logica: ergo. Suadetur minor, quia incomplexa, & complexa poſſunt conſiderari, vt partes ſyllogiſmum integrantes, & ſic poſſunt conſiderari omnes ſciendi modi, qui formæ ſyllogiſticæ ſunt incapaces adæquatè. Deinde, ſyllogiſmus probabilis, & demonſtrativus poſſunt ſub ſyllogiſmo in communi conſiderati, vt partes ſubiectivæ ſub principijs communioribus conſiderantur. Deinceps, Sophiſticus poteſt conſiderari, vel vt obliquum ſyllogiſmi vt ſic, vel vt ipſius privatio, ſub quibus modis pluries conſideratur à Doctore Subtili: ergo ſufficit conſideratio, vt ſyllogiſmus vt ſic ſit ſubiectum ex attributione adæquatum.

78 Sed contra præfatam conſiderationem inſurgent aliqui R. R. inter quos noviſsimè

Pei-

Peinado,qui duplicem rationem adducẽs,eam ad plures alios dicẽdi modos inpugnandos habilitat. Erigitur ergo cõtrarius ex eo,quod aliæ ſcientiæ non quærant à Logica notitiam practicam ſyllogiſmi, vt præſcindentis à probabili,& demonſtrativo, ſed quærunt determinatam notitiam demonſtrativi, cum intendant de primario obiecto ſcientiam acquirere:ergo. Deinde contrarius offertur ex eo, quod notitia ſyllogiſmi vt ſic refertur potius ad notitiã demonſtrationis, quam é contrà: ergo potius demonſtratio,quam ſyllogiſmus præſcindens, erit ſubiectum attributionis. Antecedens ſuadet, quia cognitio generis, natura ſua, potius refertur ad notitiam ſpeciei, quam é contra; ſed ſyllogiſmus vt ſic eſt genus ad demonſtrationem: ergo. Maiorem probat ex eo, quod genus ſit pars metaphyſica ſpeciei,& partis notitia,natura ſua,ordinatur ad notitiam totius. Et ſi dicas,notitiam ſpeciei iuvari ad notitiam generis, vt patet in notitia hominis, & leonis iuvante ad notitiam animalis vt ſic:ergo poteſt appeti aliqua notitia in ſpecie, propter aliquã notitiam entis vt ſic:Inſtat contrarium in animali vt ſic, de quo non plus ſcitur poſt cognitionem hominis, & leonis, quam antea, licet ſpecierum,& differentiarum illius nova detur notitia.

79 Optima videntur Peinadi fundamenta, ſed tamen ex ipſis, ſalva poteſt ſemper conſurgere doctrina, in favorem Noſtratum erecta, & in primis non videtur infringi à prima ratione. Ratio eſt, quia poſſunt dicere, quod ad Logicam ſolum ſpectat miniſtrare ſciendi, & probandi inſtrumenta;alijs veró ſcientijs competit miniſtrare materiam;ſi enim ſyllogiſmus maneat probabilis, & non demonſtrativus, non derivabitur defectus, ex parte ſyllogiſmi vt ſic,quem offert Logica, ſed ex parte materiæ,quam Logicæ offert illa ſpecialis ſcientia. Syllogiſmi enim forma poteſt eſſe eadem, & tamen ex contractione ad diverſas materias dici probabilis,aut demonſtrativus:ergo quærere determinatam notitiam ſyllogiſmi demonſtrativi, non debet ſcientia adæquaté à Logica, cum demonſtratio ex maiori parte ſummatur à materia, quã potius in ſe habere, quam à Logica quærere, debet quæcunque ſcientia;aliàs difficilé poſſet ſalvari,quo modo extra Logicam,poſſet ſignari aliqua ſcientia; ad quod dicendum, pluries habui non levem propenſionem.

80 Neque ex altera ratione intentum Noſtratum infringitur. Ratio eſt, quia vt aliquid ordinetur ad aliud, non requiritur, quod vndequaque ordinetur ad illud, ſed ſufficit, quod iuxta aliqua veram, & congruam conſiderationem dicat, & habeat ordinem, quem dicunt omnia inferiora, & ſubijcibilia reſpectu ſuorum ſuperiorum,aliàs non darentur genera ſuprema, ad quæ, veluti ad capita, omnia cathegoriarum membra ordinarentur. Quare, etſi ſubſtantia ſit pars, & genus, tamen homo, & reliquæ ſpecies dicunt ordinem ad illam; & hunc non aliter, niſi quia ſunt partes ſubiectivæ eius, ita vt licet ſubſtantia ſit pars hominis, nil impediat, vt tam reſpectu hominis, quam aliarum ſpecierum ſit caput: ergo cum ſyllogiſmus demonſtrativus, & probabilis ſint partes ſubiectivæ ſyllogiſmi vt ſic, iſte erit caput;ſed capiti,& ſupremo reliqua membra ſubijciuntur,& ordinantur:ergo,& ſic,ſyllogiſmus vt ſic poterit eſſe id,ad quod reliqua ordinentur. Deinde, quia ad ordinationem, non videtur debilior ordo aſcendentis,ac deſcendentis;ſed ſpecies,& omnia tota dicunt reſpectum ad partes, & genera, per viam aſcendentis:ergo non poſſunt non dicere ordinem, & ordinem magni aſcenſus. Denique ex eo, quod ſi valeat dictum Peinadi, vtpoté, quod potius pars ordinetur ad totum, quam é contrà, & ex hoc motivo contrarium ſubiectum attributionis adducat; etiam valebit pro Scotiſtis,quod potiùs effectus ordinetur, & reducatur in cauſam, quam é contrà; aliàs dicent, quod cauſa prima non erit primum ex attributione cauſarum: ergo cum partes ſint cauſæ,& tota ſint effectus, vice verſa, in ſyllogiſmum vt ſic, & in alia genera fiet ordinata reſolutio.

81 Sed vt habenda reſolutio magis eviſceretur,ſic contra præfatam Scotiſtarum reſolutionem arguam: illud debet eſſe in ſcientia attributionis ſubiectum, apud Scotum, quod principaliter dat ſcientiæ vnitatem; ſed hanc principaliter,non dat ſyllogiſmus vt ſic: ergo. Maior infertur ex Doctore Subtili *in q. 3. Univerſ. verſ. quinto ſcilicet*, vbi impugnans argumentationem non eſſe ſubiectum adæquatum, in hæc concludit: ***Vel eſt analogum ad contentum ſub ea, & tunc ſcientia non erit una ab ipſo, ſed ab vnitate principalis, ad quod omnia alia attribuuntur, & illud eſt ſyllogiſmus, ſicut vnitas Metaphyſica eſt ab vnitate ſubſtantiæ,ad quam, omnia alia entia attribuuntur.*** Hæc Scotus: ergo ſubiectum attributionis eſt, quod principaliter dat ſcientiæ vnitatem apud Scotum, & meritó. Arguo nunc ſic; illud eſt in omni linea principalius, quod perfectiorem formam habet; ſed nulla eſt perfectior forma, quam ſyllogiſmorum primæ figuræ directorum:ergo vnitatem illam

non

non dat ſcientiæ ſyllogiſmus, vt ſic. Quod illud, quod ſcientiæ dat principaliter vnitatem, det, & ſcientiæ eſſe, infertur, quia ab illo, à quo aliquid eſt vnum, habet, & eſſe ens.

82 Dices, quod etſi ſyllogiſmi, in prima figura perfecti, ſint in forma perfectiores, non tamen reſpectu ſyllogiſmi vt ſic, quia iſte non excludit illorum perfectionem, ſed abſtrahit; ſicque ſolum erunt principaliores reſpectu aliorum ſyllogiſmorum imperfectorum. Contrà, quia etiam ſi ſyllogiſmus vt ſic illam maiorem perfectionem non excludat, etiam aliorum ſyllogiſmorum imperfectionem non negat: deinde etiam ſi illam maiorem perfectionem non neget, ſic nequé illam affirmat; ergo eſto perfectius reputetur principalius, vt reputat Scotus in ſubſtantia, reſpectu accidentis ad Metaphyſicam, dicendum eſt, quod principalior eſt ſphæta prædictorum ſyllogiſmorum, ſiquidem non ſolum maiorem perfectionem non excludunt, neque minorem non negant, ſed abſoluté, & ſimpliciter circa perfectius laborant.

83 Dicent alij, quod illud ſubiectum ſufficit pro attributione, de quo congrué paſsiones demonſtrantur, & aliàs poteſt logicalium dari aliquis ordo ad ipſum; ſed talis ordo manet ſupra exhibitus reſpectu ſyllogiſmi in cõmuni, & deinceps paſsiones valent de ipſo demonſtrari: ergo non eſt, cur altera principalitas requiratur, vt ſit pro attributione ſubiectum. Contrà, & quidquid ſit de ordine infra modificando, inſto rationem in ſyllogiſmo probabili, de quo paſsiones poſſunt demonſtrari, & per non minus infallibile medium; nec non de incomplexis, & complexis integratur; ſed ſyllogiſmus probabilis non eſt omnium attributorum logicalium ſubiectum: ergo quia ad attributionem, nec ſufficit demonſtratio paſsionum, nec logicalium integrantium quævis ordinatio, ſed requiritur eximia in perfectione attributio. Addo, quod de ſyllogiſmo ſophiſtico poſſunt demonſtrari paſsiones.

84 Dices, quod ſi ſyllogiſmus principalioris directionis, & formæ debeat eſſe præ alijs ſubiectum attributionis, quia ex hoc motivo Doctor Subtilis ſignat à paritate, ſubſtantiam debere eſſe ſubiectum in Metaphyſica, potius ſalvaretur, quod ſyllogiſmus vt ſic ſit ſubiectum attributionis, quam quivis alius ſpecialis ſyllogiſmus: ergo ex paritate ſubſtantiæ, neque Scoto, neque ratione aliquid ſuademus. Prob. intentum antecedentis, quia etſi ſubſtantia ſit ſubiectum attributionis ex vnitate principalis, non tamen tale ſubiectum eſt ſubſtantia principalior, aliàs Deus foret ſubiectum attributionis Metaphyſicæ: ergo etſi Doctor Subtilis, rationi innixus, dixerit, quod à paritate ſubſtantiæ, principale debebat eſſe ſubiectum in Logica, non infertur, quod tale debeat eſſe ſyllogiſmus principalis, ſed principale erit ſubiectum ſyllogiſmus vt ſic. Hæc ſolutio non facilé infringi videtur. Sed contra eam vnicam rationem trado, ſcilicet, quod talis ſyllogiſmus, vtpoté ad perfectiorem formam contractus, adhuc manet intra limites ſcientiæ logicalis; at autem talis ſubſtantia, vtpoté ad perfectiorem formam contracta, non videtur manere intra limites metaphyſicos, quia ſic iam erit, vel ſubiectum Theologiæ, vel alterius ſpecialis ſcientiæ: ergo. Deinde, quia ſi intendant probare, talem ſubſtantiam intra limites Metaphyſicæ manere, ſimiliter, ac de ſyllogiſmo perfectiori, iuxta Scotum, & rationem diſcurram.

85 Sed his omnibus occurrent aliqui, non ſiniſtré fundati, & dicent, quod ex dictis tam Scoto, quam rationibus manifeſté deducitur, quod ſyllogiſmus demonſtrativus ſit attributionis ſubiectum. Suadetur deductio, quia illud exiſtimatur ſubiectum attributionis, propter quod, veluti propter principalis cognitionem, reliquorum notitiæ moventur, & ad ipſum, veluti ad principale ordinantur; ſed principale eſt inter omnia ſyllogiſmus demonſtrativus: ergo iſte erit ſubiectum ex perfectiori attributione adæquatum. Quod difficilimé ſalvabitur apud Scotum, & rationem. Apud Scotum, quia ſyllogiſmum eſſe dialecticum, vel demõſtrativum, deſummitur penes materiam, ad quam contrahitur. Ita *in 1. Prior. q. 2.* propé finem. Apud rationem, quia ſubiectum principalitatis non attenditur penes perfectiorem materiam, ſed penes perfectiorem formam: ſi enim de anulo daretur ſcientia, anulus aureus non diceretur ex maiori perfectione principalitatis ſubiectum: ergo à ſimili.

86 Ab hoc occurſu compellimur, vt iam doctrinam reſtringamus. Exiſtimo igitur, quod præſens ratio non inſtat ita, quod ſyllogiſmum demonſtrativum eſſe ſubiectum attributionis, compellat. Primum, propter ſuperiùs dicta reſpondendo pro Scotiſtis ad rationem P. Poinadi. Vnde dico, quod cum hinc ſolum inquiramus attributionem reſpectu illorum entium, quæ ſunt formaliſsimé ſecundæ intentiones Logicæ, ſic illud ſubiectum debemus conſtituere attributionis ſubiectum, quod formaliter ſit ſecunda intentio; ſed eſſe formale ſecundæ intentionis ſyllogiſtici entis, eſt ſola forma, & non materia, etſi materiæ inſit, & applicetur: ergo ſubiectum attributionis, non

ma-

materia, ſed ſola ſecunda intentio, à formali directione reſultans, erit ſpecialiter conſtituta: ergo non deducitur, quod ſyllogiſmus demonſtrativus ſit ſubiectum attributionis, etſi tale deducatur ſecunda intentio formæ perfectæ. Deinde, poteſt dici, quod etſi ſubiectum attributionis intelligatur vt ex materia, & ex forma conflatum, adhuc ſyllogiſmus demonſtrativus poſſet percipi ſubiectum attributionis ex parte formæ; alijs ſyllogiſmis contrahibilis, quin perciperetur ſubiectum ex parte omni, ex qua dicitur demonſtrativus, ſcilicet, ex parte formæ, & materiæ. Ratio eſt, quia ſubiectum attributionis ſummé exactum, debet eſſe illud vltimum, & ita in perfectione independens, quod propter ipſum reliqua moveantur, & ad ipſum reliqua reducantur, non autem é contrà, ſaltim in famoſiori reductione: ergo cùm adhuc in ſyllogiſmo demonſtrativo, materia ſit propter formam, & materia reducatur ad formam, vt ad vltimum perficiens ſcientiæ rationalis, ſola forma erit ſemper ſubiectum attributionis ſtrictè intellectum. Nec non poſſet fortè dici, quod caſu, quo intendant omnium materiarum Logicæ facere attributionem, tunc nil referret, quod materia demonſtrationis foret omnium aliarum ex attributione ſubiectum. Sed huic poteſt obſtare, quod etiam aliqua Logicæ artificia, non minus quam demonſtrativa, materiam petunt neceſſariam.

87 Tandem, ſi perfecta forma ſyllogiſtica non poſſet percipi ſine aliqua connotatione ad materiam, demonſtrationi propriam, non deberemus negare, formam ſyllogiſticam ſic intellectam, eſſe ſubiectum attributionis; etſi exiſtimem, quod nunquam demonſtratio eſſet ſubiectum in illo rigore, in quo ab alijs eſſe ſubiectum deffenditur; ſi iam ad quæſtionum nominis diſtinctionem non reducamus. Fundamentum ad propoſitum intentum eſt apud Doctorem eximié Subtilem. Doctor enim in quampluribus locis excitatis pro tota hac *Diſt.* reſoluit, quod omnis ſecunda intentio eſt quid ſpecialiter tractabile à Logica; ita tamen, quod ſecunda intentio conſideretur à logico, vt applicabilis rebus. Videatur pro omnibus locis in 1. *q. Perhierm.* quam ſic concludit: *ſi tamen conſiderentur, vt ſunt rebus applicabilia, communia ſunt, & ſic de eis eſt Logica: vnde conſideratio logici eſt de huiuſmodi intentionibus, prout rebus ſunt applicabiles, & ideo Logica dicitur eſſe de communibus.* Nunc ſic: ſecunda intentio applicabilis eſt Logicæ ſubiectum; ſed ſecunda intentio applicabilis non poteſt percipi ſine recurſu ad res, quibus eſt applicabilis: ergo ſubiectum Logicæ, ex forma intentionali, & eſſe materiali conflatur.

88 Pro ſolutione huius difficilimæ inſtantiæ, duplicem intendam adaptare intelligentiam, quarum illa poterit eligi, quæ, iuxta cuiuslibet Scotiſtæ captum, magis ſuperſedeat. Poteſt igitur dici primó, quod etſi forma ſyllogiſmi ſecundó intentionalis non valeat percipi niſi vt applicabilis rebus, & materijs, nunquam tamen infertur, quod ſyllogiſmus demonſtrativus ſit ſubiectum Logicæ, vt vndequaque conflatus, ſcilicet, vt formam, & materiam æqué indicens. Ratio deſummi poteſt ex eo, quod illud eſſe formale in prima figura directum, non ſolum ſit huic materiæ applicabile, ſed pluribus alijs, ex qua applicatione poterit perfecta formalitate ſecundo intentionali, non reſultare ſyllogiſmus, qui ſit demonſtrativus, ſed qui ſit puré dialecticus, aut alius. Quo pacto videtur ſalvari, quod ſecundæ intentiones applicabiles ſint ſubiectum Logicæ, quin tale inferatur ſyllogiſmus demonſtrativus, prout vndequaqué æqué acceptus. Vbi debes etiam notare, quod etſi ad logicam ſpectet exhibere, & proponere ſecundam intentionem, & ſic formam applicabilem, tamen applicatio ipſa non ſic videtur ſpectare ad Logicam, ſed ad intellectum, ſub cuius vniverſali principio cadit vſus, & applicatio formarum cuiuſcumque ſcientiæ.

89 Poteſt deinde dici ſecundó, quod adhuc ſuppoſito, quod forma ſyllogiſtica, rebus neceſſarijs applicabilis, foret diſtincta, nunquam iuxta Doctorem Subtilem cogeremur dicere, quod ſubiectum attributionis Logicæ erat ſyllogiſmus demonſtrativus, prout abſoluté acceptus, & ex omni parte æqué conſideratus. Ratio deducitur ex ipſo Doctore Subtili, tam ex *q.* 14. *Vniverſ.* quam ex *q.* 8. in quibus locis reſolvere videtur, quod etſi ſecundæ intentiones, ſolum vt applicabiles his, aut illis rebus, debeant intelligi, tamen eſſe ſpeciale Logicæ, non rebus, ſed formis ſecundo intentionalibus attribuitur. Sic etſi dum definitur genus, non definiatur genereitas, ſed ſecunda intentio applicabilis, ſubiectū tamen definitionis ſcientiæ, non eſt concretum ex ſecunda intentione, & ex re, vt ex partibus conflatum, ſed ſola ſecunda intẽtio, quę eſt illius cōcreti forma. Vndé, etſi ſecunda intẽtio, applicabilis illi ſoli rei, vel cōſimili, intelligatur, rectū tamẽ totius intelligentię Logicæ, ſolū eſt ſecūda intẽtio: & licet ſecunda intentio ſit ſolum quod

dicitur in recto, & nilominus inſtent, quod debet etiam intelligi res, vt ipſa intentio in recto intelligatur, ſatisfacit ſubtiliter Scotus in 8. *q. Univerſ.* dicendo, quod nunquam intelligentia rei, reſpicit rem vt partem æqué dicibilem, & intelligibilem, ſed vt puré, & nudé terminantem. Dat rationem, quia ſi æqué vtrumque reſpiceretur, tunc ſubiectum ſcientiæ foret vnum per accidens, vtpoté vnum ex ente reali, & ex ente rationis; in quo etiam caſu ſola ſecunda intentio foret ſubiectum, quia in ente per accidens debet dari reductio ad aliquod primum, & primum conſiderabile à logico eſt rationis, ſicuti ens naturæ eſt primum conſiderabile à primo Philoſopho. De quo etiam Scotus. Itaque hæc applicabis prædictæ difficultati, diſcurrendo ſupra concretum demonſtrativum, ſicuti ſcoticé debes ſupra genericum. His ita, circa punctum reſolvendum, eviſceratis, facili negotio reſolutionem decidemus.

ART. VI.

RESOLUTIO IN PRÆDICTIS habenda expenditur.

90 VT clariùs reſolvenda hinc expendantur, adverto, neceſſarium eſſe revocare in memoriam, quæ diximus in hac *quæſt. Art.* 1. in expoſitione Scoti. §. *His ita explicandum venit*, vbi prioritatem generationis, & ſpecificæ perfectionis explicuimus; & etiam videantur dicta in eodem *Art.* in ſolutione obiectorum à §. *Reſpondendum ſentio*, vſque ad *Art.* 2. excluſivé, vbi eviſceravimus modum intelligendi communitatem attributionis, & qualiter à perfectiori, & ſpecificé determinatiori, ex t probabiliùs ratio ſubiecti attributionis derivanda. His ita.

91 Exiſtimo, poſſe probabiliter deffendi opinionem Scotiſtarum dicentium, quod ſubiectum ex attributione commune eſt ſyllogiſmus in communi. Pro hac opinione videtur eſſe Scotus, ſi penes literalem ſenſum ſit capiẽdus; ſicque nulla indigent interpretandi anxietate. Ratio eſt, quia vt aliquid ſit ſubiectum ex attributione commune, ſufficit, quod omnia reducantur ad ipſum, aliqua vt integrantia, & alia vt ſubijcibilia; ſed ſic poſſunt omnia reduci ad ſyllogiſmum in communi: ergo. Maior poteſt ſuaderi; quia nullum poteſt dari ſubiectum, cuius attributio non fiat ab integralibus, & ſubijcibilibus, quia etſi ſubiectum attributionis foret demonſtratio, debebant aliqua reduci vt integrantia, ſcilicet, incomplexa, & vnico iudicio complexa, & alia debebant reduci vt ſubijcibilia, ſcilicet, omnes ſpecies, vel ſaltim individua demonſtrationis vt ſic; ergo. Minor ſuadetur; quia incomplexa, & complexa reducuntur ad ſyllogiſmum vt ſic, vt integrantia, & reliquæ ſyllogiſmorum ſpecies, vt ſubijcibilia: ergo. Sentio tamen, hanc attributionem fieri per viam, & prioritatem generationis, ſaltim ex principaliori parte, quæ eſt pars diſcurſiva, vtpoté, omnis ſpecies ſyllogiſmorum, vel formaliter directorum, vel ſpecialiter demonſtrativorum; quare iudico, ſyllogiſmum vt ſic ſolum poſſe deffendi ſubiectũ, cui omnia ordinantur vt primo, primitate generationis, non autem primitate perfectionis. Ex quibus infero, quod cum propenſius deffenſaverimus, attributionem applicandam eſſe primo primitate perfectionis, conſimiliter hinc reſolvere debemus; at, videatur in loco citato probabilitas deducta, & ibi combinata in horum Scotiſtarum favorem.

92 Reſolvo igitur famoſiori methodo, tam iuxta Scotum, quam iuxta rationem, illum ſyllogiſmum eſſe ſubiectum excellentiori, & ſolidiori attributione adæquatum, qui in ſumma perfectione formæ ſit conſtructus, vel qui, etſi materiæ neceſſariæ debeat eſſe applicandus, intelligatur, ſicuti pauló ante cum Doctore Subtili eſſe intentionale intelleximus. Quod hæc reſolutio ſit iuxta rationem, ſuadent feré omnia dicta in tota præſenti *Diſt.* præcipué in loco citato in huius reſolutionis initio. Id ipſum ſuadent feré omnia dicta in hoc *art.* 3. Deinde, quod ſit Doctoris, non minus manet expreſſum in tot locis, ex quibus, rationibus, & exemplis adduximus Scotum explicantem attributionis communitatem, tam à paritate ſubiecti Theologiæ, quam à paritate ſubiecti ſcientiæ naturalis, Metaphyſicæ, & aliarum. Solum hinc reſtat literalibus verbis, vera, & genuina mente, aliquibus Scotiſtis ſatisfacere, de quo ſtatim.

93 Etſi enim Doctor Subtilis ſubiectum attributionis ſignaſſet ſyllogiſmum, quin neque in 1. *Prior.* neque in 3. *Univerſ.* ipſum contractum explicuiſſet, non debet ex hoc inferri, quod determinaté ſyllogiſmus in communi foret ſubiectum attributionis omnimodæ in eius mente, ſed ſolum eſſe ſubiectum ſyllogiſmum, vt comparatum ad alias ſpecies modi ſciendi extra ſyllogiſticam. Rationem, attentus Scoto, deſumpſi ex eo, quod tam in *primo Prior.* quam in *tertio Univerſalium* poſuiſſet Scotus omnem controverſiam inter ſyllogiſmum, &

inter

inter omnem aliam multitudinem modorum ſciendi, & ut ſubſtantiam difficultatis, & nervum controverſiæ decideret, oppoſuit præcisé ſyllogiſmum, quin alicuius contractionis curaret, quia ad præcipuum intentum, id neceſſarium eſſe non reputavit. Itaqué, cum tam pro incomplexis, quam pro alijs complexis, ſyllogiſmus ſufficeret pro centro, reſolvit Scotus, quod cæterorum logicalium ſubiectũ attributione commune erat ſyllogiſmus, non curans pro tunc de alio ſyllogiſmo, quam de communiter intellecto. Sic eſt intelligendus Scotus, ſi alijs eius illationibus ſit etiam ſtandum.

94 Deinde adverto, quod motivum ad ſic efformandum reſolutionem, extra tot ſuperiùs dicta, habui ex eo, quod paſsim inveniſſem apud Scotum, quod in per ſe ordinatis deveniendum erat ad aliquod vnum, cuius limites ſcientia non tranſeat, quin excellentiam minuat: ergo quidquid tale ſit, debet in quacumq; linea rectè ordinata, eſſe ſubiectum omnium aliorum entium, per gradus perfectionis ad ipſum, veluti ad centrum decurrentium. Sicque ſi omnia incomplexa, & complexa decurrant per ſpeciales gradus ad ſyllogiſmum vt ſic, cui adhuc deficiat in perfectione decurſus, non ille, vtpoté vt ſic, ſed alter, vtpoté complens, debebit eſſe ſubiectum ſyllogiſmi vt ſic, & aliorum decurrentium ad ipſum. Nec valet, quod poſt ſyllogiſmum perfectioris ſphæræ dari poteſt ſyllogiſmus individuans, ſicque, quod iſte erit ſubiectum omnis decurſus. Non enim valet; quia tunc tranſcẽdit ſcientia limites ſyllogiſmi perfectioris ſphæræ, minuendo perfectionem ſubiecti, quia cum omnis perfectio formalis ſyllogiſmi individui ſit iam in communiori, & ſupra hoc habeat vniverſalitatem, quæ reſpectu ſcientiæ eſt aptioris conditionis, non poterit ſcientia vltra illum ſyllogiſmum decurrere, quin ſcientiæ excellentiam minuat. Nec valet, ſi dicas, quod ſyllogiſmus vt ſic eſt vniverſalior, quam ſphæra ſyllogiſmorum perfectorum: ergo. Non valet; quia ibi, etſi vniverſalitas ſit maior, ſed tamen cum diminuta perfectione, quam ſummé habet altera ſphæra. Deindé, quia vt dixi in locis citatis ſupra, in obliquo non eſt minus vniverſalis ſyllogiſmus ſphæræ perfectioris. Videantur ibi.

95 Contra ſtabilitam reſolutionem vnicum proponam argumentum. Argumentum igitur intendet probare, quod vnitas ſcientiæ, cõmodé debeat ſummi ab vnitate modi ſciendi vt ſic, qui quidem eſt ſubiectum prędicationis, & habens vniverſalitatem in recto. Arguitur ſic; vnitas ſcientię totius humanitatis deſũmitur ab ipſa vnitate vniverſali naturæ in recto, quæ eſt ſubiectum prædicationis; non autem deſummitur ab aliquo ſubijcibili naturæ, ipſam determinante, ita vt hoc ſit ſubiectum attributionis humanæ ſcientiæ, & adhuc in obliquo ſufficienter commune: ergo, & vnitas ſcientiæ rationis debet sũmi ab vnitate ſubiecti, in recto vniverſalis, & per prædicationem expedibilis, quod eſt modus ſciendi logicé intentionalizatus; non autẽ deſummetur ab vnitate ſubiecti ſolum in obliquo communis, & illam rationem communem determinantis; quod quidem eſt ſyllogiſmus. Reſpondeo ad argumentum, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem. Ratio eſt conſona ſupradictis; quia omnis formalis, ſpecifica, & eſſentialis perfectio humani, ſalvatur in natura humana, vt vnitate in recto communi informata, quin aliquod eam determinans, aliquam eſſentialem perfectionem ipſi addat; at autem, non ſic omnis perfectio ſpecificans ſalvatur in modo ſciendi, cum adhuc ſuperſint ſpecificæ reſolutiones, formalem, & ſtrictam perfectionem illi addentes. Si enim poſt rationale daretur adhuc aliquis gradus, ipſum in formali, & ſpecifica perfectione reſoluens, talis gradus ſpecificé determinaret ſcientiam humanam, ipſique perfectiùs daret vnitatem, quia inter talem gradum, & inter rationale daretur ille exceſſus, qui de facto datur inter animal, & inter gradum rationalem. Ex quibus infero, nullam eſſe paritatem; quia natura humana æqué participatur ab omnibus individuis, nullum enim eſt, quod perfectiùs ſit homo; & ſic nil mirum, quod ſcientia humani ſolũ accipiat vnitatem, & reſolutionẽ ab ipſa natura humana in recto vniverſali, quia nullum datur, quod ex aliqua ſpeciali excellentia poſsit conſtitui omnibus in obliquo commune; at autem, modi ſciendi natura non ſic æqué participatur ab omnibus ſubijcibilibus, cum detur aliquod, ſcilicet, ſyllogiſmus, qui in modo habendi ſciendi modum, omnes formaliter ſuperat, ſicuti modus diſcurrendi formaliter, & ſpecificé ſuperat omnes modos, qui præcisé ſunt iudicandi. Quapropter, debes notare, exacto examine hæc omnia Scotum prævidiſſe, dum ſupra *q. 4. Prædicam.* dixit, quod quando ſubiectum ſcientię erat analogum, tunc de illo ſecundum ſe, non debebant fieri demonſtrationes, ſed de primo illo, ad quod omnia alia attribuuntur.

96 Infer ex dictis quæſtionem reſoluentibus, quod eadem doctrina, quæ nos induxit, vt ſubiectũ attributionis ſolũ in ſyllogiſmis directis primæ figurę cõſtitueremus, inducit nos etiã, vt nõ in quatuor modis, ſed ſolũ in duobus,

bus, ſcilicet, in *Barbara*, & *Celarẽ* cõſtituamus. Ratio eſt conſona, quia preterquã quod ſyllogiſmi in *Barbara*, & *Celarẽ* non habent diminutã perfectionẽ, ſuperant ſyllogiſmos in *Darij*, & in *Ferio* in Vniverſ. ex qua ampliùs, & perfectiùs quævis ſcientia, & præcipuè Logica, ſuam ſphæram auget. Deinde, facilè poteſt ſuaderi ex eo, quod ſi aliquod ex principijs præmiſsis non foret Vniverſale in *Darij*, & in *Ferio*, ſcientificus effectus debilitaretur ita, quod non deveniret vſque ad concluſionem: ergo eius ſcientificus decurſus, ex illo principio vniverſali derivatur: ergo, ſi alterius principij præmiſsi concurſus foret etiam vniverſalis, perfectiùs, & vigoroſiùs curſus ad concluſionem exiret corroboratus: ergo &c. Aliqui Scotiſtæ, inter quos P. Rothericus *lib. 3. Dialec. cap. 6.* in fine, adhuc prædictam illationem reſtringunt, & centrum totius Logicæ principalitatis ad *Barbara* reducunt, eo quod modus *Celarem* ſit negativus, & omnis negatio per ſuam affirmationem reguletur. Sed in hoc, leve ſentio diſsidium; & licet aliquis dicat, non minus *Celarem* perfectam ſphæram integrare, nil dicet, quod non ſit probabile, cum non minus ſit de eſſentialioribus, gradus diſtinguens, & extranea negans, quam conſtituens, & propriora affirmans; imò negationibus pluries entia explicantur aptius, & Logicum inſtitutum in doctrinis, & communibus explicationibus exprimitur. Vnde notabis, quod *Barbara* eſt medium, per quod Logica probat illa, de quibus eſt ipſa; *Celarẽ* verò eſt medium aptius, vt probet, quod ipſa non eſt de alijs, de quibus alię ſcientię ſunt; quæ ſtrictè ſinonoma apparent. Vbi nota, quod ſi aliqua maior perfectio poteſt percipi in *Barbara*, ſtat ex eo, quod per *Barbara* propriùs adquiratur noritia de ſubiecto, quam per *Celarem*, ſiquidem vt per *Celarem* adquiratur, requiritur, quod à cæterorum excluſione, proprium inferatur.

97 Aliqua hinc ommitto argumenta, tum quia valde trita, tum quia de illis eſt in ſpecialioribus locis notitia exhibenda; propter quod igitur ommitto illud, ſcilicet, quod abſurdum eſt quęrere ſcientiam, inſimul, & modum ſciendi; de quo videatur Doctor Subtilis ſupra *q. 1. Vniverſ.* vbi eleganti eruditione prædictum textum exponit, & qui diffuſam velit interpretaitonem, ſolida intelligentia deductam, legat ex noſtris *Ioan. Anglic.* in expoſitione *quaſtionis 1. Doctoris Subtilis ſupra Vniverſ. Porphyrij.* Similiter hinc proponitur illud aliud argumentum, videlicet, quod ſyllogiſmus, de quo quęritur ſcientia, eſt notus, & quod ſyllogiſmus, per quem habetur ſcientia, eſt ignotus; ſed per ignotum nil ſcitur: ergo. Deinde inquirunt, an ſit ſcientia de ſyllogiſmo, & per quem habetur ſcientia? ſi non ſit ſcientia de illo, inferunt, quod neque de ſyllogiſmo in communi, quia quod ſcitur de communi, ſcitur de quolibet particulari. Si ſit; ergo per alium ſyllogiſmum, & ſic de iſto ad alium vſque in infinitum. Huic igitur trito argumento, à Doctore Subtili ſic propoſito, exactè reſpondere ommittam; ſed tamen, vt horum aliqua pro nunc maneat notitia, ſolutionem Doctoris noſtri in *q. 3. Vniverſ.* relinquam.

98 Reſpondet igitur Doctor noſter dicendo ad primum, verum eſſe, quod ſyllogiſmus, per quem habetur ſcientia eſt notus, & ignotus; non autem ſecundum idem, eſt idem notus, & ignotus. Quod ſuadet ex eo, quod ſyllogiſmus, per quem habetur ſcientia, ſit notus quoad veritatem præmiſſarum; ſunt ſiquidem propoſitiones immediatè illativè concluſionis, & ſic, cum illatio concluſionis ex præmiſſis, ſit ex penetratione terminorum manifeſta; quia nullius indiget, vt manifeſtum ſit, concluſionem ſequi ex præmiſsis, ideo quoad illationem concluſionis ex præmiſsis, ille ſyllogiſmus particularis, & quicunque alius eſt notus. Deinde, eſt ignotus; ſed tamen eſt ignotus quoad paſsionem illam, quæ demonſtratur de ſyllogiſmo in communi, ſecundum quam, nil mirum, quod talis ſit, cum ſyllogiſmus ipſe in communi ſit etiam ignotus; aliàs ſi notus eſſet etiam quoad illam paſsionem, ad nihilum reſtabat demonſtrationi locus: quare de ſyllogiſmo in communi non quæritur cognitio, niſi quoad paſsionem, quæ ſi eſſet nota obviaret cognitionis quæſitum, & ita non eſt idem notum, & ignotum ſecundum idem.

99 Ad ſecundum reſpondet Doctor dicendo, quod etiam eſt ſcientia de ſyllogiſmo, per quem habetur ſcientia: & cum quæritur, per quem ſyllogiſmum? reſpondet, quod per ſe ipſum, quia in quatum per ipſum oſtenditur paſſio aliqua de ſyllogiſmo in communi, oſtenditur de ipſo in quantum eſt ſyllogiſmus. Nec aliter (concludit Scotus) eſt ſcientia de particulari. Hoc vltimum non ſuſtinet *Ioan. Anglic.* ſupra in *q. 3.* eo quod ſyllogiſmus particularis poſsit habere ſpeciales paſsiones de ipſo demonſtrabiles, & tamen per demonſtrationem paſsionum ſyllogiſmi in communi, non ſcirentur: ergo. Sed quidquid malè ſuſtineat Anglicus, firmiſsimam reputo reſolutionem Scoti. Quia, etſi paſsio ſingularior, ab aliquo intenderetur demonſtrari, vt adquireretur ſcientia, debebat poni principium

Vni-

vniverſale, ex quo derivaretur illatio; certiſſimùm enim eſt, quod nulla propoſitio particularis poteſt eſſe vera, niſi in virtute vniverſalis: ergo adhuc de illo particulariori non daretur aliter ſcientia, niſi in quantum de vniverſali daretur. Si non ſit ita, proponat alia principia, & exemplificet, qualiter ſcientiam inferat. Noto hinc, non repugnare apud graves Philoſophos, dari infinitum proceſſum ſyllogiſmorum. Videatur Anglicus in *quaſt.* 3. vbi contra repugnantiam tradit doctrinam.

QUÆSTIO III.

Expenduntur quæ de obiecto materiali, & formali reſtabant.

100 TAmetſi de obiecto tam materiali, quam formali aliquam in *Præambulis* reliquiſſemus notitiam, reſtat ſemper, quod aliqua valdè vtilia, pro complemento præcedentium, advertamus. Dum igitur de obiecto materiali ſcientiæ loquimur, debet adverti, quod pro ſcientiæ materia, non opportet ſemper materiam metaphyſicam obiecti formalis intelligere, quia ſæpe accidit, quod materia ſubiecti formalis ſcientiæ ſit realiter diſtincta ab omni eſſe formalis ſubiecti, vt patet in Theologia, vbi Deitas eſt ratio formalis attingendi aliqua realiter à Deitate diſtincta. Similiter in Medicina, vbi corpus eſt materia, ratione ſanitatis ſeparabilis, diſtincta. Sic etiam in Logica, materia eius adæquata erit omne terminativum ſecundæ intentionis, & tamen conceptus obiectivi, formas rationis terminantes, realiter ab ipſis formis diſtinguntur: nec non & ipſa entia ſecundò intentionalia materiam intelligibiliter habent metaphyſicā, quæ non eſt propria materię Logicę, ſed metaphyſicę, ſeu ſcientię quidditativæ, hoc eſt, examinātis rerū quidditates; quod rectè prævidit Scotus in 1. *Elench. quaſ.* 2. & ratio eſt, quia circa eamdem materiam plures ſcientiæ verſantur, ita vt phyſicè, & realiter materia ſub hac, & illa ſcientiæ conſideratione ſeparetur; ergo, quia habet phyſicam, & poſitivam indifferentiam, habilem ad ſeparationem pro conditione conſiderantis.

101 Ex hoc motivo Doct. Subtilis in 1. *Reportator. quaſ.* 2. prævidit, quod ſcientia aliqua non diſtingui videtur ab alijs, ratione ſubiecti in quo eſt, nequè ratione ſubiecti de quo, vel circa quod eſt, niſi exprimatur ſub ratione conſiderationis formalis obiecti, ſecundum quam ſe offert ſcienti, & aptum natum eſt ſic ab eo concipi. Ratio eſt, quia ſi ſcientia, quæ agit de Deo, præciſsè foret Theologia, Theologia foret metaphyſica, quia metaphyſica poteſt de Deo inquirere rationē veri, boni, &c. & tamē nō eſt Theologia, quia etſi agat de Deo, non agit de Deo, in quantum Deus, & ens eſt à ſe, ſed inquantum eſt ens, ſub qua entis conſideratione, paſsiones entis demonſtrat. Quapropter, vt in aliqua ſcientia obiectum materiale, formali ſignatum, diſtinctè percipiatur, requiritur, quod ratio formalis ſubiecti, ſupra totum ſubiectum reduplicetur; quod benè ſic diſtinxit Doctor noſter in *q.* 8. *Vniverſ.* vbi in ſolutione argumenti probantis etiam ſpectare ad metaphyſicam intentionum conſiderationem, ait, quod etſi concedatur, quod conſideret intentionem, in quantum ens, non tamen ſequitur, quod habeat pro obiecto ſuæ conſiderationis intentionem, inquantum intentio; ſic non eſt idem mobile, in quantum mobile, & mobile, in quantum ens. Sic pariter Doctor Subtilis, ſupra citatus in *Reportatis*, conſentit, quod Deus, in quantum Gubertor, ſit noſtrę Theologiæ ſubiectum; vbi rationem formalem reduplicat, quia ſi ſolum diceret, Deus Gubernator eſt Theologiæ ſubiectū, hoc dictum non impediret, quod Deus tale ſubiectum foret inquantum Revellator; Deus ſiquidem Gubernator poterat eſſe, etſi vt revellator ſubiectum foret. Quod patet, quia ſi pro aliquo ſufficiat Deus Gubernator pro diſcrimine aliorum attributorum, derivabitur ex eo, quod in ſua mente ſolam gubernationem cum Deo percipiat, inquo caſu iam reduplicat rationem, cum Deum Gubernatorem tantum intelligat. Ex quibus debes etiam notare, quod ſicuti quodlibet ſubiectum materiam, & formam metaphyſicam habet, ſic & quęlibet ſciētia, quæ dum definitur, remanet reſpectu definitionis ſubiectum metaphyſicum, materia, & forma conſtitutum, & per has formalitates metaphyſicè eviſceratum; non aliter, ac dum homo definitur, remanet ſubiectum, de quo per genus, & differentiam quidditas explicatur. His ita.

102 Dubitare incipies, qualiter nos debeamus haberi circa intelligentiam ſubiecti formalis, & materialis Logicæ? Circa quod, reſpōdeo iuxta doctrinam noſtri Doctoris in *quaſ.* 1. *Elench.* quod etſi ex materia, & forma metaphyſica ſubiectum Logicæ conſtituatur, tamen materia, circa quam tendit Logica, non eſt materia metaphyſica, ſeu quidditativa ſubiecti, quia hæc ad ſcientiam quidditativam ſpectat; eſt igitur materia propria Logicæ illa, quæ à Logica attingitur propter omnem quidditatem ſubiecti formalis; v. g. ſecun-

ſecunda intentio eſt ſubiectum proprium, & formale Logicæ, materia, quæ à Logica attingitur ratione formæ ſecundó intentionalis, non eſt materia metaphyſica ſecundæ intentionis, ſed ſunt omnes conceptus obiectivi, & primò intentionales, quibus ſecunda intentio logica eſt applicabilis; ſicque ſicuti corpus, cui eſt applicabilis ſanitas, eſt ſubiectum materiale Medicinæ, non autem materia metaphyſica ſanitatis; ſic pariter, omne illud ens, cui inmmediaté ſit applicabilis ſecunda intentio logica, dicitur ab Scoto ſubiectum, & materia Logicæ. Vnde notabis, quod materia metaphyſica eſt pars ipſius ſubiecti formalis.

103 Itaque firmiter reſolvendum eſt, quod ſubiectum materiale adęquatum Logicę, eſt quodcumque ens à ſecunda intentione (ſicuti toties fuit ſecunda intentio explicata) denominabile. Similiter, ſubiectum formale adæquatum Logicæ, eſt forma ſecundo intentionaliter denominans, aut quibuſcumque rebus applicabilis. Vtraque reſolutio extat diffuſé propugnata, & in *lib.* 1. *Entis intentionalis* Scoto conſonans. Vnde, etſi ſubſtantia, v.g. ſit materia plurium ſcientiarum, hoc nil impedit, vt reddatur materia propria Logicæ, prout contracta ad eſſe diversé terminans, reſpectu formæ intentionalis, ex cuius applicatione, manet ſub logica ſphæra, vt poté forma logica informata, vel informabili. Sicque de omnibus alijs materijs ſentio ſine lite diſcurrendum. Nec valet, quod ſecunda intentio eſt relatio rationis, & eius terminus eſt prima intentio, ſecundæ intentioni ex applicatione correlata: ergo ſpectabit ad Logicam cognoſcere quidquid eſt res primó intentionalis, quia cognito vno correlativo, debet, & aliud cognoſci. Non valet, quia vt ſubtiliter prȩvidithoc Scotus ſupra *quaſ.* 1. *Prædicam.* non oportet propter vnius relativi cognitionem, alterum cognoſci, quantum ad omnia, quæ ſunt in ſe, ſed tantum, quantum ad illa, quæ inſunt ei, in quantum refertur ad aliud: hoc autem modo, non eſt inconveniens, rem cognoſci in Logica, in quantum ens eſt ſignificatum per conceptum. Verba ſunt Scoti.

104 Solum hinc reſtat, pro exacta prædictorum intelligentia, explicare modum habendum circa ſubiectum adæquatum ex prędicatione, & circa aliud ex attributione adæquatum. Diximus igitur, modum ſciendi intentionalem, eſſe ſubiectum ex prædicatione adæquatum, & ſyllogiſmum formalem, eſſe ſubiectum ex attributione adæquatum, & licet dixerim, ſubiectum ex prædicatione adæquatum ſufficere pro vnitate, & ſpecie ſcientiæ, ſemper tamen ſcientiam in perfectione, & ſpecie prætuli ex conditione ſubiecti ex attributione adæquati. Ex quibus ſimiliter eſt circa obiecta formalia diſcurrendum. Itaque modus ſciendi logicé intentionalizatus eſt ſubiectum formale Logicæ per prædicationem; ſyllogiſmus veró formalis eſt ſubiectum formale Logicæ per attributionem; quæ rationes formales habent eamdem ſubordinationem, & compatibilitatem, ac in præcedentibus, de ſubiecto prædicationis, & attributionis, laté explicuimus. Debes igitur ſcire, quod in præcedentibus reſolutionibus de obiecto adęquato ſtabilitis, inſimul loquebamur de obiecto formali; & ſic de formali loqueremur in concreto, vt poté, vt terminato ad eſſe primò intentionale, quod eſt obiectum materiale, conſortians formale in illo concreto, etſi vt terminans, & puré connotans; quod nihil officere potuit; imo, vt dixi, ſentio, quod ſubiectum adæquatum eſt ſic diſcutiendum, cum cognita forma, & materia aliquomodo cognoſcatur. Sed tamen ſi ſub ſtrictiſsima expreſſione volueris de obiecto formali alloqui, facilé habes medium, cum nullo egeas, niſi reduplicatione, ita vt dicas, ſubiectum adæquatum, & formale eſſe modum intentionalem, in quantum intentionalem; & ſimiliter reduplicabis in ſyllogiſmo.

105 Dubitabis 2. an voces, & conceptus formales ſint ſubiectũ materiale Logicæ? His, & alijs huiuſcemodi dubitationibus, reſpondendum eſt, habendo præ oculis primi dubij reſolutionem, iuxta quam firmiter ſtabilivimus, quod ſubiectum materiale Logicæ poterat eſſe quidquid à ſecunda intentione foret denominabile. Vnde ſine lite dicemus, quod ſi formę ſecundó intentionales ſint vocibus, & conceptibus applicabiles, tam voces, quam conceptus formales ſubiecta materialia Logicę manebunt. Sed quia ſic dubitationem non tollimus, ideo maiori reſolutione eſt reſpondendum. Reſponderi ergo debet, dicendo ad primum, quod voces non ſunt ſubiectum materiale Logicæ. Eſt expreſſum apud Doctorem noſtrum ſupra *quaſ.* 1. *Prædicam.* §. *ad quaſtionem.* vbi ait: *nec aliqua pars Logicæ eſt de voce.* Sic etiam in §. *ad aliud dico.* vbi ait: *Logica non eſt ſcientia realis, nec ſermocinalis, quia nec ſermonem, nec ſermonis paſsiones conſiderat.* Suadetur ipſis rationibus Scoti; illa non eſt propria, & ſpecialis materia reſpectu alicuius ſcientiæ, ſine qua poteſt ſciẽtiæ ſubiectum formale intelligi vndequaquẽ con-

contractum; ſed omnes rationes formales ſubiecti logici poſſunt contrahi, quin inſint voci: ergo, quia voces non propria, & ſpecialis, ſed materia de per accidens, ſunt Logicæ. Maior videtur certa; quia ſi ſine corpore poſſet expediri vndequaqué ſanitas; corpus ſanabile, non foret propria, & ſpecialis materia Medicinæ. Minor ſuadetur ex ipſo Scoto; quia quęcũq; ratio formalis Logicæ, ſive ſit definitivâ, ſive ſyllogiſtica, &c. poteſt circa aptã materiã expediri, quin proferatur, aliàs habens demõſtratione in mẽte, nõ habebit demõſtrationem, niſi proferat, nec à prolatione impeditus, foret ſciens, quod eſt manifeſté falſum. Nec valet ſi dicas, quod animalis rationalis conceptus eſt propria, & ſpecialis materia Logicæ, & tamen ſine animali rationali poteſt expediri ſubiectum formale Logicæ quoad omnes rationes formales. Non enim valet, quia hinc loquitur de omnibus conceptibus, vt vnam, aut alteram æqualem, & communem ſphæram conſtituunt. Omnia enim ſub triplici ſphæra conſiderantur, ſcilicet, conceptuum formalium, conceptuum obiectivorum, & conceptuum ſenſibilium, ita vnumquodque ens ſuam ſphæram æqué explicans, quod idem ſit ratiocinari de vno, ac de omnibus; prout in illa amplitudine communicantur; quod patet in ratione verſa ad vnicum humanæ ſphæræ individuum.

106 Obijcies, voces extra puram rationem ſoni poſſe eſſe ſpecialem, & propriam materiam Grammaticæ: ergo extra, ſeu ſupra puram rationem ſoni poſſunt addere aliquid, per quod ſint obiectum ſpeciale Logicæ. Si dicas, quod propoſitio vocalis eſt ſpecialis Logicæ, ratione conceptus formalis mentis, & ſic quod de per ſe non pertinet ad Logicam: contra, quia vocum externa expreſſio ſpectat ad Grammaticam, & hæc non poteſt non derivari à formali mentis locutione. Si dicas, quod Grammaticæ eſt proprium concordare, quod ex munere vocibus competit: contra, quia etiam ad Logicam ſpectat docere, & cõcludere, quod vocibus competit etiam. Si ſemper dicas, id habere voces à conceptibus mentis: contra, quia etſi in plauſibili opinione cõceptus obiectivi ſolum ratione formalium attingantur à Logica, hoc non impedit, quod ſpecialis materia Logicæ poſſint eſſe: ergo. Contra 2. & directius; quia etiam externa, & ſenſibilis vocum concordantia derivatur à concordantia conceptuum formalium, & tamen Grammaticus circa voces verſatur: ergo. Reſponderi poteſt argumento, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem. Ratio deducitur ex fine, qui in Grammatica eſt ſenſibilis, & externus, taliter, quod ſi linguæ omnes ceſſarent, vel ſaltim latina, vt nimis contingens eſt, omnimodé ſuperflua foret Grammatica, & ſcientia vocis. Hoc manifeſté inferri videtur ex eo, quod voces ſolum congruant ex pura inſtitutione propter externum ſoni ornatum; quare poſſent aliter inſtitui, & poſſent non inſtitui: ergo, quia cuicumque rationali conceptui de per accidens adhærent, & é contra: quod de logicis obiectis non poteſt dici, quia infallibiliter ſine voce inſunt, & omni labio ceſſante prodeſſent, nec variabilem inſtitutionem ſupponunt; quod in nobis experiretur, vt apud veriorem doctrinam Scoti in Angelis experitur. Deinde, non valet dici, quod à conceptibus formalibus derivatur concordantia, & tamen ſpecialiter conducunt: Non enim valet, quia etſi conceptus formales ſupponantur, illos ſupponi eſt ex ſuppoſitione, quod voces ſint; ita vt ſi primum motivum inquiratur, non reſolvetur in conceptum, ſed in vocem.

107 Noto hinc, quod ſi aliquis objiciat, quod voces poſſunt definiri, & ſic ſecundam intentionem prædicari, definitionis, &c. applicari, nil objiciunt, quia tunc voces non ſunt voces, ſed variant ſphæram, & ſenſum præſentis diſputationis. Hinc enim difficultatur de vocibus illis, quæ conceptus obiectivos ſignant proferendo; an, ſcilicet, illæ voces inſtrumentales, ex conſortio directionis ſignificatæ, ſint quid ſpeciale illius ſcientiæ? Non autem loquimur de vocibus vt poſſunt definiri, quia ſic non proferunt, ſed ſunt prolatæ; nec ſignant conceptus obiectivos definiti, ſed ſunt ipſi conceptus obiectivi, extra ſtrictas voces iam manentes. Sic etiam dum ſecunda intentio definiretur, tunc iam tranſiret ad eſſe conceptum obiectivum, ita vt non foret ſecunda intentio, termino, ſeu obiecto applicabilis, ſed ipſe conceptus terminans applicationem ſecundæ intentionis, quæ foret eius definitio, & ſic in pluribus alijs caſus variationis ſtatim invenies. Deinde nota, quod ſi ab aliquo graviſſimo Philoſopho dicatur, quod Logica eſt ſcientia ſermocinalis, vt videtur ex interpretatione nominis Logicæ; tunc intelligendus eſt ita, quod Logica multum conveniat cum ſermone, propter duo. Primó, quia conceptus eſt immediatum ſignificatum per vocem, de quo conceptu eſt Logica. Secundó, quia paſſiones conceptus poſſunt ineſſe voci, vt natura ſignificati ineſt ſigno. Hæc Scotus, vbi ſupra.

108 Reſpondendo ad ſecundam partem du-

dubitationis, breviter reſolvo, quod conceptus formales, vt conſiderati intra ſphæram formalem intellectus, non poſſunt dici materia ſpecialis Logicæ. Hæc reſolutio manet diffuſé expenſa in omnibus illis locis *lib. 1. entis intentionalis*, vbi formas rationis adhærentes obiectis, explicamus. Itaque, vnico verbo dico, quod actus formales ſunt cauſæ effectivé, vel diſpoſitivé ſecundam intentionem in obiecta derivantes; ita vt materia ſubiectiva circa quam, ſint obiecta, quibus forma intentionalis applicatur; materia ſubiectiva in qua, intellectus, in quo omnis ſcientia recipitur; & actus intellectus, diſpoſitiones, vialiter formam rationis introducentes. Vndé inferes, quod de actibus intellectus non poteſt aliter dubitari, an ſint materia circa quam, (de qua eſt quæſtio, aliàs ſolus intellectus foret ſubiectum materiale omnium ſcientiarum, cum omnes in ipſo veluti in ſubiecto materiali inſint) quam poſſet dubitari de diſpoſitionibus ad formam, quæ ad ſummum poſſunt dici diſpoſitiones materiales.

109 Deinde, ſi aliquis obijciat, quod conceptus formales poſſunt definiri, & ex ipſis aliquis ſyllogiſmus conſtrui, &c. in tali caſu eſt reſpondendum, ſicuti ſupra de vocibus reſpondebamus. Tunc enim iam deperderent ſphæram, cum in tali caſu ipſi forent conceptus obiectivi, & alij ab ipſis forent conceptus formales, ſicuti dum actus intellectus reflexé cognoſcitur, deperdit actus ſphæram, & tranſit ad ſphæram obiecti. Nequé contra hæc ſentio aliquod roboris argumentum.

QUÆST. IV.

An Logica habitualis ſit ſimplex qualitas.

110 QUod in præſenti inquiri ſolet, eſt, an habitus de definitione, de diviſione, de argumentatione, &c. ſit eiuſdem ſpeciei? Circa quod, Nominales aſſerunt, Logicæ habitum non eſſe vnum per ſe, nec vnitate generica, nec ſpecifica. Alij aſſerunt, Logicam eſſe vnum ſimplicem in ſpecie habitum, ſive ab vno obiecto formali, ſive ab vno obiecto attributionis. Ita Thomiſtæ, & Bachoniſtæ apud Magiſtrum Dionyſ. *lib. 2. Diſt. 3. queſ. 9. art. 2.* Alij aſſerunt, eſſe plures habitus realiter diſtinctos, ſed phyſicé inter ſe vnitos, ad vnā ſcientiā cōſtituendam Ita Rubius, & Lorca apud Peinadum *Tract. 1. Proem. dp. 1. ſec. 4.* Alij deniqué aſſerunt, Logicam eſſe plures habitus ſpecie diſtinctos, & inter ſe phyſicé inunitos. Ita cenſentur Scotiſtæ iuxta Scotum *q. 3. Prologi.* PP. Suarez, Molina, Hurtado, Artiaga, Oviedo, & Carleton, quos citat, & ſequitur P. Peinado citatus ſupra. Sed ante reſolutionem explico, controverſiam, pro nunc habendam, inquirere, an ex eo, quod modus ſciendi, vel ens rationis, vel directio paſſiva, ſive activa, &c. ſint formale Logicæ, omnibus Logicæ commune, & prædicabile, debeant omnes actus logici vnicum, & indiviſibilem habitum generare, ita vt ſtricté, & in recto vnicus in ſpecie dicendus ſit, ſicuti vna in ſpecie dicitur natura omnium humaniter individuatium. In quo ſenſu.

111 Reſolvo, Logicam non eſſe vnicum in ſpecie habitum. Hæc reſolutio debet eſſe conſona omnibus Scotiſtis tenentibus, ſubiectum formale Logicæ eſſe modum ſciendi, ſeu eſſe ſecundò intentionale, quibus multa probabilitate ſubſcripſi in *queſ. 2. art. 1.* in ſolutione aliquorum. Sic reſolutionem ſuadeo: vnum ex præcipuis motivis, vt habitus Logicæ, apud contrarios, ſit vnicus, deſummitur ex eo, quod Logicæ ſubiectum formale ſit vnum; ſed Logicæ ſubiectum formale non eſt in ſpecie vnum: ergo licet Logica ex ſubiecto ſit vna, non autem vna erit in ſpecie. Prob. minor; quia illud non eſt vnum in ſpecie, quod ſupra rationem in qua eſt vnum, adhuc admittit ſpecificas differentias; nec non, poſſunt exerceri contractiones individuales ſupra rationem illi vnitati immediatiorem, & deinde non participatur æqué perfecté ab omnibus; ſed hæc omnia poſſunt exerceri ſupra ſubiectum formale Logicæ: ergo Logicæ ſubiectum formale non erit in ſpecie vnum. Maior eſt manifeſta, quia ſi Petrus, & Paulus contraherent naturam humanam, ipſi addentes aliquid ſpecificum, non forent ex natura humana idem in ſpecie, ſicut ipropter idem, non ſunt in ſpecie idem ex animalis natura. Similiter non foret natura humana in ſpecie vna, ſi individua poſſent contrahere aliquid, cui forent immediatiora, quam ipſi naturæ humanę; & ſic ſi ęqué natura humana non participaretur ab ipſis. Minor ſuadetur, quia ſubiectum formale Logicę, ſive ſit directio paſſiva, ſive ens rationis, &c. ſupra rationem directionis v. g. admittit differentias definitionis, diviſionis, & ſyllogizationis, quæ rationes ſunt in ſpecie diſtinctæ: deinde poſſunt individua definitionis cōtrahere definitionem vt ſic, cui ſunt immediatiores; nec non perfectius participatur à ſyllogiſmo, quam ab alijs

alijs

alijs, dum in vnitatibus materialibus non datur in perfectione imparitas, caſu, quo detur perfectio: ergo &c.

112 Magiſter Dionyſius, firmiter inhærens rationi Bachonij, reſpondebit, quod licet directio logica definitionis, diviſionis, &c. ſit in ſpecie diverſa, tamen ab ea non ſummitur vnitas ſcientiæ, ſed à ſcibilitate ſubiecti attributionis, quæ eſt ratio ſub qua; nam hæc eadem eſt in ſpecie, ab vno fine, qui eſt concludere verum ex veris, qui finis idem eſt in omni demonſtratione: nam etiam intellectus eſt vnus, licet ſcibilitates entium ſint valdè ſpecie, & genere diverſæ, quia vnitas ſcibilitatis eorum, ſummitur in ordine ad veritatem vt ſic, quæ vna eſt, & eiuſdem ſpeciei in omni ente. Præfata Dionyſ. expoſitio, vera eſt in parte, & iuxta à nobis, ſecundum probabiliorem mentem Scoti, explicanda; diximus ſiquidem, quod ab vnitate principalis erat Logicæ vnitas derivanda; ſed tamen, tam argumento, quam ſupra expoſitæ controverſiæ eſt ſolutio diſparata, id eſt, indirecta. Supponebamus igitur, quod ſubiectum formale Logicæ, & eius ratio ſub qua, eſſet in recto dicibile, & partialibus ſubiectis communicabile, in quo ſenſu inquirebamus, an ex eo, quod ratio formalis ſit vna, & vnus in ſpecie debeat eſſe omnium formalitatum inferiorum habitus; hoc enim contrariat argumentum, & non leviter exiſtimo. Deindè, quod in hoc ſenſu debebat ſolvi à Dionyſio ſuadet ipſius exemplar ex vero vt ſic, quod propriè non eſt ſubiectum attributionis, cum hoc, & deberet eſſe vnum ex partialibus veris, & vnum principale ex ipſis, & verum vt ſic neutrum habet, cum ſit adæquationis ſubiectum, in nullo principaliter à Dionyſio ſignatum, ſed in recto dicibile de omnibus. Quarè arguo ſic. apud Diony. directio logica definitionis, diviſionis &c. ſunt in ſpecie diverſę: ergo ex ratione formali ſubiecti logici, quod apud Dionv. etiam eſt directio, nunquam habitus Logicæ foret in ſpecie idem. Suadetur, quia ratio formalis directionis non eſt in ſpeciè vna: ergo ex ratione formalis ſubiecti, nunquam habitus foret in ſpeciè idem. Suadetur antecedens; quia ſupra rationem formalem directionis vt ſic, addunt definitio, & diviſio directionis ſpecies diverſas: ergo, quia ratio formalis directionis non eſt in ſpeciè vna. Nunc ſic: ergo etſi Logica ſit vna ſimplex qualitas, quia eius vnitas ſummitur à Dionyſ. ab vnitate partialis ſubiecti, vt potè demonſtrationis, non tamen ſimplex qualitas erit, ſi eius vnitas ſummatur ab vnitate ſubiecti formalis adæquati, vt potè directionis formalis. En reſtauratum argumentum, quo ſuadenda eſt hæc vltima illatio.

113 Deindè, arguo ſic: Dionyſius manifeſtè admittit, quod ſubiectum attributionis eſt vnum ex partialibus Logicæ ſubiectis: ergo ſcientiæ vnitas ſolum partialiter poterit intelligi ex ſubiecto attribuitionis. Deindè arguo aliter: ſubiectum attrbutionis eſt vnum ex partialibus ſubiectis: ergo, quia dantur alia ſubiecta, in rationibus partialibus, à ſubiecto attributionis diſtincta: ergo in ſpecie diſtincta; aliàs, neque ſubiectum attributionis foret intra ſphæram logicam, diſtinctum in ſpecie, & partiale: ergo ſi amplius id non explicet Dionyſ. obiecta omnia Logicæ non poſſunt ex vnitate ſubiecti attributionis, vnam ſpeciem conſtituere. Suadetur conſequentia; quia ſubiectum attributionis non poteſt excludere eſſe vnam directionem ex partialibus in ſpecie diſtinctis: ergo obiecta omnia Logicæ, non poſſunt ex vnitate ſubiecti attributionis, vnam ſpeciem cōſtituere. Prob. quia ſi Logica adæquatè, & reſpectu omnium diceretur vna, quia erat vna ab vnitate ſubiecti attributionis, debebat negari, quod ſubiectum attributionis erat vnum ex partialibus, & à partialibus, in ſpecie diſtinctum, vna ſiquidem pro omnibus eſſet ſpecies: ergo, vel eſt illa partialitas neganda, vel ex vnitate ſubiecti attributionis, non eſt pro omnibus vna ſpecies conſtituenda. Hæc igitur exactiùs ſunt explicanda: de quo infra.

114 Reſpondendo igitur directè argumento, dices, quæ ſolidiores Thomiſtæ ſolēt, ſcilicet, quod dum ſubiectum formale ſit ens rationis v.g. nunquam ſequitur, quod Logica non ſit ſimplex, etſi entis rationis dentur diſtincta contrahentia. Ratio eſt, quia obiectum formale, ſeu obiectum in eſſe ſcibilis eſt vnum, & in eſſe ſcibilis dat ſcientiæ ſpecificationem, & vnitatem. Sed contra, & in primis non ſolvitur argumentum, quia nos libenter admittimus, quod habitus Logicæ ſit ſimpliciſſimus ex ſubiecto formali vt ſic; nec nō, quod à ſubiecto formali vt ſic ſit ſciētię vnitas derivanda; ſolum dicimus, quod vnitas ſubiecti formalis omnibus communis, non eſt vnitas ſpecifica, prout vnitas ſpecifica exprimitur

mitur per non exprimere vlteriorem differentiam ſpecificam, quam non poteſt impedire obiectum in eſſe ſcibilis;hoc enim vnicè intendit argumentum,ſemper manens in ſua vi.

115 Contra igitur, & arguo ſic; quia quod ſubiectum conſideretur in eſſe ſcibilis, hoc non impedit, quod intra ſcibilitatem logicam addantur vlteriores differentiæ: ergo. Suadetur propter plura. Primum, quia ens rationis definitivũ,v.g. nõ ſolũ habet eſſe ſcibile in eſſe entis rationis,ſed etiã habet eſſe ſcibile in eſſe entis rationis definitivi. Prob quia aliàs, nunquam ratio formaliſsima definiendi ſciretur à Logico, cum definitio in eſſe ſcibilis non foret definitio, ſed ens rationis. Deindè, quia ſi ſupra eſſe puri ſcibilis, adderet aliquis eſſe talis ſcibilis, tunc abſque dubio tolleretur vnitas ſcibilitatis vt ſic, vndequaquè communis: ergo, quia datur ſcibilis taleitas; aliàs, vlla taleitate ſcibilitas vt ſic, nec tolleretur, nec mutaretur, aut extenderetur. Secundum, quia quod plura conſiderentur in eſſe ſcibilis, non eſt requiſitum de per ſe, vt ſtatim percipiamus, quod eſſe ſcibile ſit infimum, avt ſupremum, avt medium: ergo poſſunt convenire in eſſe ſcibilis, & addere in eſſe ſcibilis vlteriores differentias. Antecedens videtur conſonans; aliàs, vel omnia debebant eſſe ſcibilia in eſſe ſupremo entis, dum in eſſe ſcibili conſiderarentur, vel deberent eſſe ſcibilia in infimiori ſpecifico, ita vt nec ſcibilia in eſſe ſupremo poſſent ampliùs deſcendere, nec aſcendere quæ forent ſcibilia in eſſe infimo. Ex quibus, omnis ordo rerum inconveniret: ergo. Tertium, quia etſi omnia obiecta facultatis intellectivæ conveniant in eſſe ſcibilis, hoc non impedit, quod vlteriùs ſcibiles augeantur ſpecies. Suadeo aſſumptum ex eo, quod ſcibilia ſint in eſſe veri; ſed in eſſe veri poteſt dari verum tale: ergo. Prob. minor, quia datur tale ens: ergo, & tale verum. Suadetur conſequentia: tum, quia tale ens non foret verum, ſed ſolum foret verum, ens à taleitate præciſum: tum, quia taleitas eſt cognoſcibilis, & talis non foret, ſi non foret vera vt talis: tum, quia eo modo, quo aliquid habet eſſe vnum, habet, & eſſe verum; ſed tale ens habet talem vnitatem, ſicuti hoc ens hanc vnitatem, aliàs non foret vnum, vt in ſe indiviſum: ergo & talem debet habere veritatem.

116 Dices, ita poſſe evenire, quando ea, quæ in eſſe ſcibilis conſiderantur, conſiderantur in eſſe ſcibili valdè ſupremo, non autem quando eſſe ſcibile eſt de linea formali, vt eſt ſubiectum formale Logicæ, in quo caſu,nullum debet manere ſcibile, quod relinquat vlteriorem ſcibilitatem in ſpecie; aliàs reſpectu eiuſdem ſubiecti plures combinarentur ſpecies. Quod enim ſubiectum in eſſe ſcibilis ſit formale, nec non, & ſpecificum, ſuadetur in Logica,ex eo, quod in ipſo, ſpecie, & formaliter diſtinguatur ab eſſe ſcibili, & formali aliarum ſcientiarũ, vt patet in ente rationis, ſeu in directione, &c. Sed contra, quia compatibilis debet eſſe ex prædicto motivo vna ratio formalis in eſſe ſcibilis, cum altera ratione formali. Prob. quia compatibilis eſt in anima rationali, ratio formalis formæ ſubſtantialis vt ſic cum ratione formali immaterialitatis, quin detur ex hoc repugnantia in combinatione diſtinctarum ſpecierum. Deindè, quia vt ipſi intendunt, & in combinatione ſpecierum omnes ſentimus repugnantiam, non ſolum talis datur in ſubiecto in eſſe ſcibilis, ſed, & in eſſe entis, vt patet in homine; ſed apud ipſos, non ſentitur repugnantia in eo, quod in eſſe entis, & quidditatis, definitio vg. addat formaliſsimum ſuum eſſe: ergo, nec debet ſentiri, quod ex illo motivo addatur in eſſe ſcibilis. Nequè aliquid ſolvunt ex eo, quod ex illa ratione formali differat; quia etſi in ſcientia animalis, per lineam formalem vivendi, avt ſentiendi, differret ſubiectum à ſubiectis ſpecificis plurium ſcientiarum, vt illa ratio diceretur ſpecifica, nil iuvaret; nec non, vt vlterius haberet differentias ſpecificas: ergo. Tunc enim poterat dici,quod illud ſubiectũ erat ſpecificũ ad extra,& æquivalenter,ſiquidẽ ſcientia differret ab alijs, etſi vlteriùs non haberet differentias; non autem foret ſpecificum ad intra, & abſolutè, cum in interioribus, ex abundantia, & intenſione lineæ, plures maneant differentiæ.

117 Nequè ex dictis inferas, quod ſubiectum formale det communitatem ſpecificam, ſiquidem entia definitiva, diviſiva, &c. differunt ab alijs ſubiectis per rationem ſubiecti formalis. Non infertur, quia definitio, v.g. ſemper differret ſpecialiùs, & formaliùs per ſuam ſpecificam, & formaliorem differentiam; ſic enim homo, adhuc circa inſenſibilia, à formaliori prædicato differt, à rationali ſcilicet, etſi per alios gradus, ſibi non ſic ſpeciales, differat.

De-

Deindé, quia etſi homo ab inſenſibilibus ſic per gradum ſentiendi differret, hoc non impediret, quod vltra haberet ſpecificam differentiam: ergo.

118 Ab his omnibus aliter ſe intendunt expedire, & ideo oportebit, aliam proponere rationem, qua directé opponantur. Solet igitur argui ex ipſis habitibus Logicæ, qui ſunt facilitates, ex actibus derelictæ; ſed facilitas ex actibus, circa definitionem, v.g. non reddit intellectum facilem circa actus ſyllogiſmi, v.g. ergo, quia habitus non eſt idem. Reſpondet noviſsimé Dionyſ. dicendo, nil obſtare, quod habitus genitus ſit effectus actuum, nam effectus æquivocus poteſt habere maiorem virtutem, quam ſua cauſa: Vermis enim productus à Sole poteſt ſentire, non vero Sol eius cauſa: ſubſtãtia habet maiorem virtutem, quam accidens, à quo, in ſententia Thomiſtica, producitur: ergo etiam intelligentiæ habitus, genitus per regulas definitionis, poteſt habere maiorem virtutem, & extendi ad regulas diviſionis, argumentationis, &c. & dat rationem; quia licet habeat talem extenſionem, non tamen formaliter, & proximé, ſed radicaliter, donec per novas regulas diviſionis, & argumentationis exerceatur, & augeatur, per quod augmentum, fit proximé facilis ad prædictas regulas diviſionis, &c. Deinde, ait Dionyſ. quod tale augmentum, ſimul cum priori habitu, componit vnum numero habitum magis intenſum: ſicut novus gradus caloris additus priori, efficit vnum numero calorem intenſum, qui iam eſt proximé potens producere alium calorem intenſum, quẽ ante talem intenſionem, ſolum radicaliter, & remoté, poterat. En in ſumma, omnem contrariorum machinam.

119 Sed contra, & in primis intendam impedire paritatem ex eo, quod, etſi æquivocatio in Sole ſupponat minorem virtutem in ipſo, non autem minor activitas æquivocationis eſt ſupponenda in principio intellectivo. Suadetur, quia in prima intellectus productione ſummitur æquivocatio ex parte diminutionis effectus, qui eſt purum accidens: ergo, & dum intellectus ſociatur cum aliis principiis lineæ intellectivę, diminutio ęquivocans eſt deſummẽda ex ipſis, & præcipuédũ petitur principium; dicere ſiquidem poteramus, quod habitus erat æquivocus, non quia in virtute erat maior, quam eius principium, ſed quia in virtute erat minor. Deindé, poteſt impediri ex eo, quod prędicta æquivocatio dare poteſt motivum ad pluta abſurda; quia qui vellet dicere, quod intellectus erat ipſum principium amoris, ipſo poterat vti fundamento, & ſic dicere, quod actus intellectivi erant cauſæ æquivocæ effectus, ad alterius ſphæræ actus habentes extenſionem: & ſic poſſet extendi principium materiale ad effectus æquivocos ſpiritualitatis; in Sole enim datur ad tantam æquivocationem motivum. Tum, quia prædicta eſt monſtruoſa æquivocatio, quia habitus definitionis, v.g. producit ſibi ſimile, & vnivocum, nempe, definitionem, & deinceps æquivocum, & diſsimile, quod in nullo admittit exemplar; quia, etſi Sol poſsit producere vivens, & ſibi diſsimile, non autem inſimul poterit producere Solem, & vivens: ergo à paritate Solis, & maioris æquivoci, potius debebat admitti, quod habitus definitionis poſſet producere ſyllogiſmum, & diviſionem, quam quod iſta produceret inſimul producendo definitionem. His ita.

120 Arguo contra omnem expoſitionem ſic: nulla poteſt dari cauſa, quæ effectus contrarios, & contradictorios, potius quam voluntas, poſsit ex ſua virtute derivare; ſed ex eo, quod ex habitu definitivo, v.g. poſsit derivari diviſio, adhuc ſequitur maioris contradictionis combinatio; ergo. Maiorem veriſſimam reputo, aliàs principia liberi, & naturalis negarem. Minorem ſuadeo ex contraria ſententia, quia habitus definitivus, v.g. poſſet in primis ſolius definitionis cognitionem derivare; nec non, & idem ſimplex habitus poſſet cognitionem ſolius definitionis non derivare. Deindé, poſſet idem ſimplex habitus derivare inſimul cognitiones contrarias, & effectus contradicentes, v.g. definitionem converti cum definito, & definitionem non converti cum definito; diviſio ſiquidem ab eodem habitu producta non converteretur ſic: ergo adhuc ſequeretur maioris contradictionis combinatio; voluntas ſiquidem inſimul non poteſt producere, quo aliquid proſequatur amore, & amore non proſequatur. Nec valet dicere, quod habitus definitionis extenditur; quia ſimiliter poteramus dicere, quod voluntas extendebatur, eſto cognitio exerceret apud ipſam, non ſolum regulam, ſeu repreſentationem amandi, ſed, & odio proſequendi. Similiter poſſet quilibet, pro libito ſuo dicere, qnod in Anima, vna ſolum dabatur potentia, radicaliter extenſa, ita quod per exercitium diſtinctarum regularum, & actionum, non foret diſtincta, ſed aucta, avt intenſa; & ſic alia quamplurima principia poſſemus

confundere, cum poſſemus illa ad diſtinctos effectus divagare, & dicere ſtatim, quod illa illimitatio erat effectus vnius principij, cum hoc, vel illo maiori incremento.

121 Similiter eſt nimis reijciendum illud dictum contrariorum, & noviſsimè Dionys. ſcilicet, quod illud augmentum, ſimul cum priori habitu, componit vnum numero habitum magis intenſum; ſicut novus gradus caloris, additus priori, efficit vnum numero calorem, &c. Contrà, arguo ex ipſo dicto; quia etſi qualitas poſsit intendi per gradus caloris, v. g. non autem per gradus frigoris poteſt haberé augmentum: ergo, etſi habitus definitionis poſsit intendi per gradus definitionis, non autem per gradus mentis diviſivos, qui ſunt actus ipſi diviſionis. Suadetur; quia non minus definitio contrariatur diviſioni, quam calor frigori: ergo. Suadetur; quia ſicuti menſura propria graduum eſt entitas principij, nempe, qualitatis, ſic menſura propria definitionis eſt entitas obiecti; ſed non minus repugnat, quod obiectū definitionis ſit vnū cum obiecto diviſionis, & argumentationis, quam quod entitas vnius qualitatis, nempe, calidæ, ſit eadē cum entitate alterius qualitatis, nempe, frigidę: ergo non minus contrariatur definitivum cum diviſivo, &c. quam calor cum frigore.

122 Reddes ad primum, dicendo, qualitatem non poſſe intendi per gradus caloris, ſi ſit frigida, quia non conveniunt in eadem ratione ſpecifica qualitatis frigus, & calor; at autem habitus definitivus poteſt intendi per diviſionem, quia definitio, & diviſio conveniunt in eadem ratione ſpecifica obiecti. Sed contra, & præter iam dicta, arguo ſic: ſi aliquis gradus qualitatis frigidæ, v. g. poſſet intendi ſummé intra aliquam lineam, intra quam aliquis alter gradus intendi non poſſet, abſque dubio diceremus, quod etſi haberent vnam radicem, non autem ſpecificé vnam. Addo, quod in tali caſu non poſſet dici, quod illud, etſi foret augmentum, erat idem in ſpecie augmentum: ergo cum habitus definitivus poſsit intendi ſummé per lineam, per quam non intendatur diviſio, debemus dicere, quod nec radix erit vna in ſpecie, nec quod in ſpecie vnum ſit augmentum. Augeo vires argumenti, & impedio reſponſionem ſic: eſt imperceptibile, quod qualitas frigida ita diſponatur, quod aliquando poſsit intendi ſummé per vnum gradum aliam lineam conſtituendo, & quod aliquando, ſcilicet, ex exercitio omnium diſpoſitionum, æqué ſit intenſa per omnes gradus: ergo, & eſt imperceptibile, quod ipſe ſimplex habitus definitionis poſsit aliquando intendi intra ſolum gradum definitivum, & aliquando ita diſponi, quod ex exercitio omnium regularum æqué intendatur quoad alios. Vel ſic: etſi ſit poſsibile, quod aliquis gradus caloris intendatur intra vlteriorem lineam, quin ex aliquo motivo non intendātur alij, quod veró vnitas ipſorum foret ſpecifica, non eſt poſsibile: ergo à ſimili.

123 Nec valet dicere cum Thomiſtis, nil de novo produci, ſed habitum præexiſtentem intendi per maiorem radicationem. Non enim valet, quia ſimiliter dicemus de omnibus ex abſurdo ſupra poſitis. Nec vllis viribus poſſet impugnari, qui ſimiliter diceret, quod cum intellectus per omnes ſuos actus tendat in verum, ſub eadem ratione formali veri, vnicum præciſé habebit habitum, per maiorem radicationem intenſum: vnde poſſet deducere, quod non dabantur plures ſcientiæ, ſed vnica, per maiorem radicationem intenſa. Dixi confidenter, quod nullis viribus poſſet à contrarijs impugnari; quia vt impugnaretur, debebant recurrere ad diſtinctarum regularum exercitium; à quo ſtatim ſe expediret dicendo, quod etiam ſub eadem ratione formali, diſtincto regularum exercitio, vlterius ſubiecta in Logica contemplabantur; vel debebant recurrere ad alios modos diſtinguendi rationem formalem, & tendendi ad illud; à quo etiam ſe expediret, quia nil diſtinctius, quam tendere copulando, & dividendo, iudicando, & diſcurrendo; itaque, nil poſſet obijci, ad quod explendum non ſufficerent vndequaqué rationes. ergo &c.

SOLVVNTVR CONTRARIORVM rationes.

124 OBijc. 1. fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora; ſed vnus habitus ſimplex ſufficit, vt inclinet ad notitiam omnium logicalium: ergo fruſtra plura ponuntur. Prob. minor à Martinez de Prado *lib. 1. quaſ. 4.* vna lux poteſt plures colores ſpecié differentes illuminare, & vna ratio ſub qua, plures rationes materiales, ſicut vna forma informat plura corporis membra: ergo vna inclinatio potentiam illuminans in ordine ad vnum formale obiectum, ſufficit ad inclinandum in notitiam omnium, poſitis obiectorum ſpeciebus, & diverſis medijs materialiter differentibus, in ordine ad vnam formalem rationem. Reſpondendum ſentio, conceſſa maiori, negando minorem. Ad minoris

ris probationem reſpondendum eſt, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, magnam ſignando diſparitatem. Ratio ſtat in hoc, quod colores poſſunt eſſe differentes in ſpecie phyſica, non autem in ſpecie intentionali, ſeu viſibili, cum ſic proportionem ſervent in viſibilitate; quo pacto etiam admittimus paritatem, quia eadem lux definitionis formalis, & intentionalis ſufficit pro illuminatione plurium rerum in ſpecie differentium; differentium tamen in ſpecie phyſica: v. g. lux logica, per huius regulæ illuſtrationem, ſcilicet, definitio debet conſtare genere, & differentia, illuminat intellectũ circa omnes ſpecies phyſicas; at autẽ, circa lucẽ ipſã ponimus in logicis differentiam vlteriorem, cum dentur diverſæ regulæ, quæ ſunt propriores luces illuminandorum, ita vt intra ipſum eſſe intentionale dentur diverſæ lucis ſphæræ, & ſic nil mirum, quod luce definitionis formalis, & intentionalis, nil reſplendeat lucis intentionis diviſivæ, & ſyllogizativæ. Itaque, argumentum ſupponit in conſequentia falſum; ſupponit ſiquidem, quod media ſint in ordine ad vnam formam materialiter diverſam; ad quod probandum, multum reſtat; quare libenter admittimus, quod vna ratio ſub qua plures rationes materiales poterit illuminare. Neque aliquid probat ex pluriũ corporis mẽbrorũ informatione, imo ex ipſa ſũmimus inſtãtiã; quia ſi forma ſit materialis, ſub diverſa formalitate, diverſæ parti materiali correſpũdet: etſi ſit anima rationalis, eſt nimis notandũ, quod iã quod ipſa non poſsit dividi in ſe, dividitur quantum poteſt in membris, ſiquidem ſi in capite diſcurrit, non diſcurrit in pede: ſi ergo pura materia, quia diverſa, hoc diſtinctos effectus inducit, quid dicemus de diſtinctis formis, in quas Logicę ſubiectum dividitur? ergo &c.

125 Obijcies 2. Logica abſolutè dicitur, & eſt vna ſcientia; ſed non eſt vna vnitate ordinis, nec vnitate phyſicæ continuationis, vel contiguationis: ergo eſt vna vnitate ſimplicitatis. Maior eſt certa, vel ſaltim in communi vſu. Minor ſuadetur quoad primam partem; quia alioquin non daretur niſi vna ſcientia, quia omnia, quæ ſcimus, poſſunt hanc ordinis vnitatem habere; tum ex parte obiecti, quia omnia conducunt ad notitiam entis; & etiam ex parte ſubiecti, quia adunantur in eodem intellectu. Conſequens autem non videtur poſſe admitti; alioquin pari ratione, omnes virtutes eſſent vna virtus, & omnes artes eſſent vna ars: nec videtur ad quid vltra ſpecies obiectorum, poni ſit opus habitus ſcientiæ, ſi ſolũ advnantur vnitate ordinis; quia ordinis vnitas ſolis ſpeciebus haberi poteſt. Secunda pars minoris probatur à Martinez de Prado, quã relinquo, quia nobis non eſt neceſſaria. Reſponderi poteſt facilimé, concedẽdo maiorẽ, & dicẽdo ad minorẽ, (quidquid de vnitate ordinis diverſimodé infra explicemus, cõtra dictamẽ Pradi) ſufficere nobis, quod Logica ſit vna vnitate formali generis, quæ reſpectu aliarũ ſcientiarũ pro eodem ſupponit, ac ſi foret ſpecifica. Ratio ſufficientiæ ſuadetur ex eo, quod illa vnitas poſsit pro ſcientia conſiderari, quæ ſcientiæ det differentiam cum alijs ab ipſa, & inſimul vniverſalitatem, & vniformem communitatem cum alijs intra ipſam: ergo cum vnitas generis, modo explicato ſupra in reſolutione, hoc habeat, illa ſufficit. Fundamentum reliquit Scotus in *Præambulis 1. q.* citatus; ait enim, quod ad ſcientiæ formalem rationem, & vnitatem ſufficit vnitas illius ſubiecti, per quod ſi reſpondeatur ad interrogationem, *de quo ſit ſcientia?* Sufficienter ſcientia dignoſcatur; ſed ſufficiẽter Logica dignoſcitur ex vnitate, & ratione entis ſecundó intentionalis, etſi diſtinctæ ſint intentionum ſpecies: ergo illa ratio ſubiecti, & vnitatis pro Logica ſufficiet, etſi talis ratio non ſit logicorum ſpecies infima. Ex quibus ſufficienter impediuntur omnes prædicti argumenti illationes; ſpecies ſiquidem Logicæ vnitatem propriam poſſunt habere, qui n habeant vnitatem ordinis, vt à Prado intellectam, & vnitatem infimam in ſpecie, vt ab alijs contrarijs conſtituram.

126 Obijcit 3. Dionyſ. ex Bachonio: eadem in ſpecie ſcientia agit de ratione communi, & de particulari: de toto, & eius partibus; ſed Logica agit de modo diſſerendi in cõmuni: ergo, & eadẽ in ſpecie agit de modo diſſerendi in particulari Prob. maior, quia ad eamdẽ ſcientiã, ad quã ſpectat agere de natura humana, v. g. ſpectat etiã agere de omnibus eius rationibus particularibus: ergo. Reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem; agit de ratione communi, & de particulari, quando particulare addit rationem formaliorem, & vlteriorem in ſpecie differentiam, negatur; quando particulare nullum medium ſpecificum addit ſupra rationem formalem ſubiecti in commmuni, conceditur. Deindé, conceſſa minori, negatur conſequentia. Itaque vt recté prævidit Scotus in 2. *d.* 3. *q.* 6. ad eumdem habitum ſpectat, aliquid cognoſcere de communi, ac de particulari, quando particulare eſt tale, quod demonſtrativę cognitioni non poſsit proponere aliud medium, quam ipſam communis definitionem; in quo caſu, per ipſam definitionem ſpeciei manifeſtantur illa particularia, quorum

non

non eſt vlteriùs expedibilis definitio;at autem, quando particulare eſt tale, quod extra definitionem ſubiecti communis, poſsit vlterius ſpecificam definitionem derivare, tunc ſolum in eſſe formali generico ſubijcietur habitui agenti de communi; quia vt ſpecialiùs de ipſo agatur, iam in ipſo adeſt ſpecialius medium, quod eſt propria,& quidditativa ipſius definitio. Ex quibus facilè intuetur diſparitas circa naturã humanã. Nec multũ vrget, quod videtur tradi à Diony. in confirmationem, ſcilicet, nõ multiplicari virtutes morales pro difficultatibus materialibus vincendis;foret enim ridiculum, quod quis poneret vnam iuſtitiam ad emendum frumentum,& aliam ad vendendum oleum; & vnam temperantiam ad comedendum lenticulam,& aliam ad bibẽdum aquam, &c. ergo. Hoc argumentum,quod ex Magiſtro Soto refert Prado ſupra in *queſt.* 4. facilè etiam reijcitur. Itaque vnico verbo,quod prædicta difficultas vel datur ſolum ex materijs, vel ex regulis? Si dentur diverſæ regulæ, ad quamlibet ex illis materijs,reſolvam ſimiliter, virtutes morales multiplicari; & in tali caſu, dicam,eſſe ridiculum, illas non plurificare, vt foret ridiculum non plurificare principia,quæ ad vnum finem haberent has regulas præfixas, & ad alium haberent alias. Siu autem diverſæ regulæ non dentur, indiviſibilitatem,& ſimplicitatem in habitu morali reſolvam.

127 Confirmat Dionyſ. deinceps obiectionem ſic: ſufficit vnus intellectus ad omnes cognitiones, quia omnes reſpiciunt idem obiectum formale:vnus habitus fidei,ſpei,& charitatis, quia quilibet reſpicit vnum obiectum formale,etiam ſi eorum actus ſint in ſpecie diverſi:ergo,& vnus habitus Logicę,propter eãdem rationẽ. Huic inſtãtiæ reſpondet Diony. contrariorum ſolutione, quam deinceps impugnat.Reſpondeo ego dicendo,imparem eſſe rationem habitus fidei,& charitatis cum habitu definitionis,diviſionis, & ſyllogizationis. Noſtra ratio ſiſtere debet ſemper in hoc, quod habitus illi ſuperni talem vnitatem formalem habeant in ſubiecto, quod vlterius nulla formalis,& ſpecificans differentia addatur;at autem habitus logicus talem vnitatem habet ex ſubiecto formali in communi, quod vltra ipſam aliæ vnitates ſpecificæ, & formales deriventur,& ſic nil mirum,quod ibi ſufficiat vnus habitus, ſiquidem vnica ſolum formalis vnitas invenitur, quæ cum hinc ſola non inveniatur, vnicus ſolus habitus non ſufficiet.Si enim vltra rationem formalem authoritatis aſſertorię darentur rationes formales aſſerendi, eſt mihi certiſsimum, quod hæc noſtra ſimplex fides non ſufficeret;ſicuti è contrà,ſi vltra rationem formalem directionis vt ſic,v.g. non darentur diſtinctæ rationes formales directionis, eſt mihi non minus certum, quod habitus Logicæ non foret multiplex.

128 Ad illud de intellectu,iam ſupra reliquimus reſponſionem, & inſtantiam. Dico hinc, imparem etiam eſſe rationem. Ratio eſt, quia intellectus eſt principium cum omnibus compatibile, ita vt nulla poſsit dari in habitu diverſitas,quę in ipſo,provt eſt ex ſe,non evincatur; quare non minus componitur cum habitu claro,quam cum habitu confuſo, taliter, quod ex parte ſui, & eius obiecti, circa eumdem terminum produceret fidem, & agnitionem, ſi ex parte aliorum non daretur incompatibilitas;at autem habitus non ſic habet compatibilem differentiam,aliàs ex omnibus,vnica ſolum foret ſcientia; quare, etſi intellectus cum habitu definitionis,v.g. prout ex ſe,& ex ſuo obiecto erat, ſimplicitatem componat ad reliquos actus,id tamen repugnat ex parte adiuncti,ſcilicet,definitivi,quod expellit diviſivum,addens ſupra vnũ intellectum diſtinctam inclinationem, & ſupra idem obiectum formale intellectus diſtinctam obiecti rationem formalem.Itaque idem habitus non poteſt ſufficere ad ea,ad quæ idem intellectus.

ALTERA EXPENDITVR, ET explicatur reſolutio.

129 EXplicuimus, & propugnavimus in præcendentibus, qualiter,& ex quibus motivis Logica non ſit vnicus,& ſimplex in ſpecie habitus;in quibus erga mentem,& doctrinam conſulvi Scotiſtas illos, qui iuxta probabiliſsimam Doctoris Subtilis intelligentiam deffenſant, quod ſubiectum Logicæ adęquatum eſt modus ſciendi, ſub expreſione ſecundæ intentionis;in quo ſenſu habitus Logicæ ex ſuo vno ſubiecto, cum non poſsit habere niſi illi correſpondentem vnitatem, & illius vnitas formalis non poſsit eſſe ſpecifica, vt ex dictis liquet, conſequenter reſoluimus, quod ex motivo ſubiecti formalis,vt ab illis Scotiſtis,& à pluribus intellecti, non poterat Logica eſſe vnũ ſimplicem in ſpecie habitum. Verum enim veró, cum ſupra in *queſt.* 2. *art.* 3. ſecundum maiorem connatum Doctoris Subtilis expoſiti in *art.* 1. Subiectum Logicæ,etiam adæquatum, perfectiſsimum in forma ſyllogiſmum deffenſaverimus, & ex ipſo vnitatem Logicæ intulerimus, ideo nunc venit reſolvendum, & explicandum, an iuxta præfatam doctrinam, & robuſtiorem

men-

Digitized by Google

mentem Scoti, poſsit Logica ſimplex habitus in ſpecie dici. Ante reſolutionem igitur, eſt in memoriam revocandus Doctor Subtilis in 1. *Prior. q.* 2. vbi pro quinta conditione ſubiecti ſcientiæ ſignat, quod poſsit dici in recto, vel in obliquo de ſubiectis aliarum concluſionum minus principalium, quæ determinantur in ſcientia. Eſt deindé videndus Scotus ſupra *q.* 4. *Prædicam.* præcipué prope finem, vbi antecedentem conditionem exemplificat, explicando qualiter aliquod cognoſcibile poſsit ſuſcipere prædicationem primi obiecti in recto, & in obliquo. Videantur etiam, quæ dixi in præſenti *diſt. q.* 2. *art.* 1. in expoſitione Scoti, præcipué *à §. ex quibus inferes*, vbi explicuimus, qualiter ſubiectum ſit adæquatum, & commune in obliquo. His igitur in mentem revocatis, & reſolutis etiam in *quaſt.* 2. *art.* 3. in reſolutione ibi facta.

130 Reſolvo, Logicam eſſe ſimplicem in ſpecie habitum. Eſt præſens reſolutio genuinior, & proprior mentis Scoti, in pluribus locis citati, vbi ſupra innuimus. Suadetur, quia Logica ſummit à primo, & adæquato obiecto in forma vnitatem, taliter, quod ipſa in illo gradu habeat vnitatem, in quo ſuum proprium, & formale obiectum eam habet; ſed proprium, & ſpeciale obiectum habet vnitatem ſpecificam: ergo Logica eſt ſimplex in ſpecie habitus. Minor iam manet in antecedentibus locis perſuaſſa; diximus ſiquidem, quod ſubiectum ex attributione commune, erat adæquatum ſecundum perfectiorem modum adæquationis: diximus etiam, quod tale ſubiectum erat ille ſyllogiſmus, ita perfecté formatus, quod vltra illám formam nulla in ſpecie poſsit ſignari, cũ ad vltimum quod ſic lineæ formalis deveniret: nec non diximus, quod in recto nulli ſubiecto ex aliis Logicæ erat commune, cum in recto non ſit ſyllogiſmus prædicabilis de definitione, diviſione, &c. ergo proprium, & ſpecialiter adæquatum obiectum Logicæ habet vnitatem ſpecificam. Videantur præhabitæ reſolutiones, in quarum doctrinis præſens reſolutio intuetur manifeſta, & licet in modo appareat ſingularis, in Scoto tamen ſemper eſt communis.

131 Itaque noſtrã vltimã reſolutionẽ aliquantulũ hinc explicare intendã. Dixi aliquantulum, quia provt exacté eã explicare oportet, explicata manet in locis ſúpra citatis. Reſolvimus igitur, quod iuxta probabiliorem mentem Scoti tenentis, ſyllogiſmum perfectiorem eſſe ſubiectum Logicæ adæquatum, Logicam habere vnitatem ſpecificam; quia iuxta hunc Scoti ſenſum, ſubiectum Logicæ eſt aliquod vltra in ſpecies indiviſum: ergo vnum in ſpecie: ergo ab obiecto vna in ſpecie logica. Sic reſolutionem ſupra formavimus. Reſtat nunc explicare, quomodo ſit cõpatibile, quod Logica de definitione, de diviſione, &c. agat, & tamen non ſit multiplex. Quibus dico, quod de iſtis agit Logica, in quantum tendunt, & confluunt ad vnicum terminum, & ſpeciem in recto indiviſibilem, ita vt ſyllogiſmus ſit ordine perfectionis vnicum, & infimum ens, pluribus deindé commune in obliquo, quæ communitas ſufficit ad vniverſam ſcientiæ terminationem, eo quod ſyllogiſmus, qui eſt vnica ſpecies Logicæ in recto, cætera Logicæ dicat in obliquo, cum etſi ſyllogiſmus ille non ſit definitio, &c. ſit tamen ſemper ipſe habens definitionem, &c. ſeu id, ad quod cætera dicunt habitudinem, vt ad ſupremum, & primum in perfectione, & vt ad infimum, & vltimum in generatione.

132 Deindé, pro horum maiori intelligentia debes notare, quod ſicut rectum vnicum eſt plurium obliquorum index, ſic rectum ſcientiæ logicæ, quod eſt ſyllogiſmus præfatus, eſt omnium conducentium ad Logicam index, movens, & inclinans ad omnia in obliquo. Præterea eſt ſciendum, quod ſicuti, etſi definitio, diviſio &c. prout conſiderantur ſecundum rationes dividentes directionem vt ſic v. g. derivent diſtinctas in ſpecie vnitates, & tamen prout conſiderantur, vt communicantes in ratione directionis vt ſic, derivant ſimplicem in genere vnitatem; ſic ſervatis ſervandis, (dico ſervatis ſervandis, quia vt dixi in locis citatis, in initio reſolutionis huius, ordo perfectionis, & communitatis ex attributione, eſt aliter conſiderandus, ac ordo generationis, & prædicationis; ſiquidem incipit à gradu, in quo alter deſinit) etſi definitio, & diviſio habeant diſtinctas rationes formales in ſpecie, provt conſiderantur in recto reſpectu alicuius prædicabilis in recto, v. g. entis rationis vt ſic; tamen provt conſiderantur à Logica ex hoc altero ordine, derivant reſpectu ſyllogiſmi convenientiam infimam in obliquo.

133 Convenientia ſpecifica in obliquo poteſt explicari ſic. Definitio poteſt conſiderari propter rationem quidditatis, propter rationem conceptus formalis, propter rationem conceptus obiectivi, propter rationem conceptus vitalis, &c. & ſic poteſt conſiderari diviſio; quo pacto ad aliarum ſcientiarum conſiderationem transferuntur. Deinde, poteſt conſiderari propter rationem ſecundæ intentionis; quo pacto iam à Logica reſtauratur, ſed

tamen

tamen ſola generica vnitate. Denique poteſt conſiderari propter rectum diſcurrendi modum; quo pacto in vlteriori gradu communicat cum diviſione, ita vt tam definitionis, quam diviſionis rationes ſpecificæ reddantur ſuſceptibiles ſpeciei, in hoc ordine perfectionis, & ſic maneant in infimiori ſpecie in obliquo communicantes; ſiquidem, ſi gradus vltimus definitionis attingitur vltimatè à Logica *propter ſyllogiſmum*; gradus vltimus diviſionis attingitur propter eumdem ab ipſa; quo pacto ſyllogiſmus eſt vtrique communis in obliquo, & vltimum reſoluens ſpeciem in logicis; & quo etiam modo Logica dici poteſt vna in ſpecie ab obiecto. Sic percipio Doctorem Subtilem in locis citatis ſupra; ſed præcipuè videatur ſupra *q. 4. Prædicam. verſ. contra reſponſionem datam*.

134 Dices, quod quomodocumque ſit, obliqua ſunt plura in ſpecie: ergo non poſſunt habere communitatem ſpecificam. Diſtinguo antecedens; ſunt plura in ſpecie, provt conſiderantur obliqua in recto, reſpectu alicuius in recto ipſis communis, eſt verum; provt obliqua iam conſiderantur in obliquo, reſpectu alicuius ſolum in obliquo communis, eſt falſum. Itaque, etſi ens rationis diviſivum, ſit in ſpecie diſtinctum ab ente rationis definitivo, provt conſiderantur reſpectu entis rationis vt ſic, reſpectu cuius ſunt ſpecies in via rectæ prædicationis; attamen, provt in via formalioris perfectionis conſiderantur, ipſæ rationes conveniunt in infimiori ſpecie, cum ad vltimam Logicæ formam ſpecificam, deriventhabitudines eadem ratione formali idemptificandas, ſiquidem propter idem ſubiectum formale, propter quod à Logica reſpicitur vna, propter idem reſpiciatur alia; ita vt idem rectum formale, ſeu eiuſdem recti ratio formalis ſit vtrique eadem; quæ ratio formalis, cum ſit in formis infimum in via perfectionis, conſequenter Logica iuxta hanc viam, vna in ſpecie cenſetur dicenda.

135 Sed cum advertentia dices, quod etſi tam definitio, quam diviſio ſuſcipiant in obliquo ſpeciem ſyllogiſticam, & ex hoc motivo habeant infimam convenientiam, tamen non videtur poſſe negari, quod per duas vias in ſpecie diſtinctas, confluant ad illam vnicam ſyllogiſmi ſpeciem in obliquo ſuſcipiendam. Ratio eſt, quia in ſyllogiſmo conveniunt, eumdem finem, & intrinſecum, & motivum formale participantes in obliquo: ergo ante illum gradum convenientiæ differunt, & in ſpecie: ergo per ſyllogiſmi convenientiam, gradus in ſpecie diſtinctos contrahunt: ergo quamtumvis ſic conſiderentur, vnitatem ſpecificam nunquam ſummunt. Reſpondeo, nō poſſe negari, quod eo ipſo, quod convenientiam ſpecificam ſuſcipiant, debent ſuſcipiētia ſupponi diſtincta, ſed tamen ſupponuntur in ſpecie diſtincta, quoad eſſe intrinſecum, & ſingulare ipſorum, quod verſus ſpeciem ſyllogiſticam, & iſtius vnicam formam logicam, redditur genericum in obliquo, eo quod vtrumque eſſe ſpecificum definitionis, & diviſionis conſiderentur per lineam perfectionis logicæ contrahibiles, & ſuſceptibiles eiuſdem ſpeciei in obliquo. Ratio eſt, quia ſolum in ſyllogiſmo ſuſcipiunt convenientiam ſpecificam in obliquo: ergo ante hunc gradum convenientiæ in linea huius formalis perfectionis, erant in gradu propinquo ad habendam ſpeciem: ergo in linea perfectionis ſuſcipiendæ, iam habebant aliquam convenientiam, cum illæ entitates, etſi in ſpecie intrinſeca, & entitativa diſtantes, iam verſus aliam conſiderationem aproximarentur: ergo ſi ipſa ſyllogiſmi vltima participatio habet in obliquo ſpecificè communicantia, entia illa ſpecie propria diſtincta ante ſyllogiſmi ſpecificam communitatem, habebunt convenientiam genericam in obliquo, cum ſint in gradu immediato ad ſpeciem in obliquo communem. Hæc percipies in duobus tendentibus per diverſas lineas ad idem centrum, quæ etſi in ſpecie entitativa ſint diſtincta, tamen verſus centrum convenire incipiunt, & quo magis aproximantur, magis conveniunt. Vbi nota etiam, quod centrum eſt etiam commune in obliquo: eſt commune, quia hæc, & non illa admittit: eſt in obliquo, quia centrum non eſt aliquod ex omnibus, etſi ſit habens omnia per habitudines de per ſe. Sic hinc paralogiza.

136 Itaquè, iuxta hunc ordinem perfectionis, illa ſeries eſt ſervanda, quæ inter intentionem finis, & mediorum executionem ſervatur; vbi ea, quę ordine intentionis ſunt priora, ordine executionis ſunt poſteriora, ita vt verſa vice, ſervēt intimitatem, dum per aliam lineam ſervabant diſtantiam. Sic ſervatis ſervandis, debet expleri ordo logicalium, conſideratus in recto per prædicationem, & in obliquo per tendentiam ad maiorem perfectionem. Nec valet inferre, quod Logica non erit ſcientia in recto; non enim valet, quia etſi eius ſubiectum ſit commune in obliquo, tamen eſt vnum in recto, cum in recto ſit indiviſum in ſe. Subiectum enim Logicæ eſt rectum, etſi ſit de alijs dicibile in obliquo; bene enim compatitur, quod rectum ſit obliquorum index: vnde ſic ſolet dici ab aliquibus, quod ſubiectum ſcien-

Digitized by Google

ſcientię definitionis generis eſt ſecunda intentio in recto, dicens primam in obliquo, Sic logicalis ſcientia reſpicit ſuum formale, & ſpecificum ſubiectum in recto, etſi de alijs dicibile in obliquo. Deinde nota, quod etſi ſit commune in obliquo, non debilitatur in perfectione, imo ſpecialiùs perficitur, propter rationes traditas in *quæſt.* 2. in fine, & propé finem *Art.* 1.

QUÆSTIO V.

Aliqua dubia breviter reſolvens.

137 DUbitabis 1. qualiter Logica ſit metaphyſicé explicanda? Pro dubij reſolutione, revocandæ ſunt in memoriam illæ duæ viæ, ſcilicet generationis, ſeu prædicationis, & perfectionis, ſeu communis attributionis, in quarum vna probabilitatem, & in ipſarum alia maiorem propenſionem ſignamus. Itaque, ſi loquamur de Logica, provt ſumere poteſt vnitatem à ſubiecto formali per prædicationem adæquato, definietur ſic: *Scientia de ſecundis intentionibus, vt applicabilibus, diſſertiva.* Notanter poſui pro genere *ſcientiam*, & non facultatem, artem, vel ſic aliud, quia ſemper, & quando poſsimus pro genere ponere aliquid, per quod ſufficienter conveniat, & deinceps ſit proximiùs, & immediatius differentiæ, illud ponere non eſt recuſandùm. Dixi *de ſecundis intẽtionibus, vt applicabilibus*, quia ſi ſecunda intentio conſideratur abſtracté, & in eſſe ſuæ quidditatis, tunc eius cognitio non ſpectabit ad Logicam, ſed ad ſcientiam quidditativam, ſeu ad rationem metaphyſicam, vt aliqui volunt. Deindé, ſi loquamur de Logica, provt ſumere valet vnitatem à ſubiecto formali ſpecialioris perfectionis, definietur ſic: *ſcientia diſſertiva de ente ſecundo intentionali, vt applicabili ex forma perfectiori.* Claret in dictis.

138 Dub. 2. an Logica ſit Sapientia, Prudentia, & Ars? Pro huius dubij reſolutione breviter eſt advertendum, Philoſoph. 6. Ethic. ſex genera notitiæ intellectualis ſignaſſe, ſcilicet, Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Artem, & Opinionem. Intellectus eſt: *cognitio primorum principiorum, quibus aſſentitur intellectus ex ſola terminorum penetratione*: v. g. de propoſitione habente pro prædicato definitionem ſubiecti, habemus intellectum, quia cum prima principia non ſint ex alijs, ſed ex ipſis, ſine diſcurſu aſſeverantur. Scientia iuxta Doctorem Subtilem *in* 1. *Prior. q.* 1. *Verſ. ſecundò notandum.* eſt: *notitia neceſſaria veri dubitabilis, nata fieri evidens per præmiſſas in forma ſyllogiſtica applicatas.* Dicitur *notitia neceſſaria*, vt differat à notitijs falſis, & etiam à veris contingentibus. Dicitur *veri dubitabilis*, vt differat ſcientia à principijs per ſe evidẽtibus, quæ à cognoſcentibus quid nominis non poſſunt dubitari. Dicitur *nata fieri evidens*, &c. quia non oportet, quod de facto ſit evidens per præmiſſas applicatas in ſyllogiſmo, quia poteſt eſſe evidens per experientiam: v. g. iſta concluſio, Luna eſt eclipſabilis, poteſt eſſe evidens per experientiã, quę tamen eſt demonſtrabilis. Dicitur per *præmiſſas in ſyllogiſmo applicatas*, ad differentiã quorundam principiorum naturalium, vt quãdo ignis eſt cálidus, vel huiuſmodi; vnde tale principium eſt notitia neceſſaria dubitabilis, ſicut ab inexperto; at tunc illa notitia non dicitur ſcientia, quia non poteſt fieri evidens per pręmiſſas, in forma ſyllogiſtica applicatas, ſed ſolum poteſt fieri evidens per experientiam. Hæc Scotus, in quibus pro nunc non eſt amplius detinendum. Sapientia dicitur: *notitia rerum per altiſſimas cauſas.* Itaque, illa ſcientia, quę per elevatiſsima media aliquid de proprio ſubiecto demonſtrat, Sapientia dicitur: vnde Sacra Theologia Sapientia nominatur. Prudentia eſt: *notitia rerũ humanarum, vt bene, & æſtimativè fiant in genere moris.* Quare ad Prudentiam ſpectat, virtutes morales dirigere, né ſuperent, nequé deficiant, ſuadens, & pulſans in omni humano motu mediocritatem. Ars eſt: *habitus cũ recta ratione factivus*, v. g. Grammatica eſt ars, quia facit ex vocibus concordantiam. Sic Muſica ex alijs vocibus faciẽs concentus, dicitur Ars. Opinio eſt: *notitia de obiecto cum formidine habita.* Patet ex terminis.

139 Dividi ſolet Ars in liberalem, & mechanicam. Ars liberalis poteſt dici, *quæ primariò perficit animum*; cuius ſunt ſeptem ſpecies, videlicet, Grammatica, Rethorica, Logica, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtrologia. Ars mechanica poteſt dici, *quæ primariò perficit opus externum*: cuius ſeptem ſolent aſſignari ſpecies, videlicet, Agricultura, Venatoria, Militaris, Nautica, Chirurgia, Textoria, & Fabrilis. Vtriuſque ſeptem ſpecies, in hoc diſtico recitari ſolent.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Aſtra.
Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

140 His ita vulgariter expoſitis, reſponderi poteſt ad dubium, dicendo, quod in communi Doctorum ſenſu, in quo altiſsimas cauſas percipiunt, non videtur, Logicam eſſe Sapientiam, cum ipſa ſecundas intentiones ſumat vt inſtrumentum ad diſcernendum verum de quocunque vero, & altiſsimæ cauſæ in illo ſenſu, non videtur eſſe entia rationis. Deinde, quia etſi aliquis velet dicere, poſſe ens rationis divinizari, & ſupremæ Deitatis altitudini applicari, vt dum Deus eſt ſubiectum, avt prædicatum, adhuc ſic incongruit motivũ, vt Logicam Sapientia denominet, eoquod illa altitudo ſecundæ intentioni accidat, cum ſic applicetur Muſcæ ſecunda intentio prædicati, ac Deo: ergo &c. Similiter ſentio diſcurrendum circa Prudentiæ denominationem; ſicque reſolvendum eſt, Logicam non eſſe Prudentiam. Ratio eſt, quia Prudentiæ eſt proprium dirigere actiones humanas, vt bené fiant in genere moris, & Logicę ſolum eſt proprium dirigere actus intellectus, vt recté ſecundę intentiones dimanantes applicentur obiectis: ergo. Deinde reſpondendo ad tertium, vnico verbo reſolvam, quod ſi dum de Arte dicitur, quod ſit factiva, pro opere, cuius eſt factiva Ars, intelligetur, quod ſit opus proprié tale dictum, ſcilicet vt eſt actus alterius potentię ab intellectu, nullatenus admittam, quod Logica ſit Ars; cum deffenſarem, Logicam non eſſe practicã, & pro viribus reſolverem, quod nullius ſpeculationis poterat eſſe proprium, opus alterius potentię ab intellectu. Sin autem ſic artisfactionem non percipiant, ſine lite Logicam eſſe Artem, amplectar.

141 Dub. 3. an Logica ſit ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas? Pro reſolutionis intelligentia, duplex ſolet diſcurri neceſsitas. Prima dicitur neceſsitas ſimpliciter; ſic dicitur neceſſarium, omne illud, ſine quo, nec facilé, nec difficilé aliquid adipiſci poteſt, vt Gloria ſine Baptiſmate. Secunda dicitur neceſsitas ſecundum quid; quo pacto dicitur neceſſarium, omne illud, ſine quo adipiſci poteſt res, tametſi difficilé adipiſcatur, vt Gloria ſine Jeiunio. His ita Cõmuniter ſolet reſolvi à Noſtratibus, & à Doctiſsimis Jeſuitis, quod Logica non eſt ſimpliciter, ſed ſecundũ quid neceſſaria ad alias ſcientias acquirendas. Pro hac citatur Scotus in 2. *Metaph. q. 12.* Suaderi ſolet ex eo, quod in materia cuiuſvis ſcientiæ dentur aliqua principia, quorum veritas patet ex eorum intuitu, & deinceps ex his intellectus poteſt ſua nativa vi, aliquas cõcluſiones ſcientificé deducere: ergo. Hoc probatur per hęc principia, ſcilicet, omne totum eſt maius ſua parte, & dici de omni, dici de nullo, quibus innixus intellectus, ſi videat aliquod eſſe totum, ſine vlteriori artificio deducet evidenter, quod eſt maius ſua parte, ſiquidem de illo debet dici, quod dicitur de omni toto. Et ſi his, & alijs rationibus opponant, quod ſine Logica artifitiali poſsũt aliæ ſciẽtię comparari, imperfecté tamen; ſatisfaciunt inferendo, quod iam Logica artificialis non erit neceſſaria ſimpliciter; ſiquidem, etſi imperfecté, ſcientiæ aliæ acquiruntur, & illud ſimpliciter nõ eſt neceſſariũ, ſine quo aliquid adipiſci valet, quomodocumque adipiſcatur.

142 Reſolvo tamẽ, quod ſine Logica, ſive, naturali, ſive artifitiali nulla concluſio poteſt ſciẽtificé inferri. Hęc eſt cõmuniſsima, eoquod ſine curſu aliquorũ principiorũ, nulla concluſio poſsit ſcientificé animum quietare, ipſumque perficere. Difficultas ſtat nunc, an Logica, quæ naturalis dicitur, habeat etiam artifitiũ, ita vt nulla ſit, quæ artifitialis non cenſeatur? Videantur dicta in *lib. 2. diſt. 3. q. vnic. art. 1.* vbi continetur reſolutio.

143 Dub. 4. quomodo Logica concurrat ad actus aliarum ſcientiarum? Exiſtimo de hoc dubio diffuſum infra habiturus ſermonem. Pro nunc reſpondendo, ſuppono, quod duplex ſolet notari concurrendi modus. Primus concurrendi modus dicitur directivus, v.g. quando aliquis dirigit opus, tametſi ab ipſo fieri non debeat. Secundus concurrendi modus dicitur effectivus, v.g. quando aliquis dirigit opus, & inſimul ad ipſum faciendum concurrit. His ita.

144 Reſpondent aliqui Noſtratum, Logicam habitualem non efficienter, ſed ſolum directivé concurrere ad aliarum ſcientiarum actus. Reſolutionem inferunt ex Scoto in 4. *d. 1. q. 5.* Prob. quia Logica habitualis ſolum concurrit efficienter ad illos actus, qui ſunt ſimiles illis, à quibus fuit genita; ſed ab actibus aliarum ſcientiarum Logica non fuit genita: ergo. Similiter reſpondent, quod neque Logica actualis concurrit efficienter ad actus aliarum ſcientiarum; ſufficit enim, quod directione illuminet, vt quævis ſcientia proprios actus eliciat. Dices, quod quilibet actus ſcientiæ eſt ſub ſphæra Logicę: ergo Logica ad illum efficienter concurret. Reſponderi poteſt, quod eſt ſub ſphæra Logicę directiva, nõ autem ſub efficienti. Neque aptior dependentia poteſt pro Logica conſiderari. Sic enim voluntas eſt ſub ſphera directiva cognitionis, ſub illa dependẽtia, ſub qua eſt cœcum ab illuminãté, & lucem diſtribuẽti; & tamẽ volũtatis actus ſolũ à volũtate illuminata procedũt efficiẽter, & ab illuminãte ſolũ directivé: ergo à ſimili. Et hęc ſufficiãt pro logicorũ proœmialiũ cõplemento.

LIBER

LIBER TERTIUS

DE LOGICIS VNIVERSALIBVS *in communi.*

PRÆAMBVLVM ARGVMENTVM.

EXAMINANTES rigoroſè huius Libri ſcopum, ſolū de Vniverſali pro formali, & per ſe ſignificato agere debebamus; ſic enim Doctor Subtilis, poſtquam prooemiales quæſtiones ad Logicam in communi præmovit, præambulum in Librum Porphyrij direxit: ergo ex eo, quod ad Librum Porphyrij commentandum, ſolus ille Sermo erat dirigendus, qui aptiorem ejus redderet intelligentiam, qui eſt Liber Vniverſalium pro formali, & per ſe ſignificato. Verum enim verò, cum iam prævaluerit plurium Recentiorum vius, nec non neceſſitas perfectè complendi doctrinas compellat; etſi titulus de per ſe notitiam Vniverſalis logici, & formaliter ſignificati demonſtret, tamen veluti de connotato requiſito, de eorum materia, & fundamento aliqua præmittere decernimus.

Doctor ergo Subtilis ad ſic exhibendam notitiam, non leve reliquit fundamentum, ſupra ſiquidem ait, quod Vniverſale, ſicuti & quodlibet aliud concretum, poteſt tripliciter ſumi, ſcilicet, vel pro materiali, vel pro formali, vel pro aggregato ex vtroque. Pro materiali, id eſt, pro prima intentione, ſeu ſubiecto apto pluribus communicari. Pro formali, & per ſe ſignificato, id eſt, pro forma ſecundo intentionali primæ intentioni applicabili. Pro aggregato ex vtroque, id eſt, prout æquè ex materiali, & formali conflatum: ergo licet Doctor Subtilis propoſuerit deinceps, ſe non agere cum Porphyrio de Vniverſali pro materiali, quia ſic eſt de munere metaphyſico, cum vel ſit primum obiectum intellectus, vel ſub illo, ſcilicet, ſub ente reali, cadat; neque de ipſo vt aggregato, quia de ente per accidens non datur ſcientia; nihilominus tamen, cum nos imbecillioris ſcientiæ ſumus, non valemus evíſcerare plenè notitiam formæ concreti Vniverſalis, quin ſaltim indirectè, ſupra concreti materiam mentem intēdamus; ideo que ſub titulo Logici Vniverſalis, etiam de ſundamentali aliquis inſtituetur Sermo, cum ſecundæ intentiones primis exerceantur.

Vniverſale igitur, quod & Vniverſum dicitur, eſt quid per plura divagatum, & extenſum; hoc enim exprimere videtur Vniverſum, ſeu vnum verſum, id eſt, ad plura verſum; ſicuti Vniverſalis dicitur ſcriptura, plures habens verſiones. Vnde, cum voces, ſcripta, mentes, obiecta, & cauſæ ad plurima verti poſſint, ideo Vniverſale, ex tot Vniverſalitatis ſphæris, communiter derivatur.

Vniverſale itaquè aliud eſt ſimplex, aliud complexum. Complexum dicitur, quod eſt enuntiatione formatum; v. g. propoſitio Vniverſalis, de qua plures aliæ poſſunt deduci. Simplex dicitur, natura præciſſa proximè apta ad eſſendum in multis; v. g. homo. Aliud dicitur Vniverſale in ſignificando, aliud in cauſando, & aliud in eſſendo. Vniverſale in ſignificando, ſeu repreſentando, eſt ſignum plura repreſentans, modo ſit repreſentativum ex natura ſua, vt cognitio, ſeu ſpecies hominis, modo ſit ex hominū inſtituto, vt hæc vox homo. In cauſando dicitur Vniverſale, quod vnica virtute eſt po-

tens,& aptum ad plura,v.g. omnipotentiæ virtus,cum ſit ad tantas creatorum ſpecies, dicitur Vniverſalis; vna ſiquidem,plura per influxum attingit. Dicitur Vniverſale in eſſendo,id,quod ſecundum propriam entitatem,& naturam poteſt pluribus ineſſe, aut communicari;ſive phyſice,ſive intentionaliter. Hoc Vniverſale,de quo ſtrictus dirigitur ſermo;in eſſendo ſiquidem dicitur Vniverſale;aliud eſt phyſicum, aliud metaphyſicum,& aliud Logicum. Phyſicum dicitur natura, quæ etſi in aliquo exiſtat, exhibet tamen fundamentum intellectui,vt eam præſcindat, & præciſam pluribus communicabilem cognoſcat : dicitur ergo phyſice Vniverſalis, quia etſi ſit in vno, tamen ex ſe exprimit non repugnantiam ad plura. Dicitur metaphyſicè vniverſalis natura , provt ſupra prædictum fundamentum addit præciſionem;quia rem contemplare à materialibus,& ſingularibus præciſſam, proprium munus Metaphyſici videtur. Dicitur logicè Vniverſalis, provt ſupra prædictam præciſionem,addit comparationem , ex qua derivatur proxima aptitudo ſe communicandi pluribus, per actum illam dicentem de ſibimet ſubiectis,quod munus eſt Logico appropriatum.

Hæc Vniverſalia,his deſcriptionibus ſunt compendioſè attacta,ſcilicet:*vnum in multis : vnum à multis* , & *vnum de multis*. In prima ſolent intelligere Vniverſale phyſicum , cum natura ſpecifica hominum phyſicè ſit in ſingularibus permixta. In ſecunda intelligitur Vniverſale metaphyſicum,eo quod à multis eſſe,ſit proprium præſcindentium; hoc enim exprimit eſſe per abſtractionem, ſiquidem ab illis aſcendit, ſeu aſſumitur. In tertia intelligitur Logicum,cum eſſe de multis, exprimat fraſim prædicabilium , quibus applicatur diei de alio , & de pluribus prædicari , deſcendendò per gradus comparationis intellectus,vſque ad inferius natura,cum qua per gradus præciſionis aſcendit vſque ad ima,ita vt diſtincta ſit via vtriuſque Vniverſalis , ſicuti eſt aſcendentis, & deſcendentis; tendentis , & maiori pondere redeuntis: tendit ergo præciſione denudata, & pondere comparationis iterum inclinatur, & induta immergitur: nunc dicitur logicè, tunc metaphyſicè dicebatur.

Quæ omnia textui Ariſtotelico eſſe conformia facilè combinari poteſt. Ariſtot. enim *in lib. 1. de poſteriori reſolut. cap. 18. tex. 34. & lib. 2. cap. 18. tex. 27.* in fine tenet,quod Vniverſale eſt,*quod eſt vnum in multis,& de multis;& 7. Metaph. c. 13. tex 45.* tenet, quod Vniverſale eſt *aptum quid, vt in pluribus inſit*; & *in 1. de Interpret. c. 5.* tenet,quod eſt *aptum,vt de pluribus dicatur*. Ex his definitionibus, vltima de ſe patet Vniverſali Logico appropriata,vt expreſſit Doctor *in 2. d. 3. q. 1. §. ad primum*. De alijs verò poteſt ſumi appropriatio , iuxta ſuperius dicta , ita vt ſi aptitudo ſit omnino remota,explicatio erit phyſici Vniverſalis propria;ſin autem aproximatam præciſſionem addat, metaphyſico Vniverſali manebit appropriata. Neque hinc ſentio aliquid difficultatis , in quo ampliùs ſiſtendum. Deinceps , Vniverſale Logicum in quinque ſubijcibilia vertitur,de quibus eſt prædicabile:Vniverſale enim poteſt prædicari de genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidenti ; de quibus , & de alijs in hoc præambulo poſitis,eſt agendum,& quia à fundamentis eſt erigendum opus,ideo ſit.

(***)

DIS-

DISTINCTIO I.

De Vniverſali Pphyſico.

PLVRA de his, quæ ſub titulo continentur, decertare valebamus; ſed tamen hinc ſolum ea excitabimus, quę pro intelligentia Vniverſalis Logici conducant; quare dé vnivocis, & communibus conceptibus entis ex parte obiecti, ad Metaphyſicam transferre decrevimus.

QUÆSTIO I.

An à parte rei dentur natura, quæ denominantur Vniverſales.

1 NOn inquirimus pro nunc, an à parte rei detur Vniverſale: ſed, an à parte rei detur natura, quæ Vniverſalis denominetur, ſeu ſupra quam, veluti ſupra reale ſubiectum, cadat ſecunda intentio, quæ eſt Vniverſalitatis forma.

2 Duplex poteſt in hac quæſtione proponi opinio, quarum vna ſuperat intentum, & alia deficit in illo. Prima eſt Platonis aſſerentis, non ſolum à parte rei dari naturas, quæ Vniverſales denominentur, ſed à parte rei dari naturas, quæ à parte rei ſint Vniverſales, à ſingularibus realiter ſeparatę, ingenerabiles, & incorruptibiles, ita vt generationes, & corruptiones non exerceantur in naturis, ſed præciſé, circa rationes individuales fiant, & exerceantur. Secunda opinio fuit Noſtri Ocham, qui apud Tartar. *lib. 1. Prædicab. dub. 2.* aliquibus dictis é contra Vniverſalitatem propoſuit. Erat primum dictum: omnis res eſt ſingularis, & nulla eſt communis in pluribus exiſtens, ſaltim creata. Secundum dictum: omne Vniverſale eſt terminus communis; quia quidquid prædicatur eſt terminus; Vniverſale prædicatur: ergo Vniverſale eſt terminus. Tertium dictum: ſicut triplex eſt terminus cōmunis, ſcilicet, mentalis, vocalis, & ſcriptus, ita triplex eſt Vniverſale: mentale, eſt conceptus vnivocé plurium repreſẽtativus; vocale, eſt terminus communis vocalis, & vnivocus; & ſic ſcriptum. Quartum dictum: aliquid poſſe dici vniverſale, poteſt intelligi in eſſendo, ita vt ſit realiter in pluribus, & ſic nullum eſt vniverſale; & poteſt intelligi in ſignificando, non quod ſignificet aliquid commune, vel aliquam naturam communem, ſed quod plura ſingularia immediaté ſignificet, ſicut iſte terminus *homo* de ſuo primario ſignificato ſignificat omnes homines mundi, & ſic ait, ponenda ſunt vniverſalia.

3 Opinio Platonis, quæ per exceſſum fuit propoſita, poteſt in primis impugnari omnibus illis rationibus, quibus formam ſubſtantialem, de per ſe genitam, & corruptam aſſeveramus. Deinde, quia cum ſingularia aptiora ſint ad exiſtentiam, quam quævis alia, ſuperflué dixit Plato, quod generationes verſabantur circa ſingularia, ſed poterat etiam dicere, quod ſicuti communia ingenita prȩexiſtebant, & migrabant per individua, etiam ſic individua præexiſtebant, & migrabant per naturas; ac per conſequens, nil eſſe in rerum natura genitum, nec corruptum. Tertio, quia dum illa natura migraret per loca, non minus individua, quam quævis alia, foret ſingularizata; ſiquidem Petreitas, Pauleitas, & alia, non minus tali naturæ acciderent, & ab illis æqué exiſteret ſeparata, ac dum ante hanc, vel illam vbicationem, præexiſteret. Quartó, quia vellē audire à Platonicis, *quomodo* naturæ Numinis, vel Numinum ſingularitatem applicabant; vel ergo debebant deſtruere intentum, vel fœdiſſimos proferre diſcurſus. Quintò, & vltimó, omnibus illis rationibus, quibus eidē naturæ rationali oppoſiti ſtatus attribuuntur, vt ſummé fœlicem, & miſerum eſſe, & ſic alia, tam ab Antiquis, quam à Recentioribus tradita. Videatur Scotus *in 2. d. 3. q. 6. §. iſta poſitio*, vbi ſex rationes in contrarium adducit.

4 Secunda opinio, acribus, & ingenioſis rationibus ab Ochamo honorificé elevata, non ſic à catholicis deſpicitur, neque à Philoſophis prudentibus conculcatur; etſi dum extra mentem Ariſ. percipitur, ab aliquibus aſperé ſuſtineatur. Sic Anſel. in Epiſtola de Incarnatione Verbi, hæc habet verba: commovendi ſunt illi, vtique noſtri temporis Dialectici, qui non niſi flatum vocis Vniverſalia appellant. Sed quidquid ſit de hoc, ſentio, quod primum dictum adſit verum, ſi intelligatur de natura, in pluribus actu, & poſitivé exiſtente; quia ſic, vt ipſe ait, nulla natura, præter divinam, in pluribus notionibus cognoſcitur exiſtens; ſin autem intelligat de natura, quæ ſola intelligibili notione formaliter dicitur Vniverſalis, non ſic ab aliquibus audietur. Primum; quia nunquam

talis

talis natura exhiberet fundamentum ad denominationem ſimilem naturæ divinę, adhuc mentaliter habēdam; in quo ſiſtere innuit Nominalis Princeps. Ratio eſt, quia Ariſtotelici adhuc intentionaliter ponunt naturam in multis cum ſui multiplicitate: ergo adhuc ex tali denominatione contra deitatem, non relinqueret intellectus ſimilitudinem. Secundum; quia non minus repugnare videtur, quod natura humana exhibeat à parte rei fundamentum, vt tribus ſuppoſitis, per reales vniones ab agenti phyſico communicetur, quam quod eadē natura exhibeat à parte rei fundamentum, vt tribus individuis, per vniones intentionales, ab intellectivo agenti adapteiur; ſed primum admittit Ocham in *Quodlib.* 4. *q.* 12. *in reſponſione ad* 3. *dub.* ergo.

5 Deinde in *queſ.* 11. reſolvit, quod, etſi natura ſuppoſitata poſſet aſſumi ſpecificativé, non autem reduplicativé, quia ſuppoſitum incommunicabile eſt. Arguo ſic: ab Omnipotentia poteſt aſſumi, & phyſicé abſtrahi natura à ſuppoſito, à quo eſt ſuppoſitata: deinde natura, inſimul & ſuppoſitum, quid inaſſumptibile ſunt, quia ex gradu incommunicabilitatis exhibetur fundamentum contra Omnipotentiam: ergo ſimiliter natura humana poterit aſſumi præciſivé ab intellectu, ita vt poſsit habere in ſe obiectivé naturam, & non individuationem. Nunc ſic; quia natura conſideratur ſine reduplicatione ſuppoſiti, redditur vna, & eadem, non in voce, ſed in entitate, pluribus communis per aſſumptionem phyſicam: ergo cum non minus poſsit conſiderari intelligibiliter ab individuo abſtracta, non in voce, ſed in entitate, vna, & eadem, pluribus apta reddetur per aſſumptionem intentionalem. Prob, conſequentia, quia ſi aliquid obſtaret, vt natura intentionaliter aſſumpta poſſet pluribus communicari, maximé aliquod incommunicabile, in quo foret comprehenſa; ſicuti idem obſtaret, vt foret inſimul à Deo aſſumptibilis; ſed dum natura conſideratur præciſa, ſine vllo incommunicabili percipitur, ſicuti dum aſſumpta, ſine vllo inaſſumptibili: ergo, vt pluribus poſsit per communicationem adaptari, nil datur, quod naturæ intentionaliter obſtet.

6 Quartum dictum, in quo potius Nominalis opinio dignoſcitur, ipſo dicto reijcitur: quia hæc vox *Homo* non poteſt ſignificare, niſi id, quod materialiter ſignat; ſed materialiter, neque Petreitatem, neque vllam aliam individuationem ſignat, ſed ſolum naturam humanam: ergo non plura individua, ſed vnam naturā communem immediaté ſignificat. Prob. minor, quia ſi foret poſsibile quod vnica voce, omnes ſingularitates quis materialiter proferret, ſolū tunc omnia ſingularia immediaté ſignificaret: ergo dū illa voce *Homo* ſingularitates nō exprimat, potius naturā cōmunē, quā Petreitatē, & alia individua ſignificat. Prob. antecedens: ſolum tunc ſignificatur Petrus, quando hac voce *Petrus*, ipſum materialiter profero: ergo ſolum, dum voce, omnes ſingularitates quis materialiter proferret, omnia ſingularia immediaté ſignificaret.

7 Deinde arguo ſic; ex eo per Nominales, illa vox, ſeu nomen eſt vniverſale, quia nullum eſt ſingulare, de quo non verificetur, quod eſt ſignificatum per illam: ergo dū nullum ſit ſingulare, de quo ſimiliter non verificetur, quod habeat conceptum entitativum hominis, natura humana, non minus in voce, quam in entitate erit vniverſalis. Nunc ſic; ſed cōceptus entitativus poteſt de quolibet verificari: ergo. Pro. minor; quia ex eo, illa vox poteſt æqué verificari, quia ab alijs vocibus, & individuis ſyllabis præciſſa, æqué eſt cuilibet applicabilis in ſignificato; ſed conceptus entitativus hominis præciſus cognitione, æqué eſt cuilibet applicabilis in entitate: ergo poteſt de quolibet verificari. Prob. minor, quia in hac propoſitione, Petrus eſt homo, conceptus entitativus, & obiectivus hominis, per illam repreſentatus in prædicato, non eſt aliquod individuum: ergo eſt cuilibet applicabilis in entitate. Prob. antecedēns; quia ſi conceptus prædicati foret aliquod individuum, nulla poſſet dari propoſitio, quæ non foret nugatoria: ergo. Prob. antecedens, quia conceptus hominis in predicato foret *hic*; ſed hic homo eſt idem, ac Petrus: ergo idem eſſet dicere, Petrus eſt homo, ac dicere, Petrus eſt Petrus; quod eſt nugatorium. Si enim hic homo non ſit Petrus, ſequitur quod ſit aliud individuum, ſcilicet, Paulus, vel Ioannes, & ſic faceret hunc ſenſum, Petrus eſt homo, ideſt, Petrus eſt Paulus, vel Ioannes.

8 Deinde, prædicta propoſitio non haberet pro obiecto omnia ſingularia immediaté, & copulativé ſumpta: ergo debebat habere aliquid entitativé vnum. Prob. antecedens; quia ſi omnia ſingularia copulativé ſumpta haberet pro obiecto, hæc propoſitio, Petrus eſt homo, pro eodem valeret, ac Petrus eſt omnis homo; ſed hæc eſt falſa: ergo omnia illa copulativé non habet pro obiecto. Prob. minor; quia à quolibet, quod res non eſt, prædicatum

illud

illud dicens, reddit falſam orationem; ſed Petrus, qui eſt ſubiectum, nõ eſt quidquid dicit de illo prædicatũ: ergo. Hęc dixi vt ab his Doctorum opinionibus expeditus manerem, etſi quæſitum in titulo, tot non exquirat; quare illud breviter adimplendo.

9 Reſolvo firmiter, à parte rei dari entia, quæ vniverſalia denominantur. Ita paſſim Scotus pluriés citandus infrà. Suaderi poteſt ſic; quia ſi aliquid obſtaret, vt à parte rei foret natura, quæ denominatur vniverſalis, maximè, quia tam denominatio, quam forma denominans nil ſunt à parte rei, ſed ſimpliciter ſunt quid rationis; ſed hoc nil obſtat: ergo. Prob. minor; quia non minus ſecunda intentio ſubiecti eſt quid rationis, quam ſecunda intentio prædicabilitatis; ſed illud nil obſtat, vt à parte rei ſit ens, quod denominetur ſubiectum; ergo nequé obſtabit, vt à parte rei ſit ens, quod denominetur prædicabile, ſeu vniverſale. Apud tenentes ſecundas intentiones eſſe quid reale, melius convincitur intentum. Sed confirmatur, quia magis, vel æqué, apud feré omnes, repugnat Petro vniri cum lapide, quam naturæ humanæ eſſe vniverſalem; ſed dum Petrus vnitur cum lapide, non repugnat, quod ſit à parte rei Petrus, qui vnitur, & ſi tam forma, quam denominatio vniti ſiot rationis: ergo, vt à parte rei ſit natura, quæ denominetur vniverſalis, nil repugnabit, quod tam forma, quam denominatio vniverſalitatis non ſint aliquid realitatis.

10 Confirmantur omnia: ſi aliqua natura à parte rei exiſtens, talium denominationum foret incapax, maximè; quia dum denominatio erat vniverſalitatis, natura poſitivé erat in ſingulari; ſed hoc nil obſtat: ergo. Prob. minor; quia non minus repugnare videtur, quod illa, quæ ſunt ſimpliciter abſoluta, & à parte rei incapacia relationis, referantur, & relata denominentur, quam quod illud, quod à parte rei non eſt vniverſale, vniverſalis ſit, & denominetur; ſed inter perfectiones divinas, (præter quam quod ſit erat, abſolutum in ſe, à forma reſpectiva denominari) datur relatio rationis, & ipſæ denominantur relatæ, etſi abſolutæ ſimpliciter ſint, & realis relationis incapaces: ergo etſi natura à parte rei ſit in ſingulari, & incapax ſit eſſendi vniverſalis à parte rei, nil obſtabit, vt natura, quæ eſt à parte rei, forma, quæ non eſt à parte rei, vniverſalis denominetur. Si ad illud adeſt fundamentum, & ad iſtud. Idem poteſt convinci in Deo, qui exiſtens à parte rei denominatur creans forma rationis; in quo adhuc majora evincuntur inconvenientia, & improportiones. Denique directé probatur aſſumptum ex eo, quod à parte rei detur natura communis: ergo cum hæc ſit denominanda, à parte rei dabitur id, quod vniverſale denominatur. Conſequentium veritas intendetur in quæſtione ſtatim dictanda.

QUÆST. II.

An ex natura rei detur communitas in natura, quæ vniverſalis denominatur.

11 IN quæſtione antecedẽti ſolum ſcire intẽdebamus, an à parte rei eſſet id, quod vniverſale denominatur: ex quo, licet inferatur aliquod fundamentum ad vniverſalitatẽ in natura denominata, noluimus tamen ſub hac expreſſione movere quæſtionem, ſed hinc illam eviſcerare, vt prædicta corroborentur, & dicenda prædictis meliùs moveantur.

12 Reſolvo firmiter, dari aliquam communitatem ex parte naturæ, quæ à parte rei exiſtens fuit vniverſalizata intentionaliter. Eſt communiſſima in mente D. Subtilis, tam in 5. *metaph. quæſt.* 18. quam in 2. *Sent. d.* 3. *quæſt.* 1. in cuius fine infert ex dictis, *quod quærenda eſt cauſa vniverſalitatis; non tamen quærenda eſt cauſa communitatis alia ab ipſa natura, &c.* Hac reſolutio poteſt ſuaderi formalizando aliter rationes quæſt. antecedentis. Deinde nullo melius propugnatur quam omnibus illis, quibus diffuſé propugnavimus, dum ad formas rationis fundamentum in rebus ita in *lib.* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. per totam: quare hinc breviter illius probatione expediri conabor. Prob. ſic; natura humana, v.g. ex ſe non dicit ſingularitatem: ergo datur aliqua communitas ex parte naturæ. Prob. antecedens; ſi natura humana ex ſe diceret Petreitatem v.g. Paulus non haberet quidquid ex ſe dicit natura humana: ergo natura humana ex ſe non dicit ſingularitatem.

13 Dices, quod à parte rei ſolum ſequitur, quod non haberet Paulus quidquid ex ſe dicit natura humana, dum hæc ſit in Petro; Paulus enim dicit quidquid à parte rei dicit natura humana Petri. Sed contra; quia iſtæ ſunt veræ propoſitiones, Paulus dicit quidquid dicit Petrus, præciſa Petreitate; Paulus non dicit quidquid dicit Petrus, Petreitate non præciſa: ergo ex parte obiecti datur, & correſpondet cuilibet veritas obiectiva; ſed veri-

tas

tas obiectiva ſecundæ eſt natura humana, & Petreitas: ergo veritas obiectiva primæ eſt natura humana ſecundum ſe.

14 Dices, quod præciſa Petreitate, iam non manet natura humana. Sed contra, quia à parte rei datur hoc concretum Petrus: ergo adhuc præciſa Petreitate, per locum intrinſecum non deſtruitur natura humana. Prob. quia ex eo, quod vna pars concreti phyſicé auferatur, non ſequitur, quod per locum intrinſecum deſtruatur phyſicé alia: ergo etſi vna pars concreti metaphyſicè præſcindatur, non ſequitur, quod per locum intrinſecum non maneat alia, ſcilicet natura humana. Confirmantur dicta, probando iterum antecedens primi enthymematis pro fundamento poſiti. Si natura humana ex ſe metaphyſicé (dico ex ſe metaphyſicé, ne aliquis intelligat hinc loqui *ex ſe* largé, prout frigus ab aqua ex ſe dicitur, & forma a materia) diceret ſingularitatem, maximé, quia eſt impoſſibile, quod in non ſingulari ſit; ſed hoc nil obſtat: ergo. Prob. minor; quia licet homo non poſſit exiſtere niſi in riſibili, tamen metaphyſicé, & vltimó quidditativé homo ſecundum ſe nó dicit riſibilitatem: ergo licet natura humana non poſſit niſi in ſingulari eſſe, tamen vt ſecundum ſe metaphyſicé illam non dicat, nil obſtabit. Prob. antecedens; quia homo ſecundum ſe primó metaphyſicé ſolum dicit, quæ ſunt de eius eſſentia quidditativé conſtitutiva: ergo ſecundum ſe non dicit riſibilitatem.

15 Deinde probatur illud primum antecedens ſic: ſi homo ſecundum ſe metaphyſicé diceret ſingularitatem, rationale, & riſibile idem inter ſe quoad primum eſſe metaphyſicum hominis forent: ergo eſſentia metaphyſica hominis ſingularitatem reticet. Prob. antecedens, quia ſi rationale ſecũdum ſe metaphyſicé diceret ſingularitatem, cum riſibile tam ſtricto modo non poſſet eſſe niſi in ſingulari, metaphyſicé etiam diceret ſingularitatem; ſed quando vnus conceptus dicit ſecundum ſe, quidquid metaphyſicé alius dicit, ambo conceptus metaphyſicé ſunt idem inter ſe: ergo cum riſibile dicat ſingularitatem, quam metaphyſicé ſecundum ſuam quidditaté dicit rationale, rationale, & riſibile, quoad primum eſſe metaphyſicum hominis, idem forent inter ſe.

16 Probari poteſt aliter ſic: vel natura dicit hæcceitatem ſecundum ſuum eſſe quidditativum, quia eſt perfectio, vel quia eſt idemptificata perfectio; ſed neutrum ſuficit: ergo. Prob. minor quoad primam partem; quia licet ſubſiſtentia ſit perfectio naturæ ſubſtantialis, & inhærentia accidentalis, nequé ſubſtantia in ſuo eſſe quidditativo dicit ſubſiſtentiam, nequé inhærentiã accidens: ergo. Prob. quoad ſecũdam partem; quia etiam ſi perſonalitas foret idemptificata cum natura, ita vt natura non poſſet non eſſe niſi in perſona, non ob hoc perſonalitas foret prima quidditas naturæ: ergó natura non dicet ſecundum eſſe quidditativum hæcceitatem, quia ſit idemptificata perfectio. Prob. antecedens; quia etiam ſi perſonalitas Patris ſit apud contrarios perfectio, non minus idemptificata cum natura divina, quàm Petreitas cum humana, nilominus tamen perſonalitas Patris non eſt de metaphyſica quidditate, & de primo conceptu naturæ; aliàs perſona filij non foret Deus: ergo etiam ſi &c.

17 Probatur aliter, ex his quæ adducit D. Subtilis ad hoc idem punctum in 2. *d*. 3. *q*. 6. Petreitas, v.g. vel eſt differentia reſpectu Pauli, vel non? Si non eſt differentia: ergo, vel eſt convenientia per idemptitaté, vel per non diſtinctionem; ergo quomodolibet ſit, datur à parte rei fundamentum ad indiviſionem. Si eſt differentia: vel eſt eſſentialis, & ſpecifica, vel non? Si eſt eſſentialis, & ſpecifica: ergo à parte rei non differt magis Petrus à Paulo, quam à Leone. Deindé, homini præciſo à Petreitate non conveniret eſſe infimam ſpeciem, ſiquidem adhuc deficeret fundamentum ex differentia eſſentiali. Denіqué adhuc per rationem non daretur motivum, vt magis abſtraheretur à diferentijs eſſentialibus ratio differentiæ, quam vt abſtraheretur ab individuis; quod eſt negare bonæ ſubſtantiæ arborem. Si non eſt differentia eſſentialis: ergo eſt aliquid extra eſſentialem quidditatem naturæ. Probatur; quia intra quidditatem eſſentialem, ſolum poterat eſſe aliquid, vel vt conveniens, vel vt eſſentialiter diſtinguens: nó eſt vt cõveniens, vt de ſe patet; deinde, nequé vt eſſentialiter diſtinguens: ergo.

18 Deinde; ſi non eſt differentia eſſentialis: contra; à parte rei datur differentia eſſentialis; ſed hæc non datur in Petro cum Paulo: ergo inter Petrum, & Paulum, ſaltim à parte rei datur negativé fundamentalis communitas. Prob. minor; in Petro cum Leone datur differentia eſſentialis, id eſt, eſſentiæ: ergo hæc non datur in Petro cum Paulo. Prób. conſequentia: ſi hæc daretur in Petro cum Paulo, maximé, quia Petrus eſt hic, & Paulus eſt ille; ſed ſi Leo præciſé haberet eſſe ille, ſcilicet Ioannes, aliter, & minus differret ab iſtis: ergo dum nunc aliter eſſentialiter differt, hæc differentia non datur in Petro cum Paulo.

Nunc

Nunc ſic, hæc differentia, quæ eſſentialiter datur in Petro cum Leone non datur in Petro cum Paulo: ergo ſicut quidquid differentiæ datur inter Petrum, & Leonem eſt à parte rei, quidquid nõ differẽtiæ Leonis ad Petrũ datur inter Petrum, & Paulum, debet eſſe à parte rei; (ſi contrariorum eadem ſit ratio) ergo quidquid inter vnos eſt diviſio, inter alios communitas, vel ſaltim non diviſio debet eſſe. Nequé aliud intendit Doctor Subtilis dum in hanc reſolutionem prorumpit. Argumenta, & ſcopus preſentis quæſtionis, ni fallor, ſufficienter extant eviſcerata *in libro de ente ſecundo intentionali*, præcipué *diſt. 1. quæſt. 2.* & inferiùs proponetur adhue, cum aliquibus impugnationibus à Mag. Dyionoſio noviſſimé oppoſitis.

QUÆSTIO III.

In qua examinatur, qualiter iuxta Scotum ſit prædicta communitas intelligenda.

19 CUm Subtilis D. dixerit *in 2.* vbi ſupra, quod naturæ conveniebat communitas extra intellectum, & inſimul habere vnitatem à parte rei, minorem numerica, conſequenter inferunt aliqui contrariorum, peſſimé Scotizantes, quod Scotus admiſit vniverſale actù, & formaliter à parte rei; quam intelligentiam miror adductam à celebri Doctoris reſoluti commentatore in *3. diſt. 5. q. 2. num. 32.* propter quem, & plures alios, vellem priùs mentem Scoti poſſibili claritate aperire.

ART. I.

EXPLICATVR SCOTVS DE triplici natura ſigno; & ſolvuntur aliqua in explicationem obiecta.

20 DOctor enim Subtilis poſtquam naturam realem in triplici ſtatu prævifit, illa prædicata, ſeu attributa ipſi accomodavit, quæ pro vnoquoque ipſi à parte rei convenire intellexit. Primó, illam in primo ſui eſſe ſtatu conſideravit, inquo intellexit naturam, nequé vnam, nequé communem, nequé vniverſalem, nequé particularem, itavt tunc ſolum dicat natura, quod ſolum formaliſſimé eſt natura. Quod ſuadet Doctor, quia natura eſt prior naturaliter omnibus dictis attributis; ſed ſecundum illam prioritatem naturalem habet natura quidquid formaliſſimé eſt ſuum eſſe: ergo in illo priori nil dicit natura extra id, quod natura formaliſſimé eſt, & ſic nequé dicet vnitatem, neque multitudinem, &c. Probat Doctor; quia id ſolum in primo eſſe dicit natura, quod exprimit metaphyſica, & quidditativa definitio; ſed hæc nil eorum attributorum exprimit: ergo eſt extra iſta, quidquid eſt tunc natura. Prob. minor; quia prædicta attributa ſunt paſsiones naturæ; ſed nulla paſsio per definitionem quidditatis exprimitur: ergo tunc nil eorum attributorum exprimit. Maior videtur certa, quia eſſe vnum, &c. adhuc in ente tranſcendenti ſunt paſiones; & vbi non, ſignent illas in natura. Minor etiam vera videtur hucvſqué.

21 In ſecundo ſigno conſiderat Doctor naturam cum vnitate, iuxta quam ſit indiferens ad ſingularitatem, itaut non repugnet illi vnitati de ſe, quod cum quacumque vnitate ſingulari ponatur. Quod ſuadet, quia quęlibet eſſentia, & natura debet habere vnitatem ſibi proportionabilem; ſed vnitas numerica non eſt naturæ ſecundum ſe proportionata: ergo debet formaliter habere aliam illa minorem. Prob. minor: ſic debet natura ſecundum ſe habere vnitatẽ, ſicuti habet diſtinctionẽ, quia ſicuti aliquid in ſe eſt indiviſũ, ſic & eſt diviſũ ab alijs; ſed diſtinctio numerica non eſt naturę ſecũdũ ſe proportionata: ergo nequé proportionata erit numerica vnitas. Probat nervoſé minorẽ Doct. in *2. d. 3. q. 1. §. cõtra illud*: omnis diverſitas numeralis in quantum numeralis, eſt æqualis, itaut numericé omnia ſint æqué diſtincta: ſed natura ſecundum ſe æqué non diſtinguitur ab omnibus; quia, vt in quæſtione antecedenti dixi, Petrus non æqué diſtinguitur à Paulo, ac à Leone: ergo, quia diſtinctio numerica non eſt ſecundum ſe, naturæ proportionata. Deindé, minor vltima corroboratur à Doctore; quia æqualitas diſtinctorum poteſt metiri ex veritate, vel mendacio abſtrahentium, vt vniverſalitatem formantiũ; ſed in caſu, quod eſſent æqué diſtincta, ait Doctor, ſequeretur, quod non plus poſſet abſtrahi à ſorte, & Platone aliquid cõmune, quã à ſorte, & linea; in quo caſu vniverſale foret purum figmentum: ergo.

22 Deindé intẽdã adhuc ſuadere illã minorẽ, ex qua robur ſumit vnitas Scoti. Si natura humana metaphyſicé præſcindatur à ſuis differẽtijs ſingularibus, necnõ & à ſuis præſcindatur Leonina, tũc vnę, & alię ſingularitates nõ differẽt, pluſquã numericé: ergo recté ait Scotus, quod diſtinctio numeralis, vt numeralis, eſt ęqualis, ac proinde vnitas ipſi correſpõdens, naturę ſpecificę inſufficiẽs. Prob. antecedens;

quia ſic præciſis illis naturis, ſingularitates remanentes non differrent ſpecie: ergo ſic præciſis, non differrent pluſquam numericé. Prob. antecedens; quia præciſſa natura humana, non convenirent in ſpecie eius ſingularitates: aliàs non foret præciſſa natura ſpecifica: nec non ſequeretur, quod ſingularitates non erant primò diverſæ: ergo ſic præciſſis illis naturis, ſingularitates remanentes non differrent ſpecie; aliàs in ſpecie differrent, quæ in ſpecie non habebant naturam. Nunc ſic: ſicuti Petrus differt à parte rei à Paulo, ſic, prout à parte rei, habet differre à Leone; ſed actù, & numericé differt à Paulo: ergo actù, & formaliter differt à Leone; ſed non poteſt actù, & numericé differre à Paulo, quin actù, & numericé habeat vnitatem: ergo non poteſt actù, & formaliter differre à Leone, quin actù, & formaliter habeat vnitatem. Prob. illatio: non poteſt habere Petrus diſtinctionem numericam cum Paulo, quin actu habeat numericam vnitatem in ſe: ergo non poteſt formaliter, & actù habere diſtinctionem cum Leone, & ipſam non habere cum Paulo, quin in ipſis, vel in ipſo, actù, & formaliter vnitas ſpecifica habeatur à ſe. En dictum Scoti aſſerentis, non quamlibet vnitatem eſſe naturæ eſſentialiter proportionabilem.

23 Deniqué conſiderat Doctor naturam in tertio ſigno, in hæc verba prorumpens *in 2. citato ſupra: Communitas convenit naturæ extra intellectum, & ſimiliter ſingularitas; ſingularitas autem convenit naturæ per aliquid in re contrahens ipſam.* Quare, rectè paulo ante dixit, quod ſi accipiatur ſubſtantia pro ſubſtantia prima, tunc verum erit, quòd quælibet ſubſtantia ſit ex ſe propria illi, cuius eſt, quo pacto non poterit eſſe ſubſtantia ſortis, & Platonis. Et ratio eſt; quia licet ſubſtantia ex ſe non dicat eſſe hanc primam, ſi tamen hanc primam iam eſſe concipiatur, repugnat iam ſubſtantiæ, ſic eſſe communem, ſicuti repugnat ſubſtantiæ ſic intellectæ, iam non eſſe ſingularem: ergo ſicuti ſubſtantia in priori ad ſingularitatem non dicebat illam ex ſe, quia non intelligebatur principium adhuc, à quo ſingularitatem diceret; ſic dum ſubſtantia eſt iam ſub ſigno ſingularitatis, ſingulare erit quidquid ex ſe tunc dicat, cum iã habeat in ſe principium à quo ſit ſingulare, quidquid ante illud ex ſe ſingulare non dicebat: natura enim ſingularis de ſe ſolum non commune dicit.

24 Dices: id, quod naturæ convenit ſecundum ſe, ſemper debet ei convenire: ergo ſi naturæ ſecundum ſe conveniat non eſſe ſingularem, quantumvis in tertio ſigno ſit, ſemper ei non eſſe ſingularem conveniet. Diſtinguo antecedens: debet ei ſemper convenire, ſi ipſi conveniat abſque conditione ſtatus, concedo; ſi con veniat cum ſtatus, ſeu ſigni conditione, & dependentia, nego. Vel melius: ſi ipſi conveniat ſecundum ſe, quia per locum intrinſecum, & abſolutam exigentiam, concedo: ſi ipſi conveniat, quia illud dicit per neutralitatem, ſive per non repugnantiam, nego. vel aliter: ſi ipſi conveniat poſitivé ſtricto modo, concedo; ſi ipſi conveniat veluti præciſivé, nego; & ſic conſequentiam perc pio. Itaqué explicare debemus prædicta, quin pro nunc aliorum Scotizantium expoſitiones reprobare velim. Pro huius intelligentia eſt advertendum, quod illa tria ſigna, in quæ Scotus diſtinxit naturam, non habent prioritatem, & poſterioritatem ordine durationis, quia hic ordo inter realiter identificata foret ridiculus. Deindé poteſt dici, quod etſi prioritas naturæ detur ivxta phraſim Scoti dicentis *in illo priori natura, &c.* tamen eſt prioritas illa naturæ omnibus phyſicæ naturæ prioritatibus ſtrictior, & veluti delicatior, eo quod inter gradus, non cuiuſvis naturæ, ſed formaliſsimæ, & metaphyſicæ verſetur. Qua propter, ſicuti ſe habet gradus ad gradum, ſic ſtatus ad ſtatum: vnde ſicuti vnus conceptus eſt alio natura rei diſtinctus, & metaphyſicé prior, ſic ſtatus illius naturæ ſunt nominandi ex natura rei formaliter priores, & poſteriores non verò realiter lató modo, quia ſic omnes ſunt æquales, & eundem ſtatum habentes.

25 Ex quibus debes inferre, quod natura, vt eſt in ſtatu, in quo formaliſsimé eſt natura, eſt tunc in aliquo priori reali ex natura rei, in quo nulla eſt ſingularitas, ſed eſt hæc in aliquo poſteriori reali ex natura rei. Quod ſuaderi poteſt: quia dum homo ſolum dicit formaliſsima eius, eſt in aliquo ſtatu proportionato, & ſimili modo, iuxta quem formaliſsima dicit; ſed formaliſsima dicit à parte rei: ergo in aliquo ſtatu ſimili eſt; ſed dum homo ſolum dicit formaliſsima, nõ dicit proprietates: ergo nequé in illo reali, in quo eſt homo, ſunt proprietates. Prob. vtrumque; ſi in illo reali, inquo homo eſt, eſſent proprietates, in illo reali homo diceret illas; quia homo in quovis reali dicit, quidquid in illo eſt, & habet; ſed homo dũ formaliſsima dicit, & exprimit, nõ dicit proprietates: ergo quia eſt verũ dicere, quòd in aliquo reali, in quo eſt homo, nõ ſunt proprietates. Nunc ſic: illud reale, vel

vel eſt prius, vel eſt poſterius, vel æquale; non poſterius, vt probatum eſt; nequé æquale, quia valeret quidditativa cõverſio: ergo prius: ergo datur ſucceſio ex natura rei ac per conſequens numerus metaphyſicus, & formalis motus identifici ſecundum prius, & poſterius.

26 Hæc igitur omnia in quæſtione 6. nervosè probare videtur Doctor, eo quod ex natura rei detur metaphyſicé aliquis gradus, qui actus vltimus dicitur: ergo, vel à parte rei formaliter incongrué ſic denominatur, vel debet dari in eadem linea formali à parte rei gradus, reſpectu cuius, vt primi, ille alius, vltimus dicatur. Deindé, id ipſum intendere Doctorem, cenſeo ex eo, quod in omnibus differentibus petat ſtatum, conſtituendo terminum in vltimis, vltra quem nullum ens, nequé intelligibiliter præteriri poſsit. Dat rationem, quia ſi vltimi actus naturarum non forent primó diverſi, ſequeretur, quod non haberent ſtatum, cum differendi foret infinitus proceſſus: ergo à parte rei datur gradus, cui formaliſsimé poſterioritas competit; ergo cum idem proceſſus poſſet formari ex principijs metaphyſicæ inceptionis, ne ſequatur, eſt dicendum, quod à parte rei datur gradus, cui ſoli formaliſsimé primitas cõpetit. His ita pro horum ſignorum pænuria exhibitis.

27 Reſpondeo explicando prædictam diſtinctionem; dixi ergo, id debere naturæ ſemper convenire, quod non convenit cum conditione ſtatus, & ſigni, quia quod ſic convenit alicui, dum ſtatum diſtinctum acquirat, illius convenientiæ modum retardavit. Ratio eſt, quia dum res cointelligitur cum aliquo modo, tunc debet percipi ad modum, ad quẽ cointelligitur: ergo ſi natura; ſolum in ſigno priori ad vltimum, dicebatur communis, dum ſit in vltimo, ſolum dicetur ſingularis. Itaqué, quando dicimus, naturam de ſe non eſſe ſingularem, non poſſumus intelligere naturam in vltimo ſigno, vel quia in vltimo ſigno dicit ſingularitatem, vel quia eam intelligere ſecundum ea, quæ de ſe ſolum dicit, & eam intelligere in vltimo ſigno, adhuc intelligibiliter repugnant. Hinc adapta exemplar de eſſentia, quæ apud aliquos, in vno ſtatu dicit de ſe exiſtentiam poſsibilem, & in alio de ſe dicit actualem; quæ omnia ſtatim ampliùs explicabuntur.

28 Dixi, quod convenit ſemper naturæ, quod ipſa dicit de ſe, ſi ipſi non cõveniat per non repugnantiam, & potentiam neutram: quo pacto poteſt aliquid de ſe non dicere, & tamen in omni ſtatu non poterit eſſe ſine illo. Sic voluntas de ſe non dicit amare ſemper, & tamen ei de ſé non repugnat, quod ſemper amet: ſic materia prima de ſe dicit omnes formas, & tamen ei de ſe non repugnat eſſe ſine illis: vel é contrà: ſic cœlum de ſe non dicit motum, & tamen ei de ſe non repugnat eſſe cum illo. Sic pariter, dum dicimus, natura de ſe non dicit Petreitatem, intelligimus per indifferentem potentiam; quia ſi intelligeremus per poſitivam, & intrinſecam repugnantiam, nunquam poſſet habere natura, quod ipſa de ſe ſic dicebat; imo nequé, adhuc intentionaliter; quia repugnabat, quod intellectus poſſet affirmare de natura id, quod ipſa de ſe per repugnantiam negabat. Sic ſimiliter, nequé natura de ſe dicit Petreitatem per determinatam potentiam; quia in tali caſu, nequé adhuc intelligibiliter poſſet eſſe communis; repugnaret ſiquidem, quod ipſam intellectus veré conciperet ſine illo, quod determinaté de ſe dicebat. Quare ait Doctor: *eſt ergo in re commune, quod non eſt de ſe hoc, & per conſequens, ei de ſe non repugnat eſſe non hoc.*

29 Ex quibus adapto doctrinam Subtiliſsimi Magiſtri, iuxta probabilem viam aliquorum ſcotizantium, ſcilicet, dari naturam, quæ in aliquo ſigno habet minorem vnitatem, quam numericam. Ratio eſt; quia illud eſt minus vnum, quod eſt minus indiviſibile; ſed vnitas naturæ in ſecundo ſigno eſt minus indiviſibilis: ergo eſt numerica, minus vna. Maior prob. quia vnum eſt indiviſibile: ergo quod eſt minus indiviſibile, eſt minus vnum. Prob. quia quod eſt minus indiviſibile, eſt magis diviſibile; ſed, quod eſt magis diviſibile, eſt minus vnum, quam quod eſt minus diviſibile: ergo cum quod eſt minus indiviſibile, ſit magis diviſibile, quod eſt minus indiviſibile, erit minus vnum. Prob. nunc minor primi ſyllogiſmi; quia natura in ſecundo ſigno, etſi non repugnet poſitivé ſingularitatem, tamen nequé ipſi ſecundum ſe repugnat communitatem; ſed natura ſingularis, quidquid poſitivé non eſt ſingulare, repugnat: ergo natura in ſecundo ſigno eſt penés non repugnantiam, de ſe minus indiviſibilis. Deindé, natura in ſecundo ſigno, etſi poſitivé non ſit communis, nequé poſitivé eſt ſingularis; ſed natura in tertio ſigno, adhuc non eſt negativé communis: ergo ſaltim negativé in ſecundo ſigno, eſt naturæ vnitas minus indivibiſibilis. Cauſales harum rationum manent ſuperius; ſed exac-

tiùs in *lib. 1. diſt. 1. quaſt. 2. Hoc ergo modo intelligo* (ait Scotus ſupra in *q. 3. §. ad quaſtionem*) *naturam habere vnitatem realem , minorem vnitate numerali.* Quo modo concupivi intelligere , quod Scotus, profundiùs intellexit. De his videatur Doctor in *2. d. 3. q. 1.* per totam; & *q. 6 & 7. & in 5. & 7. metaph. 15. & 18.* & alibi , ſed in his vim , & ſcopum exhibet. Notat tamen Doctor, quod etſi admittat, naturam habere vnitatem realem , minorem numerali , tamen illa vnitas non habetur à natura, dum ſolum, quæ naturæ ſunt , exprimit ; quia dum res ſecundum ſtrictam realitatem ſuam intelligitur, non debet cointelligi aliquis modus , qui nequé ſit eius per intellectum , (puta ſecundam intentionem vniverſalitatis) neque ſit eius extra intellectum (puta vnitatem illam , numerica minotem). Ratio eſt , quia quilibet modus debet rem, cuius eſt , præintelligere, quia vt ait Scotus, nulla poteſt excogitari vnitas, quin ad eius ens , ſeu ſubiectum aſcendamus: ergo in illo priori naturæ , nullus modus, nequé paſsio poteſt cointelligi.

ART. II.

IN QVO SCOTI RESOLVTIO firmatur, & inſimul contrariorum calumnia reijciuntur.

30 POſtquam Doctor Subtilis ſic naturam in triplici ſigno expoſuit, velvti ſi prævidiſſet calumnias aliquorum exiſtimantium, ipſam à parte rei vniverſalem reliquiſſe, in pluribus locis ex ſupra citatis ſatisfacit dicendo, à parte rei eſſe naturam communem, non autem à parte rei eſſe vniverſalem. Sic ſupra in *2. q. 1.* ſatisfacit cuidam obiectioni *ex Commentatore 1. de Anima. Commento 8.* pro quo, & in alijs *qq.* inferiùs ſatifacit.

31 Circa quod , permiſsis Scotiſtarum validis expoſitionibus , ſic exiſtimo ſatisfactionẽ Scoti poſſe adaptari: vt natura ſit à parte rei vniverſalis iuxta Scotum, requiritur, quod habeat, vt eſt à parte rei iuxta Scotum communis, quidquid intentionaliter ſolet habere , vt eſt iuxta Logicos vniverſalis; ſed Scoti communitas nũquam dicit à parte rei, quod Logicorum vniverſalitas : ergo nunquam Scoti communitas eſt poſitiva, & communis vniverſalitas. Prob. minor; quia ab Scoto ſolum dicitur natura à parte rei communis , quia licet abſoluté ſit in vno , ipſi tamen ſecundum ſe nõ repugnabat eſſe in alio; ſed provt eſt logicé communis, dicit per expeditam exigẽtiam, & aptitudinem abſolutam, eſſe communicabilem omnibus : ergo nunquam Scoti communitas exprimit à parte rei, quod Logicorum vniverſalitas.

32 Confirmatur, & probatur eadem minor: taliter eſt natura à parte rei communis , vt ipſa ex eo dicat quodlibet ſingulare , quia ipſa ſecundum ſe nullum præcisé neget ; ſed natura logica , ex eo eſt intentionaliter communis, quia omnia ſingularia poſitivé dicit: ergo nunquam Scoti communitas dicit à parte rei, quod Logicorum vniverſalitas. Vel ſic clariùs: ex eo natura eſt apud Scotum , communis, quia ipſa de ſe, nec dicit, nec non dicit eſſe poſitivé Petro communicabilem , v.g. ſed vt logicé ſit vniverſalis, plus requiritur, vt in prima probationé dicebamus : ergo nunquam Scoti communitas eſt poſitiva , & logica vniverſalitas.

33 Prob. aliter eiuſdem minoris aſſumptum: vt natura poſitivé, & logicé ſit vniverſalis, requiritur, quod tunc non ſint tot naturæ vniverſales , quot individua , ita vt eſſe eamdem naturam poſitivé à parte rei communem, & eſſe tot naturas , quot ſuppoſita , repugnet. Deinde, eſſe naturam logicé vniverſalem , & eſſe inſimul in mente tot logicé vniverſalia, quod logicé ſubijcibilia, per locum intrinſecum intelligibiliter repugnat; Sed vt natura ſit iuxta Scotum communis , non repugnat, quot tot ſint, & concipiantur naturæ communes, quot ſingularia: ergo nunquam Scoti communitas eſt poſitiva , & veluti logica vniverſalitas. Minor eſt textualis in Scoto , & in feré omnibus antiquis Scotizantibus ; quam ſic ſuadeo; quia ex eo Petrus habet naturam ſcoticé communem, quia etſi ipſa ſit in Petro, ipſi tamen de ſe non repugnat eſſe in Paulo; ſed etiam hoc idem à parte rei habet Paulus, ſecundum eſſe naturæ , quam habet : ergo vt natura iuxta Scotum, ſit communis , non repugnat, quod tot ſint, & concipiantur naturæ communes, quot ſingularia.

34 Prob. aliter aſſumptum à paritate abſtractionis , communiter diviſæ in præciſivam, & negativam. Sic ſe habet præciſio in linea auferendi, ſicuti ſe habet poſitio in linea condonandi ; ſed nunquam præciſiva abſtractio poſitivé, & rigorosé ſeparat naturam ab inferioribus , vt eam ſeparat negativa; ergo nequé vnquam negativa Scoti poſitio ponet naturam inferioribus communem, vt eam ponit Logici poſitiva. Prob. conſequentia ; quia ex eo natura per puram

præ-

præciſionem abſtracta, ſtricto illo modo præciſionis negativé non abſtrahitur, quia licet præciſiva abſtractio ſecundum ſe, non dicat in natura ſingularia, tamen illa poſitivé non negat, vt negativa præciſio: ergo cum Scoti communitas ſiſtat in hoc, quod etſi non neget ſingulare, illud tamen de ſe non dicit, vt poſitiva, & logica communitas, nunquam Scoti poſitio negativa ponet naturam inferioribus communem, vt eam ponit Logici poſitiva vniverſalitas.

35 Confirmantur omnia, irruendo in præcipuum aliquorum fundamentum: ſi Scoti negativa communitas à parte rei repugnaret, maximé, quia per locum intrinſecum repugnat, quod natura de ſe non repugnet eſſe in pluribus, dum eſt impoſsibile, quod ſit abſoluté in illis; ſed quod hoc ſic de ſe non repugnet natura, non repugnat: ergo. Maior eſt fundamentum pro cenſura aliquorum. Minor prob. licet ſit impoſsibile, quod creatura producatur niſi ab Omnipotentia exiſtenti in triplici perſona, tamen iuxta Auguſtinum, & alios, hoc non dicit de ſe creatura: Deinde apud alios, etſi ſit impoſsibile, quod materia prima exiſtat naturaliter ſine forma, non tamen quia ipſi ſecundum ſe repugnet; cum apud aliquos graves Philoſophos, attenta eius conditione, non detur repugnantia: Nec non apud graviſsimos Theologos, etſi natura divina non poſsit fœcundare ſpirationem paſsivam, non tamen quia ipſi de ſe repugnet: ergo licet ſit impoſsibile, quod natura à parte rei ſit abſoluté in omnibus, non tamen ex eo ſequitur, quod ex ſe non habeat non repugnantiam.

36 Ex quibus notanter eſt inferendum, aliquos non recté illam Scoti non repugnantiam comprehendiſſe; imo ſentio, & miror, quod aliqui Scotizantium exiſtimaſſent, potuiſſe abſoluté Pauleitatem dimanare à natura, à qua dimanavit Petreitas; nec non tam ex illo dicto Scoti, ſcilicet, quod naturæ Petri non repugnabat de ſe eſſe in Paulo; & ex alio dicto, ſcilicet, quod ſingularitates ſunt quaſi accidentia naturæ, abſolutam ſeparabilitatem inter ſingularia, & naturam non leviter innuunt. Immeritó tamen; quia præterquam quod contrarium paſsim exprimit Scotus, tam aſperis expoſitionibus non indigent, vt præciſé ſalvent illam Doctoris non repugnantiam; quare formabo in contrarium vim, quæ obijcitur.

37 Naturę de ſe non repugnat eſſe in pluribus; deinde naturæ, quæ eſt in Petro non repugnat de ſe eſſe in Paulo; ſed quidquid non repugnat, eſt poſsibile: ergo ſicuti à parte rei non repugnat, ſic, & à parte rei eſt poſsibile, quod ſit in Paulo; ſed non eſt poſsibile, quod ſit à parte rei in Paulo, quin ſit à parte rei ſeparabilis à Petro: ergo natura eſt à parte rei ſeparabilis ab illo. Nil vrget in re, ſed ſolum apparenter. Diſtinguo minorem: quidquid non repugnat, eſt poſsibile abſoluté, nego; ex illo motivo, ex quo non repugnat, concedo; & concedo conſequentiam. Ad minorem ſubſumptam ſimiliter diſtinguendo reſpondeo; & ſimili forma ad reliqua. Itaque dico, quod vt aliquid poſsibiliter inducatur abſoluté, non ſufficit, quod vni de ſe non repugnet, dum vt poſsibile ſit, ex parte alterius debeat dari non repugnantia. Saltim pro nobis Scotiſtis, nullum aptius poteſt eſſe exemplar, quam illud Omnipotentiæ; dicimus enim, quod Omnipotentiæ de ſe non ſolum poſsibilia, ſed nequé repugnantia producere, repugnat, ita vt verum ſit dicere de Omnipotentia, quod actù habet virtutem, cui à parte rei de ſe non repugnat eſſe per influxum in impoſsibilibus; quo ſimili modo ait Scotus, quod natura de ſe à parte rei habet actù vnitatem, & non repugnantiam, vt per idemptitatem ſit in ſingularibus. Nunc ſic; etſi impoſsibile ex parte Omnipotentiæ non repugnet, erit verum dicere, quod eſt poſsibile, quia eſt poſsibile, quod non repugnat? Neutiquam infertur, quod ſit poſitivé, & abſoluté poſsibile, ſed ſolum ex parte omnipotentis naturæ: ergo ſic ſimiliter.

38 Deindé infero hæc: Vniverſalior debebat eſſe illa virtus, quæ quantum erat ex ſe, non ſolum poterat producere octo gradus caloris poſsibiles, & octo plus, ſi forent poſsibiles; quam illa virtus, quæ de ſe ſolum octo poſſet producere: ergo, & vniverſalior debet eſſe aptitudo illius naturæ, quæ, quantum eſt de ſe, non ſolum in vno, ſed, & in alio poteſt eſſe, quam illa, (puta ſingularem) quæ ſolum in vno eſſe poteſt. Nunc ſic: etſi Omnipotentię non repugnet de ſe, poſſe vertiper realem influxum in impoſsibilia, tamen abſoluté non eſt reſpectu ipſorum proximé expedibilis virtus, ſicuti eſt reſpectu aliorum, exercitio cauſante vnum; & aliud: ergo licet naturæ de ſe non repugnet, eſſe per idemptitatem in pluribus, tamen non erit illa non repugnantia ſufficiens, vt abſoluté ſit reſpectu ipſorum proximé prædicabilis, prædicatione dicente, hoc eſt hoc. Quo pacto ait Scotus, quod illa indifferentia, ſecundum quam natura ſolum negativé eſt communis, non ſufficit, vt de omnibus expedité dicatur, prædicatione dicente, hoc eſt hoc, vt dicitur de natura præciſa, & copulativé comparata; & conſequenter reſolvit, quod

licet

licet extta natutam non ſit quęrenda communitas; ſin autem extra illam quærenda eſt adhuc Vniverſalitas.

ART. III.

ALIQUA OBIECTA SOLVUNTUR.

39 OBjicies 1. Juxta mentem Scoti diximus, quod tot ſunt communes naturæ, quot ſingularia: ergo implicat contradictionem, quod à parte rei detur vnitas, quæ numerica ſit minor. Prob. conſequētia; quia tot ſunt vnitates, quot naturæ; deinde tot ſunt naturæ, quot ſingularia: ex quo ergo poteſt convinci, non implicare contradictionem, quod à parte rei detur vnitas, quæ numerica ſit minor. Reſpondeo concedendo antecedens, & negādo conſequentiam. Ad explicationem probantem, poteſt diſtingui minor: tot ſunt naturæ, quot ſingularia de ſe, eſt falſum; ex ſuppoſitione, quod exiſtant in illis, eſt verum: & tam pro minori, quam pro conſequentia, dico: ſemper poſſe à parte rei convinci, quod quævis vnitas ſecundi ſigni ſit minor à parte rei, quam quævis numerica, etſi tot ſint naturæ, quot ſingularia. Ratio eſt, quia vnitas formalis, ſaltim ſecundum ſe, eſt pluribus communicabilis. Sed hoc adhuc ſecundum ſe non habet materialis vnitas: ergo aliquo modo convincitur, quod vnitas formalis eſt à parte rei, numericâ minor. Suadetur hoc ex eo, quod ſaltim negativé, nunquam natura eſt diviſibilis ſecundum vnitatem numericam in ea, in quæ eſt diviſibilis ſecundum formalem: ergo cum illud ſit minus in vnitate, quod eſt multiplex in diviſione, dum naturæ ſecundum ſe non repugnet eſſe multiplicem numericé, & omnibus modis, vel ſaltim iſto, numericé repugnet eſſe multiplicem; hinc eſt, quod natura ſecundum vnam vnitatem denominatur minus vna, quam ſecundum aliam denominetur. Itaqué ſtandum eſt pro alijs in hoc, quod ſicuti natura reſpectu ſingularium, negativé inſpicitur, ſic de omnibus illius paſſionibus reſpectu illorum eſt philoſophandum. Noto hinc, dixiſſe ad argumentum, quod non erant tot de ſe naturæ, quot ſingularia, ex eo, quod cum vni naturæ de ſe non repugnet eſſe in omnibus, deduxi, quod vna pro omnibus ſufficiebat: ergo tot, ſolum ex ſuppoſitione dabuntur.

40 Dices: ergo ſaltim ſequitur, quod natura humana de ſe habet eſſe vnam in pluribus: ergo ſaltim de ſe habet quod divina; ſed hoc repugnat; etſi aliàs ſit impoſsibile, quod exerceatur abſoluté id, quod de ſe præciſé dicit: ergo. Prob. repugnantia; quia etiam ſi foret impoſsibile ex parte termini communicari, nihilominus tamen, indecens, & repugnans debebat eſſe, eſſentiam divinam communicari per idemptitatem Petro, & Petro de ſe non repugnare; ſed ſi naturæ de ſe non repugnaret Petro, & Paulo communicari, naturę de ſe non repugnaret ſummam Deitatis habere perfectionem: ergo hoc repugnat; etſi aliàs ſit impoſſibile, quod exerceatur abſoluté, id quod de ſe præciſé dicit.

41 Reſpondeo ex Doctore *in 2. d. 3. q. 6.* & etiam ex dictis ab ipſo *in q. 1.* diſtinguendo primum conſequens; de ſe habet eſſe vnam in pluribus per poſitivam, & determinaram tendentiam, nego; per non repugnantiam, & indifferentem potentiam, ſubdiſtinguo; in ſigno, in quo eſt natura ſingularis, nego; in priori concedo, & nego ſecundam conſequentiam. Itaqué vt recté prævidit Subtilis Doctor pluribus in locis, ſemper magna advertitur differentia inter vtramque naturam; quia natura humana vt ſit negativé communis, requiritur quod ſit prius naturaliter, quam *hæc natura*, ita vt in illo priori ad eſſe *hanc* naturam, ſit negativé communis, eo quod in illo priori, cum habeat eſſe naturam, debet, & habere vnitatem ſibi conſequentem iuxta illud eſſe; quod eſſe, cum habeat prius quam ſit hæc natura; & antequam ſit hæc natura debet habere vnitatē: ergo cum vnitas numerica ſolum habeatur, dum natura eſt *hæc*, hinc eſt quod aliter quam numericé erit vna; at autem natura divina non eſt prius communis, quam *hæc*; quia hæc natura eſt communis, ita vt eſſe in ſigno, in quo eſt ſingularis, inſimul compatiatur cum eſſe in ſigno, in quo eſt communis: vnde ibi nunquam eadem numero natura eſt adhuc negativé pluribus communis, ſed natura in ſigno formali; at in divinis eadem natura numero eſt abſoluté pluribus communicabilis; ex quo non pauca dignoſcitur differentia.

42 Deinde, quia forté, etſi de ſe, & negativé talia attributa haberet natura, dum expedité, & ſimpliciter illa non haberet ſumma, ſemper ſalvaretur differentia; quia hoc quod eſt ſolum aliquid non repugnare de ſe, infinité diſtat ab illo poſitivé habere; quia iam in his habendi modis, reſtringitur in vno perfectio, quæ in alio ampliatur; ita vt ly *de ſe ſolum*, exprimat dependentiam. Sic dicimus, quod creatura de ſe eſt producibilis, ſicuti Deus de ſe productivus; ita quod ſicuti repugnāte creatura, Deus haberet eſſe productivum, ſic, & repugnante Deo, haberet creatura eſſe producibilem: ergo de ſe habet creatura aliquid, quod

Deus:

Deus:& nihilominus tamen aſſeitas Dei ab aſſeitate creaturæ infinité diſtat; quia aſſeitas Dei eſt per non repugnantiam, & exiſtentiam in omni ſtatu abſolutam; aſſeitas veró creaturæ eſt ipſi cum reſtrictione ad ſtatum poſsibilitatis, non autem abſoluté, & ſic connotat cauſam, vt abſoluté ſit. Sic pariter, etſi apparenter inſeratur, quod ſaltim per non repugnantiam haberet natura de ſe, quod divina, eo ipſo quod dicatur per non repugnantiam, & deinceps, non abſoluté, ſed de ſe, infinité reſtringitur; ſicuti eſſentia divina infinité reſtringeretur, ſi ſolum de ſe, & per præciſam non repugnantiam foret in pluribus; dum in illis abſoluté, & ſimpliciter non foret communicata.

43 Contra præcipué dicta inſtat ſemper Scotus nervosé, ſupra reſpondendo ad quæſtionem. Si eſt aliqua vnitas realis minor vnitate numerali; aut eſt alicuius in eodem numeraliter vno, aut eſt in aliquo alio non vno in eodem numero; ſed quomodolibet ſit, repugnat quod non ſit eadem numero: ergo non datur vnitas numerica minor. Maiorem probat; quia quidquid eſt, vel eſt in vno, vel in pluribus. Minorem infert; quia quidquid eſt in eodem numero, eſt vnum numero; ſed illa vnitas eſt in eodem numero: ergo quomodolibet ſit, repugnat, quod non ſit eadem numero. Probatur ex ipſo; quia in eis nil eſt numero realiter vnum; quia hoc ſolis divinis ſuppoſitis eſt proprium: ergo illa vnitas eſt in eodem numero. Nullum hucuſque vidi Auctorem, ex calumniantibus Scotum, qui melius contra Scotum arguat, quam ipſe contra ſe.

44 In primis Doctor inſtat in inſtantiam, alio ſimili non minus manifeſto, ſic: quidquid eſt in vna ſpecie, eſt vnum ſpecie; ſed color in albedine eſt vnum ſpecie: ergo color non habet minorem vnitatem vnitate ſpeciei; ac perconſequens non dabitur diſtincta in genere vnitas. Deinceps reſponderi poteſt exacté illis, quæ adhibuimus pro ſolutione primi argumenti, in quo diximus, quomodo de ſe ſit natura multiplex numericé, etſi tot ſint naturæ, quot individua; quibus applica, quæ nuper dixi pro differentia naturæ divinæ, & humanæ, cum quarum rationum formalitate, iſtæ ſolvendæ ſunt. Sic, & ipſe Scotus refertur ad ſolutionem *primæ quæſtionis, in 2. d. 1. & ad 1. lib. q. de attributis, in ſolutione primi dubij*. Et tandem hinc *q. 6.* iterum ſolvit ex eo, quod natura prius ſit naturaliter, quam *hæc natura*; & ſic, non quidquid de ſe eſt aliquid, vnum numero eſt; de quo adhuc inferiùs; & vt melius eviſcerentur.

45 Inſtabis ſic: ex eo entitas formalis naturæ humanæ, v. g. eſt communis, quia licet ſit in hoc, attamen ei de ſe non repugnat eſſe in alio; ſed etiam ſi Petreitas ſit ſingularizans vnitatem formalem *A*, ipſi de ſe non repugnat ſingularizare vnitatem formalem *B*: ergo vel illud non eſt motivum, vt entitas formalis ſit communis, vel eſt etiam motivum, vt communis ſit ſingularis. Minor nimis ſuaderi poteſt; quia ex eo entitas ſpecifica, & formalis de ſe non repugnat eſſe in alio, quia ipſa ſecundum ſe eadem prædicata eſſentialia dicit in quolibet, ſeu reſpectu cuiuslibet; ſed Petreitas, v. g. eadem prædicata numerica reſpectu cuiuslibet entitatis formalis diceret: ergo ſimiliter infertur, quod etiam ſi Petreitas ſit ſingularizans vnitatem formalem *A*, quod ipſi de ſe non repugnet ſingularizare vnitatem formalem *B*. Minor videtur manifeſta; quia ſicuti natura humana poſita in Petro, ipſum redderet hominem, & ſimiliter hominem redderet Paulum, poſita in Paulo; ſic Petreitas poſita in entitate *A*, ipſam redderet Petrum, & Petrum redderet poſita in entitate *B*: ergo Petreitas, v. g. eadem prædicata numerica, reſpectu cuiuslibet entitatis formalis diceret. Ex quibus infertur, Petrum, vice verſa, poſſe eſſe Vniverſalem, & prædicabilem de pluribus.

46 Hæc inſtantia à me pluries fuit prævisa, & toties difficilis fuit obiecta; dependet ſiquidem à primis Logicorum principijs, de quibus dari debet fides, non vero diſcurſus: quare ſimilibus argumentis reſponderi ſolet; quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud; & hinc ſimiliter poterat reſponderi dicendo, ita eſſe, quia natura eſt de ſe communis, & Petrus de ſe ſingularis. Reſponderi tamen pro nunc poſſem, (quia horum perfecta reſolutio pendet ex *artic.* ſequenti, & ex vlteriùs examinandis) concedendo maiorem, vel ſic explicando; quia licet ſit in hoc, attamen ei de ſe *non repugnabat* eſſe in alio, eſt verum: ei de ſe *non repugnat* eſſe in alio, eſt falſum. Dum enim natura eſt in hoc, iam eſt natura ſingularis, & naturæ huic de ſe repugnat eſſe in alio; repugnat ſiquidem quod ſit alia, natura, quæ iam eſt hæc; quod cum Scoto prævidi in *art.* de triplici naturæ ſigno. Deinde nego minorem; & à tenentibus, quod præciſis ſingularitatibus, non manent diſtinctæ naturæ, ſed indiſtinctæ, poteſt negari ſuppoſitum; ſupponunt enim, quod ſine Petreitate, & Pauleitate detur natura *A.* & natura *B.* & conſequentia negatur abſoluté. Ad probationem minoris reſponderi poteſt dicendo, quod non eſt de ſe non repugnans entitas formalis ſub illa expreſsione, ſed etiam

quia

quia in aliquo reali priori intelligitur ad ſingularitatem; quam expreſsionem non poteſt habere ſingularitas: quare minor probationis ſupponit, quod per locum intrinſecum repugnat; ſupponit enim ſingularitatem potuiſſe de ſe, per naturas migrare: nego deinceps conſequentiam.

47 Ad probationem ſecundam minoris, eadem ſuppoſitionis repugnantia eſt advertenda, & ſic neganda ſuppoſitio, & reliqua, ad quæ extenditur. Denique, ad illationem eſſendi Vniverſalem, reſpondendum eſt, nunquam ſequi, eo quod ſupponatur, quod repugnat; imo ex hoc approbo dicta. Ratio eſt: quia ſequeretur, quod ſingularitas foret Vniverſalis, & non foret Vniverſalis: foret Vniverſalis, vt ſupponitur; non foret Vniverſalis, quia erat imperceptibilis multiplicitas, eo quod nunquam diſtincté Petrus prædicaret; prædicaret enim ſemper ſic: homo eſt Petrus: homo eſt Petrus: homo eſt Petrus, &c. Vndé nulla daretur prædicatio, in qua prædicatum, Petrus non foret; ac per conſequens, non Vniverſale, ſed ſingulare foret prædicatum Vniverſale.

48 Itaqué, pro dictorum corroboratione dici poteſt, plura ſupponere inſtantiam, quæ ſi vim faciunt, ſolum eſt, quia contra ſtabilita principia pugnant. Licét enim natura de ſe ſingulare non dicat; non autem é contra. Ratio eſt; quia ſingularitas eſt modus, & ſuo modo intrinſecus; quare ſicuti ordo dependentiæ non eſt phyſicé mutuus inter modum extrinſecum, & naturá phyſicam; ſic nec debet eſſe mutuus inter intrinſecum, & naturá metaphyſicá formaliter, & ex natura rei, adhuc dum naturæ independentia negativa ſit. Illa enim ratio probans, quod eadem numerica haberet Petrus vnitati *B.* poſitus, debet eſſe intolerabilis, & ab omnibus ſolubilis; quia ſi Petreitas poneretur in quavis re, quam ſignét pro Vniverſali fundamentali, etiam éadem numerica ſervaret: ergo ſicuti datur in aliqua re fundaméntum, vt ſit in pluribus, quia omnibus idem eſt fundamentum, etiam idem fundamentum reſpectu talis fundamenti dabitur in Petro, cum reſpectu omnium fundamentorum remotorum, quæ ſunt in rationalibus naturis, idem foret Petrus? Non tenet: plura enim ex ſuppoſitione cogunt, ſed deficit motivum, vt cogat ſuppoſitio. Si enim Petreitas poneretur in natura divina, certum eſt, quod Petrus quoad numerica idem foret; & ſic de pluribus alijs, vt ſi hæc actio poneretur in illo alio agenti, ipſa de ſe eadem foret: ergo, ſi quia effectus idẽ foret per diſtinctam actionem determinatus, effectus eſt indifferens, vt per quamlibet actionem ſit, nec non vt bis producatur; etiam actio, quia eadem foret, ſi in alio agenti poneretur, poterit in illo, & in pluribus poni? non ſequitur, neque ſic admittitur ſuppoſitio; quia actio de ſe eſt determinatio, & modus; non ſic effectus; & ſic melius dicitur, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud.

49 Vltima ratio, ex Doctore deprompta, eſt; quia, vel in metaphyſicis non dantur actus; vel ſi dentur, quod plus habeant actualitatis, illud in indifferentia deperdent. Ex hoc enim voluntas eſt de ſe indifferens ad actus in ſpecie diverſos, & nullus actus eſt ſic de ſe indifferens ad plures in ſpecie volitiones. Sic Anima, quæ eſt radix ſuperior, eſt principium dimanativum formarum indiſtinctarum; non autem iam ſic voluntas, neque intellectus. Cur autem? quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud.

50 Obijcies 2. quidquid eſt productum, eſt ſingulare; ſed illa natura communis eſt producta; ergo eſt ſingularis. Hoc eſt aliud argumentum, in quo plures ex contrarijs fundamentaliter ſiſtunt. Poteſt enim ſub duplici conſideratione, huic argumento reſponderi; vel conſiderando hodie naturam, heri productam; vel conſiderando naturam in ipſo nunc productionis. Si conſideretur natura in rerum natura iam producta, poteſt ſemper accomodari ordo ille præciſionis, ſecundum ea, quæ formaliſsimé dicit, quæ in omni ſtatu debent conſiderari priora ad illa, quæ non ſic formaliſsimé dicit. Videantur quæ hinc diximus in *art. 1. de triplici ſigno.*

51 Difficultas ſtat ſub alia conſideratione; an ſcilicet, poſsit dici, quod dum natura producitur, producatur in aliquo priori reali ad ſingularitatem? Nullam ſentio invencibilem repugnantiam. Sic pro ſolutione argumenti ſuadetur: quia ſingularitas dimanat realiter à natura: ergo in aliquo priori reali ad ſingularitatem eſt natura. Antecedens eſt certum, ſi certum ſit, quod paſsiones dimanant à ſubiectis. Conſequentia prob. quia datur ſignum reale, in quo eſt verum dicere, quod natura eſt principium dimanationis: ergo eſt verum, quod in aliquo priori ad ſingularitatem eſt natura. Prob. conſequentia; datur ſignum reale, in quo natura eſt principium principians; ſed in illo reali, in quo eſt principians, non eſt abſoluté ſingularitas principiata, hoc eſt, dimanata: ergo eſt verum, quod in aliquo priori ad ſingularitatem eſt natura. Prob maior; quia datur ſignum reale, in quo eſt verum dicere, quod ſingularitas eſt dimanata: ergo, & debet dari ſignum reale, in quo natura ſit principians, & dimanás. Minor prob. in illo reali,

in

Digitized by Google

in quo ſingularitas eſt dimanata, non eſt à parte rei dimanans; aliàs haberet Deitatis conditionem: ergo neque in illo reali, in quo eſt principians, ſeu dimanans, eſt abſolutè dimanata, ſed dimanans.

52 Confirmantur dicta: tam immediatè à natura ſingulari dimanat ſubſiſtentia, ſicut à natura immediatè dimanat ſingularitas; ſed natura ſingularis eſt in aliquo reali prior ad ſubſiſtentiam: ergo & erit natura in aliquo reali prior ad ſingularitatem. Prob. maior; quia ſicuti inter naturam, & ſingularitatem nil mediat, præter dimanationem, ſic neque aliquid præter dimanationem mediat inter ſingularitatem, & ſubſiſtentiam: ergo tam immediatè à natura ſingulari dimanat ſubſiſtentia, ſicut à natura immediatè dimanat ſingularitas. Minor Prob. quia eſt nimis receptum, quod verbum impedivit in natura humana Chriſti ſubſiſtentiam, per immediatam ſuæ ſubſiſtentiæ poſitionem; ſed ſi in nullo reali foret natura prior ad ſubſiſtentiam, illam nō poſſet impedire, dum naturam, cui inſimul erat, non impediret: ergo natura ſingularis eſt in aliquo reali prior ad ſubſiſtentiam.

53 Dices, ſemper dari diſcrimen penes hoc, quod ſingularitas eſt realiter naturæ idenptificata, & ſubſiſtentia realiter diſtincta. Contra; quia ex hoc ſolum infertur, quod inſeparabiliùs dimanet, non autem quod immediatiùs; quod in plurium ſententia poteſt convinci; quia licet totum phyſicum ſequatur ad partes realiter inter ſe diſtinctas, tamen tam immediatum eſt partibus vnitis, ac eſt immediatum totum metaphyſicū partibus idemptificatis. Deinde, apud quamplures tenentes totum à partibus ſimul ſumptis diſtingui, convincitur melius ſic: licet totum phyſicum diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis, tamen tam immediatè ponitur ad poſitionem partium diſtinctarum, & ſeparabilium, ac totum metaphyſicum ponitur ad poſitionem partium inſeparabilium, & idemptificatarum: ergo ex diſtinctione nō convincitur immediatio. Deinceps, quia tā ſeparabilis, & diſtincta eſt actio à cauſante, quam ſit effectus; & tamē communiter, immediatior eſt actio. Denique, nil poteſt excogitari immediatius, quam eſſe poſt non eſſe, ſaltim in phyſicis, & nil poteſt eſſe diſtinctius. Sed de his agam in Metaph. Reſponderi igitur poteſt ad argumentum (iuxta rigorem perfectè Scotizantis, ſiſtat quilibet in dictis *Art.* 1): quidquid eſt productum eſt ſingulare, diſtinguo; in aliquo ſigno entis completi, concedo; in omni ſigno, ſubdiſtinguo; iuxta ea, quæ dicit formaliter, & ex natura rei, nego; iuxta ea, quę dicit realiter abſolutè, ſeu à tota realitate, concedo. Concedo deinde minorē, & nego cōſequētiā, vel ſimili modo diſtinguo. Itaq; dico, quod dū producitur Petrus, in aliquo priori naturali metaphiſicè producitur natura, in quo nō cointelligitur producta ſingularitas. Poteſt adaptari cōgruētia: tū, ex eo, quod natura habet ex natura ipſius diſtinctā exiſtentiā à ſingularitate: ergo ex hoc motivo nō repugnabit eſſe in aliquo priori extra cauſas natura: tū, ex eo, quod natura exiſtit, quia eſt extra cauſas; ſingularitas verò exiſtit, & eſt extra cauſas, quia eſt extra naturā: ergo à parte rei eſt prius, eſſe naturā extra cauſas, quā ſit, eſſe ſingularitatē extra naturā.

54 Dices, ſi in aliquo priori reali natura intelligitur extra cauſas, in quo nō intelligitur ſingularitas, nullum dabitur motivum, vt infallibiliter ſit ſingularis: ergo in nullo priori excogitabili eſt prius extra cauſas natura, quam ſingularitas. Non parū ſiſti poteſt in hac dubitatione; dum enim natura in aliquo priori non ſit de ſe hęc, difficilè videtur ſignare principium indefectibilis idemptitatis cum hęcceitate, quam, etſi nō neget, nō dicit. Reſponderi tamen poſſe ſentio, dicendo, indefectibilitatē idēptitatis cū ſingularitate debere deſumi ex eo, (eſt enim veluti Scoticum axioma) quod nulli rei poſsit deficere ſtatus, qui ſiſtit in hoc, quod ſit, conveniat, differat, & vltimò diverſificet: ergo ſicuti eſt ipſi indefectibile, quod habeat gradū, iuxta quē in vno ſigno conveniat; ſic, & debebit eſſe indefectibile, quod habeat gradū, iuxta quē ſimpliciter differat; ſed ſtatū nō poſſet habere, quin foret ſingularis: ergo. Dices hinc, quod hoc modo, etiā ſubſiſtētia debebat eſſe indefectibilis; non tenet paritas, quia vt dicā in Met. *Diſt. de ſubſiſ. quaſ. 2 art. 2. Sub-art.* 2. ſubſiſtentia eſt terminus naturæ in ſtatu phyſico, ſicuti ſingularitas eſt terminus naturę in ſtatu metaphyſico; ſic enī debēt eſſe potentiæ, & actus, ſicuti eſt eorum ſtatus; quare, actus ſtatus phyſici nō ſūt indeffectibiles potētijs, v. g. formæ ſubſtātiales, & ſic neque vllus actus huiuſmodi ſtatus.

55 Objicies 3. Si illa negativa indifferētia ad negativā communitatem ſufficeret, ſequeretur, quod natura humana poſſet etiā eſſe cōmunis ad riſibile, & non riſibile: ergo nē ſequatur, plus requiritur. Prob antecedēs: ideo dicitur negativè communis ad ſingularia, quia in ſecundo ſigno nullā dicit, neque cōnotat ſingularitatē; ſed neque in primo ſigno vllam dicit, neque connotat riſibilitatē: ergo ſimiliter in illo ſigno eſſet reſpectu riſibilis, & non riſibilis, negativè cōmunis. Deinde vertes argumētū ſic; ſed natura, quę eſſet in nō riſibili, foret in ſpecie diſtincta ab illa, quæ in riſibili eſſet: ergo nūquā poteſt eſſe ad riſibile, & non riſibile negativè communis. Propter hoc argumentū aliqui Scotiſtæ dicūt, illā nō repugnantiam nō ſufficere ad negativā communitatē, inter quos noviſsimè Fr. Antonius Groſſo *diſ-*

Digitized by Google

ſert. 10. *Elucid.* 3. Reſponderi tamen poteſt, quod ſi perceptibilis ſit communitas aliqua in ſigno priori ad riſibilitatem, nullum inconveniens ſequitur ex eo, quod natura ſit ſic communis ad riſibile, & ad non riſibile; quia non minus proprius eſt naturæ, Petrus v. g. in tertio ſigno, & extraneus Paulus, quam ſit in ſigno ſecundo riſibile, & extraneũ nõ riſibile: ergo ſi in ſecundo ſigno dicitur negativè communis, quia etſi abſolutè nõ poſsit eſſe in Paulo, illum tamen de ſe non excludit, aut negat; etiam in primo ſigno dicetur negativé cõmunis ad non riſibile, quia illud poſitivé tunc non excludit. Si enim natura in illo ſigno, propria, & idemptificata non dicit, nil mirum, quod extranea, & diſtincta non neget.

56 Reſpondendo tamen iuxta ſolidiorem doctrinam Scoti, neganda eſt maior. Ratio eſt, quia vt in rei veritate illa natura foret negativé indifferens formaliter, aliquã formalẽ vnitatem eo modo tũc requirebat, quæ eſt imperceptibilis in ſigno, in quo natura tantum eſt natura; quia dum natura intelligatur communis, debet natura intelligi cum aliqua paſsione, & implicat contradictionem, aliquam paſſionẽ intelligere in ſigno priori ad paſsiones, ſcilicet, in ſigno priori ad riſibile, & non riſibile. Sic enim procederemus infinité; quia de illa communitate ad riſibile, idem poſſemus inveſtigare, ſcilicet, an natura illã de ſe dicat in ſigno priori, vtpoté in illo, in quo nil proprietativum dicit, ſed eſſentialia præcisé. Itaq; natura in eodẽ ſigno dicit omnes paſsiones, quæ ſunt priores ad ſingularitatem: ergo vel datur vnitas, quæ non eſt naturæ paſsio; vel in eodẽ ſigno, in quo riſibilitatem, & etiam vnitatẽ dicit. Quæ rectè præviſa fuiſſe à Doctore, exponebam ſupra. Vnde, dum ſic concipimus naturam, ſolũ ex imperfecto concipiendi modo, illam communẽ ad paſsiones intelligimus; vel ſolum radicalem communitatẽ evi̇ſceramus.

57 Deinde ad id quod invertit argumentũ, dicendũ eſt, dari diverſæ ſuppoſitionis fallaciam: dum enim dicit, quod natura, quę eſſet in ſingulari non riſibili, foret in ſpecie diſtincta ab illa, quæ foret in riſibili, ſupponit iã naturam in tertio ſigno; & dum vnam naturã dabat negativé communem, ſupponebat illam in primo ſigno. Deinde datur alius tranſitus, ex hoc, quod in vna parte ſupponat naturam poſitivé ſingularem, & in ſpecie diſtinctam, & in alia ſupponat negativé communẽ, & in ſpecie indiviſam. Itaque verum eſt; quod natura, quæ eſſet in non riſibili, diceret prædicata in ſpecie diverſa ab illa, quę in ſingulari riſibili eſſet; ſed natura cum negativa communitate ſuppoſita, eſt in ſpecie eadem, quia ipſa non dicit, quæ in non riſibili eſſent; ſed ſolum dicit ex illa communitate, quæ ſunt, & quod eſt in illo eſſe, in quo tantum natura eſt. Deinde non diceret illa prædicata, quia eſſet in non riſibili, cum non riſibile non dicat naturam, quæ eſſet, ſed naturam, quæ eſt.

58 Inſtabis: ergo ſaltim natura poterit dici negativé communis ad ſingularitates leoninas, & humanas. Prob. conſequentia; quia ex eo natura eſt negativé cõmunis ad Paulũ, quia etſi ponenda ſit in Petro, ipſi tamen de ſe non repugnat eſſe in Paulo; ſed in illo ſigno, nequé ipſi de ſe repugnat eſſe in ſingularitate Leonis, & deinde eſt in ſigno, in quo iam poteſt habere proprietates; ex quo non poterat ad riſibile, & non riſibile eſſe communis: ergo ſaltim natura poterit dici negativé cõmunis ad ſingularitates leoninas, & humanas. Neq; adhuc inſufficientẽ relinquunt negativã cõmunitatẽ penes purã indifferentiã ab aliquibus Scotiſtis iuxta Doc. intellectã. Itaqué hinc applicanda ſunt pro ſolutione, quæ dixi in prima reſponſione præcedentis argumenti. Reſponderi poteſt inſtantiæ dupliciter. Primo modo cõcedendo conſequẽtiã. Ratio eſt, quia dum natura eſt in illo ſigno ipſi præcisé, & indifferenter deficit ſingularitas: ergo cũ natura humana cũ quacumq; concretũ humanũ faceret, cũ hoc formaliter ſit à natura, nõ eſt cur ipſi de ſe in illo ſigno repugnet eſſe cũ quacũq; ſingularitate; & hunc rigorẽ expreſsit Doc. dũ naturã ſic ampliatã prævidit, & dixit, in tantũ eſſe communem, quod ipſi non repugnet, quod cum quacumque vnitate ſingularitatis ponatur.

59 Aliqui enim in hac reſolutione manẽt non levi ſcandalo, quia implicatorié præſcindunt. Motivũ oritur ex eo, quod naturã reſpiciant in ordine ad ſingularitates leoninas, ita vt non ſolũ ſingulare, ſed, & leoninum apprehẽdãt; quo pacto nil de ſcãdalo miror; ſed tamẽ nõ recté apprehẽdũt; quia natura in illo ſigno nil leoninũ reſpicit, ſed puram ſingularitatẽ. Suadetur in natura humana, quæ in illo ſigno ſolũ tẽdit ad ſingularitatẽ; non autẽ ad aliquid humanũ. Prob. quia ipſa non tẽdit ad id, quod formaliſsimé habet adæquaté; ſed in priori ad ſingularitatem habet adęquaté, & ſimpliciter vniversã formã humanitatis: ergo ipſa ſolum tendit in illo ſigno ad ſingularitatẽ, nõ autẽ ad aliquid quod eſſentię humanę ſit. Propter quod Subtilis Magiſter ex profeſſo probat *in q. 6. & alibi ſupra in 2. d.* 3. quod adæquata eſſentia ſingularium eſt eorum natura, in quo aliquod inducit diſcrimen reſpectu naturæ divinæ ſecundum ſe ſingularis.

60 Deinde hæc omnia ſuaderi poſſunt faciliimé apud omnes perfecté præſcindentes.

Sup-

Digitized by Google

Supponamus enim, quod ſingularitates naturæ humanæ ſint decem, & quod aliæ ſint ſingularitates leoninæ; præſcindat tunc intellectus ſingularitates omnes à naturis, & memor viginti ſingularitatum, habeat præcisé naturam humanam in mente, quod omne, ſaltim ſpeculativé non repugnat. Nunc ſic: tunc illa natura humana, tam expedita eſt ad viginti, quam ad decem ſingularitates; non enim vllæ decem ſingularitates habent pluſquam aliæ decem: ergo illi naturæ de ſe in illo ſigno non repugnat, quod cum quacumque vnitate ſingularitatis ponatur.

61 Probantur iſta efficaciter: ſi illi naturæ repugnaret eſſe in alijs decem, maximé, quia ſingularitates aliquid haberent leonis, vel quia intellectus non poterat oblviſci leonitatis; ſed neutrum obſtat: ergo. Non primũ, quia Petreitas præciſa a natura, nil habet humanitatis: ergo nequé aliæ aliquid habebunt leonitatis. Videantur de hoc dicta hinc *q. 3. art. 1. §. 3.* Non ſecundum, quia ex hoc ſequeretur, quod ſaltim naturaliter omnes præciſiones repugnarent, quod ſic convinco; quia non poſſet intellectus præſcindere Petreitatem à natura humana, & é contrà, quin in natura humana foret memor Petreitatis, & in Petreitate foret memor naturæ humanæ: ergo omnis præciſio ſic repugnaret. Deinde augeo vim ſic; ex eo natura humana præciſa, non poterat de viginti ſingularitatibus dici, quia in decem haberet memoriam naturæ leoninæ ab illis præciſæ, & repugnat quod memor leonini applicet humanum; ſed etiam dum naturam humanam præſcindat à Petro, & à quovis alio, haberet memoriam Petreitatis, cuius erat, & non minus repugnat, quod memor petrini, applicet paulino: ergo quævis præciſio ſimiliter repugnaret. Sic pariter, dum à decem ſingularibus præſcinderet naturas, debebat eſſe memor de hoc, quod decem à decem præcidit: ergo nunquam ſic memor intellectus de cuiuſvis ſingularitate, illas poſſet vnificare. Deinde, ex alia parte confunderetur, quia ſciret ex vna parte, quod correſpondebant ſpecificis propriæ vnitates; & ex alia parte, cum præciſa natura ab illis non induceret ſingularitatum correſpondentiam, alteraret ex confuſione modum contractionis: ergo né tanta confuſio ſequatur, æqualis debet eſſe ille præciſionum ordo; etſi non? dicam, quidquid dicant.

62 Confirmo dicta aliquibus medijs. Primum, quia ſi natura in illo ſigno diceret magis vna ſingularia, quam alia, maximé, quia naturam contrahebat concretũ ſingulare, ſcilicet, Petrus, & non Petreitas; ſed hoc eſt falſũ: ergo. In veritate maioris debẽt ſiſtere contrarij, quia ſi ſingulare nõ dicat aliquid humanitatis quomodocumq; ſit, non dabitur motivum, vt potius ſingulare humanum, quam Leoninum expoſcat; ſed ſingulare in abſtracto nil dicit humanitatis, ſicut nec humana natura in abſtracto nil retinet ſingularitatis: ergo ſi natura dicit vna, pluſquã alia, eſt, quia ipſam poſſet cõtrahere concretũ, & nó ſingulare abſtractũ. Minoris falſitas ſuadetur; quia id debet contrahere naturã, quod non eſt in ipſo intelligi contractionis natura; ſed ſi naturã contraheret cõcretũ, in nullo ſigno contractionis poterat in contrahente nõ intelligi natura: ergo eſt falſũ, quod tunc ſingulari concretivé cõtrahatur. Patet, quia vt de ſe intelligitur, foret cõtracta, & non cõtracta: nõ cõtracta, quia ſupponũt, quod cõtrahitur: cõtracta, quia cõcreto ſingularis cõtrahitur, & ſic ſingulare iam haberet naturam.

63 Secundũ mediũ confirmationis deſumitur ex eo, quod id debet dicere natura, quod ab ipſa dimanat; ſed præciſiſsima ſingularitas dimanat à natura: ergo nil plus dicit. Maior eſt, vel debet eſſe contrariorum. Minor cõvincitur; quia ſi aliquid præter præciſam ſingularitaté dimanaret à natura, maximé natura humana, vel formaliter, vel alio modo; ſed eſt inintelligibile, quod natura humana dimanet à natura: ergo præciſiſsima ſingularitas eſt, quæ dimanat à natura. En, quare Doc. *in 2. d. 3. q. 6. §. ad quæſ.* dicat, quod ſicuti Petrus eſt homo per ſe primó à natura humana, quia in aliquo priori ad Petrũ eſt natura humana, cuius entitati primó debetur eſſentia hominis; ſic etiam Petrus eſt per ſe primó ſingularis à ſingularitate, quia in aliquo priori ad Petrũ eſt ſingularitas, cuius entitati materiali primó debetur formalitas ſingularis. Nota hæc in prædictorum corrobationem.

64 Tertium mediũ formari poteſt ex eo, quod nil repugnet, quod natura de ſe habeat, ſeu nullam excludat ſingularitatem; quod ſuadeo, quia ſi aliquid inconveniret, maximé, quia ſequeretur, quod in linea diſtinguendi præcisé numericé, non haberet plus Leo cum Petro, quam Petrus cum Paulo, ex quo ſequeretur, quod haberet in hoc Leo reſpectu Petri, quod Petrus reſpectu Pauli; ſed quod aliquid ſic habeat, nil inconvenit, dum maneat excepta integra differentia ſpecifica: ergo. Prob. minor, quia potius debebat inconvenire, quod haberet Leo, quod eſt de eſſentia hominis, quam quod homini eſſentiale non eſt; ſed nil inconvenit, quod Leo habeat animal, quod eſt de eſſentia hominis, non aliunde, niſi quia ſpecificum, & diſtinctivum eſſentialiter excipitur in formali

differentia: ergo quod aliquid numericé, modo prædicto, habeat, nil inconveniet, dum maneat excepta integra differentia.

65 Quartum medium, quod ſupra innuebam, ſic breviter formatur: ſolum requiritur ſingularitas, vt natura humana ſit hæc, & concretum ex ipſa, & ex ſingularitate dicatur hic homo; ſed quacumqué ſingularitate poſita in natura humana, iſtam faciet hanc, & concretum ſimpliciter, & abſoluté dicetur hic homo: ergo nullus defectus inducitur naturæ ex eo, quod de ſe nullam in illo ſigno priori per neutralem indifferentiam repugnet.

66 Dicent aliqui, & præcipué plures ex noſtris, ſufficere, quod natura humana, etſi non formaliter, ſaltim radicaliter dicat ſingularitatem. Sed contra; quia ex hoc ſequeretur, quod natura humana identificanda Petro v.g. ſolum diceret Petreitatem de ſe, quod apud Scotiſtas vniverſaliter negatur. Prob. quia ſolum apud vos illud dicit de ſe, quod radicaliter continet; ſed in re ſolius Petreitatis, vel vnius determinatæ ſingularitatis poteſt eſſe radix: ergo illam ſolam ſingularitatem diceret de ſe natura humana. Prob. minor; quia ſolum illius poteſt eſſe radix, quod intra radicem, & virtutem continetur; ſed intra radicem ſola Petreitas continetur: ergo in re ſolius Petreitatis poteſt eſſe radix. Dices, quod licet abſoluté in re, ſolum Petrum contineat, quia ſolus ipſe poteſt extra eius virtutem poni; (aliàs ſi altera ſingularitas poſſet extra ipſam dimanare, Petreitas realiter diſtingueretur) ſed tamen ipſi de ſe non repugnat, quod quæcumque contineatur, etſi abſoluté, & in alio ſigno, ſola vna de ipſius radice dimanet. Bene eſt, ſed iterum inſurgit inſtantia; quia ex eo ipſi de ſe non repugnat continere quamcumque ſingularitatem, quia ipſa in ſigno priori ad ſingularitatem, nullam dicit, nec negat ſingularitatem: ergo non eſt motivum, cur quamcumque ſingularitatem ſic de ſe non contineat.

67 Contra huius argumenti reſolutionem objicies, quod ex dictis ſequeretur, quod natura in ſecundo ſigno foret etiam negativé communis ad hæcceitates divinas, quod abſurdum: ergo. Prob. ſequela; quia ex eo poteſt dici negativé communis ad quamcumque ſingularitatem, quia de ſe non dicit potius hanc, quam illam, ita vt licet vnam non dicat, nequé ipſam tunc excludat; ſed nequé tunc excludit hæcceitates divinas, etſi eas non dicat: ergo etiam ſequeretur, quod in ſecundo ſigno foret negativé communis ad hæcceitates divinas. Reſponderi poteſt, negando ſequelam. Ratio eſt; quia natura in ſecundo ſigno, ex eo eſt negativé communis ad quamcumq; ſingularitatem, quia tunc non habet adhuc aliquid, a quo ab illis diſtinguatur: habet tamen in ſecundo ſigno aliquid, à quo à ſingularitatibus divinis diſtinguatur; habet ſiquidem eſſe creatam, qui modus, etſi indiſtincté, & vnivocé, tam ſingularitates naturæ leoninæ, quam humanæ reſpiciat, quia omnibus æqué convenit eſſe creatas, & finitas; attamen ſingularitatibus divinis poſitivé eſt oppoſitus; quia, etſi in ſententia Scoti non ſint formaliter perfectæ, & infinitæ, ſunt autem negativé, & æquivalenter, eo quod habeant eſſe non finitas, & non creatas, quod ſufficit pro nunc.

68 Objicies 2. quod ex hoc ſequeretur, quod natura humana foret poſitivé vniverſalis reſpectu omnium ſingularium, ac proinde poſſet homo prædicari de ſingularitatibus Leonis. Reſpondeo, iuxta principia à Doctore ſtabilita, nunquam ex pura, & negativa communitate, vniverſalitatem debere inferri; quia vt toties diximus, etſi ſolum negativé communis foret reſpectu Petri, Pauli, & aliorum ſic, nunquam reſpectu ipſorum foret expedité, poſitivé, & formaliter Vniverſalis; ita vt adhuc de ipſis non poſſet determinaté prædicari, & dici prædicatione dicente, hoc eſt hoc, &c. Ex quibus melius dignoſcitur differentia, quam ponit Doctor inter eſſe naturam ſolum de ſe communem, & eſſe abſoluté Vniverſalem. Quare, licet naturę de ſe non repugnet, quod cum quacumq; vnitate ſingularitatis ponatur; at autem, vt ſit Vniverſalis, requiritur, quod ſolum de illis, ad quæ incluſivé eſt comparata, prædicetur, ita vt intellectus illam non repugnantiam, in ſecundo ſigno de ſe diffuſam, comparative modificet; quia licet cognoſcat, quod ex parte naturæ non repugnat comparatio ad plura, cognoſcit tamen abſoluté repugnare, quia in ſingularitatibus Leonis videt propriam naturam incluſam, ac proinde impedientem comparationem naturæ humanæ ad illam.

69 Quod vltimò ſuadetur: quia perfecta comparatio, non poteſt abſoluté expediri, ſi ex parte alicuius extremi adſit intelligibile impedimentum, quod etſi ex parte naturæ non adſit in illo ſigno, adeſt tamen ex parte naturæ vt comparatæ, quia comparatio eſt relatio, & ſic requirit terminos, qui ſunt ſingularia; & dū poſitivé reſpicit ſingularia, etſi illa, prædicatione non reſpiciat, tamen iam habet natura, pluſquam in ſecundo ſigno habebat; tunc ſiquidem ſolum dicebatur multiplex numericé, quia etſi nullum ſingulare reſpiceret, nequé vllum videre repugnabat. Deinde dixi, quod ſi ex par-

te

re alicuius extremi adſit impediens intelligibiliter, non poteſt expediri comparatio; & impediens intelligitur, ſi non ex parte naturæ de ſe, ex parte extremorum ſingularium. Ratio eſt; quia non poteſt intellectus comparare naturam humanam ad omnia poſsibilia ſingularia, quin intelligat, quod omnia ſingularia non ſint naturæ humanæ; quia non poteſt non intelligere, quod dentur aliæ naturæ extra humanam, & quod illæ ſint ſingulares: ergo licet ex parte naturæ humanæ de ſe non repugnaret; repugnaret tamen comparatio, iuxta intelligibilem aſſenſum, ex parte aliorum extremorum, & actuum ad comparationem requiſitorum, illam vniverſalem abſoluté, intelligibiliter contradicentium. Sentio aliqua contra hæc poſſe inſtari: ſentio tamen ipſa inſtari, & ſolui debere ab omnibus, præciſiones quomodocumque obiectivas admittentibus.

70 Obijcies 3. ſingularitas eſt paſsio; ſed paſsio eſt à tota eſſentia dimanãs: ergo imperceptibile eſt, quomodo ad quamcumque ſingularitatem poſsit eſſentia hominis eſſe negativé communis. Reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem ſic: eſt paſsio materialis, conceditur; formalis, negatur; & ſimiliter ad minorem; eſt à tota eſſentia dimanans ſpecificé, & formaliter, negatur; materialiter, & puré numericé, conceditur; & diſtinguendo conſequens, aliter ſolvitur argumentum; eſt imperceptibile in ſigno, in quo naturæ debetur illius dimanatio, conceditur; in quo illam nullatenus connotare debet, negatur. Itaque dico, quod ex eo, quod ſit paſsio materialis, ita dimanat ab eſſentia, quod ipſi talis paſsio veluti accidat ex ratione formali, & ſpecifica eius; nil enim ſpecificum derivat eſſentia in puram ſingularitatem, ſicuti in alias paſsiones formales; riſibile enim poteſt animal, etſi non primó, diverſificare à rugibili, non ſic pura ſingularitas; ſi enim animal, quod eſt rationale, foret irrationale, nil plus quo ad puram ſingularitatem derivaret; quare ait Doctor, quod eſt vnitas materialis, & quaſi accidens eſſentiæ.

71 Secundus modus, iuxta quem diximus, poſſe inſtantiæ primæ reſponderi, eſt conformis alijs Scotiſtis, qui ſupra ſtabilitam non repugnantiam, & negativam indifferentiam, aliquam idemptitatem adſtruunt, de quorum doctrina vertetur examen, & ſi adſit probabilitas, libentiſsimé amplectetur.

A R T. IV.

IN QVO ALTERIVS DOCTRINÆ probabilitas cum Scotiſtis confertur.

72 SUfficiebat pro nobis, & Scoto communitas in natura, hucvſque propugnata; ſed tamen, quia à Doctiſsimis noſtræ Scholæ ſectatoribus aliquid ſupra illam additur, & aliter pro viribus defenditur; & aliàs intendam corroborare, quidquid apud Scotum probabilitatis ſit; ideo dum eorum via probabilis intueatur, ſine formidine aperietur.

73 In duos igitur opinandi modos diviſi ſunt huius viæ Scotiſtæ. Iuxta primum, aſſerunt aliqui, quod inter naturam humanam Petri, & inter humanam Pauli datur diſtinctio realis, ita tamen, quod non excludant idemptitatem formalem poſitivam inter ipſas. Pro hac via vidi deinceps textum Doctoris Subtilis, qui ab huic opinioni contrariantibus, non facilé interpretabitur. Doctor enim in 2 *d.* 3. *q.* 6. *§. ad quæſtionem.* prope initium, ait, *quod non eſt idem, quo aliqua conveniunt formaliter, & quo differunt realiter; licet idem poſsit eſſe diſtinctum realiter, & conveniens formaliter &c.* Deinde hanc opinionem ſuadent, tum rationibus, tũ obiectionum ſolutionibus. Rationem efficaciorem deſumunt ex eo, quod Petrus, & Paulus magis conveniant à parte rei, quam Petrus, & Leo; ſed talis convenientia non eſt materialis: ergo eſt formalis: ex quo inferunt, quod à parte rei datur formaliter poſitiva communitas. Et obiectionibus promptam ſatisfactionem adſtruunt, ex eo quod idemptitas formalis poſsit verſari inter ea, quæ realiter ſunt diſtincta. Vnde, ſi ipſis obijciatur, quod idemptitas formalis eſt ſumma, & ſtrictior, quam realis: ergo ſi idemptitas realis nequit dari inter realiter diſtincta, multo minus dabitur formalis. Reſpondent negando aſſumptum, & dicunt, quod vnitas, ſeu idemptitas formalis, vtpoté propria naturæ vniverſalis, talis debet eſſe, quod cum multiplicitate componatur, quia vniverſum eſt vnum in pluribus, & conſequenter vnitas vniverſi debet admittere diſtinctionem, & multiplicitatem realem; & ſic idemptitas formalis, non eſt ſtrictior quam realis, imo iſta eſt omnium ſtrictiſsima; ſicuti omnium diſtinctionum ſtrictiſsima, eſt realis: Et ſi inſtetur, quod idemptitas formalis eſt

inter

Digitized by Google

inter illa, quæ adhuc per rationem diſtinguntur, vt in homine, qui eſt idem formaliter, ac animal rationale. Reſpondent, illud non habere idemptitatem formalem ex natura ſua, ſed de per accidens; accidit enim illi, quod ea, quæ formaliter ſunt idem, realiter non ſint diſtincta: dum enim inter realiter idemptificata poteſt à parte rei dari formalis diſtinctio, etiam, & inter realiter diſtincta poterit à parte rei dari formalis idemptitas.

74 Iuxta ſecundum opinandi modum, alij Scotiſtæ, inter quos noviſsimé Fr. Antonius Groſo, ſuaviùs moventur: temperant enim idemptitatem formalem, aſſerentes, illam, poſitivam non eſſe, ſed præcisé negativam. Itaque aiunt, quod natura Petri, & natura Pauli, ſub ſuo conceptu eſſentiali naturæ humanæ, nullam inducunt diſtinguendi rationem; ſed eo modo, quo aliqua non diſtinguntur, ſunt vnum, ex Ariſt. 5. *metaph. textu.* 11 ergo natura Petri, & natura Pauli eſſentialiter habent vnitatem, ſi illam habent, quæ eſſentialiter non habent diſtinctionem. Vndé, hanc idemptitatem vocant idemptitatem, ſeu communitatem negativam, eo quod non dicat aliquod principium poſitivum, per quod Petrus ſit idem cum Paulo; ſed ſolum dicat principia, per quæ non habet diſtinctionem ab illo, & ſic eſt non diſtinctio eſſentialis, ſeu idemptitas negativa. Probant opinionem ſuam ipſis principijs, ac alij Scotiſtæ probabant, etſi ex diverſa intentione; aiunt enim, Petrus à parte rei non eſt alius eſſentialiter à Paulo: ergo eſt Petrus eſſentialiter indiſtinctus ab illo. Deinde apud quemlibet Scotizandi modum, eſt obſervandum, quod prædictas idemptitates habet natura, in quocumque ſigno ſit, etiam ſi realiter in ſingularibus imbibatur; quia natura quamtumvis ſingularis, non ammittit ſua prædicata ſpecifica, & eſsẽtialia; ſed talem idemptitatem dicit ratione prædicatorum eſſentialium: ergo quamtumvis ſingularis, cum natura Petri non differat eſſentialiter à natura Pauli, prædictam idemptitatem dicet.

SUBART. I.

RESOLVTIO CIRCA PRIMVM opinandi modum.

75 Reſolvendum eſt firmiter, repugnare à parte rei vnitatem formalem poſitivam, ita, quod à parte rei conſtituat naturam, quæ poſitivé, & de facto ſit indiviſibiliter in multis. Ita ex corde Scotus, quidquid ex ſuperficiali intelligentia, aliud eviſcerare exiſtimarent aliqui. Prob. contra aliquos Scotiſtas, & contra illos malé Scotizantes: Subtilis Doctor laxis fibris negat naturam à parte rei vniverſalem: ergo à parte rei talem vnitatem communem non admiſsit. Antecedens eſt paſsim in ipſo. Conſequentia ſuadetur; quia ex tali vnitate communi, maneret natura vniverſalis: ergo à parte rei talem vnitatem non admiſsit. Antecedens parvo indiget attramento; quia illud eſt vniverſale proximé, & formaliter, quod eſt vnum in multis cum ſui multiplicitate; ſed ex ſuppoſitione talis communitatis, natura foret vna formaliter, & proximé in multis, cum reali ipſius multiplicitate: ergo ex tali vnitate, ſic communi, maneret natura Vniverſalis.

76 Prob. 2. non minus efficaciter contra eoſdem. Subtilis Doctor, & cum ipſo feré omnes veteres, & cordiales Scotiſtæ aiunt, quod tot ſunt à parte rei naturæ communes, quot ſingulares. Rogo nunc, iuxta quem ſenſum hoc axioma percipitis? à fortiori debetis diceré, quod vel formaliter ex natura rei; vel realiter abſoluté; ſed quomodocumque ſumatur, vel contra vos, vel contra Scotum reſultat contradictio: ergo. Prob. minor, quo ad primum ſenſum; quia natura formaliter à parte rei eſt vna per vos; ſingularia à parte rei ſunt plura per Scotum: ergo repugnat, quod à parte rei tot ſint naturæ communes, quot ſingulares. Prob. quoad ſecundum ſenſum; quia dum natura intelligitur realiter abſoluté in Petro, iam iuxta Scotum ſupra, ipſi repugnat non eſſe in Petro, eſt enim ipſemet Petrus; ſed adhuc ex illis naturis, de quibus dixit Scotus, quod tot erant, quot ſingularia, nulli repugnat eſſe in alio: ergo adhuc realiter abſoluté contradicit ipſi, quod tot ſint naturæ, quot ſingulares. Deinde, quia dato, quod adhuc in ſingularibus ſint de ſe communes, debet eſſe, vt ab illis formaliter diſtinctæ; vt ſic diſtinctæ non ſunt tot: ergo. Deniqué, quis favor pro Scoto, & ipſius intenta communitate? Idem enim eſſet, ac ſi dixiſſet, tot ſunt naturæ ſingulares, quot ſingulares.

77 Prob. 3. quia Subtilis Doctor ſupra, nil reale commune tribus actu, & poſitivé admitit extra Trinitatis myſterium; ſed ſi natura à parte rei pluribus foret actu communis, aliquid reale actu, & poſitivé commune daretur extra myſterium Trinitatis: ergo. Reſpondent ſtatim, in Scoto numquam ſequi Trini-

Trinitatis intentum; quia in creatis ſolum eſt natura vna, & eadem formaliter; in divinis vero, vna, & eadem numericé. Sed contra; quia ex hoc, adhuc ſequeretur, pluſquam in Trinitatis myſterio, in linea communicationis prædicatorum formalium: ergo. Prob. ſequela; quia eſſe formaliſsimum eſſentiæ divinæ, vnicam ſingularitatem, & vnitatem numericam poſſet dumtaxat habere; ſed eſſe formaliſsimum eſſentię creatæ poſſet habere plures ſingularitates, & vnitates numericas: ergo vigor ille ſecundæ communicationis prędicatorum formalium plus ſplenderet, quam in Trinitatis myſterio.

78 Reſpondebunt, quod jam dantur vnitates notionales, quibus eſſentia divina totum ſuum eſſe indiviſé communicat. Sed contra, & verto argumentum inferendo, quod nunquam natura creata erit realiter multiplex natura. Arguo ſic: ſic communicat natura creata ſuum eſſe præciſé formale ſingularitatibus indiviſé, ſicut natura divina iam ſingularis communicat, præter eſſe formale, ſingularitatem notionalibus vnitatibus; ſed nunquam vnica ſingularitas, pluribus vnitatibus notionalibus communicata, poteſt reddi realiter multiplex ſingularitas: ergo nequé vnquam vnica natura formalis, pluribus ſingularitatibus communicata, poterit reddi realiter multiplex natura. Minor eſt certa; quia nunquam poteſt dari caſus, in quo tres naturæ, nequé ſingularitates dentur in divinis, nec formaliter, nec realiter. Illatio ſuadetur; quia non minus eſt notio divina ſecum realiter idemptificans ſingularitatem, ſeu naturam divinam ſingularem, quam notio creta eſt ſecum idemptificans naturam formalem. Deinde, non minus vna notio divina eſt alteri notioni oppoſita, quam vna notio creata alteri creatæ. Deinceps, non minus natura in perſonis eſt multiplex perſonaliter, quam natura creata multiplex ſingulariter; ſed nunquam ſingularitas divina, nec formaliter, nec realiter redditur multiplex in his, quæ ſunt ſingularitatis, etſi multis contrahatur: ergo nequé realiter, nequé formaliter multiplex, vnquam dicetur natura creata in his, quæ ſunt naturæ, etſi multis determinetur.

79 Semper perſiſtes, in hoc dari diſcrimen, ad hoc vt natura divina non multiplicetur in naturas ex contractione ad multiplicitatem, ſin autem vt multiplicetur creata; iſta enim contrahitur ad ſingularitates, quin antea ſingularis eſſet; at autem illa erat ſingularis, ante quàm contraheretur ad notiones, & ſic poſteà ſingulariter multiplicari, implicat. Sed contra, quia quod natura ſit ante perſonas ſingulariter vna, nunquam impedit, quod poſt contractionem perſonarum vertatur multiplex: ergo ruit ſolutio. Prob. antecedens ſic: ſi quia natura erat ante perſonas ſingulariter vna, non poſſet deinceps eſſe multiplex, maximé, quia omnis multiplicitas, & numeri multitudo deſumitur à ſingularitate, & dum hæc eſt vnica, implicat, quod amplius multiplex fiat; ſed extra ſingularitatem datur multitudo in divinis, quia in re dantur tres perſonæ, & ſic notionū multitudo: ergo quod natura ſit ante perſonas ſingulariter vna nunquam impedit, quod poſt contractionem perſonarum vertatur multiplex. Nunc ſic: nō aliunde, per vos eſt natura creata realiter multiplex, niſi quia realiter idēptificatur notionibus creatis: ergo natura divina realiter efficietur multiplex, dum idēptificetur cū notionibus divinis; datur ſiquidē poſt ſingularitatem, idemptificanda adhuc multiplicitas. Ex quibus inferendum eſt, nil reale poſitivé, & indiviſé eſſe in multis extra Deum; né ex paritate vnitatis, vel Trinitatem adſtruamus in creatis, vel illam deſtruamus in divinis.

80 Prob. 4. omnibus illis rationibus, ex quibus, tam Antiqui, quam Recenciores horribiles inferunt conſequentias, vt eſſe aliquid creatum à parte rei, & aliquid non: tranſubſtantiatum aliquid in Euchariſtia, & non tranſubſtantiatum, &c. quæ ab Scoto fuerunt exacté propoſita in 2. *d.* 3. *quæſt.* 6. *§. iſta poſitio.*

SUBART. II.

CIRCA SECUNDUM OPINANDI modum prævenitur reſolutio, propoſitis obiectionibus Authorum primi modi.

81 Obiicies 1. Illæ naturæ, Petri, Scilicet, & Pauli non diſtinguuntur formaliter: ergo idēptificantur. Conceditur antecedens ab aliquibus Scotiſtis, & negatur conſequentia. Si inſtetur, quod illæ duæ naturę realiter abſoluté diſtinguuntur: ergo, & formaliter. Reſpondent, negando conſequentiam, dicendo, quod ſicuti Scotiſtæ admittunt diſtinctionem formalem ex natura rei inter ea, quæ abſoluté idemptificantur, ſimiliter debent idemptitatē formalem admittere inter ea, quæ abſoluté diſtinguuntur; hoc tamen diſcrimine, quod talis idemptitas ſit negativa, non vero poſitiva, ſicuti in primæ viæ Scotiſtis tenebatur.

Sed

82 Sed revera dificilimū apparebit, quod inter prædictas naturas poſsit dari idemptitas formalis negativa, vt diſtinctioni formali ex natura rei contrapoſita, ſcilicet, non diſtinctio formalis ex natura rei. Suaderi poteſt, quia apud iſtos, idemptitas formalis poſitiva excludit omnem diſtinctionem realem: ergo, & non diſtinctio formalis excludet omnem realem diſtinctionem. Prob. conſequentia: ex eo idemptitas formalis poſitiva excludit omnem realem diſtinctionem, quia eſt maior omnium idemptitatum idemptitas; ſed non diſtinctio formalis etiam eſt maior omnium non diſtinctionum non diſtinctio: ergo non diſtinctio formalis excludet omnem realem diſtinctionem: includere ſiquidem debet omnem non realem diſtinctionem; ſicut idemptitas illa formalis includere debet omnem realem idemptitatem; ſed iſti Authores ponunt inter illas naturas diſtinctionem realem abſolutam: ergo nullam poſſunt ponere realem non diſtinctionem.

83 Deinde (quidquid ſit de hoc, exactè examinandum in Metaphy. in quæſt. de diſtinctione ex natura rei) argui poteſt ſic; quia ex eo non admittunt idemptitatem poſitivam formaliter à parte rei, quia ex illa ſequeretur dari vniverſale actù, & formaliter à parte rei: ſed ex non diſtinctione formali ex natura rei, actù, & formaliter ſequeretur à parte rei vniverſale: ergo talis idemptitas cum non diſtinctione formali ex natura rei, non eſt admittenda. Maior fuit impugnatio contra Scotiſtas primæ viæ. Minor convincitur; quia à parte rei daretur quid. indiſtinctum formaliter in pluribus cum eorum reali multiplicitate: ergo daretur à parte rei formaliter vniverſale. Prob. conſequentia; quia eſſe quid indiſtinctum, eſt naturæ Petri, & Pauli intrinſecum. Deinde, dum hoc ſit vnivocum, accidit prædicabilitati naturæ, quod fiat per indiſtinctionem; dicendo: Petrus actù habet indiſtinctam naturam à Paulo, & ſic de reliquis; ſufficit enim illa indiſtinctio à parte rei vt expediatur vniverſaliter prædicatio: ergo ſi bene attendatur, nil deficit, vt à parte rei actù, & formaliter ſequatur vniverſale.

84 Deinde, quia ſi bene attendatur, idem inconvenientium genus ſequitur pro tenentibus, non dari diſtinctionem formalem ex natura rei, ac pro ponentibus ex natura rei, idéptitatem formalem. Ex eo enim Scotiſtis primæ viæ inconveniebat idemptitas formalis, quia ſequeretur à parte rei, eamdem naturam in Juda eſſe infœlizem, & in Chriſto glorioſam; ſed ex eo quod non detur diſtinctio formalis ex natura rei, ſequitur quod natura, quæ in Juda eſt infœlix, ſi non ſit eadem, non tamen ſit à parte rei diſtincta ab illa, quæ eſt in Chriſto glorioſa: ergo ſequitur idem inconvenientium genus.

85 Propter iſta exiſtimo, quod plures alij huius viæ Scotiſtæ, aliter accomodant non diſtinctionem formalem, quia ſi ipſis obijciatur, quod Petrus, & Paulus non diſtinguuntur formaliter: ergo eadem natura poſitivé invenitur in illis. Reſpondent, diſtinguendo antecedens ſic: non diſtinguntur formaliter, ita vt entitas formalis naturæ Petri, ſit ipſamet entitas formalis naturæ Pauli, negant; ita vt ipſorum entitates ſint eiuſdem rationis, concedunt. Placeret diſtinctio, ſi explicarent, quid ſit illud, quod eiuſdem rationis eſt. Si enim eiuſdem rationis ſunt: ergo aliquid datur, quod eſt eadem ratio, ſeu idem in aliqua ratione. Nunc rogo: vel illa ratio eadem eſt à parte rei, vel per puram mentis rationem? Si primum: ergo à parte rei datur aliquid idem actù in pluribus. Si ſecundum: nil extra Thomiſtas dicunt.

86 Alij Scotiſtæ cum Illuſtriſsimo Merinero hic dicunt, ex predicto argumento ſolum probari, quod Petrus, & Paulus à parte rei habeant vnitatem, ſeu convenientiam formalem, id eſt, naturas non diſtinctas per principia formalia, & eſſentialia; non tamen probari ſecundum hanc vnitatem, ſeu convenientiam formalem, naturam humanam eſſe poſitivé Petro, & Paulo communem; nam ad communitatem iſtam requiritur, quod natura, ſeu vnitas, quæ dicitur ſic communis, ſit in multis omnino indiviſa; quod non competit naturæ humanæ, ſeu vnitati formali, quam habet; ſiquidem tam natura humana, quam vnitas eius formalis ſunt in Petro, & Paulo diviſa, ſeu individualiter diſtincta. Optima ſunt iſta, quæ cum Merinero adducuntur; ſed dicent alterius viæ Scotiſtæ quod ſimiliter poteſt admitti communitas formalis poſitiva, quia hæc non foret omnino indiviſa; ſiquidem etſi formaliter eſſet eadem, poſitivé tamen numericé, & materialiter foret diſtincta; quod ſuadebunt facilimé; quia quod eſt formaliter non diſtinctum in omnibus, omnibus modis non perſeverat non diſtinctum: ergo quod eſſet formaliter idem in omnibus poſitivé, omnibus modis non perſeveraret idem poſitivè in omnibus; ſi enim quod non eſt formaliter diſtinctum poteſt eſſe realiter diſtinctum, etiam quod eſt formaliter idem poterit eſſe non idem realiter; vel clarius ſic; ſi formali non diſtincto, non correſpondent non diſtinc-

Digitized by Google

diſtinctum reale; nequé formali eidem debebit correſpondere idem reale. Ex quo inferent etiam quod ſupra, ſcilicet, quod ſicuti in eorum ſententia Vniverſale eſt vnum in multis cum ſui multiplicitate; ſic in aliorum ſententia erit indiſtinctum in multis cum ſui multiplicitate.

87 Quam plures alij Scotiſtæ ab hac difficultate averti intendunt, ſupponentes, quod natura Petri, & Pauli, adhuc à ſingularitatibus præcisé, à parte rei diſtinguuntur, & conſequenter cum quævis natura ſit eſſentia, & ab alia diſtincta, dicunt, quod Petrus, & Paulus in re habent eſſentias diſtinctas; aſſerunt vero, nunquam eſſentialiter diſtingui. Quibus ſi objiciatur, quod eadem natura eſſet miſera, & beata, reſpondent, nil inconvenire, prout hoc exprimit, quod natura miſera, & beata non differunt eſſentialiter. Fateor, quod illo inconvenienti ſic admiſſo, nulla opinione faciliùs vis argumentorum infringetur. Sed etiam reſtat explicare, quomodo Petrus, & Paulus habent diſtinctas eſſentias, & his non obſtantibus eſſentialiter non diſtinguantur; ex eo enim, quod Petrus, & Leo habeat diſtinctas eſſentias, eſſentialiter diſtinguuntur: ergo ex eo, quod Petrus, & Paulus diſtinctas eſſentias habeant, eſſentialiter diſtinguentur. Suadetur; quia ex eo, quod Petrus, & Paulus habeant diſtincta principia numerica, diſtinguuntur numericé. ergo ex eo, quod Petrus, & Paulus habeant diſtincta principia eſſentialia, diſtinguentur eſſentialiter. Ex quo infero, quod ad hęc vitanda recurrere debent ad aliorum Scotiſtarum negativam idemptitaté.

88 Pater Poncius hic, tam vnitatem poſitivam, quam privativam negat, & ſolum vnitatem ſimilitudinis, vt ſufficientem concedit, & inſimul dicit, hanc eſſe communiorem Scotiſtarum opinionem: Unde ſi ipſi objiciatur predictum totius difficultatis argumentum, ſcilicet, quod Petrus, & Paulus non ſunt formaliter diviſi: ergo idem: Reſpondet negando antecedens; quia ſicut natura Petri in ſe eſt vna formaliter, ita formaliter diſtinguitur, & dividitur à quacumque alia, quæ non eſt ipſa, & conſequenter à natura Pauli: dicuntur tamen, non diſtingui formaliter, ſeu eſſentialiter propter maximam ſimilitudinem, quam habent in ſuis eſſentijs; ſicuti etiam ſolet dici de aliquibus individuis hominum, ſi magnam habeant ſimilitudinem. Deinceps, ſi Patri Poncio objiciatur, quod Petrus, & Paulus ſunt ſimiles eſſentialiter: ergo habent aliquam vnitatem eſſentialem poſitivam ſimilitudo enim fundatur in vnitate ſecundum Philoſophum: Reſpondet dicéndo, Philoſophum non dixiſſe ſimilitudinem fundari in vnitate; ſed tantum dixiſſe, illa eſſe ſimilia, quorum extrema ſunt vna, quod poteſt eſſe verum, quantumvis ſimilitudo non fundetur in vnitate. Itaque, ait, ſenſus eſt, quod idem omnino ſit, aliqua eſſe ſimilia, & aliqua eſſe formaliter vna: vnde, illa, quæ ſunt ſimilia, ſunt etiam vna, & é contra. Ex quibus Pater Poncius componit communitatem ad vniverſalitatem, dicendo, quod nulla aptior iuxta mentem Scoti, quam vnitas ſimilitudinis, & conformitatis, ſeu repreſentabilitatis per eumdem conceptum formalem; ex hac ſiquidem conformitate, & ſimilitudine oritur, quod ille ipſe conceptus formalis, quem habemus de Petro, quatenus homo eſt præcisé, poſsit æqué bené repreſentare Paulum, ac quemcumque alium hominem: quemadmodum imago facta ad repreſentandum vnum hominem, æqué bené repreſentaret alium hominem omnino ſimilem ipſi; tamen ſi (ait Poncius) ſi loquamur de definitione obiectiva, alia ſit definitio, ſeu conceptus obiectivus Petri, & alia Pauli: infert igitur, quod vnitas requiſita ad vniverſalitatem, conſiſtit in illa vnitate ſimilitudinis, aut conformitatis, aut repreſentabilitatis per eamdem ſpeciem.

89 Sentio in primis, Patris Poncij opinionem (de qua ſunt etiam Moriſanus, & Averſa, apud Maſtrium diſp. 9. quæſt. 6. art. 1.) in multis diſplicere Scoto. Primó, quia Doctor *in 2 d. 3. q. 1. §. contra illud*, ad relationem ſimilitudinis ſupponit vnitatem realem, numerali minorem, in qua fundetur: ergo alia eſt vnitas Doctoris, & alia eſt prædicta vnitas ſimilitudinis, pro vniverſalitatis conditione. Secundó; quia Doctor ibidem q. 7. §. ad quæſtionem, reſolvit in fine, quod ſingulare non eſt definibile definitione alia à definitione ſpeciei: ergo duo cõceptus obiectivé, & ſpecificé definientes, difficilé combinabit Poncius ex duorum ſingularium diverſitate. Tertió, quia opinio Poncij multis coincidit cum Nominali opinione, neque aliter explicatur Vniverſale in repreſentando, quàm ſicuti Pōcius explicat vnitatem ſimilitudinis, ponédo loco nominis plura ſignificantis, imaginem, ſeu repreſentabilitatem plura exprimentis.

90 Sed quidquid ſit de Scoto, conſentienda nõ eſt prædicta opinio, propter plura. Propter primum; quia adhuc vnitas ſimilitudinis non daretur ex fundamento Poncij; quod ſic ſuadeo: ex eo apud ipſum vnitas formalis, quę eſt in Petro, non eſt formaliter quid idẽ, & vnum cũ vnitate, quæ eſt in Paulo, quia ſicut natura

Cc Pe-

Petri in ſe eſt formaliter vna, ſic eſt formaliter diviſa à quacũque alia, & ſic diſtincta ab illa, quæ eſt in Paulo: ſed etiam ſimilitudo, quæ eſt in natura Petri, eſt in ipſo formaliter vna, ac per conſequens diviſa à quacumque alia, ſcilicet, à ſimilitudine Pauli: ergo ſi ex indiviſione naturæ Petri in ſe, non dat Poncius quid vnum in re, neque ex ſimilis indiviſione, debet dare quid vnitatis in ſimilitudine. Minor convincitur; quia Petrus ſolum poteſt dici formaliter ſimilis, vel per ipſam in re vnitatẽ, vel per relationem in ipſa fundatam; ſed quomodolibet ſit, in ſe vnicam poteſt habere relationem, ſicuti, & vnitatẽ, quia neque per vnitatem, neque per relationem Pauli, ipſe poteſt eſſe formaliter ſimilis: ergo. Deinde conſequentia; quia ſi vnum in re non ſupponatur, quomodo ex pluribus, & diſtinctis ſimilitudinibus vnum in ſimilitudine dicemus? Vnde interpretatio Poncij frivola videtur. Quæ eſt igitur hæc vnitas ſimilitudinis ad vniverſalitatem ſufficiens, & inſufficiens illa vnitas formalis?

91 Propter ſecundum; quia etiam ſequeretur, quod natura in ſimilitudine eſſentiali eadem foret miſera, & gloroſa, Judaica, & Chriſtifera, quod incõveniens adaptabitur æq; magnũ, ac iſti adaptabant contra tenentes eãdẽ naturã eſſe formaliſsimé in pluribus. Ratio eſt, quia etſi non ſic horribile videatur dicere prędictũ inconveniens de natura eſſentialiter ſimili, ac de natura formaliter eadẽ, ſed re vera videtur idẽ, ex eo, quod ſicuti in Miſero, & Beato idemptitas, & convenientia nõ eſt pluſquã ſimilitudo, ſic diſconvenientia, & diverſitas in Miſero, & Beato, nõ eſt pluſquã proportionata diſsimilitudo, ita vt ad inconveniens nõ reputandũ Intueatur parva ex ſimilitudine idẽp'itas, ſic ad ipſum reputãdũ intuetur parva ex diſsimilitudine diſtinctio; ſic, etſi in aliorum ſentẽtia incoveniens ſequatur in formaliter eiſdẽ, etiã ſimulatur ex hoc, quod ex oppoſito ponatur in realiter abſoluté diverſis: ergo ſi bene Intueatur, idem ſequitur ex vnitate eſſentiali ſimilitudinis, ac ex vnitate eſſentiali formalitatis.

92 Propter tertium; quia prędicti modi interpretandi militant contra intentionẽ textus, cuius perfecta expreſio manet in Scoto q. 3. Quare recté ait Maſtrius ſupra, ibi Philoſophum aſsignare modum, & fundamẽtum proximum relationum primi modi, & ait, illas fundari ſupra vnitatem; ſi igitur hæc vnitas nõ ſit niſi convenientiæ, & ſimilitudinis, idem eſſet, ac ſi dixiſſet, ſimilia fundari ſuper ſimilitudinem, & æqualia ſuper æqualitatẽ. Deinde, quia ſi convenientia, & ſimilitudo duorum ſunt fundamentum vnitatis formalis vniverſalitatis, potius vnitas fundabitur ſupra ſimilitudinem, quam é contrà, quod eſt contra Philoſophũ. De quo videatur Maſtrius ſupra citatus, qui hos diffusé impugnat.

93 Propter quartum; quia nunquam Poncius, & vnitatem ſimilitudinis cõſtruentes poſſunt fugere illam robuſtam, & omnibus feré invencibilem rationem, circa indiſtinctionem eſſentialem inter naturam Petri, & Pauli, quã ſic contra iſtos formo: eſſentia ſpecifica Petri, vel eſt formaliſsimé ſimilitudo, vel extra præciſam, & formalem ſimilitudinem, Petrus, qua homo eſt, habet eſſentiam ſpecificam? Meo videri reſpondere debent, quod eſſentia Petri aliquid eſt extra præciſam ſimilitudinis rationem; quia ſicuti ſi vnicum album daretur, ſalvaretur formaliter eſſentia albi, abſque vlla formali ſimilitudine, ſic ſi ſolus Petrus daretur, ſalvaretur eſſentia hominis, quin vlla daretur ſimilitudo formalis. Deinde, quia à priori aliquod debet dari fundamentum vt Petrus ſit ſimilis Paulo, non autem Brunello. nec non id ſuadent immediaté dicta ex Philoſopho, & ſuo loco dicenda ex Auguſtino aſſẽte; quod omne relativum eſt aliquid, excepta relatione; aliàs quid eſſet relativum? Sicuti quid eſſet ſimile, ſi non eſſet aliquid excepta ſimilitudine? Neque hoc negare videntur; & ſi negent, ſimiliter formabitur argumentum pro ſimilitudine, ac pro eſſentia. Nunc ſic: ergo Petrus habet eſsẽtiam, quæ eſt ſimilis Paulo, & Paulus habet eſſentiam, quæ eſt ſimilis Petro: ſed iſtæ eſſentiæ, ſecundum quas ſunt ſimiles, non diſtinguntur eſſentialiter: ergo datur eſſentialis indiviſio. Prob. minor; quia ex eo Petrus, & Brunellus non ſunt ſimiles, quia eſſentialiter diſtinguntur: ergo ex eo illorum eſſentiæ ſunt ſimiles, quia non diſtinguntur eſſentialiter. Conſequentia eſt dictorum aſſumptum, quia indiſtinctum, & indiviſum, indiſtincté ſe habent.

94 Reſpondere videtur Poncius, negando minorem, ex eo, quod licet vnum ex contradictorijs debeat cuilibet competere, ex illo principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*, non tamen competit, dum tale principium eſt cum addito, vt patet in pariete, qui licet debeat eſſe, aut non eſſe intrinſecé, non tamen intrinſecé debet eſſe albus, aut non albus; ſic pariter, (ſ melius dicere é contrà) dum natura conſideratur præciſa à Petro, neque eſt eſſentialiter diſtincta, nec non diſtincta, quia tunc non conſideratur abſoluté, ſed ſecundum ſe,

ſub-

Digitized by Google

ſub qua reduplicatione naturæ conceptæ, vt ſic, nequé ipſi competit idemptitas, necnon idemptitas; & ſic natura humana, quæ eſt in Petro, vt conſideratur ſecundum eſſentialia, nequé habet eſſe illam naturam, quæ eſt in Paulo, nequé habet non eſſe illam. Sed contra efficaciter; quia etiamſi natura conſideretur vt eſt in Petro, conſideratur in ipſo vt ſimilis Paulo; ſed non poteſt conſiderari vt ſimilis, quin conſideretur ſecundum eſſentialia: ergo quod conſideretur ſecũdum eſſentialia, non impedit, quod in Petro conſideretur inſimul in ordine ad Paulum. Quod natura dum conſideratur vt ſimilis, poſsit, imó & debeat conſiderari, non ſolum ſecundum ſe, & præciſa, ſed concretivé, ſuadetur; quia non poteſt percipi ſimilitudo niſi inter diſtincta; non poſſunt percipi diſtincta à ſingularitatibus præciſa: ergo non poteſt conſiderari ſimilis, vt præciſa, & ſolum ſecundum ſe conſiderata. Nunc ſic: etſi natura conſideretur ſecundum eſſentialia, poteſt, imó, & debet dici, quod Petrus ſecundum eſſentialia eſt ſimilis, vel diſsimilis Paulo: ergo licet conſideretur ſecundum eſſentialia, erit impoſsibile, quod Petrus non ſit eſſentialiter diſtinctus, vel indiſtinctus à Paulo: ergo indiviſus; ergo idem, & formaliter vnus.

95 Pater Maſtrius de Meldula pugnaciſſimé hoc punctum examinavit, & pro viribus illius deciſionem Doctoris menti applicat, necnon robuſtiſsima argumenta diſſoluit. Itaqué ad præfatum argumentum ait ſupra in *quæſt. 7. art. 2. num. 174.* quod non procedit contra tenentes, vnam, & eãdem naturam in individuis per ſolam negativam indifferentiam, cum qua vnitate, & communitate naturæ ſic indifferenter, bené ſtat multiplicatio eiuſdem in ſingulis individuis; quia vnitas indifferentiæ eſt vnitas naturæ metaphyſica, quæ reſpicit eſſentiam realem naturæ, vt abſtrahit à conditionibus individuantibus; vnitas vero inexiſtentiæ, (hæc eſt illa poſitiva primæ viæ Scotiſtarum, quam ſuſcitavit Paſqualig. apud Maſtrium) ſeu entitativa, eſt vnitas phyſica, quæ reſpicit eſſentiam, vt exiſtentem, & determinatam à ſingularibus: vnde hæc vnitas importat indiviſionem in entitate à parte rei exiſtente; illa vero ſolum importat indiviſionem in eſſentia, vt abſtrahit ab exiſtentia. Ex quibus ait, falſum eſſe, quod dari nequeat à parte rei aliqua indiviſio, quæ non ſit entitativa, quia dari poteſt indiviſio eſſentialis, quæ ſpectat ad eſſentiam, vt ab exiſtentia præſcindit. Sicque ſi ipſi objiciatur, quod natura, quæ eſt in Petro diſtinguitur à Petreitate: ergo, & multo melius diſtinguetur à natura, quæ eſt in Paulo: Reſpondet, non inferri, quia natura, & Petreitas in Petro ſunt entitates diverſæ omnino rationis; vna enim eſt communicabilis, altera incommunicabilis, vna contrahens, altera contrahibilis, vna eſt ratio aſsimilandi, altera eſt ratio diſtinguendi; natura veró Petri, & Pauli interſe comparatæ, ita ſunt omnino eiuſdem rationis, vt inter ſe nequeant diſcerni, niſi accipiãtur, vt coniunctæ cum ſingularitatibus, & hoc preſertim, quia diſtinctio realis fundatur in diverſitate exiſtentiarum, & exiſtentia non convenit naturæ, niſi mediante ſingularitate, & hinc eſt, quod vna natura nequit fundare realem diſtinctionem ab alia, præciſis ſingularitatibus.

96 Deindé ad ſubſtantiã difficultatis, ſcilicet, natura ſecundum ſuam eſſentiam conſiderata, veré habet à parte rei carentiam diviſionis eſſentialis: ergo etiam vnitatem realem ſibi propriam habet in omnibus adequaté; natura ſiquidem ſecundum ſe eſt ens reale, ſicq; vnitatem realem ſibi proportionatam debet habere: Reſpondet in forma, diſtinguendo anteced. Vel enim per carentiã diviſionis eſſentialis intelligitur indiviſio phyſica, ac entitativa naturæ, quæ pertinet ad exiſtentiam potius, quam ad eſſentiam; vel intelligitur indiviſio metaphyſica, & proprié eſſentialis, quæ conſiſtit in connexione prædicatorum eſſentialium: in primó ſenſu, negatur aſſumptum (ait Maſtrius); quia tunc eſſet vna, & eadem natura in omnibus per inexiſtentiã, quod in creatis eſt impoſsibile; tum, quia ad occulũ videmus, naturam vnius individui eſſe loco, & ſubiecto à natura alterius ſeparatam: in ſecundó ſenſu conceditur aſſumptum, ſed negatur conſequẽtia inde deducta; quia cum tali indiviſione naturæ metaphyſica, & eſſentiali ſtat diviſio eius phyſica, & entitativa, & conſequenter multiplicatio formalis vnitatis individualiter ſimul cum natura.

97 Laudo doctrinã, ſed re vera ſemper eximia reſtat ſolvenda difficultas; quia natura Petri adhuc exiſtens in illo, in quo diſtinguitur à natura exiſtenti in Brunello, nõ diſtinguitur à natura exiſtenti in Paulo: ergo ſicuti ex illo, in quo diſtinguitur à natura Bruneli, infertur juxta illas poſitiva diſtinctio, ſic ex illo, in quo non diſtinguitur à natura Pauli, inferretur poſitiva vnitas. Tũ, quia difficilimé ſalvabit Maſtrius ſuã doctrinã ex diſtinctione exiſtentię, à qua pręſcindit naturam, quia ſi natura nequiret habere realẽ diſtinctionẽ ab alia, ex eo, quod diſtinctio realis fundetur in diverſitate exiſtẽtiarũ, & exiſtẽtia nõ convenit nature, niſi mediante ſingularitate, etiam ſequeretur

quod natura numquam poſſet formaliter ex natura rei diſtingui à ſingularitate, quod non concedet: ergo. Quod ſequatur, ſuadetur; quia vt ex natura rei diſtinguatur, etiam requiritur, quod actù ſit, & exiſtat; ſed vt ex natura rei diſtincta à ſingularitate, nō exiſteret: ergo nunquā ex natura rei poſſet diſtingui ab illa. Suadetur minor; quia vt exiſteret, debebat eſſe ſingularis, quia exiſtere non habet niſi per illā; ſed vt ex natura rei diſtincta, nō habet eſſe ſingular: ergo vt ex natura rei diſtincta à ſingularitate, non exiſteret

98 Deinde, quia adhuc natura à ſingularitate ex natura rei præciſa, habet vnitatem formalem in ſe: ergo, & ſtrictam exiſtentiam. Prob. conſequentia; quia illa vnitas eſt extra formalem entitatem naturæ; ſed nil poteſt eſſe formaliter extra aliud, quin exiſtat: ergo dum ſtricté habeat vnitatem, & habebit exiſtentiam. Nec valet ratio Maſtrij dicentis, habere exiſtentiam metaphyſicam, quæ ſtat in connexione prædicatorum; quod ſic ſuadeo: natura adhuc vt dicit vnitatem formalem, habet plus eſſeitatis, quam habebat ab æterno; ſed exiſtentia metaphyſica, vt præcisé ſumitùr pro connexione prędicatorum, ab æterno potuit verificari: ergo adhuc ſic habet natura pluſquam illam connexionis exiſtentiam, vt à ſingularibus præciſa.

99 Deinceps, quia illa vnitas ex connexione per metaphyſicam exiſtentiam, vel eſt aliquid realis poſsibilitatis, vel aliquid abſoluté exiſtens? Si hoc vltimum, habetur intentum. Si primum: ergo indiviſio naturæ, vt à ſingularitatibus preciſæ, non eſt pluſquam mere poſsibilis; quo pacto non erit aliquid in re commune, quod eſt contra Doctorem. Nec non, quia illa, quæ exiſtunt ex connexione prædicatorum, etiam actù, & abſoluté poſſunt, & petunt habere exiſtentiam, vt patet in homine, qui connexivé exiſtens animal rationale, idem ipſum nunc verificatur; imo nil amplius poteſt abſoluté in exiſtentia verificari, quam ea, quæ per connexionem prædicatorum verificabatur: ergo vel illa vnitas ex connexione non datur, vel ſi datur, ipſa formaliſsimé exiſtens debet eſſe, quæ in pluribus abſoluté invenitur.

SUBART. III.

EX SCOTISTARVM DICTIS reſolvitur probabilius.

100 PRæſens punctum eſt, meo videri, totius Logicæ myſterioſius ænigma, de quo parū ſine mētium anxietate poſſumus philoſophare. Propoſui ſupra, tam Veterum, quam Recentiorum Scotiſtarum famoſiores intelligentias, quarum probabiliores vellem adaptare.

101 Doctor Subtilis in feré omnibus locis hucvſque citatus, de hac difficultate excitat rationes; precipué tamen hoc ſpeciale punctum excitat in 2. *d.* 3 *q.* 7. *§. ad primum articulum dico*, vbi ad præfatum argumentum reſpondens, hæc ait: Angelus difere ab Angelo, qui eſt forma: ergo habent differentiam formalem; includit fallaciam conſequentis; non enim ſequitur formæ differunt: ergo formaliter differūt, vel differūt in forma; ſicut nō ſequitur, homines plures differunt; igitur in humanitate differunt; aliud enim eſt diſtingui, & aliud eſt ipſum eſſe primam rationem diſtinguendi; quia cum hoc, quod ipſum ſit diſtinctum, ſtat, quod ipſum non ſit ratio diſtinguendi; cum hoc autem, quod ipſum ſit prima ratio diſtinguendi, non ſtat ipſum non eſſe diſtinctum. Hæc Scotus.

102 Ex quibus maniſeſté infert Scotus, quod in Petro datur diſtincta vnitas formalis, ac in Paulo: quia etſi ſingularia non ſint principia formalia, & ſpecifica, poſſunt tamen facere, quod ſint diſtincta ipſa principia formalia. Deinde infert manifeſté Scotus, quod etſi ſint principia formalia diſtincta, ita vt in Petro non ſit principium formale, quod eſt in Paulo, nunquam tamen ſunt formaliter diſtincta; quia ad hoc requirebatur, quod principium diſtinctionis foret in ipſo diſtincto; quod principium in ipſo non eſt; diſtinctum ſiquidem, eſt natura formalis, & diſtinguens ipſam, eſt ſingularitas, quæ non eſt intra rationem formalem naturæ, aliàs non ſolum in numero, ſed, & in ſpecie haberent differentiam. Sic apud Thomiſtas, aliud eſt, materiam primam exiſtere, & aliud eſt ipſam eſſe primam rationem exiſtendi. Primum eſt verum, quia in re eſt extra cauſas. Secundum eſt falſum, quia principium exiſtendi eſt forma.

103 Sed ſemper reſtat integra difficultas; dicent ſiquidem: ergo illæ naturæ formales, etſi ſint diſtinctæ naturę formales, nō autē erunt formaliter diſtinctæ naturæ: ergo erunt formaliter idem. Inſto argumentum in favorem prædictorum Scotiſtarum: ſingularitates præciſæ à naturis ſpecificis non diſtinguntur ſpecificé: ergo ſpecificé ſunt idem. Duo entia poſsibilia actù nō habēt vnitatē, ergo diſtinctionē. Ens rationis nō habet diſtinctionem realem cū alio quocūq; ente, quia diſtinctio realis eſt paſsio ētis realis: ergo habet realiter vnitatem, ſeu indiſtinctionem. Natura Petri, & natura Pauli, vt iam contractæ, ſunt indiviſibiles numericé: ergo habent aliquam

vnam

Digitized by Google

vnam numericam vnitatem. Deinde vice verſa ſic: eſſentialiter diſtinguitur paſsio ab accidenti, ſeu riſibile à Leone: ergo riſibile eſt eſſentia. Sed quia per poſitionem vnius inconvenientis non aufertur aliud, ideo explicanda, & apponenda eſt ſolutio, quod opus, hic labor.

104 Sentio igitur, apud huius viæ Scotiſtas reſolvi debere id, quod Doctor tranſeunter, etſi ſubtiliter, nos reliquerat ſupra, præcipuè in *quæſt.* 3. Itaque ſic eſt philoſophandum de vnitate formali naturæ, ſicuti de communitate cum Doctore philoſophavimus. Diximus enim, ex eo naturam eſſe communem pluribus, quia licet ipſa de ſe non ſit in illis, nequè ipſi de ſe eſſe in illis repugnat; & nè dicta repetamus, videantur ibi dicta in *quæſt.* 3. *art.* 1. *& 2. per totum*. Vnde ſicuti natura habet eſſe Petro, & Paulo communem, ſic debet natura Petri reſpectu naturæ Pauli, eſſe vnam, & indiviſam; quia ſic ſe debet habere natura quoad vnitatem reſpectu alterius naturæ, ſicut ſe habet quoad communitatem reſpectu ſingularitatis alterius naturæ: ergo ſicuti natura, quæ eſt in Petro habet, ipſa de ſe non repugnare eſſe in Paulo, etiam natura, quæ eſt in Petro habebit, ipſa de ſe non repugnare eſſe vna cum natura Pauli: ergo formaliter natura Petri non erit diſtincta à natura Pauli: diſtinguitur ſic; quatenus eſt de ſe, id eſt, ipſi de ſe non repugnat eſſe naturam, quæ eſt in Paulo, eſt verum; ipſa aliter, quam præcisè de ſe, eſt formaliter ipſa natura Pauli, eſt falſum. Itaque natura Petri ſecundum ea, quæ formaliſsimè dicit, eſt eadem formaliter cum natura Pauli formaliſsima, quia ipſa ſic eſſe formaliter eadem, non exprimit aliud, quam ipſa non eſſe de ſe aliam formaliter repugnans; ex quo, vt adhuc explicabimus, nil formaliter poſitivè idem convincitur.

105 Nunc dices; quia Petrus, & Paulus habēt diſtincta principia numerica, numericè diſtingũtur: ergo quia habent diſtincta principia formalia, formaliter diſtinguentur. Non tenet veritas in paritate. Ratio eſt, quia Petrus, & Paulus non ſolum dicunt principia habere numerica, & hæc diſtincta, ex eo quod illa habere, ſit illa præcisè de ſe non repugnare, in quo maximam nunc declarabo differentiam; quia natura in priori ſigno ad ſingularitatem, tunc ipſa de ſe non repugnat habere principia numerica, quia vt paſsim, & nervosè ait Doctor, quod alicui de ſe repugnat, adhuc intelligibiliter non poteſt habere ſine repugnantia: nunc ſic; etſi ipſa de ſe habeat ſingularia, provt ſic habere exprimit, illa de ſe non repugnare, ſed tamen, nunquam aliquis perfectè intelligens dicet, quod illo rigore, & poſitivitate habet tunc dici ſingularis, ac habet dici, & eſſe in vltimo contractionis ſigno deinceps: ergo licet dicant Scotiſtæ, quod illæ naturæ habent diſtincta principia formalia, nunquam ex hoc inferri debet, quod diſtinguentur formaliter, ſicut diſtinguuntur numericè, quia habent diſtincta numerica; quia, etſi habeant diſtincta principia formalia, illa tamen nequeunt habere formaliter diſtincta de ſe; principia autem numerica non ſolum habent eſſe diſtincta, ſed, & de ſe diſtinguentia; quare ſupra dicebat Doctor, quod cum hoc, quod aliquid ſit diſtinctum, poteſt ſtare, quod ipſum non ſit ratio diſtinguendi; non autem hoc poteſt ſtare ſic, dum eſt diſtinctum, & etiam de ſe ipſa ratio diſtinguendi.

106 Dices, & vehementer inſtabis in præfatam doctrinam; illæ naturæ habent diſtincta principia formalia: inferri ergo debet, quod licet de ſe non ſint formaliter diſtincta, ſin autem formaliter abſolutè. Suadetur, quia licet non ſint de ſe diſtincta principia formalia, tamen bene compatitur, quod abſolutè ſint diſtincta principia formalia: ergo licet de ſe non ſint formaliter diſtincta, bene compatietur, quod abſolutè ſint principia formaliter diſtincta. Reſponderi exiſtimo, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ad probationem illationis, diſtinguo conſequens: bene compatitur quod abſolutè ſint diſtincta principia formalia, quia datur principium, vt ſint diſtincta principia formalia, concedo; & alteram partem, diſtinguendo conſequens, attingo; bene compatietur, quod ſint abſolutè diſtincta principia formaliter, dum principium à quo ſunt diſtincta principia formalia, non ſit principium formale, nego. Itaque dico, rectè Doctorem horum conſequentium fallaciam annotaſſe; vt enim naturæ præcisè, nec non abſolutè habeant diſtincta principia formalia, ſolum requiritur, quod in re, & abſolutè ſit principium diſtinctum, ſeu diſtinguens, quod etſi ſolum ſit numericum, ſat eſt vt principia formalia diſtinguat; imo dum tale principium numericum ſit diſtinguens, principia, quæ diſtinguit, debent à fortiori eſſe formalia; quia vt de ſe patet, principia numerica, non poteſt diſtinguere numericum principium. At autem non poteſt compati, quod dum principia formalia, de ſe diſtincta, non habeant naturæ, poſsint eſſe formaliter diſtincta. Ratio eſt; quia ſolum alicui poteſt convenire aliquis modus formalizandi, vel quia in ſe habet illud de ſe, vel quia in ſe habet illud ab alio; ſed natura de

ſe

Digitized by Google

ſe non habet illud formaliter diſtinctum in ſe; deinde, neque illud poteſt habere ab alio, quia nil aliud ipſi ſuperadditur præter ſingularitatem, & hæc non eſt principium formale: ergo ly formaliter, non eſt à quo poſsit ipſi naturæ convenire.

107 Quapropter eſt maximé notandum, Scotiſtas hinc non negare, quod natura de ſe habeat principium formale, quia hoc foret negare genuinam mentem Scoti de vnitate formali; ſed ſolum negare, quod natura de ſe habeat principium formale diſtinctum; aliud enim eſt, naturam Petri, & Pauli habere de ſe principia formalia, & aliud eſt de ſe habere principia formalia diſtincta. Primum conceditur, ſecundum negatur; ex quo dicimus, quod cum de ſe non habeant principia formalia diſtincta, hinc eſt, quod licet habeant diſtincta principia formalia, non tamen ſequitur, quod habeant diſtincta principia formalia formaliter diſtincta. Vnde nil concludit iſtantia; quia vt illæ naturæ, quæ de ſe formaliter non ſunt diſtinctę, poſſent formaliter abſoluté diſtingui, debebant hoc poſſe in alio ſtatu diſtincto ab illo, quem de ſe habent; ſed extra ſtatum, quem de ſe habent, non eſt alius quam individuationum ſtatus, & huic deficit formaliter diſtinguere: ergo dum de ſe id formaliter non habeant, nunquam poteſt dari ſtatus, in quo ſic formaliter abſoluté diſtinguantur.

108 Dices: natura Petri eſt vna natura formalis, & indiviſa formaliter in ſe: ergo diviſa formaliter à natura formali Pauli; quia eo modo, quo aliquid eſt formaliter vnum in ſe, eſt à quocunque alio formaliter diviſum. Hæc inſtantia, in qua Poncius ſiſtit, ſimiliter ac ſuperior eſt intuenda. Reſponderi debet, concedendo antecedens, provt exprimit eſſe de ſe formaliter indiviſam, & neganda eſt conſequentia; quod ſtatim declarabitur.

109 Dices iterum: illa natura Petri ſolum habet vnitatem formalem, iuxta id, quod de ſe dicit: ergo cum natura formalis Petri ſit vna, & diſtincta à natura formali Pauli, ſaltim de ſe erit formaliter diviſa, ſicuti ſolum eſt vna, iuxta ea, quæ de ſe habet. Reſponderi debet concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt; quia etſi natura Petri habeat vnitatem formalem, ex his, quæ de ſe dicit, tamen ex his, quæ de ſe dicit, non habet à natura Pauli eſſe diviſam, quia ſolum vnitas formalis eſt minor vnitate materiali, eo quod, licet in re tot ſint vnitates formales, quot materiales, & ſic non minor, ſed æqualis; at tamen ſecundum id, quod natura dicit de ſe, non ſunt tot; quia ipſi de ſe non repugnat, quod dum tot ſint ſingularitates, ipſa ſit, quæ ſolum in tot ſingularitatibus ſit; quapropter, dum dicitur natura Petri de ſe eſt vna natura formalis, tunc de natura eadem omnium individuorum loquitur, quia natura Petri de ſe non repugnat eſſe Pauli ipſam; & ſic dum dicitur, natura Petri de ſe eſt formaliter indiviſa, dicitur inſimul natura Pauli, quia de ſe non eſt diſtincta à Pauli natura: vnde natura Petri, etſi ſit formaliter vna, non eſt formaliter à natura Pauli diviſa; quia, etſi natura formalis Petri habeat principium diviſionis naturæ formalis, non autem habet principium formale diviſionis, quia illud non habet de ſe, etſi in re principium dividens habeat.

110 Pro immediate dictis debent hinc maximé notare omnes perfecté Scotizanntes, quod naturæ de ſe non repugnat eſſe inſimul vna, & eadem poſitivé in omnibus; quia iuxta Doctorem Subtilem rigoroſé eſt ſervandum, quod id, quod alicui de ſe repugnat, ipſummet ei applicare, eſt cōtradictoria cōponere, ita vt adhuc intelligibiliter componatur cōtradictio; ſed ſi naturæ de ſe repugnaret eſſe in omnibus eadē, adhuc intelligibiliter ſine contradictione nō poſſet eſſe in illis: ergo naturæ de ſe eſſe poſitivé in omnibus vna, & eadem, nō repugnat. Quo pacto exploduntur aliqui Scotiſtæ, qui vnitatem formalem naturæ, ſolum explicant penes indifferentiam eſſendi in hoc, vel in illo. Sed immerító; quia ſic nunquam poſſet intellectus eam in omnibus ponere, & conſequenter deficeret ipſi ad Vniverſalitatem ſundamentum. Neque ex hoc inferas, naturam ita habere vnitatem poſitivam, vt vna, & eadem in omnibus poſitive ſit. Aliud eſt enim, naturæ de ſe non repugnare eſſe poſitivé in omnibus, & aliud eſt habere id, quod ipſi de ſe non repugnat; ſicut aliud eſt naturæ, quæ eſt in Petro, non repugnare de ſe eſſe in Paulo, & aliud eſt habere eſſe vnam expedité in illo; etſi enim eſſe poſitivé in omnibus, naturæ non repugnet, dum tamen hoc abſoluté non ſit, ſed præcisé, iuxta ea, quæ dicit de ſe, tunc dicere, quod ipſi de ſe non repugnat eſſe poſitivé in illis, non eſt pluſquam dicere, quod ſolum negativé eſt in ipſis. His ita.

111 Dices, nunquam ex dictis poſſe à nobis vitati vim illius argumenti, ſcilicet, quod natura glorioſa non erit diſtincta ab illa, quę eſt infœlix. Reſpondeo, nunquam id ex dictis ſequi; ſolum enim ſequitur, quod ipſi de ſe non repugnet; quod inconveniens, nullum eſſe oſtendimus, & oſtendemus adhuc in ipſa natura glorioſa, & chriſtifera, cui de ſe non repugnat peccatum, quia, etſi principium remotum

defi-

deſiriendi effrænetur gratia, nunquam tamen auferturſic pariter inconveniet, quod naturæ Chriſti non repugnet de ſe eſſe in Juda; in quo eſt ſervanda paritas,quia licet natura ſit ſingularitate effrænata, nunquam tamen auſertur, quod ipſi de ſe non repugnat. Nec valet, quod ipſa haberet aliquid a ſingularitate, contra id, quod de ſe dicebat: Non ſequitur;quia etſi ipſi de ſe non repugnet eſſe in pluribus, tamen neque ipſi de ſe repugnat eſſe in vno; aliàs, nunquam poſſet eſſe in ſolo Petro,quin adeſſet intelligibilis contradictio;quo pacto intelligenda eſt Doctoris indifferentia in natura, vt ad Vniverſalitatem inſufficiens. Sic in *quæſt.* 3. ait: non ſolum autem ipſa natura eſt de ſe indifferens ad eſſe in intellectu,& in particulari, ac per hoc ad eſſe Vniverſale, & particulare &c. Ex quibus inferendum eſt, naturam debere non repugnare de ſe, quidquid à parte rei habet, & intelligibiliter poteſt habere; & ſic ipſi de ſe non repugnat eſſe in vno,nec in pluribus; deinde nec in vno, vel in alio, nec poſitivé in omnibus, dum iſti termini per indifferentiam deducantur.

112 Deinde reddo ad illam anxioſam propoſitionem,ſcilicet;natura Chriſti,& Judæ non ſunt formaliter diſtinctæ:ergo erit in ipſis vna natura formalis non diſtincta. Diſtinguitur antecedens: non ſunt diſtinctæ formaliter, per indifferentiam, & neutralitatem, conceditur;non ſunt diſtinctæ formaliter, per abſolutam habitionem vnius in ſiviſibilis formalitatis, negatur; & diſtinguo conſequens: erit vna natura formalis non diſtincta negativé,& indifferenter,conceditur; abſoluté,negatur.Itaq;firmiter ſtare debemus in hoc,quod ex eo quod dicamus, vnam naturam formaliter non diſtinctam eſſe in Chriſto, & in Juda, non intelligimus non diſtinctionem formalem, vt idempitati formali abſolutæ ſinonomam;quo pacto arguebam contra indiſtinctionem formalem Scotiſtarum,in prima reſponſione argumenti præfati. Ratio eſt; quia quæ formaliter abſoluté idemptificantur,ſunt talis rationis conceptus,quod non ſolum ſunt de ſe idem, ſed abſolute ſunt ita idem, quod nullus dari poſsit ſtatus, in quo detur principium, à quo diſtinguantur: v.g. homo, & animal rationale. At autem, quæ indifferenter ſolum non diſtinguntur, non habent ita non diſtingui abſoluté;quia cum non diſtingui ſit ſolum de ſe, & non de ſe vtcunque, ſed per neutram indifferentiam,ita habere poſſunt non diſtinctionem formalem inter ipſa, quod ipſa ſint plura diſtincta formalia, etſi de ſe non ſint pluſquam formaliter vnum.

113 Sed contra omnia dicta, reſtat ſolvenda illa maior ponderatio, ſcilicet; eo modo, quo Petrus, & Paulus non diſtinguntur ſunt idem; ſed abſoluté, & poſitivé diſtinguntur à Leone, & hoc modo non diſtinguntur inter ſe:ergo abſoluté,& poſitivé ſunt formaliter idem. Reſpondendum exiſtimo, concedendo maiorem,& explico minorem per partes: abſoluté, & poſitivé diſtinguntur à Leone, per principium formale abſoluté idem, nego; de ſe idem,concedo;quomodo non diſtinguntur inter ſe;& diſtinguo conſequens: abſoluté, & poſitivé ſunt formaliter idem, de ſe,eſt verum; abſoluté,eſt falſum;quia abſoluté nec ſunt formaliter idem,nec formaliter diſtincti,cum abſoluté ſint numericé diſtincti.

114 Tota igitur difficultas nunc ſtat in hoc, quod Petrus, & Paulus abſoluté diſtinguntur à Leone, & hoc habent non aliunde, niſi quia formaliſsima Petri,non ſunt de ſe formaliſsima Leonis; ex quo infertur, quod cum formaliſsima Petri non ſint de ſe diſtincta à formaliſsimis Pauli,erunt ob idem inter ſe formaliter idem, ſicut cum Leone formaliter diverſi. Dicimus itaque,ſic eſſe, ſed cum hoc diſcrimine, quòd dum formalis natura Petri de ſe non eſt diſtincta à natura Pauli,datur tamen principium abſoluté naturam formalem dividens, quod eſt numericum, & ſic, licet de ſe non ſint diſtinctæ naturæ,ſunt tamen abſoluté diſtinctæ; at autem dum naturæ Petri, & Pauli de ſe à Leone ſunt diſtinctæ,non habent vlterius,vt ita dicam,principium à quo idemptificentur, ſed imo potius, additum, quod eſt numericum, eas non ſolum relinquit diſtinctas, ſed, & diſtinguit.

115 Deinde accedo iterum ad argumentũ,& dico,quod eo modo,quo diſtingũtur natura Petri,& Pauli à Leonina,non diſtingũtur inter ſe;ſed à Leonina diſtinguntur ſic abſoluté,vt ſolum exprimatur,quod natura,quæ de ſe eſt humana ſit de ſe diſtincta ab illa, quæ non eſt humana:ergo ita non diſtinguntur interſe,quod natura,quæ eſt humana,non ſit de ſe diſtincta ab illa,quæ eſt humana; quod ſine inconvenienti ſupra ſtabilimus.

116 Dices,ita eſſe, ſed inſtant hæc, ſcilicet, quod etſi natura humana Petri non ſit de ſe diſtincta à natura humana Pauli, tamen poteſt compati, quod ſint duæ naturæ formales diſtinctæ: ergo etiam ſi natura humana Petri, & Pauli ſint de ſe diſtinctæ à natura Leonis, poterit compati, quod ſint vna natura formalis,& indiſtincta. Reſpondeo,negando conſequentiã, & paritatem ex dictis Do rationem; quia ex primo non ſequitur cõtradictio: ſin autem

autem ſequitur ex ſecundo. Non ſequitur ex primo; quia eſſe diſtinctæ naturæ formales, & non eſſe diſtinctæ, de ſe non dicit eſſe formaliter diſtinctas, & non eſſe formaliter diſtinctas; quia eſſe diſtinctas natutas formales habent à principio numerico; at autem eſſe diſtinctas natutas formales de ſe, & eſſe vnam naturam formalem, dicit eſſe formaliter diſtinctas, & non eſſe formaliter diſtinctas; quia ſunt de ſe diſtinctæ naturæ formales, nam de ſe habent principium formale diſtinctionis; ſed dum forent eadem natura formalis, de ſe debebant habere principium formale vnitatis formalis: ergo dicerent eſſe formaliter diſtinctas, & non eſſe formaliter diſtinctas. Prob. min. quia principium vnitatis formalis non poteſt eſſe aliud, quam eſſe formale ſpecificum naturæ: ergo cum hoc eſſe dicat de ſe natura formalis, dum forent eadem natura formalis, de ſe debebant habere principium formale vnitatis formalis. Patet antecedens, quia principium formale vnitatis, non poteſt eſſe numericum principium: ergo. Deinceps eſt diſpar ratio, quia natura humana Petri ſolum habet per indifferentiam, & neutram non repugnantiam, eſſe eamdem cum natura Pauli, & ſic nil mirum, quod ſint abſoluté diviſæ; at autem natura humana Petri, & Pauli, cum leonina ſunt determinaté, & abſoluté diviſæ, & quæ iam habent abſoluté diſtinctam ſphæram, nullo vlterius poſſunt combinari.

117 Dices, ex dictis de indifferenti communitate poſſe dici, quod natura Petri non ſit formaliter eadem cum natura Pauli. Suadetur; quia ex eo natura humana Petri non eſt formaliter diſtincta à natura Pauli, quia ipſi de ſe non repugnat eſſe in Paulo; ſed neque ipſi de ſe repugnat non eſſe in Paulo: ergo ſi ex eo, quod ipſi non repugnet eſſe in Paulo, infertur non diſtingui formaliter, ex eo quod neque ipſi repugnet nõ eſſe in Paulo, inferretur diſtingui, vel non eſſe idem formaliter. Minor prob. quia ipſi de ſe non repugnat eſſe ſolum in Petro, aliàs ſolus Petrus non haberet quidquid eſt formaliter naturę humanę: ergo ipſi de ſe non repugnat non eſſe in Paulo. Huic argumento ex ſupra dictis facilé reſpondebis; at ſi vis, reſponde permitendo totum argumentum, & ad minorem difficultatis dic, poſſe concedi, quod natura Petri non ſit formaliter eadem cum natura Pauli. Dices, ex hoc ſequi, quod non minus abeſſet idemptitas, & vnitas formalis inter illas naturas, ac abeſt inter illas, & naturam Leonis. Abſit; quia ſic permiſſo, quod ex indifferentia eſſendi, & non eſſendi natura Petri in Paulo, inferatur negatio idemptitatis, eo quod ipſi non repugnet non eſſe in Paulo; at autem nimis debet notari, quod ex illa ipſa indifferentia poſsit inferri, quod non diſtinguatur à natura Pauli, cum ipſi etiam non repugnet eſſe in Paulo; quæ non poſſunt inferri reſpectu naturæ leoninæ, quia cum reſpectu iſtius ita habeant diſtingui formaliter, quod eſſe in ſingulari leonino, ſemper, & ſine indifferentia ipſis repugnet, hinc notari oportet motivum, propter quod natura Petri, & Pauli ſint eiuſdem ſpeciei, etſi eadem natura formalis non ſint, & ſint diſtinctæ ſpeciei natura Petri, & Leonis, dum eadem natura formalis non ſint.

118 Venio iterum ad argumentum, & explico ampliùs, quomodo non ſint idem poſitivé inter ſe illæ naturæ, dum poſitivé, & abſoluté non diſtinguantur, ſicuti à Leone diſtinguuntur. Dico igitur, quod ſi cum vnitate prædictæ indifferentiæ natura Petri, & Pauli habeant omnem imaginabilem diſtinctionem à quocũque alio, cum quo talem vnitatem indifferentiæ non habent, nil inconveniet, quod vnitas ſit ſolum indifferentiæ, dum diſtinctio abſoluta, & ſine indifferentia ſit; (præterquam quod debes notare, quod vnitatem indifferentiæ tam abſoluté habeant inter ſe, ſicuti diſtinctionem à quolibet alio) ſed ſic eſt, quod poſſunt abſoluté diſtingui ſola vnitate indifferentiæ, ac diſtinguerentur, dum vnitatem formaliter, & poſitivé eamdem haberent: ergo vt diſtinguantur abſoluté, & poſitivé à Leone, in vnitate indifferentiæ, habent proportionatam vnitatem reſpectu illius ſpecificæ diviſionis. Maior congruere videtur; quia dum inter indiviſa, & diviſa detur proportio, nil amplius requiritur, vt aliqua ſint vna in ſe, & non ſint diviſa, vt illa, quæ ab ipſorum vnitate diviſa ſunt. Minorem convincam efficacter; quia natura Petri, dum ſolum de ſe, & per indifferentiam ſit indiviſa à natura Pauli, non minus eſſentialiter erit diſtincta eſſentialiter à natura Leonis, & hoc modo non diſtincta à natura Pauli, ac ſi natura Petri eadem natura foret formaliter, & poſitivé cum natura Pauli: ergo ſola vnitate indifferentiæ poſſunt abſoluté diſtingui, ac diſtinguerentur, dum vnitatem formaliter, & poſitivé eamdem haberent. Antecedens patet in natura præciſa, & expedita ad vniverſalitatem, quæ eſt vna, & eadem formaliter, & poſitivé, & tamen non diſtinguitur magis eſſentialiter à Leone, & neq; ſic diſtinguitur ab ipſa multiplicabili in quolibet, ac diſtinguitur natura Petri, dum de ſe habet non eſſe diſtinctam à natura cuiuſvis ſingularis: ergo.

Sed

119 Sed inſtabunt dicendo, reſpectu Leonis non eſſe poſsibilem maiorem diſtinctionem à natura Petri, & Pauli: ergo dum poſsibilis ſit maior idemptitas formalis, danda eſt inter naturam Petri, & Pauli; ſed maior idemptitas eſt poſsibilis; quia ſi natura Petri foret poſitivé eadem natura Pauli, maior idemptitas foret inter vtramque, nec non ſtrictior vnitas: ergo hæc eſt danda, ſicuti cum quocũque alio ab ipſis, omnis, & ſtrictior diſtinctio datur. Reſpondeo in primis, poſſe antecedens retardari; quia ſi bene attendatur, ſicuti idemptitas naturę Petri cum natura Pauli non eſt ſtrictior; nequé ſic ſtrictior eſt diſtinctio naturæ Petri cum natura Leonis, quod expreſſum facere intendam; quia natura Petri, etſi habeat diſtinctionem à natura Leonis, non autem habet omnem poſsibilem; ſiquidem natura Pauli habet etiam diſtinctionem eſſentialem à natura Leonis, quam non habet abſoluté Petrus: cum enim in Petro, & Paulo ſit duplex natura, & conſequenter duplex vnitas formalis; etiam in ambobus debet eſſe duplex eſſentialis diſtinctio: & ſicut ſi natura Petri nõ ſolum de ſe, ſed abſoluté foret eadem cum natura Pauli, haberet ſtrictiorem vnitatem; ſic dum natura Petri haberet cum Leone diſtinctionem illam eſſentialem, quam habet Pauli natura, haberet à fortiori maiorem diſtinctionem abſoluté; quia haberet etiam diſtinctionem, quam habet Paulus. Vnde notabis nimis, quod ſicuti natura Petri habet cum natura Pauli omnem poſsibilem idemptitatem eſſentialem, quia ipſi de ſe non repugnat eſſe illam, ſic natura Petri habet cum Leone omnem poſſibilem diſtinctionem, quia ipſi de ſe non repugnat habere etiam illam eſſentialem diſtinctionem cum Leone, quam habet Paulus. Vide nunc, quomodo non aliter diſtinguntur à Leone, ac vnificantur inter ſe.

120 Deinde ad pondus inſtantiæ, reſpondeo ad minorem ſubſumptam, non poſſe negari poſsibilem eſſe maiorem idemptitatem, quam quæ datur inter Petrum, & Paulum; quia ob hoc ait Subtilis Magiſter, adhuc ſupra talem communitatem naturarum, quærendam eſſe ab intellectu Vniverſalitatẽ; & ſi poſsibilis idemptitas daretur, nil quærendum reſtabat: ex quo melius patet ſubtilis Scotiſtarum via; ſed tamen, etſi poſsibilis ſit maior idemptitas, non autem in creatis, ſed in divinis, in quibus dumtaxat poteſt dari aliquid pluribus poſitivé idem. Vnde, dum inter naturam Petri, & Pauli detur ſtabilita vnitas indifferẽtiæ, datur omnis poſsibilis, & imaginabilis idemptitas, quæ ſine illorum inconvénientium moleſtia dari poteſt; propter quæ inconvenientia ſtrictiorem idemptitatem non ponimus. Non enim eſt maior idemptitas aliquibus, quæ ſine repugnantia non poteſt haberi ab ipſis; maior enim idemptitas foret inter Petrum, & Paulum, dum non ſolum naturam formalem poſitivé vnam haberent, ſed etiam dum eam realiter, & ſingulariter eamdem haberent; ſed tamen non ponitur, quia augetur in creatis repugnantia, in quibus augetur idemptitas.

121 Ex hucuſque dictis infertur, quomodo iuxta Doctorem percipienda ſit vnitas naturæ ſpecificæ, ipſiuſque communitas, ad Vniverſalitatem fundamentum habilitans. Pro quorum complemento eſt hinc notandum, me in articulo ſecundo dixiſſe, naturam eſſe communem negativé, quia ipſi de ſe nullum ſingulare repugnabat, & conſequenter in omni ſingularitate eſſe collocabilem; in quo eſt advertendum, quod ſi aliqui Scotiſtæ inſufficientem reputent prædictam indifferentiam, vtpoté diffuſam ad ſingularitates vndequaqué imaginabiles, in tali caſu poſſunt addere nunc ſtabilitam indifferentiã, cum qua ad ſolas ſingularitates humanas, naturæ communitatem reſtringent, & ex ipſis duabus intelligentijs, vnicuique naturæ ſpeciale fundamentum Vniverſalitatis adaptabunt. At autem, ſi aliquis Scotiſta in principijs *artic.* 2. ſiſtere velit, in tali caſu, vt vitet vim illius argumenti vltimi, ſcilicet, quod natura humana poſſet reſpectu quarumcumq; ſingularitatum eſſe Vniverſalis, debet ſtare ſolicitus in hoc, quod ſi in comparatione naturæ humanæ ad ſingularitates, nullum ſingulare alterius in ſpecie diſtinctæ naturæ cognoſcat, in tali caſu, quid mirum, quod naturam humanam, erga omnes illas ſingularitates Vniverſalem faciat; omnes ſiquidem illæ ſingularitates naturæ humanæ adaptabuntur, cum nullum alterius naturæ ſingulare cognoſcat; ſin autem cognoſcat, quod poſt præciſionẽ naturę plura ſint ſingularia, quam illa, quæ à natura humana præſcidit, tunc cognoſcere debet, quod illæ omnes ſingularitates non ſint naturæ humanæ, & ſic comparatio naturæ ad illas omnes, manebit impoſsibilis, ſicuti erit impoſsibile, illam naturam reſpectu illorum omnium vniverſalizare. Qui ergo in principia præfati articuli arguere cupiat, hæc prius diſſoluat.

122 Noto etiam, modum exponendi vnitatem formalem, quem Pater Maſtrius ſervavit ſupra, eſſe ſubtilem, nec non, & deffenſabilem ab illo, qui velit concedere, quod

datur vnitas eſſentiæ, ita vt metaphyſicé ſit vna, & indiviſa natura omnium individuorum, provt eſſe ſic metaphyſicé vnam, ſolum exprimit connexionem prædicatorum cum ſubiecto. Itaque, qui huiuſcemodi expoſitionem ſervare cupiat, debet ſine formidine dicere, quod datur à parte rei ens, cuius veritas præcisé eſt connexiva, taliter, vt ad talem veritatem habendam accidat ipſi ſtatus exiſtentiæ phyſicæ, ſeu abſoluta, & ſtatus poſsibilitatis, eo quod, ſive ab omni ſtatu præciſus, ſive in quolibet contractus, homo v.g. entitatem, vnitatem, & veritatem connexionis habeat; in omni ſiquidem ſtatu eſt verum dicere, quod homo eſt animal rationale.

ART. V.

IN QVO EX DICTIS OPINIO Bachonij reijcitur.

123 MAgiſter Dionyſ. Blaſco noviſsimé Bachonij opinionem ſuſcitavit; aſſeruitque, quod datur diſtinctio inter gradum ſuperiorem, & inferiorem, nominatqué illam, diſtinctionem ex natura rei, & obiectivam, non provt res à parte rei exiſtunt, ſed provt intentionaliter ante cognitionem intellectus; in cuiuſmodi explicationem adducit Bachonium tenentem, quod mediantibus illis diſtinctis repreſentabilitatibus, ita diſtinctè cognoſcitur quodlibet attributum, ſecundum formalem rationem abſolutam, ac ſi in Deo diſtinguerentur ex natura rei, & ſic intendit habere concluſionem contra Scotum, quod attributa diſtinguntur quantum ad rationes abſolutas; & contra Aureolum, quod repreſentabilitates illæ diſtinguntur ante cognitionem intellectus in eſſe repreſentato cognoſcibili, & obiectivo: ſicut colores coli columbæ, incidente luce, diſtinguntur ante viſionem, ſic gradus metaphyſici, poſita luce intellectus agentis, ante cognitionem &c. Ita Dionyſ. *lib. 3. diſt. 6. q. 4. Art. 1.*

124 Sed prædictum opinandi modum iam retulit Doctor Subtilis *in 2. d. 3. q. 1. §. ſed contra*, vbi improbans, quod intellectus agens faciat vniverſalitatem in rebus, per hoc quod denudat, quidquid eſt in phantaſmate exiſtens, dat cauſalem; quia vbicumque eſt, antequam in intellectu poſsibili habeat eſſe obiectivé, ſive in re, ſive in phantaſmate, ſive habeat eſſe certum, ſive deductum per rationem; & *ſi ſic, non per aliquod lumen*; ſed ſemper ſit talis natura ex ſe, cui non repugnet eſſe in alio &c. Hæc Doctor noſter, in cuius laudem noto, quod quamplures acriter impugnant diſtinctioné ex natura rei inter prædictos gradus ab ipſo ſtabilitam, cum re vera diſtinctio ex natura rei fuerit ſcopus pro diſtinctionibus, quas vt novas, & ſpeciales plaudunt. Habemus exemplar in hac diſtinctione, quam vt propriam Bachonij Dionyſ. ſuſcitat; nec non in alijs, provt *in lib. Met.* videbitur.

125 Deinde, vbi Doctor ex proffeſo proponit, & impugnat præfatam opinionem, eſt *in 1. d. 3. q. 6. §. Dicetur*, & alibi, ex quo ſic formo rationem: aut intellectus poteſt habere obiectum ſibi præſens in ratione obiecti intelligibilis, abſque hoc, quod ſit præſens alicui potentiæ inferiori, aut non? ſi non: ergo non poteſt habere aliquam operationem ſibi propriam, abſque potentijs inferioribus; quia ſi non poteſt habere obiectum ſuum ſibi præſens ſine eis, neque ſine eis poterit habere operationem; quod recte improbat Scotus ex eo, quod non contingeret, intellectum ſeparari à corpore, ſicut perpetuū à corruptibili, niſi poſſet habere operationem propriam non dependenté à parte ſenſitiva, & à lumine phantaſiante rationes. Si poteſt habere obiectum præſens abſque præſentia potentiæ inferioris: ergo ſi intellectus foret à phantaſmate præciſus, ita vt non poſſet in obiecta phātaſiata immittere lucem, poſſet percipere illa ſecundum aliquam rationem communitatis à parte rei diſtinctā.

126 Contra 2. duæ repreſentabilitates non poſſunt ex natura rei diſtingui in ſpeciebus, quin qualitates, ſeu entitates abſolutæ repreſentationum in ſe ex natura rei diſtinguantur: ergo nequé lumen intellectus agentis poterit duas repreſentabilitates, & rationes diſcernere, quin ante ipſum in ſe jam forent ex natura rei diſcretæ. Antecedens convincitur in ſpecie repreſentante leonem, & in repreſentante Deum. Confirmatur conſequentia; quia etiamſi intellectus agens immittat lucé in ſenſationem actualem, nulla bona luce, ipſam eſſe diſcurſum, percipiet, non aliter, niſi quia reſpectu omnis lucis, ſenſatio, & diſcurſus, nullam habent à parte rei idemptitatem: ergo etiam ſi ipſe intellectus immittat lucem in animal, nulla luce poterit ipſum percipere, non eſſe rationale, ſi reſpectu cuiuslibet lucis nullam à parte rei haberent diſtinctionem.

127 Contra 3. quia ſequeretur, quod Vniverſale foret purum figmentum, ſi formaretur ab intellectu agēti, vt in phātaſia exiſtēte. Suadetur; quia in tali caſu ſequeretur, quod Angeli phātaſmate carētes, (in ó, & in aliquorū ſētētia intellectu agēti) non poſſent naturas

co-

communes percipere, nequé Vniverſalia ſine fictione formare; quod repugnare videtur, cum ipſi habeant ſcientiam ſtrictè, & hæc de Vniverſalibus deberet eſſe: ergo.

128 Contra 4. quia ſuperfluè ponitur phantaſma, in quo exiſtat Vniverſale, quod intellectus agit. Primum, quia intellectus patibilis eſt ſufficiens cauſa materialis reſpectu illorum, quæ ipſe agere poteſt: Deinde, ipſi intellectui vt agenti, nil eſt proximius, & proportionatius, quam ipſe vt patibilis. Secundum, quia confunderetur ordo habitus in progreſſu ſpecierum expreſſarum, ſiquidem non recedunt, ſed ſemper tranſeunt, vſque dum ſubtiliter conſummantur obiectorum expreſsiones: ergo dum intellectus aſſumpſit ex phantaſmate obiectum, nil deinceps agit, quod in phantaſmate exiſtat, ſed quod ad patibilé ſolummodo tranſeat. Tertium, quia inutiliter augeretur exercitium, & actio agẽtis intellectivi, & ex dictis augeretur, quod ſuadeo; quia Vniverſale, quod factum ab intellectu exiſtit in phãtaſmate, requiritur, quod vt ſit in patibili, iterum agatur, quia nil intellectus recipit, quin intellectus agat; vel ſi illa prima actio ſufficiat, ſequeretur, quod idem accidens naturaliter poſſet eſſe in duobus ſubiectis realiter diſtinctis, ſcilicer, in patibili, & in phantaſmate; nec non eadem forma poſſet duplicem cauſam materialem adæquatè informare. Ex quibus infero, Vniverſalitatem non eſſe formam ſic in phantaſmate formatam, & ſola luminis immiſſione, manere rationem ex natura rei diſtinctam; quod à priori impugnabitur, dum ſtabiliatur noſtra diſtinctio Scotica.

DISTINCTIO II.

De Vniverſali Metaphyſico.

1 DIVISIMUS Vniverſale in Phyſicũ, Metaphyſicum, & Logicum; per Phyſicum intelligendo naturam in ſingularibus exiſtentem cum ſua vnitate formali, quæ eſt actù, & formaliter numerali minor; per Metaphyſicum intelligunt naturam, dum per abſtractionem exuitur differentijs, & percipitur vnitate præciſionis; & denique per Logicum intelligũt eandem naturam, vt ſecunda intentione Vniverſalitatis intelligibiliter, & rationabiliter compactam, per quam ad inferiora in ratione ſuperioris, & prędicabilis reducitur, ſtrictiori, & determinatiori indiviſionis, & communitatis pondere, quam illo, quod ante præciſionem in illis habebat. Inquirimus ergo, quid ſit hæc vnitas præciſionis, & quomodo ſit.

QUÆSTIO I.

De vnitate præciſionis exhibetur notitia.

2 VT circa præfatam quæſtionem ſecurè procedamus, advertendum eſt, quod vnitas præciſionis dicitur illa, ſecundum quam natura abſtracta ab individuatione quacumque, dicitur communis poſitivé, & poſitivé ad plura indeterminata, quæ etiam dici ſolet indeterminatio contraria, quatenus poſitivé contrariatur determinationi actuali per differentiam, & eam pænitus excludit; quia ſi aliquam admitteret, non diceretur æquè ab omnibus præciſa; qua propter hæc vnitas præciſionis coincidit cum vnitate indeterminationis poſitivæ, quam habet natura, ita ad plura individua indeterminata per abſtractionem à differentijs individualibus, vt eadem ſit proximé potens, vt de illis prædicetur. Communitas veró negativa, ſeu privativa iuxta plures ex Scotiſtis dicitur illa, quam habet, natura etiã quando eſt à parte rei per differentiam contracta; quia in tali ſtatu, licet dici non poſsit abſolutè, & poſitivé communis, ac indifferens, quia eſt ad vnum individuum applicata, adhuc tamen dici valet talis negativé, provt licet ſit hæc, & ſingularis; id tamen ex ſe non habet, vel ex ſuis intrinſecis principijs, ſed id ipſi advenit à differentia; quare cum adhuc in tali ſtatu non ſit de ſe hæc, dicitur negativé communis, ſeu, quia cum ſimili indifferentia naturæ ſtat extrinſeca determinatio eiuſdem per aliquam differentiam individualem. Alij Scotiſtæ talem indeterminationem negativam non ſic explicant, ſed ita vt ſit illa, ſecundum quam natura non eſt determinata, ſed apta nata determinari per differentias, & de ſe ad inferiora indifferẽs. Sed prima explicatio ſecurior videtur, & de cõmunitate negativa, reſpectu poſitivę alloqui diſtinctiùs.

3 Nunc igitur ſtat difficultas, an prædicta vnitas præciſionis ab individuis, ſeu indeterminationis poſitivæ conveniat naturæ, vt ſolum per actum intellectus abſtractæ; an vé ipſi conveniat, vt extra animam ſic ante intellectum exiſtenti? Circa quod adhuc

inter ipſos Scotiſtas duplex via pro viribus defſenſatur. Aliqui enim cum *Tromb. 7. Metaph. q. 8. art. 2.* ni fallor, nixis in diſtinctione formali naturæ, & in illo principio Doctoris, ſcilicet, quod cuicunque enti propria vnitas correſpondet, poſtquam plura pręmittunt, inferunt, quod ante actum intelligendi propria, & diſtincta vnitas ineſt naturæ, quæ debet eſſe præfata vnitas præciſionis.

4 E contra Maſtrius *dp. 9. Metaph. q. 8. n. 186.* cum communi ſententia Scotiſtarum, naturæ exiſtenti extra animam, nullam aliam vnitatem attribuit, quam formalem, cum communitate reali negativa, pro qua adducit Doctorem *in 2. d. 3. q. 1. §. ſed contra*, ſic aientem: *nil enim ſecundum quamlibet vnitatem in re eſt tale, quod ſecundum ipſam vnitatem præciſam ſit in potentia proxima, vi dicatur de quolibet ſuppoſito* &c. Vbi ex voce *Vnitatis præciſæ*, infert Maſtrius *vnitatem præciſionis*. Immeritó tamen vnitatem præciſionis ſic infert Maſtrius, cum ſibi contradicat. Ratio eſt; quia quod eſt vnum ſic pręciſé, vt ſit vnum vnitate præciſionis, eſt apud Maſtrium in potentia proxima prædicabile de quolibet; ſed apud Scotum nil in re eſt tale ſecundum quamlibet vnitatem, quod ſecundum ipſam vnitatem præciſam ſit in potentia proxima de quolibet prædicabile: ergo ex vnitate præciſa, non ſentit Scotus prædictam vnitatem præciſionis: ſed ita, vt Scotus dicat, quod nil à parte rei eſt ita vnum, quod ſecundum illam ipſam vnitatem, quàm à parte rei *præciſé* habet, ſit de quolibet prædicabile, cum adhuc requiratur aliquod additum intellectus, ſine quo illa vnitas *præciſè* non ſufficit in re. Nequé ignoro intentionem Maſtrij, etſi ſic explicem ly *ſecũdum vnitatem præciſam*; quam ſic aliter explicui, ne aliquibus ad ſequendum Scotũ arcta ſit via. Deinde Maſtrius ſuadet intentũ excludendo omnes ſolutiones, quæ dari poſſent admiſſa formali diſtinctione inter naturã, & hæcceitatem; quia etiam ſi in opinione Scoti ita diſtinguantur, non tamen diſtinguntur realiter. ergo à parte rei nequit habere natura vnitatem præciſionis ab hęcceitate, adhuc admiſſa formali diſtinctione inter ipſas. Prob. conſequentiam; quia idemptitas realis eſt adhuc ſufficiens ad impediendam hanc præciſionem; cum enim præciſio ſit negatio quædam, & hæc ſit malignantis naturæ, debet diſtributivé negare quamcumque coniunctionem naturæ, nedum per idemptitatem formalem, ſed etiam per realem.

5 Amicus vero, apud ipſum Maſtrium citatum ſupra, ſentit, quod poſita diſtione graduum à parte rei, (vt ipſe ponit cum Scotiſtis) vnitas præciſionis poteſt convenire naturæ, ante quamcumque operationem intellectus, non ſolum in ſtatu eſſentiæ, & anteceſsionis, vt aiebat Fonſeca, (vocabat Fonſeca ſtatum anteceſsionis, illum quem habet natura in ſtatu eſſentiæ, & ſecundum ſe conſiderata, vt ipſa pręcedit omnes differentias individuales) ſed etiam in ſtatu exiſtentiæ, & contradictionis, licet non reduplicativé. Fundamentum deſumitur, quia præciſio, vel eſt idem, quod diſtinctio, vel ſaltim in diſtinctione fundatur: ergo ſi in ſtatu exiſtentię, & contractionis adhuc natura diſtinguitur formaliter à parte rei ab individuatione, ratione talis diſtinctionis poteſt dici natura præciſa à differentia contrahente; non quidem præciſa realiter, & ſeparata, ſed formaliter, quatenus non includit eam in ſuo conceptu formali; poteſt ergo in hoc ſenſu, etiam in ſtatu exiſtentiæ, gaudere natura vnitate præciſionis, quia ſub tali præciſione non conveniunt naturæ prædicata poſitiva, niſi ſint eſſentialia, vel ex eſſentia neceſſario profluentia; coniunctio autem cum hæcceitatibus non eſt naturę eſſentialis, nequé ex eſſentia profluens, quia poteſt carere vtraque. En vtriuſque opinionis expoſitiones præcipuas, circa quas, ni fallor, non pauca tendit æquivocatio, vt in ſumenda reſolutione videbitur. Noto hinc, me horum punctorum maiorem difficultatem diffusé tetigiſſe *in libro 1. de ente ſecundo intentionali. diſt. 1.* per totum, & expresé in *quæſt. 2.* Dicam tamen hinc aliqua iuxta Scotiſtarum probabiliora.

6 Sentio igitur, quod ſi vnitas præciſionis ſit intelligenda, ita vt natura in illo ſtatu ſolitudinis dicat denudationem ab omni prorſus differentia, & ſeiunctionem ab ea, non ſolum per negationẽ idemptitatis formalis, ſed etiam realis; in tali caſu expoſitio Maſtrij videtur alijs præferenda. Primum, quia natura ſic præciſa, cum dicat vnitatem poſitivæ indifferentiæ, ſicut æqué ab omnibus manet præciſa, æqué ab omnibus debet manere diſtincta, & negata; ſed hoc eſt falſum abſoluté à parte rei: ergo non videtur idem habere vnitatem præciſionis, & diſtinctionem formalem. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas, ſuaderi poteſt; quia natura humana Petri v. g. virtute diſtinctionis formalis non amittit habere idemptitatem realem abſolutam cum Petro, quam non habet cum alijs, ita vt abſoluté ſit verum dicere, quod natura Petri non habet illam negationem cum Petreitate, quàm habet cum reliquis individuis; ſed in virtute vnitatis præciſionis æqualem negationem dicit cũ omnibus:

ergo

ergo quod natura dicat ex diſtinctione formali vnitatem præciſionis abſolutè,& à parte rei, eſt falſum.

7 Secundum (quibus rationibus propoſitis centrum difficultatis attingemus)ſic formo. Reſpectu eiuſdem præſcindentis, non poſſunt dari plures vnitates præciſionis, quia natura, vt induta vnitate præciſionis poſitivæ, manet vna; ſed diſtinctio formalis non impedit, quod tot ſint naturæ formales diſtinctæ, quot diſtinctiones formales, & individua; ergo quia non ſic denudatur natura diſtinctione formali, ac vnitate præciſionis. Maior ſuadetur, quia ex contrario ſequeretur, quod vnitas præciſionis non foret proximè expediens naturam ad ſecundam intentionem prædicabilitatis, & vniverſalitatis. Minor eſt in præfata diſtinctione de vniverſali phyſico pluriés propugnata.

8 Tertium, quia natura vt formaliter diſtincta non requirit actum, & conceptum, quem petit,& requirit, vt poſitivè & abſolutè præciſa; ergo quia aliud eſt habere formalem diſtinctionem, & aliud eſt habere præciſionis poſitivæ vnitatem. Prob. antecedens; quia poteſt natura, vt ex natura rei ab individuatione diſtincta terminare actum, qui ſẽper,& naturã, & individuationẽ percipiat, imò vt diſtinctam non poteſt inſpicere facilè naturã, quin idemptitatẽ realẽ cũ individuatione comprehendat, ſi naturã cõprehẽdat, vt ſolũ quatenus eſt ex ſe formaliter diſtincta;ſic enim debet percipere, quod abſolutè eſt idemptificata, ſed natura vt vnitate præciſionis poſitivæ inſpecta, eſt imperceptibile, quod inſimul cum individuatione percipiatur; ergo quia natura, vt formaliter diſtincta, non requirit actum, & conceptum, quem requirit, vt poſitivè,& abſolutè præciſa.

9 Quartum ex fundamento Scotiſtarum; natura ſiquidem ſub vnitate præciſionis, non ſolum dicitur non hæc, ſed poſitivè communis, & ſaltim aptitudine ad plura indifferens; ſed merito diſtinctionis formalis ſolum dici poteſt non de ſe hæc, non de ſe ſingularis;ergo diſtinctio formalis naturæ ab hæcceitate non ſufficit, vt à parte rei dicatur, habere abſolutam vnitatem præciſionis.

10 Sed hæc non levi fundamento retundere intendit Amicus, ex eo quod cognitio abſtractiva naturæ à differentijs non tollat idemptitatem naturæ cum illis à parte rei, & ideo ſicut idemptitas realis naturæ à parte rei cum differentia non impedit præciſionem per intellectum, ita neque impedit præciſionem factam per diſtinctionem formalem, quia cum idemptitate reali tam benè ſtat diſtinctio formalis, quam diſtinctio rationis. Sed inſtant noſtri, Amiciorationem infringentes, ex eo quod ex vi diſtinctionis formalis poſsit fieri abſtractio naturæ à differentia, ſolum præciſiva, nõ diviſiva; quia in virtute talis diſtinctionis ſolum intelligitur non eſſe de ſe hanc; at quando intellectus concipit naturam cum vnitate præciſionis, vt eam faciat vniverſalem, non ſolum facit abſtractionem præciſivam, ſcilicet, intelligendo naturam non intellecta ſingularitate, ſed etiam diviſivam, quia intelligit illam ſine ſingularitate, imò ſub oppoſito ſingularitatis, ſcilicet, ſub communitate, & indifferentia poſitiva: vnde apud intellectum illa natura perinde ſe habet, ac ſi à parte rei eſſet omni individuatione expoliata.

11 Sed inſto ſic; ex eo apud Scotiſtas datur inter naturam, & Petreitatem v.g. diſtinctio formalis a parte rei, quia etſi à parte rei natura non poſsit eſſe ſine ſingularitate, conſideratis tamen naturæ prædicatis formalibus, ipſi de ſe non repugnat eſſe ſine tali Petri ſingularitate; ſed ex eo etiam poterit natura poſitivè præſcindi à ſingularitate, quia ipſi de ſe non repugnat eſſe ſic præciſa; ergo ſicuti diſtinctio formalis, & communitas negativa à parte rei deducuntur convenire naturæ ex illo motivo, & ex ipſo deducetur, quod unitas præciſionis convenit ipſi à parte rei. Minor eſt irrefragabilis apud Scotum, quia ſi naturæ de ſe repugnaret vnitas præciſionis, adhuc intelligibiliter non poſſet intellectus talem vnitatem ipſi facilitare;ergo.

12 Reſpondendum ſentio huic inſtantię, dicendo, maiorem non eſſe veram, ſicuti apparet; quia ſi natura foret à parte rei diſtincta, quia ipſi de ſe non repugnat non eſſe in Petro v.g. ſequeretur, quod nec foret à parte rei diſtincta, cum ipſi de ſe non repugnet eſſe in illo. Sed quidquid ſit de hoc, ad robur inſtantiæ dico, ex eo dari inter naturam, & Petreitatem à parte rei diſtinctionem formalem, quia præterquam quod natura de ſe non dicit in ſua formalitate naturæ Petreitatem, datur etiam formalitas Petreitatis, quæ dum eſt habilis ad realem idemptitatem cum natura, eſt etiam formalitas à parte rei exiſtens, & conſequens naturæ formalitatem; at autem etſi vnitas pręciſionis non repugnet naturæ de ſe, cum tamen talis vnitas, ſecluſo intellectu, naturam non conſequatur, hinc eſt, quod ad ſummum poteſt inferri, quod concretum ex natura, & ex vnitate præciſionis ſit aliquid à parte rei ex parte formalitatis naturæ non

autem

autem ex parte formalitatis vnitatis, ſicuti accidit in quovis concreto ex prima, & ſecunda intentione formato.

13 Et quia hoc punctum difficilimum eſt, illud ſuadere intendam ex his, quæ examinata reliqui in *lib. 1. diſt. 1. quaſt. 2.* Itaqué dico, non ſequi per rectam illationem, quod etſi vnitas præciſionis non repugnet naturæ de ſe, vnitatem preciſionis à parte rei convenire naturæ. Ratio eſt, quia vt ibi dixi cum Doctore, bene poteſt aliquid alicui de ſe non repugnare, & nilominus tamen illud non poſſe habere niſi per intellectum; quod efficaciter ſuadeo ex illa ratione irrefragabili Scoti, naturæ non repugnat de ſe eſſe vniverſalem, & conſequenter nequé eſſe vnam poſitivé in pluribus, aliàs repugnaret, quod intellectus ſine contradictionum compoſitione poſſet illam vniverſalizare; & tamen ex hoc non ſequitur, quod vnitas Logici Vniverſi ſit à parte rei in natura; ergo licet vnitas præciſionis naturæ de ſe non repugnet, non debet ex hoc inferri à parte rei vnitas præciſionis in ipſa. Vnde cum in primis intentionalibus dentur etiam non repugnantiæ, vt circa ipſa exerceantur principia, & potentiæ rationis, hinc eſt, quod cum formæ, quibus exercentur, ſint rationis, etſi non repugnantiæ ſint reales, rationis dicitur exercitium; & ſic etſi à parte rei ſit natura, cui non repugnat præciſio, non ſic præciſio eſt à parte rei; at exercitium diſtinctionis formalis ex vtraque formalitate, & vndequaque eſt à parte rei, vt ſuo loco dicetur exactiùs

14 Contra predictam Scotiſtarum reſolutionem, duplicem rationem non parvi momenti tradunt deinceps. Prima eſt, quod ex tali reſolutione ſequeretur, quod præciſio naturæ facta per intellectum ab individuatione potius erit diviſio, quam præciſio, & ſic intellectus falletur per talem intellectionem, quia ſic intelligendo, non ſolum intelliget rem, vt eſt à parte rei, ſed etiam ſub oppoſito. Prob. quia à parte rei eſt cum ſingularitate; ſed intellectus non ſolum eam intelligit ſine ſingularitate, ſed cum communitate poſitiva ei oppoſita: ergo non ſolum intelliget rem, vt eſt à parte rei, ſed etiam ſub oppoſito. Secunda ſtat in hoc, quod non poſſet ſalvari veritas illius axiomatis Philoſophi ex 2. *Phyſ. 18.* quod *abſtrahentium non eſt mendacium*, quod paſsim interpretatur de abſtractione præciſiva, non de diviſiva, quia hæc ſine mendacio exerceri non valet: ergo.

15 His, & ſimilibus oppoſitis exiſtimo ſatisfacere in *diſt. 1. de ente intentionali, q. 2. & 3. reſolut. vlt. à §. ſecundus ſenſus:* Reſponderi deinde ſentio ad primum, poſſe Scotiſtas negare, quod intellectus fallatur. Ratio eſt, quia tunc non fallitur intellectus, quando percipit aliquid in ente, quod percipere, enti de ſe non repugnat; ſed enti de ſe, ſcilicet naturæ, non repugnat eſſe in alio, ab illo, in quo eſt ſpecificativé, nequé ipſi de ſe repugnat eſſe cum poſitiva indifferentia reſpectu omnium: ergo habet in ſe ſufficiens motivum à parte rei, vt per illam rationalem præciſionem non fallatur intellectus. Deinde, vt bene hinc notat Maſtrius, & pluribus rationibus in contrarios notavi ego in loco immediaté ſupra citato, prædicta oppoſitio etiã ab illam opponentibus eſt ſolvẽda, quia quomodocumque ſupra fundamentum vniverſalitatis diſcurrant, ipſi debent etiam concederé, poſſe naturam concipi ſub vniverſalitate, quæ repugnet ſingularitati, vt ſingularitatem habet à parte rei; ſi enim ſine mẽdacio ponunt prædicativé idemptitatem, etiam ſine mendacio poterit abſtractivé tolli. Videantur dicta ibi, quia plures imminere ſentio inſtantias, quas ſolvere hinc ſolum dictis, non facilé video.

16 Noto hinc, quod adhuc Maſtrius, & alij huius viæ Scotiſtæ, ni fallor, debent dicere, quod vnitas præciſionis, etſi deſumat fundamentum ex diſtinctione formali naturæ, non ſequi ex hoc, quod vnitas præciſionis ſit à parte rei, vt eſt à parte rei ipſa diſtinctio formalis. Quod non debeant renuere vnitatem præciſionis deſumere fundamentum ex diſtinctione, infertur; quia iam quod preciſio non ſit ipſa diſtinctio à parte rei, debet ſaltim ſupra diſtinctionem à parte rei fundari; aliàs de omnibus indiſtincté poſſemus formare præciſionem. Quod hoc fundamento admiſſo, non ſequatur, præciſionem eſſe ſicuti diſtinctionem, ſuaderi poteſt in immediatiori, & vltimo fundamento, quod eſt tale à parte rei ad vniverſalitatem; in quo, etſi ſit reale, fundatur immediaté vniverſalitas rationis: ſic licet comparatio ſequatur ad præciſionem, alterius lineæ eſt natura, vt comparata, ac vt preciſa: ergo licet præciſio gradatim aſcẽderet ex diſtinctione, alterius lineæ poſſet eſſe natura, vt præciſa, ac vt diſtincta.

17 Argumentum maioris roboris in huius viæ Scotiſtas deſumo ex Doct. Sub. in *2. d. 3. quaſt. 6. §. ad quaſtionem ergo. Verſ. comparando autem*, vbi intendit probare, quod ſingularitas nequit conſtituere totum, cuius eſt pars in eſſe quidditativo, ſed in eſſe alterius rationis, ad quod hæc permittit: *quia intelli-*

telligendo quamcumque entitatem quidditativam, loquendo de quidditativa entitate limitatè, non habet in quidditate intellecta, vndè ipſa ſit hæc. Deindé ipſe Maſtrius, & alij Scotiſtæ vnitatem præciſionis admittentes, non negant, quod merito diſtinctionis formalis poſsit cognoſci quidditas naturæ, nō intellecta formalitate individuationis; & quādo hoc negent, poteſt facilé ſuaderi, eo quod receptum valdé ſit apud Scotiſtas, quod in virtute diſtinctionis formalis poſsit quilibet beatus videre naturam divinam ſine attributis, & vnum attributum ſine alio, quæ viſio realiſsima vndequaqué foret: ergo, & cognitio percipiens formalitatem naturæ ſine formalitate individuationis æqué poſſet dari, ita vt etiam realiter, & à parte rei exiſteret. His ita.

18 Sic formatur argumentum; ſufficit ad vniverſalitatem naturæ illa præciſiva abſtractio; ſed illa eſſet merito diſtinctionis formalis: ergo ad vniverſalitatem naturæ ſufficit vnitas præciſionis merito diſtinctionis formalis. Maior prob. quia ad vniverſalitatē naturæ ſufficit illa præciſio, quæ præciſé ſufficit, vt natura immediaté comparetur ad individua; ſed prædicta præciſio ſufficit vt ad individua immediaté comparetur: ego ſuſicit ad vniverſalitatem naturæ illa præciſiva abſtractio. Maiorem ſuadeo; quia vnitas præciſionis, etiam vt intellecta à Maſtrio, & ab alijs, adhuc requirit comparationem, quia omnis præciſio eſt ſciſiva naturæ ab individuationbus, & é contra omnis comparatio, etſi leviter, ſeu diſpoſitivé, & tentativé, eſt individuationum reſpectiva, ad illa ſiquidem temperaté convertitur: ergo ad vniverſalitatem naturæ non poteſt requiri alia præciſio, quam illa, quæ præciſé ſufficit, vt ad individua immediaté comparetur. Minor tam primi, quam ſecundi ſyllogiſmi poteſt ſuaderi; quia illa præciſio ſufficit, vt ad individua immediaté natura comparetur, iuxta quam in nullo individuorum intelligitur; ſed ſufficit præciſio merito diſtinctionis formalis, vt nullum individuum intelligatur: ergo ſufficit præciſio merito diſtinctionis formalis, vt ad individua immediaté comparetur. Minor huius ſyllogiſmi iam admittitur. Maior, in qua eſt difficultas ſuadetur; quia illa comparatio præciſe requiritur poſt præciſionem naturæ, iuxta quam natura intelligi poſsit in omnibus: ergo, & illa præciſio ante comparationem requiretur in natura, iuxta quam natura poſsit intelligi in nullo; idem enim videtur aſcendentis, & deſcendentis gradus.

19 Propter hoc argumentum nolui ex profeſſo animo, Maſtrij, & aliorum ſententiam amplectere, advertens in initio reſolutionis Maſtrij, & reliquorum, opinandi modum debere antecelli ex ſuppoſitione, quod vnitas præciſionis requirat in natura, non ſolum formalem, ſed, & realem indemptitatis ſeiunctionem poſitivé, & ſimpliciter, tunc, & ſemper exiſtimans probabiliſsimam reliquorum Scotiſtarum opinionem, quam non minus approbo, & ſumma probabilitate veneror. Verum enim veró, ne aliquibus voluntarié contentioſus videar, in Maſtrij, & aliorum favorem, huic argumento exhibere ſolutionem intendam.

20 Reſpondendo igitur ad argumentum, ſentio, poſſe admitti ſine formidine, quæ narrat textus, & quæ ibi ex textu immediaté deducuntur. Deindé ad formationem argumenti reſponderi debent illius viæ Scotiſtæ, negādo maiorem. Ad ipſius veritatem probantem ſyllogiſmum, debet reſponderi concedendo maiorem, nec non, & illius probationem, (negando tamen minorem) quoad illam partem, ſcilicet, quod vnitas præciſionis comparationem requirat; at autem quoad ſecundam partem poſitam, vt cauſalem, poteſt diſtingui minor ſic; omnis præciſio eſt ſciſiva naturæ, privativé, & puré formaliter, permittitur; poſitivé, & abſoluté, negatur. Vnde melius reſpōdetur, abſoluté negādo illā partē, quia proprié loquēdo illa præciſio, nō debet dici ſciſio, ſeu ſeparatio naturæ, quia diſtinctioni formali impropriiſsimé convenit ſeparare, cum inſeparabilitatem interformalitates, quas diſtinguit, requirat. Et quomodocumque ſit, neganda eſt conſequentia. Ad probationem minoris vtriuſque ſyllogiſmi, reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem ſic; illa præciſio ſufficit, vt ad individua natura immediaté comparetur, iuxta quam in nullo individuorum intelligitur, vt intelligatur non eſſe in nullo, ſicuti poſt comparationem intelligitur, poſſe eſſe in illis, eſt verum; ſi ita intelligatur non eſſe, quod non deſinat eſſe in illis, ſicuti contracta intelligitur eſſe in illis, eſt falſum; deſinit enim eſſe in illis ſolum privativé, & formaliter, per non intelligentiam individuorum ex illa præciſione; & eſt abſoluté, & realiter per intelligentiam eſſendi in illis ex contractione. Deindé ſic diſtinguenda eſt minor, & neganda eſt conſequentia. Denique ad probationem maioris reſpondeo concedendo antecedens, & nego conſequentiam: vel, vt cognoſcatur diſparitas, ſic diſtinguo; illa præciſio ſuficit, iuxta quam natura poſsit intelligi

Digitized by Google

ligi in nullo, nullatenus, eſt verum; alꝗuõmodo, eſt falſum.

21 Itaque formam diſtinctionum explicando, dico, firmiter Scotiſtats in hoc principio ſiſtendos, ſcilicet, quod natura vt realiter idemptificata cum Petro non poteſt habere vnitatem poſitivé, & abſoluté ad vniverſalitatem requiſitam, quia ad vniverſalitatem iſtam requiritur, quod expedité natura dicatur de quolibet æqué, prædicatione dicente, hoc eſt hoc; ſed abſoluté non eſt verum dicere, quod natura vt idemptificata realiter cum Petro ſit natura Pauli: ergo quouſque prædicta idempeitas diviſivé non præſcindatur, vnitas præciſionis ad vniverſalitatem ſufficiens, in natura non intelligitur. Siſtendo igitur in hoc principio, ad reliqua procedamus. Dicebant igitur, illam præciſionem ſufficere, penés quam natura in nullo intelligi valeat; quod integi, quia non ſolum requiritur, quod intelligatur in nullo, ſed quod in nullo intelligatur nullatenus, & quouſque non intelligatur, nequé realiter eſſe in nullo, non intelligitur, quod ſit nullatenus in nullo. Nec valet, quod tunc natura in individuo nullatenus intelligitur; quia etſi verum ſit, quod non intelligendo individuum, ſequatur, quod naturam nullatenus intelligat in individuo, quia individuum nullatenus intelligit; at autem prout nullatenus eam in individuo non intelligere, exprimit eam intelligere ſine individuo, omnibus modis, quibus eam ſine illo poteſt intelligere, eam ſine individuo non intelligebat nullatenus Vnde hinc eſt notanda æquivocatio *nullatenus*, vt privativi, & vt diviſivi, ex qua æquivocatione præcisé roboratur argumentum.

22 Quæ omnia convincere intendam ex prudenti interpretatione intellectus; dum enim intellectus intelligit naturam privativé, hoc eſt, non intelligendo ſingularitatem, tunc etſi verum ſit, quod nullam ſingularitatem percipiat, tamen ſi dum intellectus vellet naturam proximé communicabilem relinquere erga plura, interrogetur à ratione, an communicet omnibus individuis naturam realiter cum Petreitate coniunctam? Reſpondebit negativé, & ſuam præciſionem exprimendo, realem ſeiunctionem affirmabit in actu præſcindente: ergo cum ille progreſſus in vniverſalizando, rationalis, & recté fundatus ſit, dum intellectus tale requiſitum realis ſeiunctionis non ignoret, vnitatem præciſionis abſolute, & poſitivæ ad vniverſalitatem fabricare, ſeu ratiocinare debebit.

23 Deinde ad illud, quod illa comparatio precisé requiritur poſt præciſionem, iuxta quam poſsit eſſe in omnibus: ergo, & illa preciſio ſufficiet, iuxta quam non intelligatur in aliquo, quia idem eſt gradus aſcẽdentis, & deſcendẽtis. Reſpõdendũ ſentio, eãdẽ proportionẽ debere ſervari in gradu aſcendentis, & deſcendentis, quando non aliter aſcendit, ac deſcendit; at tunc contrahendo naturam, deſcendit per gradum poſitivæ idemptitatis; dum autem præcisé non intelligit ſingularitatem, non aſcendit abſoluté, quia etſi aſcendat non intelligendo ſingularitatem, tamen hoc non impedit, vt cum ſingularitate non aſcendat, cum poſsit aſcendere cum illo, cum quo non intelligit aſcendere; quia vſque adhuc conſortium non negat. Ex quo infertur, quod abſoluté non aſcendit, quia ſi dicant aſcendere, eo quod nulla ſingularitas intelligatur cum natura; cum etiam nullam ſingularitatem ſeiunctã à natura intelligat, dicam ego, quod non aſcendit, ſed ex motivo, ex quo ipſi præciſam, ego naturam percipiam contractam. Et quia in hæc tam nomen, quam æquivocatio imminent, illa amplius non intendo.

QVÆSTIO. II.

An prædicta vnitas præciſionis inſerviens ad vniverſalitatem, abſtracta ab vno individuo, ſufficiat.

24 DUplex hinc proponitur opinandi modus inter RR. perfecté formatus. Primus eſt Hurtadi, Smigletij, Amici, & Paſqualig. quos citat, & ad ipſos inclinari videtur noſter Maſtrius *dp. 9. metaph. quæſt. 8. num. 195.* qui omnes aſſerunt ſufficere abſtractionem ab vno individuo. Ita etiam noviſsimé M. Dionyſ. Blaſco, ſuum Doctorem Reſolutum in hunc ſenſum exponens. Secundus veró opinandi modus eſt aliorum cum Franciſco de Oviedo *Contro. 3. Log. punc. 7.* tenentium, naturam à pluribus debere eſſe abſtractam, vt de pluribus ſit per prædicationem proximé expedibilis. Exiſtimo vero, quod dum primi modi Auctores dicant, naturam non requirere abſtractionem à pluribus, loqui de abſtractione poſitiva, nõ autem de negativa; quia certũ eſt, quod natura ab ipſis ſic nõ abſtracta, nõ poſſet de illis prædicari; requiritur enim, quod non maneret, ſeu fuiſſet contracta in illis, quo pacto verum eſt, quod natura abſtracta eſt negativé, hoc eſt non contracta; non autem illam abſ-

Digitized by Google

abſtrahit intellectus poſitivé; vel quia natura, quæ abſtrahitur à Petro v.g. de ſe cognoſcitur, quod non eſt in alijs, & ſic non requiritur maior abſtractio; vel quia intellectus non intendit abſtrahere alio modo, quam requiſito, & hic ſufficit ab vno. Vnde notat hinc bene Maſtrius, quod dũ Auctores primi modi aiũt, naturam abſtractam ab vno individuo, abſtrahi etiam ab omnibus, non aſſerunt hoc abſoluté, ſed ſic limitaté, quod, nempe, ita ſe habet, ac ſi præſcinderetur ab omnibus.

ART. V.

EVISCERATVR DIFFICVLtas, reſolvenda deinceps.

25 CUm præſentes difficultates né dum ſint ſubtilibus ſpeculationibus permixtæ, quin etiam verſatili rationis, & preciſionis vento maiori ex parte ſubiectæ, ingenia torquent, & vix quidquam ſine anxietate valet ſecura mente determinari: qua propter eviſcerare, & eas in controverſijs commovere intendam, vt deinde pro libito quiſque reſolvat, ſic tamẽ, quod dum probabilem quibuſcumque viam aperiã, probabiliorem innuam, & ad eam inclinabor.

26 Prob. cum prima ſententia ſufficere naturam ſolum ab vno fieri abſtractam, requiri tamen, quod abſtracta, negativé reſpectu omnium cognoſcatur. Prima pars reſolutionis ſuadetur; quia natura, quæ eſt in Petro v.g. vel eſt eadem poſitivé cum natura, quæ eſt in Paulo, vel non? Si eſt eadem poſitivé: ergo in re datur natura poſitivé eadem in pluribus, ac per conſequens abſtractione non indigens ad vniverſalitatem. Si non eſt eadem: ergo natura, quæ abſtrahitur à Petro, non erit poſitivé eadem cum natura, quę abſtrahitur à Paulo: ergo quod abſtraheretur à duobus, non poſſet eſſe vniverſale. Prob. conſequentia, quia illa ſola abſtractio ſufficit ad vniverſalitatẽ, quæ poſitivé idẽ reſpectu plurium tenet, quod abſtrahit; ſed in caſu, quo natura Petri, & Pauli abſtraherentur, abſtractum poſitivé idem non foret: ergo quod abſtraheretur à duobus, non poſſet eſſe vniverſale. Prob. minor, quia ſi ſolum abſtrahat naturam à *Petro*, per vos non abſtrahit naturam à *Paulo*, quia natura *Petri* non eſt poſitivé eadem cum natura *Pauli*: ergo dum abſtrahat naturam à *Petro*, & naturam à *Paulo*, vel abſtractum non eſt poſitivé idem, vel non abſtrahit, quod erat in *Petro*, & quod erat in *Paulo*, ſiquidem quod erat in *Petro*, & in *Paulo*, non erat poſitivé idem.

27 Sed hęc probatio plus propugnat, quã intendit reſolutio, probat ſiquidem, non ſolũ ab vno abſtractã ſufficere, ſed ſic ſemper abſtractam, requiri. Sic ergo ſuaviùs ſuadetur intentũ; natura abſtracta ab vno individuo eſt prędicabilis de reliquis: ergo vt ſit vniverſalis, ſufficit, quod abſtrahatur ab vno. Prob. antecedens, quia natura Petri ſeparata, & præciſa à Petreitate, nil habet, ex quo ipſi repugnet prędicari de *Paulo*: ergo natura abſtracta ab vnico individuo eſt prędicabilis de reliquis.

28 Reſpondebis ex Oviedo, naturã abſtractam à *Petro*, aliquid habere, ex quo ipſi repugnet de *Paulo* predicari, ſcilicet, nõ fuiſſe à *Paulo* abſtractam. Nequé contra hanc ſolutionẽ aliquid inſtant inferentes cõtra Oviedum, quod ſelicet, vt ſit prędicabilis de omnibus, requiritur, quod ab omnibus abſtrahatur, quod ſaltim pro hoc ſtatu repugnare videtur abſtrahenti limitato. Non enim eſt roboris inſtantia, quare Oviedo ſimiles illationes concedit, & ſine formidine concederem ego, quia nequé *Philoſophus*, nequé Scotus explicarunt, de eſſentia vniverſalis eſſe proximam pręd1cationem de omnibus, ſed præcisé de pluribus; vniverſale enim non eſt vnum aptum de omnibus; quod ſuadeo, quia ad prædicationem non ſufficit predicabile, ſed requiritur ſubjicibile: ergo ſolum natura erit expedité pręd1cabilis reſpectu illorum, quę cognoſcantur ſubjicibilia; quia ſicuti non erit natura humana prædicabilis, quin natura humana cognoſcatur, nequé *Petrus*, & *Paulus* erunt ſubjicibiles, quin *Petrus*, & *Paulus* cognoſcantur, ſicuti cognoſcitur natura humana; ſed idem eſt de omnibus: ergo. Melius igitur inſtabunt ſic: natura, quæ abſtrahitur de *Petro*, ſolum eſt prædicabilis de *Petro*: ergo ſolum erit pręd1cabilis de *Paulo*, natura, quæ abſtrahitur de *Paulo*; ſed per vos natura, quæ abſtrahitur de Petro, non abſtrahitur de Paulo: ergo nunquã dabitur natura vniverſalis, cum ſicut natura, quę abſtrahitur de Petro, non abſtrahitur de Paulo, & Petro, neq; natura, quę eſt predicabilis de Petro, erit predicabilis de Petro, & de Paulo.

29 Reſpondebis his, vera probaſſe ex ſuppoſitione, quod natura diviſivé abſtrahatur à *Petro*, & à *Paulo*, nõ autem ex ſuppoſitione, quod inſimul abſtrahatur à duobus, tũc enim ſicuti inſimul foret abſtracta, inſimul foret pręd1cabilis. Sed contra, quia ex eo, quod inſimul ſit abſtracta, difficilé ſuadetur, quod ſit vna, quod videbatur intendere prima ratio in horũ ſentẽtiã, quod ſic ſuadet; per vos ſolũ eſt predicabilis de Petro natura, quãdo ſolũ eſt abſtracta à Petro: ergo etiã, dũ à Petro abſtrahatur natura inſimul cũ *Paulo*, etſi inſimul cũ Paulo, ſolum erit predicabilis de *Petro* natura, quæ ſolum fuit abſtracta ab ipſo; & ſolũ erit pręd1cabilis de Paulo natura, quæ etſi inſi-

mul cum Petro, ſolum fuit abſtracta à Paulo.

30 Inſto aliter, vt cognoſcatur, hanc quæſtionem de puro nomine habere controverſiam, quod non ſine magno fundamento graviſsimi Philoſophi notarunt. Inſto ſic: nil repugnat naturæ abſtractæ à Petro, vt ſit prædicabilis de Paulo: ergo. Prob. antecedens, ſi aliquid obſtaret, maximé non eſſe à Pauló abſtractam; ſed hoc nil obſtat: ergo. Prob. minor, quia ſufficit, vt ſit prædicabilis de Paulo natura, quæ abſtrahitur à Petro, quod cognoſcatur non minus realiter ſeiuncta à Paulo, ac cognoſcitur à Petro; ſed quin abſtrahatur à Paulo, cognoſcitur non minus realiter ſeiuncta ab illo: ergo vt ſit prædicabilis de Paulo, nil obſtat, quod non ſit abſtracta ab illo. Maior videtur vniverſale fundamentum admittentiũ vnitatẽ poſitivæ præciſionis. Minor ſuadetur, quia natura, quæ ſolũ cognoſcitur abſtracta à Petro, evidentiſsimé cognoſcitur realiter diſtincta à Paulo: ergo quin abſtrahatur à Paulo, cognoſcitur nõ minus realiter diſtincta ab illo. Prob. antecedens, quiá evidentiſsimé cognoſcitur, quod natura, quæ eſt abſtracta à Petro, erat natura, quæ erat realiter in illo, & non in Paulo: ergo natura, quæ ſolum eſt abſtracta à Petro, evidentiſsimé cognoſcitur realiter diſtincta, & ſeiuncta à Paulo. Deinde ſuadetur, quod ſufficiat ſic ſeiunctam cognoſcere naturam, quia ſi intellectui præberetur natura ſine omni differentia individuali, in tali caſu, ſuperflua foret ipſi machina rationalis, & laborioſa præciſionum, abſtractionum, & reflexionum: ergo eſtó natura ab vno individuo abſtracta, ipſi proponatur ab omnibus ſeiuncta, commodius habet naturam vniverſalizandam, & prædicabilizandam de illis.

31 Dices, predicta vera videri, coincidere tamen cum eorum mente, quia ſi dicitur, quod natura abſtracta à Petro, cognoſcitur ſeiuncta, & diſtincta ab alijs: ergo ſupponitur, naturam etiam abſtrahi ab illis; non enim eſt aliud naturam abſtrahere à Petro, quam ipſam cognoſcere ſeiunctam ab illo. Deinde, ſi intellectus abſtrahens naturam à Petro cognoſcit evidenter, ipſam non eſſe abſtractam ab alijs: ergo cognoſcit, quod non poteſt de alijs prædicari, quia ſi natura Petri cognoſceretur non abſtracta à Petro, de Petro impredicabilis cognoſceretur: ergo ſi natura Petri cognoſcatur non abſtracta ab alijs, imprædicabilis cognoſcetur de illis. Denique, quia videtur impracticabilis error, ponere realem ſeiunctionem, vt circunſtantiam prædicationis; prædicatio enim eſt idemptificans naturam cum ſubiectis, de quibus prædicatur natura; ergo hoc, quod eſt requirere realem ſeiunctionem à ſubiectis, videtur in natura oppoſita circunſtantia. Fateor, iſta non eſſe cum levi fundamento formata, ab alijs infringi tamen intendetur, etſi ad quæſtionem nominis deveniamus. In primis dicent, quod etſi natura abſtracta à Petro cognoſcatur ſeiuncta ab alijs, nunquam tamen ita poſitivé abſtrahitur ab alijs, ſicuti dicitur abſtrahi à Petro. Ratio eſt, quia natura abſtracta ſic à Petro, ſolum cum Petro fuit realiter idemptificata: ergo præterquam quod cognoſcitur, quod ab alijs non potuit ſic abſtrahi, congnoſcitur ob idem ab alijs realiter ſeiuncta. Dicitur tamen negativé abſtracta, tum quia cognoſcitur, quod in alijs non eſt contracta natura, quæ, præterquam quod à Petro cognoſcitur abſtracta, cognoſcitur ab alijs diſtincta; & etiam quia cum natura Petri ſolum ſit realiter coniuncta cum Petro, eo ipſo quod cum Petro deperdat coniuntionem, cum nullo illam habet, quia cognoſcitur ſeiuncta ab omni differentia, eo ipſo quod à Petri differentia ſeiuncta cognoſcatur. ergo eo ipſo, quod à Petro poſitivé abſtrahatur, ſequitur idem, ac ſi ab omnibus abſtraheretur; quod vocatur negativé abſtrahi; ſin autem hoc, ab Autoribus contrarij modi, rigoroſé abſtractũ vocetur, in quæſtionem de nomine incidemus.

32 Ex quibus inferes ad ſecundum, quod intellectus abſtrahens naturam à Petro, cognoſcit illam non abſtrahere ab alijs, ab illa ſiquidem natura poſitivé ſolum auferre differentiam, cui erat coniuncta: ergo cum coniunctam ſolum Petri haberet differentiam, ſicuti illam abſtrahit à Petro, infertur, quod non abſtrahit ab alijs. Cognoſcit tamen, eſſe prædicabilem de illis, quia eſt ab illis negativé abſtracta, ſcilicet, etſi videat, non eſſe abſtractam ab illis, videt, ſeu non videt illam in ills contractam; quare ſi illam videt prædicabilem de Petro, inſimul, & eam videt de omnibus prædicabilem. Ratio eſt, quia ſi aliquod maius iis poſſet dari, vt Petri foret prædicabilis, maximé, fuiſſe cum Petro coniunctam; ſed eo ipſo quod à Petro ſit poſitivé abſtracta, debent infallibiliter dicere, quod manet reſpectu Petri, ac ſi non fuiſſet realiter coniuncta, aliàs imperceptibilis foret poſitiva abſtractio: ergo cum reſpectu aliorum, nec magis, nec minus ſeiuncta cognoſcatur, nullum datur ius, vt potius de Petro, quam de alijs extet predicabilis.

33 Denique ad vltimum, nõ minus eſt ab ipſis reſpondendum, eſtó vnitatem preciſionis ad prædicabilitatem requirant. Dico deinceps ego, nõ eſſe oppoſitã predicationi ſeiunctionis

cir-

circunſtantiam, imò corroborare naturam, ſi non vt intenſiùs prædicetur, vt extenſius, & vniverſaliùs exerceatur. Verum enim eſt, quod ſeiunctio opponitur idemptificæ prædicationi; at autem cum naturam eſſe de pluribus prezdicabilem, impediat eſſe cum vno determinaté coniunctam, quó magis ab iſto ſeiungatur, eò magis indeterminata conſiderabitur: aſcendit enim ab vno, aſcendit tamē vt ſine impedimēto deſcendat ad plura; ſic enim quantò magis lapis aſcendit, tantó maiori pondere deſcendit; & etiam in lapide videtur circunſtantia aſcendendi, deſcenſui oppoſita; non tamen eſt, vt videtur, quia aſcendendo non debet deſcendere, ſed poſtquam ceſſat aſcendentis impulſus; ſic pariter nil contractioni inſimul repugnantius, quam abſtractio, non autem ſucceſivé, quia poſtquam natura abſtracta eſt cum circunſtantia ſeiunctionis, ceſſat intentionalis impulſus abſtrahentis, & ſtatim eſt in promptu, vt comparatione deſcendat vſque ad ima, & inferiora in humana ſphæra. Denudatur enim natura abſtractione, ſed vt ſic reddatur habilis, vt pluribus induatur: vnde concludo, quod ex vi puræ abſtractionis improportionata maneret natura, vt intentionaliter idemptificaretur, ſi comparatio deinceps ipſam non reſpiceret, & vt vicinam conſideraret; quæ omnia adhuc in tabula raſa, vt coloribus amplianda, ſenſibiliter experitur.

34 Sed hæc omnia pro viribus augendo, adhuc dices, quod etſi illa natura abſtracta poſitivé ſit à Petro v.g. nūquam erit prædicabilis de reliquis, quia etſi cognoſcatur realiter ſeiuncta ab illis, cognoſcitur etiam, quod ab illis non fuit poſitivé abſtracta; nunc ſic: ergo natura aliorum manebit poſitivé in illis; ſed ex eo natura Petri non abſtracta à Petro non eſt predicabilis de reliquis, quia eſt poſitivé coniuncta cum illo: ergo licet natura abſtracta à Petro ſit realiter ſeiuncta à reliquis, non erit prædicabilis de illis, in illis ſiquidem datur in vnoquoque natura coniuncta; ſicuti enim natura, quia coniuncta cum Petro, non eſt prædicabilis de illis, etſi ab illis realiter ſeiuncta; ſic neque natura Petri, etſi ſeiuncta à Petro erit de illis prædicabilis, quia illorum naturæ non erant ab illis ſeparatæ.

35 Hæc ſolum inſtantia eſt eximij roboris manens ſub vmbra Auctorum primi modi. Reſpondebit forſam Dionyſ. Blaſco ex his, quæ adducit in 3. *diſt.* 6. *quæſt.* 3. *art.* 2. quod ex ſuppoſitione, quod natura ſit abſtracta à Petro, dicitur proximé prędicabilis de reliquis quia vt præciſa à Petro, ſit à reliquis preciſa, non requiritur, quod reliqua claré cognoſcantur; ac per conſequens, dum abſtracta à Petro intelligatur ſine reliquorum differentijs, ab iſtis erit negativé abſtracta, ſiquidem erit intentionaliter indifferens ad exiſtendum in illis, quin requiratur illa expreſſa cognitio excluſiva propriæ naturæ in quavis ſingularitate, penes quam ponebat impedimentum inſtantia ad prædicationem. Sed iſta preterquam quod inſtantiam directé non exonerant, iam ſupra exiſtimo reiecta, & impugnantur amplius; quia vniverſale eſt inferiorum quid expreſſivum; ergo ſic erit vniverſale, ſicuti ſint inferiora; ſed inferiora ſolum confusé ſunt talia: ergo, & natura ſolum confusé erit vniverſalis. Prob. amplius, quia ſic requirit vniverſalis natura inferiora, ſicuti eſt vniverſalis; ergo ſicuti natura in eſſendo non haberet inferiora, neque in cognoſcendo foret claré vniverſalis, ſi claré ſic non haberet inferiora.

36 Dices, quod vniverſale, quod eſt de multis, requirit talem inferiorum expreſsionem, non autem quod eſt à multis, vt metaphyſicum, hoc enim cum abſtrahendo ab illis vniverſale fiat, cognitionem illorum non requirit, imó contrarium. Sed contra, quia ſic, ſervatis ſervandis, recedit natura per abſtractionē, ſicuti per contractionē accedit; ſed non poteſt accedere ad multa, quin multa cognoſcat in acceſu: ergo neq; poterit recedere à multis, quin recedēdo, ipſa multa cognoſcat. Prob. quia bene compatitur, quod natura abſtracta cognoſcatur ſine Petreitate, & quod cognoſcatur Petreitas, imó ſine Petreitate non cognoſcetur, ſi Petreitas non cognoſcatur: ergo, & bene cōpatietur, quod natura ſit à multis, & quod cognoſcātur multa, à quibus eſt; ſi enim multa non cognoſcātur, imperceptibile videtur, quod cognoſcatur eſſe à multis.

37 Si reſpondeat aliquis inſtantiæ dicendo, quod ſemel poſitivé abſtracta natura à Petro, vt de alijs prædicetur, ſufficiet, quod plures alias ſingularitates cognoſcat præciſivé, hoc eſt, non cognoſcendo naturas imbibitas realiter in illis, quod ſufficiens erit, vt natura iam abſtracta, de illis prædicetur. Contra, inſtabunt Auctores ſecundi modi, quia vt natura Petri ſit prædicabilis de reliquis v.g. de Paulo, non ſufficit, quod præciſivé cognoſcatur, hoc eſt, non intelligendo Petreitatem, ſed requiritur, quod cognoſcatur abſtractivé: ergo vt natura Petri ſit vt abſtracta, prędicabilis de Paulo, non ſufficiet congoſcere Pauleitatem precisé, nō intelligēdo naturā ſecum incluſam, ſed requireretur, quod Pauleitas abſ-

tractivé cognoſcatur, ita vt natura ab ipſo ſeparetur. Ex quo infero, quod ſi Diony.& alij dũ dicunt, quod vt natura præciſa à Petro, ſit preciſa ab alijs, nõ requirat, quod alia cognoſcantur, dicent verum, ſi intelligant de præciſione privativa; ſed iuxta hanc, neque vt natura poſsit præſcindi à ſolo Petro, riquiritur, quod Petrus cognoſcatur. Vnde ſolum vera dicent ex ſuppoſitione, quod vnitas poſitivæ præciſionis, ad Vniverſalitatem non requiratur.

38 Nunc exiſtimo, exacté evisceratam præſentem difficultatem manere, cuius tota reſolutio pendet ab alia eiuſdem difficultatis difficultate; quare venit inquirendum, quomodo natura Petri, & Pauli v.g. diſtinguantur à differentijs individualibus præciſæ?

SUBART. I.

CIRCA HOC PVNCTVM EVISCERAtur difficultas.

39 TAm pro præſenti, quam pro præterito puncto ſentio nimis advertendum, inſuperabiles huiuſcemodi difficultates fieri, & non aliunde, quam ex ſuppoſitionum tranſitu, qui ſubtiliſsimé, & feré inſenſibili modo a feré omnibus fit, ita vt in vno, & eodem argumento inveniatur illatio in natura non abſtracté intellecta, dum ratio medij ſumpſit vigorem ex eo, quod naturam cum abſtractione ſuppoſuiſſet, & é contra; ex quo ita confundimur in difficultate, vt neqné profundiorum Phyloſophorum dictamine adiuti, confuſionem evincere poſsimus. Examinentur plura ex dictis, & intueantur aliqua ex dicendis, & huius annotationis ſplendebit exemplar. His ita, aliqui tenent, naturam Petri, & Pauli à ſingularitatibus præciſas realiter diſtingui; é contra alij omnimodé indiſtinctas affirmant, inter quos, ſicuti inter alios plurimi Scotiſtæ miſcentur.

40 Probatur pro Auctoribus ſecundę ſententiæ, illas naturas non diſtingui præciſas; (nota iam tranſitum in ſuppoſitione, dicitur enim non diſtingui illas naturas præciſas, in quo ſupponitur ex vna parte præciſio, & ex alia ſupponitur, naturas eſſe illas, & eſſe naturas) quia in Petro v.g. non datur reſpectu Pauli pluſquam convenientia, & diſconvenientia: ergo ablata diſconvenientia nil datur, in quo differant; ſed ablata Petreitate auffertur diſconvenientia: ergo ablata, & præciſa à ſingularitate natura Petri, nil habet, in quo differat.

41 Prob. 2. & potius contra Scotiſtas; natura Petri, & natura Pauli, quatenus eſt ex ſe, non diſtinguntur, etſi poſitivé non abſtractę à Petro, & à Paulo non conſiderentur, quia ex ſe non diſtingui, & abſoluté diſtingui, bene compati propugnauimus: ergo ſi naturæ illæ conſiderentur à nobis in ſtatu, in quo ſolummodo habeant id, quod quatenus eſt ex ſe dicunt, non habebunt aliquid, per quod diſtinguantur; ſed præciſis Petreitate, & Pauleitate nil habent naturæ, niſi id, quod quatenus ex ſe, dicunt: ergo impercep'ibile videtur, quod habeant aliquid, in quo diſtinguantur. Prob. hæc minor, quia ſic naturæ non dicunt niſi naturæ formaliſsima: ergo nil habent naturæ, niſi id, quod quatenus eſt ex ſe dicunt.

42 Confirmantur dicta efficaciter ex verbis Scoti *in 2. d. 3. q. 7. §. ad 1. articulum*, vbi ait, quod differentiæ formales duorum individuorum non diſtinguntur formailter, etſi diſtinguantur abſoluté, non aliunde, niſi quia, etſi diſtinguantur, non tamen quia ratio diſtinguendi ſit ab ipſis; vnde ait, hoc diſtinguitur: ergo à ſe diſtinguitur, non ſequitur: ergo cum præciſis individuationibus, rationes diſtinguendi auferantur, inconſequenter dicetur, quod illæ naturæ diſtinguntur; aliàs diſtinguentur formaliter differentiæ formales, cum formæ differant, & ratio diſtinguendi ſit in ipſis. Confirmantur 2. dicta, non minus efficaci paritate; quia ſic ſe debebant conſiderari inter ſe formalia prędicata naturæ et ſeiuncta à ſingularitate, ac prædicata numerica individui vt ſeiuncta à natura; ſed duæ ſingularitates, etſi in concreto convenirent, in abſtracto nil manet, in quo conveniant: ergo duæ naturæ, etſi in cõcreto differrẽt, in abſtracto nil debent habere, in quo differant. Confirmantur aliter, ex eo quod natura Petri, & natura Pauli contractæ bis realiter non diſtinguntur: ergo ſolum ſemel realiter diſtinguntur; ſed realiter non poſſunt non diſtingui propter ſingularitates: ergo ab illis præciſæ, nil reſtabit à quo iam diſtinguantur. Deinde ſic poteſt arguti illæ naturæ bis realiter non diſtinguntur: ergo ſolum ſemel diſtinguntur realiter; ſed ex ſuppoſitione, quod à ſingularitatibus precisæ realiter diſtinguantur, bis realiter diſtinguentur: ergo. Prob. minor; quia præciſæ diſtinguntur realiter; ſed ſi dum contractæ hanc diſtinctionem non habuiſſent independenter à ſingularitatis diſtinctione, præciſa ſingularitate non diſtinguerentur: ergo ex ſuppoſitione, quod à ſingularitatibus præciſæ realiter diſtinguantur, bis realiter diſtinguentur. Nec valet, quod, etſi contractæ ſemel realiter diſtinguantur, quod vt abſtractæ etiam ſemel diſtinguentur;

non

non enim valet, quia impracticabile videtur, quod dum aliqua diſtinguntur, quia contracta cum diſtinctis principijs, diſtinguantur non minus, dum denudata à principijs, à quibus diſtinguebantur.

43 Reſpondere intendunt alterius viæ Auctores, inter quos Lichetus, quem citat, & ſequitur noſter Ludovicus Rodriguez *quaſt. 1 Vniverſ. Art.* 2. Dicunt enim, quod illę duæ naturæ, præciſis ſingularitatibus, diſtinguntur realiter per aliquid intimum eis, nobis tamen ignotum; quod (inquit ipſe) non eſt reputandum inconveniens, dum tale ignotum non ſit differentia diviſiva generis, & conſtitutiva ſpeciei; tunc enim illæ duæ naturæ non eſſent duæ ſpecies: illud tamen ignotum eſſet differentia non ſpecifica, de qua ens non prædicatur in quid.

44 Sed contra hæc poſſunt alterius viæ acriter inſurgere; quia inter gradus diſconvenientiæ numericæ, nil, adhuc ignotum nobis, manet à quo conveniant: ergo nequé inter gradus convenientię ſpecificæ nil ignotum debet manere, à quo differant. Hanc inſtantiam ſic formabunt; quia etſi appareat, quod ſingularitates naturæ humanæ, adhuc præciſæ, non ita diſtinguantur inter ſe, ac cum ſingularitatibus leoninis, ac per conſequens adhuc præciſę videantur aliquid humanitatis retinere; nilominus tamen abſoluté cognoſcimus, ſingularitates humanas eſſe in omni diſtinctas: ergo ſic pariter, licet ex eo, quod ex abſtractione naturarum, manere videatur quidam recurſus ad ſingularitates, in quibus erant naturæ duæ, & ſic inferatur, quod adhuc abſtractæ duæ ſint naturæ, & conſequenter diſtinctæ; nilominus tamen, nil, à quo diſtinguantur, videtur abſoluté, & ſimpliciter intelligendum. Hoc nimis notetur. Contra inſtabunt 2. quia illæ naturæ, ſic reales diſtinctiones habentes, poſſent non minus ab illis præſcindi: ergo ſic præciſæ, vel non diſtinguerentur, vel ſi adhuc diſtinguantur, proceſſus præciſionum, & diſtinctionum foret infinitus. Difficiliter nec né ſignabunt, cur ab illo nobis ignoto non poſſent præſcindi. Huic inſtantiæ iam reſpondent prædicti Scotiſtæ dicendo, quod etſi illæ naturæ realiter diſtinguantur, ſed tamen impoſſibilitatur vlterius præciſio, quia nil vtrique naturę datur commune, ſicuti datur naturę humanæ, & leoninæ; ex quo ſequitur, quod illæ, duplicem ſpeciem non conſtituant, ſecus autem iſtæ. Aſſerunt deindé, quod illę naturę, Petri, ſcilicet, & Puali, non habent convenire in vno, & differre in alio, ſed habent ſe totis differre.

45 Sed Contra inſtabunt in primis, quia difficile component, quod illæ naturę ſe totis diſtinguantur, & quod non conſtituant diſtinctiores ſphæras, quã conſtituunt homo, & Leo; quod ſic ſuaderi poteſt; quia diſtinctio eſt principale requiſitum ad diſtinctas ſphęras conſtituendum: ergo quo magis diſtinguantur, diſtantiores ſphęras conſtituent; ſed magis nil poteſt diſtingui, quam natura humana vnius, & alterius individui: ergo diſtantiores ſphęras conſtituent. Suadebitur minor; quia nil poteſt magis diſtingui ab alio, quam ſecundum ſe totum diſtingui ab illo; ſed per vos illæ naturæ ſecundum ſe totas diſtinguntur: ergo nil magis poteſt diſtingui, quã natura humana vnius, & alterius individui. Prob. maior; quia nil magis poteſt idemptificari, quam id, quod ſecundum ſe totum idemptificatur: ergo nil magis poteſt diſtingui, quam id, quod ſecundum ſe totum diſtinguitur. Prob. antecedens ex ipſis gradibus entis, quia magis convenit Petrus cum Paulo, quam Petrus cum Leone; non aliunde, niſi quia Petrus cum Paulo convenit in eſſe animalis, & rationalis, & cum Leone ſolum convenit in eſſe animalis, ac per conſequens ſecundum plura convenit; vnde ſi vlterius non diſtingueretur, adhuc idem foret magis: ergo nil magis poteſt idemptificari, quam id, quod ſecundum ſe totum idemptificatur: ergo nequé aliquid poteſt magis diſtingui, quam id, quod ſecundum ſe totum diſtinguitur.

46 Inſtabunt 2. ex eo, quod ſi illæ naturæ ſecundum ſe totas diſtinguantur, difficilimé etiam component Doctoris Subtilis mentem, ſcilicet, illas naturas formaliter non diſtingui. Neque hinc valet dicere, aliud eſſe illas naturas non diſtingui formaliter, & aliud eſſe non eſſe diſtinctas formales, in quo non levem diſtinctionem intellexit Doctor; non enim valet, quia ex ſuppoſitione, quod illæ naturę ſint pręciſæ, non habent iam principia, ſcilicet, materialia, à quibus poſsint dici diſtinctę naturæ formales, quia in numeris diſtinctis poſitæ, & non formaliter diſtincta, quia principia diſtinguentia non formalia, ſed materialia ſunt. Nec valet dicere, quod habent ſolum negativę indiſtinctionem formalem; quia ex prædicta ſuppoſitione, dum naturæ ex ſe non diſtinguantur, nil ſupereſt iam in ipſis, ex quo poſſit abſoluté negari, quod ex ſe non negant; quo pacto compoſuimus idemptitatem negativam in natura, vt in ſingularitatibus à parte rei aliter exiſtente.

47 Ex quibus roborabunt inſtantiam, quia in tali caſu dabitur idemptitas formalis,

non

non autem dabitur idemptitas realis; vel ſaltim dabitur idemptitas formalis, quin illo modo detur idemptitas realis; quia etſi idemptitas formalis non foret pluſquam negativa, idemptitas realis ſic non facile negativé componeretur, quod ſuaderi poterunt ex eo, quod nunquam ſit verum dicere, quod illæ naturæ nequé ex ſe, nequé abſoluté formaliter diſtinguerentur; & eſſet verum dicere, quod vno, aut altero modo diſtinguerentur realiter: ergo daretur in illis gradus idemptitatis cum gradu diſtinctionis: ergo daretur conceptus communis: ergo, & abſtrahibilis: quid ergo deficeret ad diſtinctas ſpecies conſtituendum? Hæc, & alia inconvenientia poſſunt inſerri.

48 Reſpondebunt, nunquam ſequi gradum communem, ac per conſequens, nequé ſpecierum diſtinctarum conſtitutivum; rationem dabunt ex eo, quod illæ naturę ſecundum totum quod haberent, forent in eadem, & æquali linea; non autem ſic homo, & Leo, qui in altera linea ab illa, à qua differunt, habent convenientiam, ſcilicet, in ſuperiori. Deinde, quia non ſemper idemptitas, & diſtinctio requirunt gradum ſic communem, vt patet inter riſibile, & flebile, quæ for nalitates, etſi à parte rei diſtinguantur, & idemptificentur, hinc abſoluté, & illinc ex natura rei, tamen ex hoc non ſequitur aliquis gradus communis, & abſtractivus, alicuius tertij compoſitivus metaphyſicé: ergo ſic pariter &c.

49 Sed nequé ſic vim contrariam ſatiſfacere exiſtimabunt alij, ſi ſupra inſtarent; ibi enim directivé probatur idemptitas conveniētialis formaliter, & licet idemptitas realis ſalvaretur ſine gradu metaphyſicé communi; non autem ſic ſalvari poteſt gradus conueniētialis formaliter, & præcipué dum dantur realiter abſoluté diſtincta principia, eſtó ſint nobis ignota, vt fatentur ipſi. Deinde, quia difficilimum eſt non ponere illam convenientiã formalē in linea ſuperiori; quia illæ naturæ id in ſuperiori dicũt, quod ex ſe dicũt; ex ſe nō diſtinguntur, & abſolute diſtingũtur: ergo vel ex ſe diſtinguntur, & non diſtinguntur, vel dum ex ſe non diſtinguntur, debent deſcendere, vt abſoluté deinceps diſtinguantur. Fateor, mihi imperceptibile videri. Nequé paritas de flebili, & riſibili videtur exacta; quia riſibile, & flebile diſtinguntur formaliter, & idemptificãtur realiter; quia etſi cognoſcatur, quod vna formalitas ſit extra conceptum formalem alterius, cognſcitur etiam ſubiectum, in quo ſine difficultate idemptificētur; at autem illæ naturæ, præciſæ cognoſcuntur indiviſæ formaliter, & præterquam quod ignotum eſt id, à quo diſtinguantur, adhuc tale ignotum ſine tot oppoſitis difficultatibus, realiter non diſtinguetur, ex eo, quod illæ naturę præciſæ ſolum dicunt, quæ ex ſe habent; & ex ſe non minus exprimunt vnam idemptitatem, quam aliam; ſic enim difficulter erunt ſine omni. Hæc ſentio pro nunc in ſavorem prædictæ viæ, etſi fatear, alterius viæ Authores, nullam rationem habere iſta robuſtiorem.

50 Ex contraria opinione argumentum, quod maiori pondere, hucuſque dicta poteſt evertere, ſic formari exiſtimo: etſi natura Petri, & Pauli ſint præciſæ, cognoſcitur, quod ſint diſtinctæ: ergo adhuc ſingularitatibus pręciſis, ſunt *realiter*, vel alio modo diſtinguendæ. Prob. antecedens, quia cognoſcitur, quod ſunt duæ; ergo cognoſcitur, quod ſint diſtinctæ. Deinde dicent, poſſe cognoſci, quod ſint duæ, quin dualitas cognoſcatur ex ſingularitatibus: ergo compatibilis eſt inter illas diſtinctio cum præciſione. Prob. antecedens; quia poteſt cognoſci, quod corpus, & vivens ſint duo genera, nec non quod homo, & Leo ſint duæ naturę ſpecificæ, & talis dualitas, & vnitatum diſcretio poteſt cognoſci ſine ſingularitatum recurſu, quia in priori ad ſingularitatem, ſicuti dicitur apud Scotiſtas, & alios, illas naturas habere vnitatem, poteſt, & debet dici, habere & diſtinctionem: ergo dualitas, & vnitatum diſcretio poteſt cognoſci ſine ſingularitatum recurſu.

51 Reſponderi poteſt negando primum antecedens, vel poteſt ſic diſtingui: cognoſcitur quod ſint diſtinctæ, ſi cognoſcatur reſpectus, vel ſpecialis ordo ad vnumquodque ſingulare, permittitur; nil ſpeciale ſingularitatum indicante, negatur. Deinde ad probationem antecedentis, poteſt ſic diſtingui antecedens: cognoſcitur, quod ſint duæ, propter ſingularitates, eſt verum, ſeu permiſſum; nil deſumente cognitione à ſingularitatibus, eſt falſum. Deinde, ad corroborationem ex paritate, admiſſo antecedenti, negari poteſt conſequentia, & paritas. Diſcrimen facile poteſt inveniri, ex eo, quod tam genera, quam illæ naturæ in priori ad ſingularitatem habent eſſe diſtinctæ, & ex ſe diſtinctæ, & ſic nil mirum, quod illa, quæ ad ſingularitates pręintellecta habent ex quo diſtinctè cognoſcatur, ſine recurſu ad ſingularitates, & diſtinguantur, & cognoſcantur diſtincta; at autem natura humana Petri, & Pauli à ſingularitatibus pręciſę, pręterquam quod vnquam ex ſe potuerunt diſtingui, non habent ex quo diſtinctę cognoſcantur, quin detur intelligibilis recurſus ad ſingularitates diſtinctas.

Exa-

52 Examine prudenti vertatur comprehenſio ſuper hæc puncta, & quicumque ea perfectè intueatur, inveniet, nullam poſſe verſari diſtinctionem: conſideremus enim animal rationale, & animal rationale; non recurramus deinceps ad hoc, & illud animal rationale: inter animal rationale, & animal rationale, nulla diſtinctio eſt perceptibilis, quãtũvis anothomicetur cõceptus; quia ſi intellectus velit cogitare, animal rationale, & animal rationale sũt duo, in prõptu habet *huius, & illius* occurſum. Qua propter, ſupra hoc punctũ dũ pluries cogitarẽ, ſemper inſpexi, quod, etſi abſtrahendo naturam à Petro, & à Paulo, evidenter cognoſcantur duæ naturæ, ſic evidenter cognoſci, provenit ex eo, quod ex vna parte illę naturæ veluti affectantur abſtrahi, & deinceps adhuc abſtractæ, ita cenſentur diſtinctæ, quod intellectus imperceptibili motu, & tranſitu, iam quod ipſas non contrahat, conſiderat tamen illas in illo ſtatu, quem ante abſtractionem habuerunt, in quo fuiſſe contractas vidit. Abſtrahit enim Intellectus, ſed nunquam omnem recurſum abſtrahit; abſtrahit ſiquidem, ſed contraxiſe non abſtrahit, etſi abſtrahat à contractione. Mentis enim vivacitas velociſsimas efficit transformationes, & deinceps anxietatẽ diſcurſus præmitur, & cruciatur. Abſtrahit enim naturas duorum individuorum; vehemẽter intendit vnitatem præciſionis conſtruere, & dum medium ſumit ex abſtractione, vult deinceps naturas, & abſtractiones dividere: ex quo ſolius ignorantiæ, & confuſionis conſequitur dolor. Qua propter, non leviter hæc aliquando intendens, in favorem primæ viæ inferri poſſe exiſtimavi, quod in caſu, quod naturę ſic præciſæ diſtinguantur, ſemper vno, aut altero modo referuntur ad individua; & hic modus poteſt forſam derivari ex ipſis abſtractionibus, ita vt dicatur, quod ipſę abſtractiones ſint ſuo modo principia diſtinguendi, & vocari poſſunt individuationes abſtractivæ, ſeu abſtractiones individuæ; ſi enim abſtractio relinquit naturam à ſingularitate diſtinctam, cum tamen hęc diſtinctio non excludat cognitionem naturæ, & illius à quo diſtinguitur, relinquit ſemper, ſi non ſingularitatem, ſingularitatis vmbram, & fortè lucem. Hoc ergo modo percipient illas naturas præciſas, qui eas adhuc diſtinctas cognoſcere cupiant.

53 Sed dicent, quod nunc cognoſcimus, naturam humanam Petri eſſe à parte rei formaliter diſtinctam à ſingularitate; nec non cognoſcimus naturam humanam Pauli ab eius ſingularitate formaliter à parte rei diſtinctam: ergo à parte rei cognoſcimus, bene compati illas naturas humanas, adhuc vt à ſingularitatibus diſtinctas, & pręciſas, à parte rei eſſe interſe diſtinctas, nec non, & poſſe dici eſſe duas. Ex ſolutione huius argumenti, ſuperius dicta explicabuntur amplius: conceſſo igitur antecedenti, neganda eſt conſequentia. Ratio eſt in promptu; quia merito diſtinctionis formalis non excluditur idemptitas realis; & ſic inſimul cum duplici diſtinctione formali, cognoſcimus duplicem naturarum realem, & abſolutam idemptitatem; ſed hæc idemptitas realis non poteſt duplicari, & diſtingui à parte rei ſine diſtinctione individuationum, ac per conſequens, & naturarum: ergo merito illius diſtinctionis nil infertur ad indiſtinctionem naturarum.

54 Suadentur iſta; quia, etſi cognoſcatur, quod quævis natura eſt formaliter à parte rei à propria ſingularitate diſtincta, cognoſcitur etiam, quod natura Petri v.g. habet à parte rei cum Petro idemptitatem realem, quam abſolutè eamdem non habet natura humana Pauli: ergo quomodolibet ſit, evidenter cognoſcitur, quod nil eſt à parte rei, quod poſsit impedire illas naturas eſſe diſtinctas. Sin autem natura humana Petri non ſolum eſſet formaliter diſtincta ab eius ſingularitate, ſed nequè habet etiam cum propria ſingularitate Idemptitatem realem, ita vt non poſſet dici, quod habebat diſtinctam idemptitatẽ realem cum ſingularitate, ac habet Pauli natura, in tali caſu, ſi hęc ſolutio idemptitatis poſſet fieri a Deo, firmiter huius viæ Auctores tenere debent, iuxta probabiliora Doctoris, quod maneret eadem poſitivè natura; quia ex ſe nunquam diſtinguntur: Deindè ſolverentur vincula diſtinctionum ex diſtinctis numero idemptitatibus: ergo indiſtinctè vnum maneret.

55 Qua propter, cum abſtractio, de qua vertunt ſermonem, ſoluat vincula omnium idemptitatum ad principia ſaltim numero, & realiter naturas dividentia, nil mirum, quod ſic naturæ præciſæ, non ſint duæ, ſed vna; non ſint diverſæ, ſed eadem; at autem ex negativè formaliter diſtingui, (dato, quod poſſet præſcindere ab idemptitate reali, vel carentia idẽptitatis) dum intellectus inferret in naturis, ſolum privativè præciſis, dualitatem, aut realem diſtinctionem, tunc ſtatim occurreret ipſi, quod illa diſtinctio formalis, ſecum ferebat idemptitatem realem, ac per conſequens, iam non ſolum daretur cognitio diſtinctionis formalis, præſcindendo ab Idemptitate reali, vel eius carẽtia, ſed neceſſariſimè cognoſcens dualitatem, vel realem diſtinctionem, debebat illam puram privativam præciſionem evertere;

vel

Digitized by Google

vel ſi in illa ſiſtebat, erat impoſsibile, quod ad cognitionem dualitatis, & realis diſtinctionis, ſine ſumma contradictione tranſiret.

56 Inſtabunt ſemper, dicendo, quod dum intellectus abſtrahit naturam Petri, & Pauli, duas naturas abſtrahit: ergo duæ naturæ debent à fortiori eſſe abſtractæ. Prob. antecedens; quia abſtrahit naturam realiter idemptificatam cum Petro, & realiter idemptificatam cum Paulo; ſed natura realiter idemptificata cum Petro, & cum Paulo, non eſt vna, ſed duplex natura: ergo dum intellectus abſtrahit naturam Petri, & Pauli, duas naturas abſtrahit. Prob. maior; quia intellectus ſolum abſtrahit, quod eſt coniunctum; aliàs abſtractio, ſeu poſitiva præciſio non ſeiungeret realiter naturam à ſingularibus: ergo quia abſtrahit naturam realiter idemptificatam cum Petro, & realiter idemptificam cum Paulo. Prob. nunc conſequentia primi enthymematis; quia id manet abſtractum, quod abſtraxit, ſeu quod abſtrahit; ſed duas naturas abſtrahit intellectus: ergo duæ naturæ debent à fortiori eſſe abſtractæ. Prob. maior; quia etiam in abſtractionibus non debet eſſe diſtinctum quoad entitatis diviſionem, & multiplicitatem, eſſe in facto eſſe ab eſſe in fieri; ſed eſſe in fieri, ſcilicet abſtrahi, eſt de duplici natura, Petri, ſcilicet, & Pauli: ergo in facto eſſe duplex eadem natura debet abſtracta manere.

57 Inſtabunt 2. dum intellectus abſtrahit naturam, quæ eſt in Petro, & quæ eſt in Paulo, vel terminus abſtractionis eſt natura realis, vel non? Si non eſt natura realis: ergo Vniverſale non eſt concretum ex prima, & ſecunda intentione formatum: Deinde non poſſet dici, quod intellectus naturam Petri abſtraxit. Si eſt natura realis: ergo vel eſt natura realis, quæ abſtrahit à Petro, vel quæ abſtrahit à Paulo? Si quę abſtrahit à Petro: contra, quia cum non minus naturam abſtrahat à Paulo, vel ſimulat intellectus abſtractionem naturæ à Paulo, vel ſi non ſimulat, non datur motivum, ex quo potius natura abſtracta à Petro, quam à Paulo ſit terminus abſtractionis: ergo terminus abſtractionis, dum natura realis debeat eſſe, non vnica, ſed duplex erit natura, Petri, ſcilicet, & Pauli.

58 Nunc exiſtimo, exacté eviſceratum punctum præſentis difficultatis manere, circa quod, difficultati omnimodé ſubiectus fateor, difficilimum mihi eſſe cuiuſvis partis reſolutionem; ſupra quam non multos, electos tamen, vidi Phyloſophiæ Magiſtros, qui poſtquã nervoſé prędicta puncta exagitarunt, formaſſe reſolutionem dicendo, vnam, & alteram viam eſſe probabilem. Idem poſſem reſolvere, cum nil poſſet reſolvi pro vna parte, quod pro altera non valeat feré indiſſolubiliter inſtari. Et non minus præmit, difficultatem gravari ex imperceptibili tranſitu in ſuppoſitionibus, vt notabam in initio, ita vt imperceptibiliter difficultate confundamur, dum eam medulitus eviſcerare velimus. Sed ne ſic difficultas ſub omnimoda confuſione maneat, duplex formare iudicium intendam, vnum abſoluté, alterum ex ſuppoſitione æqualis probabilitatis.

SUBAR. II.

PROPONITUR ABSOLUTE HUIUS ſecunda eviſcerationis iudicium, & circa eviſceratum in 1. Art. ſit reſolutio.

59 SEmper exiſtimo, probabiliorem eſſe viam tenẽtem, quod abſtractis ſingularitatibus, non manent diſtinctæ naturæ. Examinentur rationes à me ſuperius poſitę, Subtili Doctore, ni fallor, efficaciter corroboratę. Deinde, rationes contrariæ videntur manere ſolutæ vſque ad has vltimas inſtantias; quibus reſpondendo, ad primam ingredi poteſt, extendendo ſolutionem ſuperius adhibitam ad argumentum primum, & principale huius puncti. Itaqué illis innixus, reſpondeo ad primum antecedens, ſic illud explicando: intellectus dum abſtrahit naturam Petri, & Pauli, duas naturas abſtrahit, *dum abſtrahit*, permitto; dum exercitium intellectus inter vincula ſingularitatum nõ verſatur, eſt falſum. Vel aliter diſtinguo: duas naturas abſtrahit, ita vt dum abſtrahit, ſint dicendæ duæ adæquaté, eſt falſum; inadæquaté, & partito modo, eſt permittendum, & diſtinguo conſequens: ergo duæ naturæ debent à fortiori eſſe abſtractæ, concedo conſequentiam; ſic tamen explicando, quod concedo: dum concedimus duas naturas, & non aliter quam *abſtractas*, ex ipſo termino *abſtractas*, decidimus eſſe vnam, & non eſſe abſoluté duas, ſed abſtractas eſſe duas naturas. Sic é contra, dum dicimus, natura eſt vna in omnibus à parte rei, *quatenus eſt ex ſe*, non dicimus, quod abſoluté ſit vna, quia eo ipſo, quod quatenus eſt ex ſe dicamus, decidimus, abſoluté eſſe multiplicem; & nilominus tamen, ly *ex ſe*, vnitatem habet pro termino, ſicuti ly *abſtractæ* pro termino habet multiplicitatem; at autem, ſicuti vna natura modificata cum formalitate *quatenus eſt ex ſe*, relinquit multiplicitatem, ſic

duplex natura modificata cum reſtrictione: *abſtractionis*, relinquit vnitatem. Sic enim capienda eſt vox *abſtractionis*, ſicuti vox *præteritionis* in hac propoſitione: partes reales ſunt præteritæ realiter: ergo realiter ſunt: non ſequitur; quia eo ipſo quod ſint præteritæ realiter, realiter non ſunt. Hæc pono, vt eximia advertatur æquivocatio. Vnde, ſic eſt proprium *abſtractionis* dare vnitatem, ſicuti *præteritionis* auferre exiſtentiam.

60 Venio iterum ad conſequentiam: ergo duæ naturæ debent à fortiori eſſe abſtractæ. Inſto illam efficaciter; quia vel comparatione, vel alio modo, natura exiſtens in pluribus multiplex, habere debet vnitatem vniverſalizatam; nunc ſic; ſed ſemper valebit, quod plures ſunt comparatæ, & nilominus, dum comparantur formalia vnius naturæ cum formalibus alterius, expeditur vnitatis fundamentum: ergo ſimiliter ex naturis cum abſtractione in forma iis eſt paralogizandum. Deindé, adhuc apud ipſos hæc ſuppoſitio poteſt admitti, ſcilicet, multiplex natura eſt vnificanda; in noſtra ſiquidem ſententia ſupponendo, quod naturæ abſtractæ non diſtinguantur, non repugnat dicere, multiplex natura eſt vnificanda, & ſic eſt tunc verum dicere, multiplex natura eſt abſtrahenda: ergo ſicuti ex multiplici vnificando, hoc futurum non reducitur ad actum, niſi cum multiplicitate reſtricta per abſolutam formam vnificationis; ſic illud futurũ, ſcilicet, multiplex natura eſt abſtrahenda, non reducetur ad eſſe factum, niſi cum abſtractione reſtringente multiplicitatem.

61 Deindé, ad probationem primi antecedentis: Reſpondeo, concedendo maiorem; quia ex eo, quod abſtrahat naturam realiter idemptificatam cum Petro, & realiter idemptificatam cum Paulo, potius ſequitur intentum; idem eſt ſiquidem, ac auferre id, per quod diſtinguebantur; diſtinguebantur enim, quia id, quod idemptificabatur cum natura Petri, non idemptificatur à parte rei cum natura Pauli: ergo dum id ſeparet, & abſtrahat, illas vnitate relinquit. Deinceps, venio vſque ad probationem conſequentiæ primi enthymematis, ſcilicet, id manet abractum, quod abſtrahit, & Reſpondeo concedendo hanc maiorem, ſervatis ſervandis, in forma in fieri, & in facto eſſe, (dico ſervatis ſervandis, quia in facto eſſe, non manet effectus in fieri, aliàs non foret factus) & venio ad minorem, ſcilicet; ſed duas naturas abſtrahit, id eſt, duæ naturæ ſunt abſtractæ in fieri; diſtinguo, ſunt duæ naturę in fieri, hoc eſt, vt termini, à quibus, & corrumpendi penes multiplicitatem, concedo; ita vt multiplicitas in fieri ſit terminus, ad quem abſtractio tranſeat, nego.

62 Itaque hæc omnia explicabuntur, declarando illam primam diſtinctionem in reſponſione primi antecedentis traditam, ſcilicet, duas naturas abſtrahit, ita vt dum abſtrahit, ſint dicendæ duæ adæquaté, eſt falſum; inadæquate, & partito modo, eſt permittendum. Explico diſtinctionem. Dum intellectus abſtrahit naturam à Petro, & naturam à Paulo, debent conſiderari duo requiſita, interſe pugnantia in illo tunc abſtractionis, ſicuti conſiderari poſſunt in forma, quæ gignitur, & corrumpitur in illo tunc introductionis. Dantur enim ex vna parte naturæ ſingulares, & diſtinctæ, & datur ex alia parte intelllectus circa diſtincta, munera abſtractionis exercens; naturæ ex vna parte ſunt ſingulares, intellectus ex alia, dum abſtrahit, illas vnificare intendit, ita vt ſicuti ex intellectu abſtrahente eſt ponenda vnitas, ex ſingularitatibus, à quibus adhuc non ſunt abſtractæ, eſt non minus requirenda multiplicitas. Abſtrahit igitur intellectus, in quo tunc, non poſſunt dici adæquaté duæ, quia iam removentur, & ſeparantur; deinde non poſſunt dici adæquaté vna; quia, etſi iam detur principium vnificandi, quod eſt abſtrahendi principium, adhuc tamen non ſunt abſoluté, & ſimpliciter abſtractæ: ergo abſoluté, & ſimpliciter non habent vnitatis adæquationẽ. En igitur quomodo, dum intellectus duas naturas abſtrahit, intelligitur, quod non ſint ita duæ in illo ſigno abſtractionis, quod exercita abſtractione non poſsint dici vna, & eadem. Argumenta, quæ hinc poſſunt obviari, ſolvenda ſunt ab vnoquoque, in illa difficultate, in qua diſputatur, an inſimul ſint forma, quæ gignitur, & quæ expellitur.

63 Ad ſecundam inſtantiam reſpondendo, condendum eſt, quod intellectus abſtrahit naturam realem, & ſic, nil roboris manet vſque ad ſecundam partem dilematis; ad quam reſpondendo, dico, terminum abſtractionis eſſe, in ipſo abſtractionis exercitio, duplicem illam naturam, Petri, ſcilicet, & Pauli; at vero, iam expedito abſtractionis exercitio, terminus abſtractionis, non duplex, ſed vnica erit natura, modo ſupra explicato, ita vt, nec poſſet dici tunc, quod eſt potius natura Petri, quã Pauli, quia radicitùs, & eviſceraté exhibito abſtractionis ordine, nõ datur iam, ex quo poſsit intellectus naturam

duplicem intelligere, ſicuti neque ibi datur, naturam huius, & illius capere; aliàs ſequeretur, quod vel non radicitùs abſtraxit, vel quod iterum ſubtiliſsimo tranſitu ad hoc, & ad illud deſcendit.

64 Deindé, in horum corroborationem, & in imminentium ſolutionem, eſt nimis conſiderandum, bene poſſe compati, quod intellectus, modo ſupradicto, duplicem naturam ex Petro, & ex Paulo abſtraheret, (verſa conſideratione naturæ, vt ex Petro, & ex Paulo, quæ vox exprimit ipſam, ſaltim ex parte ipſorum, adhuc contractam) & tamen, quod ſit realis, dum abſtracta radicitùs, vnica conſideretur. Ratio eſt; quia, etſi terminus, qui abſtrahitur, ſit realis natura duplicis individui, tamen vt recté prævidit Doctor, paſsim à me citatus *in lib. 1. de ente ſecundo intentionali*, modus intelligendi naturam, iam eſt rationis, & ſecundó intentionalis, quia modus eſt abſtractio naturæ, realiter illam ab idemptificatis ſecernendo; ex quo oritur, quod intellectus abſtrahendo naturam Petri, & Pauli, ipſas intenrinnaliter idemptificet, & vniat; qui modus vnificãdi non repugnat, quia in illo ſtatu abſtractionis datur fundamentum, vt aliud non poſsit facere intellectus, dum eas videt ſine differentijs, & ex alia parte non ignorat, naturam vnius individui eſſe ex ſe omnium individuorum naturam.

65 Ex quibus ad ſummum poterant in nos inferre, quod ſolum forêt intentionaliter vna; quam illationem ſine formidine concedam, quia vt ſupra probabiliſsimé cum Maſtrio, & alijs Doctoribus ſtabilivimus, vnitas præciſionis ad Vniverſalitatem requiſita, eſt formaliter rationis, & tamen natura eſt realis: ergo ſic pariter, etſi terminus intellectus ſit realis, & ipſe abſtrahendus ſit multiplex, poterit tamen modus intelligendi in diſtincto, & diſtanti ſtatu eſſe rationis, & vnificativus eorum, quæ in infimiori erant quid multiplex. Nequé iſta difficilima debent à contrarijs cenſeri, quia ipſi admittunt, naturam abſtractam eſſe realem; deinde, naturam de pluribus prædicabilem, eſſe realem; deniqué, & naturam habentem multiplicitatem ex prædicatione, eſſe realem; etſi bené conſiderent, quæ admittunt, nil minus inconvenire videntur eorum dicta, quam ex abſtractione vnificante, apud ipſos inconveniunt noſtra. Convincitur; quia apud ipſos non repugnat, quod vna natura realis ſit poſitivé in pluribus intentionaliter, etſi repugnet, quod ſic, realiter vna natura ſit in pluribus: Deinde non repugnat, quod vna natura realiter idemptificata, ſit ſine reali vinculo intellecta intentionaliter, etſi realiter ſeiuncta ipſi intrinſecé repugnet: ergo licet repugnet naturæ Petri, & Pauli realibus, eſſe vnam, & eamdem naturam à parte rei, non debebit repugnare, realem vtriuſque naturam vnitate rationis manere. His ita de maiori difficultatis puncto præiactis

66 Circa evilcerationem primi Articuli, non ſic difficulter extat nunc reſolvendum: poteſt igitur dici, iuxta præiacti puncti ſupra nunc poſitam reſolutionem, quod vt natura ſit de aliquibus expedité prædicabilis, non ſufficit, illam abſtrahere poſitivé ab vno, ſed requiritur, quod abſtrahatur ab illis, de quibus rationabiliter, & cum fundamento cupit intentionaliter intellectus prædicare naturam, ipſamque illis intentionaliter vnire; vel ſaltim requiritur, quod ſit abſtracta ab vno, & negative à reliquis, modo à me ſupra explicato, in eviſceratione primi puncti; etſi exiſtimem, quod ſic negativé abſtracta, multum in nomine cum altera abſtractione conveniat; & ſi non conveniat, ſed diſtincté abſtracta conſideretur, vt intendit vltima illa inſtantia in primo puncto, in tali caſu, ſuaviùs, & conformiùs deffendetur cum Oviedo, & alijs, huius reſolutionis prima pars.

67 Itaqué illius vltimæ inſtantiæ memores, ſupra *in Art.* 1. ſic reſolutionem huius puncti explicare debemus: videt enim intellectus naturam Petri v.g. & duodecim hominum, ſpecialiter in vnoquoque contractam; abſtrahit deinde naturam Petri, ita vt ipſam realiter ſeiunctam à petreitate perpendat; tális natura realiter eſt diſtincta ab omnibus, ſicut, & à Petro, at tamen non videtur expedité prædicabilis de omnibus, ſicuti de Petro, quia à Petro eſt realiter diſtincta, quia abſtracta; ab alijs veró nõ eſt ſic diſtincta, quia etiam ſi abſtracta non fuiſſet à Petro, non minus, imó magis realiter diſtincta foret ab illis, ſiquidem vnquam ad illos poſlet adhuc intentionaliter deſcendere, & vnitive ire. Deindé, non videtur expedité prædicabilis de illis, quia etſi natura ſecundum ſe ſit in promptu ad prædicationem de illis, ſicuti de Petro, cum tamen expedita prædicatio requirat non minorem habilitatem ex parte ſingularium, & in vnoquoque adhuc ſpecialem naturam inveniat, non poterit prædicari de illis, ſi intellectus duplicem naturam vni individuo accomodare non repugnet. Licet enim natura illa nullam haberet ſingularitatem, differret tamen ab alijs inadæquaté ſaltim,

Digitized by Google

tim, quia, etſi ipſa non ſingularis vndequaqué foret, aliæ tamen vndequaque forent ſingulares: ergo non foret poſitivé, & abſolutè expedité prædicabilis vna, & eadem.

68 Qua propter, ad hoc vltimé reſolvendum, debemus dicere, quod vt natura abſtracta ſit vniverſalis, dupliciter poteſt abſtrahi ab illis, reſpectu quorum debet expediri prædicabilis; vel ita abſtracta à duodecim v. g. quod ipſis cognitis, inſimul, & per eumdem actum naturam à duodecim intellectus abſtrahat, & tunc natura manebit vna, huiuſqué abſtractio efficietur, ſicuti de natura Petri, & Pauli abſtractis, in reſolutione antecedenti diximus ſupra: vel poteſt ita fieri abſtractio, vt intellectus abſtrahat naturam Petri v. g. & deinceps ab alijs ſeparet naturas, vt vna, ſcilicicet, quæ fuit in Petro, ſit æque expedibilis de omnibus; in quo caſu, ſimiliter ac ſupra eſt dicendum, quod, dum iam radicitus, & omnimodé naturas aliorum ab eorum ſingularitatibus abſtraxit, & excluſit, vnica erit omnium natura, eo modo, quo ſupra diximus, quod naturæ abſtractæ quid indiſtinctum manent. Ratio eſt; quia ſic radicitus ſeiungendo differentias aliorum, ipſorum naturas ponit, & elevat ad eumdem ſtatum, in quo erat natura, quæ fuit abſtracta à Petro, & in illo ſtatu nullus iam manet diſtinctioni locus; preterquam quod ad vnificandum, datur actus abſtractivus, qui in primo paſſu abſtractionis incipit intentionalizare, & cum fundamento, naturam vniverſalizandam, ratione adaptat. Ex his, & ex ſupradictis, facilé poteſt occurri aliquibus inſtantijs, à me in prima eviſceratione formatis.

SUBAR. I.

PROPONITVR EX SVPPOSITIONE indicium.

69 EX ſuppoſitione probabilitatis circa diſtinctioné duarum naturarum in abſtractionis ſtatu, dupliciter poteſt conciliari vnitas requiſita ad prædicationem vniverſalem naturæ. Primo modo, ita, vt licet natura requirat abſtrahi ab omnibus, de quibus ſit prædicanda, & deinde tot ſint naturæ realiter diſtinctæ, quot individua, à quibus fuerunt abſtractæ naturæ, hoc non impediat, vt natura quævis abracta ſit vniverſaliter prædicatione expedibilis. Ratio eſt; quia Vniverſale eſt vnum de pluribus prædicari aptum; ſed quævis natura abſtracta, vt de pluribus prædicetur eſt apta: ergo quod diſtinctæ fuiſſent naturæ abſtractæ, nil impediet, vt quævis ſit prædicatione expedibilis. Prob. minor; quia quævis natura maneret æqué diſtincta ab omnibus, nullam includens ſingularitaté, & deindé æqué comparabilis ad quamcumque, & inſimul ad omnes: ergo quævis natura abſtracta, vt de pluribus prædicetur eſt apta.

70 Secundus modus, iuxta quem poteſt vnitas vniverſalis conſtrui, ex ſuppoſitione, quod naturæ abſtractæ diſtinguantur, é contra conciliari poteſt. Dicendum eſt igitur, quod vt natura expedité ſit de pluribus prædicabilis, non debet abſtrahi de omnibus, ſed ſolum de vno, ita vt deinceps ſingularitates reliquorum, non poſitivé abſtractæ, & diſtincté cognoſcantur, ſed ſolum preciſivé, abſtrahendo ab idemptitate, vel carentia idemptitatis, vt in prima queſtione de vnitate preciſionis dicebat Amicus; quo ſimili modo poteſt dici, quod natura prædicabilis, debet etiam ſolum preciſivé eſſe abſtracta; ex ſuppoſitione tamen, quod natura prædicabilis, non poſitivé, ſed puré preciſivé ſit abſtracta, ab omnibus poterit præſcindi, cum ſic ab omnibus præſcindi, non exprimat aliud, quam cognoſcere naturam, nullam præcisé intelligendo ſingularitatem.

71 Quilibet iſtorum modorum eſt reſolvendus, ex ſuppoſitione, quod naturę abſtractę diſtinguantur; quia argumenta, quæ militant contra vnitatem pręciſionis privativé intellectam, non ſunt illius difficultatis, cuius ſunt argumenta, quę militare poſſunt contra vniverſalitatem naturæ, ex ſuppoſitione, quod naturæ diſtinguantur. Ratio eſt; quia, etſi prima explicatio vnitatis, hinc poſita in initio reſolutionis, congrué intelligatur, relinquit tamen plures difficultates, ſimiles huic, ſcilicet, quod etſi vna natura ex abſtractis ſit prædicabilis de pluribus, ſed tamen nunquam natura illa v. g. humana, foret ſpecies vniverſalis; quia ad hoc vt Vniverſale foret ſpeciei, requirebatur, quod totum eſſe ſpecificum extra ſingularitatem intellectum, prædicaretur de quolibet, & de pluribus; ſed licet vna natura abſtracta prædicaretur de omnibus, ex ſuppoſitione quod aliæ naturæ abſtractæ manerent diſtinctæ, totum eſſe ſpecificum, etſi extra ſingularitatem intellectum, non prædicaretur de omnibus. ergo ex ſuppoſitione, quod naturę abſtractę diſtinguerentur, nunquam natura illa humana foret ſpecies vniverſalis. Etſi enim de facto, ex diſtinctione reali ab vnitatibus numericis deſumpta, ſine inconveniente contra ſpeciem ſalvemus, quod Petrus non habet abſolutè ipſam formalem naturam humanam

Ff 2 Pauli,

Pauli, ſed diſtincta in re prædicata formalia; at tamen ex ſuppoſitione, quod naturæ nil ſingularitatis dicant, difficilimum, & ingentis inconvenientis videtur, quod vni ſingulari non communicetur tota natura humana extra omne eſſe ſingularitatis intellecta, ex quibus plura poſſunt opponi inconvenientia. Infero igitur ex dictis, probabiliùs poſſe deffendi ſecundam reſolutionem de vnitate privativæ præciſionis, quocumque modo ex illis intellecta.

QUÆSTIO III.

An poſſit præſcindi natura ab vnico individuo, cæteris impoſſibilibus; & quid, cæteris poſſibilibus, ſit dicendum.

72 Supponit quæſtio, naturas aliquas ita determinatas, vt ſola vnica ſingularitas illius naturæ poſſibilis ſit: v.g. in ſententia D. Thomæ tenentis, omnes Angelos eſſe in ſpecie diverſos, an natura Michaëlis foret præſcindibilis; & idem inquiri ſolet, caſu, quo ſolus Petrus inter homines foret poſſibilis. Pro cuius puncti deciſione advetti ſolet, duas individuationes debere intelligi, completam vnam, incompletam aliam. Vocant individuationem incompletam, illam, quam haberet natura ſpecifica Michaëlis, adhuc à ſingularitate præciſa, eo quod, adhuc tunc illa natura foret ipſi propria, & alijs incommunicabilis, ac perconſequens cum omnis incommunicabilitas ab aliqua differentia individuali proveniat, ſaltim incompletè, foret illa natura individua. Vocant differentiam individualem completam, omnem illum actum, & ſingularitatem, ſupra prædicata illa propriſsima naturæ intellectam.

73 Aliqui enim Thomiſtæ aſſerunt, quod ſi Michaël clarè cognoſcatur, vt eſt in ſe adæquatè, non poterit præſcindi, quia illius natura in ſe eſt ſuæ differentiæ individuali eſſentialiter alligata, & ſic Beatos, res in ſe cognoſcentes, non poſſe illam præſcindere; at verò, poſſe præſcindi à nobis, qui Angelos inadæquatè cognoſcimus, & ad modum rei materialis, ſicque poſſe formare ideam de natura Michaëlis, & non de eorum ſingularitate. Alij verò, quorum noviſsimus eſt Dionyſ. Blaſco *in lib.* 3. *quæſt.* 3. *Art.* 3. tenet, poſſe à nobis præſcindi à ſingularitate, ſeu differentia individuali completa, non autem ab incompleta, pro quo exponit ſuum Doctorem Reſolutum *in ſynopſi.*

74 Reſolvendum ſentio, in caſu prædictæ ſuppoſitionis, nullo modo ex prædictis, naturam Michaëlis eſſe præſcindibilem. Hanc reſolutionem exiſtimo deducendam ex probabiliori doctrina Scoti, ſupra ſatis expoſita, & ſtatim hac ratione magis aperienda; quia ex duplici motivo poteſt rectè fundata fieri præciſio, ſcilicet, vel quia cognoſcimus, vnum abſolutè non eſſe aliud; vel quia, etſi hoc non cognoſcamus, cognoſcimus tamen, illud vnum de ſe non eſſe aliud; ſed in caſu prædictæ ſuppoſitionis, neque abſolutè, neque de ſe, natura Michaëlis diceret non eſſe ſua ſingularitas: ergo nullo modo rectè fundata fieri poſſet præciſio. In maiori ſiſtit vniverſa doctrina, hucuſque ab Scoto eviſcerata: Suadetur deinde; quia ſi vnum ex illis duobus motivis deficiat intellectui, eſt imperceptibile, quod vnum ab alio, ſine intelligibili contradictione, præſcindat. Minor ſuadetur quoad ſecundam partem; quia abſolutè natura eſt ſua propria ſingularitas: ergo iuxta id, quod abſolutè dicit, & eſt, non poteſt ſine contradictione fieri præciſio.

75 Suadetur quoad primam partem, verſus quam viget difficultas; quia ex eo poteſt intellectus inferre, quod natura, quæ eſt in Petro, ipſa de ſe non dicit magis Petreitatem, quam Pauleitatem, quia in quacumque ſingularitate ponatur, eadem natura foret, & illud individuum idem homo; ſed non poteſt noſter intellectus ponere naturam Michaëlis in alio individuo, neque caſu, quo illam poneret, tale individuum fuiſſet idem Angelus, ac erat: ergo quia non poteſt inferre intellectus, quod de ſe natura Michaëlis non eſt, ſeu non dicit ſuam ſingularitatem. Maior certiſsima videtur; quia ſi de facto perciperet intellectus decē individua in natura humana, & deinceps ſupra hæc individua, perciperet naturam Petri talis conditionis, quod abſtracta, & poſita in quovis ex illis decem, diſtinctæ naturæ illa relinquebat, & ſic de reliquis individuis perceptibilibus, ſtatim inferret intellectus, quod natura Petri de ſe ſolum dicebat Petreitatem: ergo.

76 Prob. 2. reſolutio; quia quomodocũque præſcindatur, ſemper in tali natura dabitur aliquid, iuxta quod cognoſcatur, quod ſit Michaël: ergo numquam poterit ita præſcindi, quod non cognoſcatur, quod ſit hæc. Antecedens ſuadetur; quia quomodocumque illa natura præſcindatur, ſemper cognoſcetur, quod illa natura non eſt Raphaëlis, & ſic neque aliorum Angelorum, quos pro nunc cognoſcimus: ergo quomodocumque præſcindatur, ſemper in tali natura dabitur aliquid, iuxta quod cognoſcatur, quod ſit Michaëlis.

Reſ-

Digitized by Google

77 Reſpondebis, benè poſſe cōpati, quod cognoſcatur, illam naturam non eſſe Raphaëlis, nequè aliorum, & tamen non cognoſci, quod ſit Michaelis. Sed contra; quia ex eo de facto poſſumus præſcindere naturam ab vno individuo, quia ab illo præciſa, cognoſcimus, quod talis natura, ſcilicet, humana, non ſit magis propria illius individui, quam cæterorum; ſed natura Michaëlis, quamtumvis præciſa, non cognoſceretur eſſe ſic cæterorum propria, ac ipſius: ergo nunquam poſſet præſcindi, dum determinatè contra cætera individua cognoſceretur adhuc, vel poſſet cognoſci.

78 Reſpondebis, quod vt poſsit præſcindi, non requiritur, quod cognoſcatur eſſe nō magis cæterorum, ac ipſius; quia etſi natura humana de facto præſcinderetur à Petro, & natura equina à Buccephalo, ambæ cognoſcerētur præciſæ, & tamen neutra eſſet indifferens ſingularitatibus, à quibus fuerunt præciſæ. Sed contra, & inprimis non infringitur impugnatio; quia ſi natura præciſa à Petro cognoſceretur, quod non erat vllius individui naturæ humanæ, nec non, quod nec poterat eſſe, & ſic cognoſceretur reſpectu individuorum cuiuſvis naturæ, à fortiori debebat cognoſci, quod erat vnius individui natura: ergo vt poſsit præſcindi, requiritur, quod ſit nō magis ceterorū, quā ipſius. Prob. cōſequētia; quia eſtó cognoſceretur sēper, quod erat vnius individui natura, individua, & ſiugularis cognoſceretur ſemper, ita vt ſolum de nomine illius individui poſsimus habere quęſtionem: ergo vt poſsit præſcindi, requiritur, quod ſit non magis cæterorum, quam ipſius.

79 Confirmo dicta; quia talis natura, quomodocumque præciſa, cognoſceretur, quod nequè erat, nec poterat eſſe plurium: ergo eſtó nomen ignoraretur, individuam determinatè eſſe, cognoſceretur. Prob. antecedens; quia vt ſupponit quæſtio, non minus illa natura non eſſet Raphaëlis ex ſuo eſſe ſpecifico, & ſic nullius alterius individui Angelici, quam natura humana non eſt nunc Leonis, & aliarum ſpecierum; ſed natura humana quomodocumque præciſa, non poteſt cognoſci, quod non ſit alterius ſpeciei ab omnibus alijs, quin cognoſcatur, vnam determinatā ſpeciē haberet: ergo natura illa quomodocumque præciſa, non poſſet cognoſci non eſſe Raphaelis, & ſic cęterorum, quin cognoſcatur, quod non erat plurium; ac per conſequens vnum determinatum habere individuum, quod etſi foret Michaël, nil perderet, dum vocaretur *B*. His ita.

80 Contra 2. quia ſi ſolus ab intrinſeco foret Petrus, & ſolus ab intrinſeco foret Buccephalus, eorum naturæ non poſſent cognoſci preciſæ: ergo ruit ſolutio. Prob. antecedens; quia ſi ſolus non fuiſſet Petrus, poſſet, imó aliter cognoſceretur eius natura; ſed ſi ſolus non fuiſſet, poſſet cognoſci præciſus: ergo ſi fuiſſet ſolus, impræſcindibilis cognoſceretur. Prob. maior; quia ſi non fuiſſet ſolus, natura Petri foret inſtrumentum, vt reliquæ omnium naturæ, in ipſa præciſa cognoſcerētur; ſed ſi fuiſſet ſolus, erat impoſibile hoc: ergo ſi ſolus non fuiſſet Petrus, poſſet, imó aliter cognoſceretur eius natura. Nunc ſic: tanto aliquid indiſtat à cognitione ſingularis, & ſui, quantum diſtat à cognitione vniverſalis, & aliorum; ſed ſi ſolus foret ab intrinſeco Petrus, natura eius ſummé diſtaret, vt induceret in cognitionem plurium, & ſigni vniverſalis: ergo ſummé indiſtaret, vt induceret in cognitionem ſui, & ſingularitatis. Maior illationis conſona videtur, & præcipué, dum non ſolum cognoſceretur, quod illa natura non erat vniverſalis, ſed nequé abſtrahens ab eſſe vniverſalis, & ſingularis; ex quo poterant dicere aliqui, quod non repugnaret, quod nec foret vniverſalis, nec ſingularis.

81 Prob. 3. quia illa natura Petri præciſa foret incommunicabilis Buccephalo: ergo foret individua completé. Reſpondebis ſtatim, vt ibi, negando conſequentiam, quia rationalitas de facto præciſa, eſt incommunicabilis, tam naturæ, quam individuationi Buccephali, & tamen non ſequitur, quod ſit vltimaté individua. Sed contra, arguo ſic: ſed nequé de facto poſſet rationalitas eſſe incommunicabilis, non ſolum ſpeciei, ſed omni individuationi, quin foret individua: ergo cum ex ſuppoſitione, quod omnia individua naturæ rationalis forent impoſsibilia, maiorem, & magis excogitabilem incommunicationem haberet, & dū nulli ſic cognoſceretur communicabilis, cognoſceretur individua. Minor convincitur; quia eſt impoſibile, quod aliqua rationalitas de facto ſit incomunicabilis, non ſolum cuilbet ſpeciei, ſed, & cuilibet individuo, & quod abſoluté non ſit indiuidua: ergo. Conſequentia ſuadetur; quia ex ſuppoſitione, quod natura Petri, & ſic Pauli, & aliorum eſſet ad vnum individuum determinata, maiorem adhuc determinationem haberet, quam habet de facto natura in Petro individua; iſta ſiquidem poteſt abſtrahi, & poni deinceps inquolibet, & non ſic illa: ergo quia ex tali ſuppoſitione, talis natura maiorem, &

ex

Digitized by Google

excogitabilem omnem determinationem haberet.

82 Prob. vltimo; quia natura divina eſt impræſcindibilis à ſua ſingularitate completa: ergo, & natura Michaëlis. Reſpondent aliqui, noviſsimé Dionyſ. negando conſequentiam; quia Deus eſſentialiter eſt ſua ſingularitas, etiam metaphyſicé; at Michaël, phyſicé eſt ſua ſingularitas, non metaphyſicé; nam idem eſt, eſſe naturam divinam, & vnam naturam; Michaëlis veró, eſſe naturam, & eſſe vnam naturam, non eſt idem; nam conceptu confuſo, & inadæquato poteſt concipi vt natura Michaelis, non vt vna, admodum naturæ humanæ Petri. Non ita in Deo, nam eo ipſo, quod concipiatur vt natura divina, concipitur vt vna, cum non poſsit mens concipere plures naturas divinas.

83 Sed contra Dionyſ. ſpecialiter argui poteſt; quia qui perfecté cognoſceret naturam Michaëlis, cognoſceret, illam naturam non poſſe eſſe plures: ergo penes præciſionem, ſic conſideranda eſt natura Michaelis, ac divina. Prob. antecedens; quia ipſe non admitit cum Thomiſtis, tenentibus vniverſale ſecundum rationem tantum, naturam ex ſe dicere non repugnantiam ad pluralitatem, eſtó individua plura ſint impoſsibilia: ergo qui perfecté cognoſceret naturam Michaëlis, hoc eſt, vt eſt in ſe, cognoſceret, illam naturam non poſſe eſſe plures. Nunc ſic: ex eo apud Dionyſ. & alios, natura divina eſt à ſua ſingularitate metaphyſica impreſcindibilis, quia cognita eius natura in ſe, non poteſt mens concipere plures naturas divinas; ſed nequé cognita in ſe natura Michaëlis, poteſt concipere plures naturas Michaëleas: ergo ſic natura Michaëlis, ſicuti Dei natura, erit à ſua ſingularitate impreſcindibilis.

84 Dicet Dionyſ. naturam Michaëlis poſſe cognoſci cum impluralitate, ex eo, quod non poſsit præſcindi à ſingularitate incompleta; ſemper enim cognoſceretur prædicata illius ſpeciei phyſicæ propria, & incommunicabilia; ſed cum hoc poterat compati, quod non cognoſceretur completa ſingularitate; quia vt de ſe patet, conceptus ſingularitatis, diſtinctus eſt à conceptu naturæ, & prædicatorum eſſentialium. Sed revera non infingitur inſtantia; quia illa natura Michaëlis, à ſingularitate incompleta impræciſa, vel eſt communicabilis pluribus individuis, vel non? Si ſi: deſtruitur ſuppoſitio. Si nō: ergo nulla perfecta ratio poteſt cognoſcere, non ſolum non eſſe plures naturas, ſed nequé poſſe eſſe. Ex quibus eſt mihi evidentiſsimum, quod ſi tali impluralitate cognita in natura Michaëlis, poſſet aliquis habere conceptum quidditatis eſſentialis, diſtinctum à conceptu ſingularitatis completæ, etiam reſpectu naturæ divinæ, poſſet ſimiles habere conceptus; nequé illos habendo, vnitatem Dei deſtrueret, eſtó compatibiles eſſe poſsint. Deinde infero, quod altioris ordinis eſſet natura Michaëlis, quam Dei, ſiquidem adhuc à ſingularitate completa præciſa, debebat cognoſci implurificabilis, & Deus ſic cognoſceretur in ſingularitate poſitus.

85 Quod enim implurificabilis cognoſceretur natura Michaëlis, videtur certum; quia debebat cognoſci, vt erat in ſe, & quomodocunque præciſa, in ſe, nec plures, nec plurificabilis eſſet; aliàs, dum ſingularitate completa ſolum foret implurificabilis, ſequeretur, quod ſingularitas aliquam indifferentiam in natura limitavit, ac per conſequens, non erit natura, vt ſupponitur Deinde, nequé ex illo confuſo modo cognoſcendi, aliquid vitat Dionyſ. quia vel naturam illam perfecté intuentes, ſic cognoſcent, vel non? Si ſic cognoſcent: ergo natura in ſe, non erit ex ſe implurificabilis, & ſic infero reliqua iam dicta Si ſic non cognoſcent: ergo ſolum ex ignorantia confunditur quod eſt; quo pacto irrefragabiliter manent impugnati Thomiſtæ illi, qui apud Beatos claré cognoſcentes, impræſcindibilem relinquebant naturam. Itaque eſt mihi certum, quod ſi facta ſuppoſitione, poſsit cognoſci natura Michaëlis, quin cognoſcatur eſſe Michaëlis, etiam ſi bené conſideretur, poterit cognoſci natura divina, quin cognoſcatur eſſe Dei; quia ex ſuppoſitione ſupradicta, non minus propriora, & ſtrictiora Michaëlis debent elucere in eius natura, ipſi ſoli ab intrinſeco ſervata, quā propriora, & ſtrictiora reſplendent in natura, ſoli Deo ſervata; quaré ſi recté comprehendamus vtriuſque naturæ conditionem, confundetur intellectus, quia ex pura impluralitate, neſciet qualis illarum, natura ſit divina. Ex quo infero, non debere concedi, aliquam naturam extra Deum, vni ſoli ſingulari habilitatam.

86 Objicies: ſi non poſſet præſcindi, maximé, quia non eſſet communis, nec latiùs pateret, quam ſingularitas; ſed hoc non obſtat: ergo. Maior videtur noſtrum fundamentum in nota Dionyſij; quia ideo modo dicimus, eſſe præſcindibilem, quia latiùs patet natura humana, quam Petreitas: ergo ideo tunc non eſſet præſcindibilis, quia latiùs non pateret. Minor prob. quia prædicata æqualis latitudinis poſſunt præſcindi, ſi habeant conno-

tata

tata diſtincta, vt patet in riſibili, & flebili, cognoſcitivo, & volitivo, viſivo, & guſtativo, &c. Sed natura Michaëlis, & differētia individualis habēt diverſa connotata, quia illa connotat operationem propriam Michaelis, hæc veró differentiam ab omnibus alijs; neque eſt idem eſſe naturam Michaelis, & eſſe vnam naturam diſtinctam ab alijs: ergo etiam poſſunt præſcindi. In hoc argumento feſé omnis vis contrariorum ſiſtit.

87 Reſponderi poteſt, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem minoris, conceſa maiori, nego minorem; quia ex ſuppoſitione prædicta, eſt impoſſibile, quod intelligatur natura Michaelis, & quod ſecundum ſe non intelligatur ab omnibus alijs diſtincta, ita vt idē ſit in natura Michaelis, eſſe naturā, & eſſe vnam, & in ſe, & ab alijs diſtinctā. Verū enim eſt, quod differentia individualis de facto, diſtincto munere percipitur, ac natura, ex quo percurritur tranſitus ad differentiam, ex ſuppoſitone, quod natura ex ſe non peteret plura; immeritó tamen, quia de facto non poſſumus percipere differentiam poſt aliquem gradum, quin differentia talis gradus ſit reſtrictiva, ſaltim fundamentalem, aut negativam indifferentiam tollens ab illo; ſed ex ſuppoſitione, quod natura Michaëlis ex ſe excludat plura, nil reſtringit: ergo ſine fundamento vocatur differentia, nec nō intelligitur ſuperflué poſita; quid ergo mirum erit, quod ſit impræſcindibilis natura, ſupra quam non additur differentia? Vnde ſicuti eſt imperceptibile, quod natura divina connotet operationes, quin ſit hæc, ſic & erit imperceptibile, quod natura Michaëlis abſque ſingularitatis intelligentia, ſit operationis connotativa. Ex quibus ſemper infero, ſoliùs naturæ divinæ eſſe proprium, talis eſſe conditionis, quod in plures naturas ex ſe ſit impluriſicabilis. Neque aptum vidi fundamentum, vt dum natura Petri ex ſe poſſit habere plura individua, plura de ſe non poſſit habere Michaëlis; vnicuique enim individualis differentia eſt æqué propria.

88 Dices: in tali caſu ſequeretur, quod differentia ſpecifica non differret in Michaële ab individuali, ita vt per nullum prædicatum aptiùs, quam per ſingularitatē eſſentialiter diſtingueretur. Sequeretur deindé, quod differentia individua immediaté contraheret genus, & ſic ſequererur alia, quæ abſurda revidentur: ergo. Reſpondeo concedendo prædicta, quæ potiùs contra ipſos videntur inconvenientia; ſi enim ipſi ponunt in natura Michaëlis talem differentiam ſpecificam, quod nō ſit extenſioris ſphæræ, quam ſit individua, quid inconvenit deinceps, dum ponatur differentia individualis in tam extenſa ſphæra, quam ſpecifica, ſi huius maior extenſio nunquam vniverſalitate perfruitur? Deinde, non reputamus inconvenire, quod in tali caſu, non minus eſſentialiter differat ſpecie, quam individutione, ſicuti nō reputatur ab ipſis in Deo, quia iſte non eſt logica ſpecies: vndé differētia individualis contraheret genus phyſicé, non logicé, dato, quod in tali ſuppoſitione, genus, & non ſpecies vocaretur.

89 Inſtabis: ſi plures Angeli eſſent poſſibiles eiuſdem naturæ Michaëlis, iſtius natura poſſet præſcindi à ſua ſingularitate: ergo etiā modo, licet alij ſint impoſsibiles, quia aliorum poſsibilitas, vel impoſsibilitas, nō immutat naturam huius Michaëlis. Sic etiam, ſi ſolus Petrus eſſet poſsibilis, æqué, ac modo præſcinderetur natura humana à petreitate: ergo &c. Miror, quod Dionyſ. Blaſco prædictam rationem formet, formando concluſionem videndam §. 2. *num. 62.* Reſpondeo breviter, concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt manifeſta, quia ex ſuppoſitione, quod naturæ Michaëlis ſit de ſe intrinſecum, hanc ſolam ſingularitatem habere, dum ipſi plures aliæ ſingularitates non repugnarent, variaretur natura, & ſuppoſitio, & ſic nil contra nos, dum præſcindibilis maneret. Idem dico de natura Petri. Itaque argumentum inſtat implicatorié, ſicuti inſtaret dicendo, quod ſi alia ſingularia eiuſdem naturæ divinæ forent poſſibilia, poſſet natura divina præſcindi à ſua ſingularitate, quia divinorum ſingularium poſsibilitas non immutaret naturam divinam. Ex quibus

90 Reſolvo 2. quod caſu, quo natura Michaëlis foret talis conditionis, quod ipſi de ſe non repugnarēt aliæ ſingularitates, poſſet præſcindi à propria, etſi de facto, iſta ſola daretur. Hæc reſolutio eſt ſine diſcrimine conformis ſubtili doctrinæ Doctoris. Suadetur; quia ratio, propter quam, iuxta primam reſolutionem, fuit impræciſa, ſiſtebat in hoc, quod quomodocunque præſcindatur, nunquam à natura determinatio individua aufertur; ſed ex ſuppoſitione, quod ipſi ſecundum ſe non repugnet eſſe in Gabriele, iam aufertur determinatio individua, quia aufertur determinatio ad Michaelem: ergo non repugnabit præciſio, etſi alia ſingularia ipſi de ſe non repugnent. Itaque, tunc poſſet cognoſci natura ſine individuali differentia, vt nunc cognoſcitur, quia quamtumvis comprehenderetur natura,

nun-

nunquam intra viſcera formalia naturæ cognoſceretur Michaëleitas, eo quod hæc ſit terminus determinans, & intra eſſe naturæ daretur iam indifferentia, & nunquam ad cognitionem determinantis, medium indifferens ducere poteſt.

QUÆSTIO. IV.

Quid de prædictis naturis in ordine ad vniuerſalitatem ſit ſentiendum.

91 ADvertendum eſt, duplex vniverſale à Thomiſtis diſtinguis; aliud ſecundum rem, & rationem ſimul, quod præſcinditur à multis actù exiſtentibus, in quibus poteſt eſſe intentionaliter; & aliud ſecundum rationem tantum, quod ſolum præſcinditur ab vno, & concipitur potens eſſe in multis, de facto tamen ſolum eſt in vno; & hoc dupliciter: primó, ſi ſint poſsibilia alia eiuſdem ſpeciei, v.g. Sol; ſecundo, etiam ſi alia eiuſdem ſpeciei ſint impoſsibilia, v.g. natura Michaelis, quæ præſcinditur ex parte obiecti à ſua ſingularitate, & licet nec de facto, nec de poſsibili non ſit niſi in vno, concipitur tamen, vt potens eſſe in multis, quatenus eſt de ſe, ſi darentur alia individua poſsibilia, eo quod impedimentum ſingularitatis non obſtet, cum ſupponant ab illa præſcindere. Vndè dicunt, eſſe vniverſale, non poſitivé, ſed negativé, per non repugnantiam, quia quantum eſt ex parte naturæ non repugnat, ſed ſolum ex impoſsibilitate aliorum individuorum.

92 Circa deciſionem huiuſcemodi opinionis, parum ſentio controvertendum. Primum, propter iam dicta; ſi enim ſimiles naturas impræſcindibiles eſſe ſtabilimus, conſequenter dicere tenemus, adhuc negativé non poſſe eſſe vniverſales, cum nunquam poſsit præſcindi caſus, in quo ſingularitas, ſeu determinatio naturæ nō obſtet ad vniverſalitatem naturæ. Secundum; quia de omnipotentia propter ſuam infinitam, & eminentiſsimam independentiæ perfectionem, non dicēt ipſi vt nos, poſſe habere virtutem ad infinita, eſtò hæc non ſint poſsibilia, & ſic exiſtimo, neque ab ipſis dicendum de ente limitato, poſſe habere non repugnantiam ad plura, eſtó iſta ſint impoſsibilia. Qua propter, cum inter limitata æqualis debeat eſſe ordo rerum ſe coexigentium, (vt exiſtimo apud eos) conſequenter exiſtimo reſolvendum, quod eſtó dicant, dari naturam ex ſe pluribus communicabilem, inſimul concedere debent, dari terminos, qui ſaltim aliqua aptitudine, naturæ aptitudini correſpondeant.

93 Dices, Scotiſtas concedere eamdem non repugnantiam prædictorum Thomiſtarum: ergo inconſequenter illam impugnamus. Prob. antecedens; quia vniverſalitas, ſeu communitas negativa Doctoris Subtilis, non ſiſtit in alio, quam in hoc, quod naturæ de ſe non repugnet eſſe in Paulo, etſi ſit in Petro, quod tamen eſt non minus impoſsibile; ſed hoc eſt concedere non repugnantiam ex parte naturæ, cum repugnantia ex parte terminorum: ergo Scotiſtæ concedimus eamdem non repugnantiam prædictorum Thomiſtarum. Reſpondeo negando antecedens. Ad eius probationem, permiſso antecedenti, diſtinguo minorem: cum repugnantia ex parte terminorum, vt Thomiſtæ concedunt, nego; cum repugnantia, non ſic abſoluta, & ſtricta, concedo; & nego cōſequentiam. Itaqué dico, quod nunquam Scotiſtæ abſoluté, & omnibus modis, terminos repugnantes naturæ aptitudini coreſpōdere, dicimus, ſicuti in prędicta opinione intendunt Thomiſtæ. Ratio eſt cōſpicua; quia etſi de ſingulari, vt à parte rei cum natura idemptificato, ſit impoſsibile, quod poſsit habere in ſe naturam alterius ſingularis, nunquam tamen dicimus, quod ſingularitas, vt eſt terminus abſtractionis naturę, & idemptitatis propriæ, non ſit terminus realis, cui communicatio naturæ impoſsibilitetur, in quo caſu, cum aliqua non repugnantia, illum correſpondere naturæ, exiſtimamus; ſic natura, etſi parum aliter, exhibet non repugnantiam ad ſingulare; quia natura, etſi in priori ad ſingularitatem dicat non repugnantiam ad eſſendum in quocumque, at autem naturæ, vt ſingulari, & individuæ, iam repugnat eſſe in alio, extra illud in quo eſt: ergo ſingulare ſic præciſum, aliquomodo inducet non repugnantiam coreſpondentem ad naturam.

94 Deinde, eſt nimis notandum, quod ſupra dixi, ſcilicet, nunquam nos individua, ſic terminos impoſsibiles abſoluté contemplari; quia ſicuti natura realis, eſt quæ Intentionaliter communicatur Petro, & Paulo v.g. ſic Petrus, & Paulus reales, ſunt, quibus intentionaliter communicatur natura: ergo termini connotantes naturæ non repugnantiam, non ſunt impoſsibiles, ita, vt aliquid reale non habeant, & retineant, etſi aliquid reale ab ipſis, præciſionibus, & comparationibus auferatur, ad hoc vt habiles ad prædicationem exiſtant. Antecedens ſuadetur; quia ſicuti ſuperius, & prædicabile eſt concretum ſecundé inten-

intentionale, ſic inferius, & ſubijcibile tale concretum eſt: ergo ſicuti concretum prædicabile requirit naturam realem cum ſecunda intentione prædicabilitatis, ſic concretum ſubijcibile requiret ſingularitatem realem cum ſecunda intentione ſubijcibilitatis. Ex quibus manifeſté infertur, nunquam nos concedere terminos non repugnantiæ naturæ eſſe abſoluté impoſsibiles, ſed ſolum vt poſitivé, & inſimul expedibiles à parte rei, quo pacto etiam aptitudo naturæ eſt impoſsibilis; requirit ſiquidem adhuc vnitatem præciſionis poſitivæ, quæ actû rationis formatur, & conſtruitur. Et quia forte aliquis Scotiſta contra hanc doctrinam remurmurabit, ſic illam adaptare intendam: nullus terminus realis poteſt ſine contradictione eſſe principium, & pars alicuius entis, quin in ipſo termino, nõ repugnantia, ſeu fundamentum reale aliquo modo inſpiciatur; ſed ſingularitas, quæ eſt terminus realis, eſt ſine contradictione principium, ſeu pars entis huius ſecundó intentionalis, ſcilicet, Petrus eſt homo, dũ prædicativé natura humana communicatur Petro: ergo quia in ipſa ſingularitate datur aliqua nõ repugnantia, ſeu fundamentum reale. Maior propoſitio extat laté propugnata in *lib. 1. de ente intentionali*, præcipué *diſt. 1. quæſt. 1. & 2.*

95. Deinde, quod ſingulare ſecũdum totum, quod de facto dicit, ſit terminus impoſſibilis, vt expeditivus communicationis poſitivę, & à parte rei, ſuadetur; quia ſic ſe habet natura, vt predicabilis, ſicut ſingulare, vt ſubijcibile; ſed natura, vt idẽptificata cum ſingularitate eſt forma impoſsibilitata, vt cõmunicetur ſingulari: ergo & ſingulare, vt idemptificatum cũ natura, erit terminus impoſsibilitatus, vt ipſi cõmunicetur natura. Quibus infero, & nimis noto, quod Petrus v.g. vt eſt à parte rei ſecundum ſe totus, eſt terminus impoſsibilis reſpectu prædicabilis, & poſitivæ cõmunicationis naturę vniverſalis. Ratio eſt; quia de facto Petrus eſt ſubiectum naturę, à parte rei diſtinctę à natura reliquorum individuorum, ita vt ſolum negativé ſit indiſtinctę; at autem, Petrus vt ſit ſubiectum naturę vniverſalis, requirit eſſe ſubiectum naturę, etiam poſitivé à natura reliquorum indiſtinctę: ergo Petrus, vt adęquaté ſumptus à parte rei, eſt terminus impoſsibilis reſpectu predicabilis, & poſitivę cõmunicationis naturæ vniverſalis.

96 Comprobatur explicatione; quia Petrus, qui manet Petrus ex communicatione naturæ vniverſalis, eſt Petrus, qui conflatur ex natura humana, ſolum intentionaliter Petreitati vnita, & communicata; at autem Petrus, qui manet Petrus, ſecundum ſe à parte rei, eſt Petrus conflatus ex natura humana realiter Petreitaté communicata, & vnita. Ex quibus infero, quod cum Petrus, qui nunc eſt Petrus, cõfletur ex natura ſolum negativé cõmuni, & indiſtincta, & Petrus, qui in alio caſu eſt Petrus, confletur ex natura etiam poſitivé indiſtincta, & communi, Petrus vt adęquaté ſumptus à parte rei erit terminus impoſsibilis reſpectu expedibilis, & poſitivę naturę vt cõmunicabilis. Non autem eſt Petrus omnibus modis terminus impoſsibilis reſpectu naturæ vniverſaliter communicabilis; quia etſi vt intẽtionaliter communicetur Petro natura, quæ eſt vniverſalis, requiratur, quod à Petro abſtrahatur natura propria, relinquitur tamen eadem ſingularitas, cui, modo quo iam manet relicta per abſtractionem, nõ requgnat ſubijci naturæ, & cõſequenter habilitata inſpicitur, vt ſit terminus naturæ communicabilis, habens non repugnantiam proximam ab intellectu, in entitate ſingularitatis receptam, ex qua, & ex abſtractione, concretum proximé ſubijcibile reſultat. Vnde ſicuti à natura aufertur aliquid, vt ſit forma communicabilis, ſic & à ſingularibus aliquid aufertur, vt ſint expedité termini communicabilitatis. Itaque nimis nota, quod à repugnantia ſingularium manet natura ſolum negativé communis, & à non repugnantia naturæ, manent ſingularia ſolum extrinſecé, in eadem natura communicabilia; quod ſufficit, vt intellectus abſtractionibus, impoſſibilitatem vnius cum non repugnantia alterius diſſolvat, & expediat.

97 Notanter in progreſſu præfatæ doctrinæ dixi, quod in ſingularitatibus correſpondet aliqua non repugnantia, quia ſingularitates exhibentur termini non repugnantes reſpectu eiuſdem prædicantis naturæ; non autem quia in ipſis adæquaté, & ſecundum ſe conſideratis, deficiat repugnantia, vt eadem natura communicetur; aliàs, ſi ſic conſideratis dicerent non repugnantiam, poſſet Deus naturam à parte rei illis communicare, quia poteſt Deus expedire, quæ nec repugnant ex parte formæ, neque ex parte termini, ſeu ſubiecti, & hanc expeditionem negat firmiter Doctor Subtilis à parte rei; quia etſi naturæ ex ſe non repugnet, repugnat tamen naturæ, vt nunc individualiter impeditæ; quapropter dixi, quod in ſingularitatibus datur aliqua non repugnantia, quæ ſolum eſt extrinſeca, & quoad intellectum prædicantem, ſolum ex non repugnantia naturæ deſumpta, & derivata, quæ ſuf-

ficit, vt ſingularitates reales ſint termini naturæ, vt intentionaliter communicandæ. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod intellectus concipiat, naturæ de ſe non repugnare eſſe in alio, illam poteſt abſtrahere; eo ipſo, quod naturam poſſit abſtrahere ab vno, poteſt, & abſtrahere ab omnibus; eo ipſo quod illam poſsit abſtrahere ab omnibus, manet natura abſtracta eadem, & poſitivé indiſtincta; eo ipſo, quod maneat eadem, & poſitivé indiſtincta, comparatione reſplendet æqué communicabilis omnibus; & eo ipſo, quod ſic æqualis reſplendeat, nil in omnibus iam repugnans inſpicitur ſingulariter: Vndé cognoſcitur, quod cum ex non repugnantia naturæ, de per ſe fiat abſtractio, inde eſſe, quod non repugnantia ſingularitatum ad communicationẽ ſit extrinſeca, & derivata à natura, inſimul, & conſtructa per formam rationis, & principium ſecundó intentionale. Quomodo autem poſsit fieri abſtractio, dum non repugnantia oriatur ſolum de per ſe ex natura? Difficultas eſt ab omnibus ſolvenda, & explicanda. Videantur dicta in *lib. 1. de ente intentionali diſtinct. 1. quæſt. 3. præcipuè in reſolutione vltima circa ſecundum ſenſum.*

98 Circa ſecundum in titulo propoſitum, an ſcilicet, poſsit vniverſalizari natura, quæ vnum individuum de facto, & plura ſolum poſsibiliter habeat, dubium ſentio animum. Pro vna ſiquidem, & altera parte adeſt probabilitas, ſicuti, & difficultas, quæ in vnica ratione, meo videri, roboratur: illam ſtatim proponam.

99 Reſolvunt igitur aliqui Noſtratum, juxta illud Scoti, tenentis, naturam Solis eſſe vniverſalem, quod plurium poſsibilitas eſt ad vniverſalitatem ſufficiens, & noviſsimé Fr. Antonius Groſſo addit, hoc poſſe eſſe, tametſi individua ſolum superné ſint poſſibilia. Ita in *Diſſert. 10. Elucidat. 7.* Ratio eſt; quia poſſet comparari ad inferiora, quæ poſſet ſupernaturaliter habere, & de illis predicari, tanquam ſuperior ratio; ergo poſſet eſſe logicé vniverſalis. Deinde; quia ſuprà ſtabilitum manet, quod etſi plura non ſint pluſquam poſſibilia, poteſt natura abſtrahi, in vno dumtaxat poſita: ergo quia haberet fundamentum ad vniverſalitatem. Probari poteſt conſequẽtia; quia vt aliqua natura poſsit fundare vniverſalitatem, ſat eſt, quod latiùs pateat, quam illud, in quo eſt; ſed talis natura, dum poſſet abſtrahi, latiùs pateret, quam ſingulare, in quo foret; ergo quia haberet fundamentum, ſeu poſſet fundare vniverſalitatem. Minor propugnata manet, dum ſuperius ſtabilivimus, ex eo naturã non poſſe abſtrahi ab vna, ceteris impoſsibilibus, quia nunquã poſſet manere à determinatione individua denudata.

100 Dices, hæc omnia implicatorié probari, ſi iam gravia inconvenientia non abſorbeantur. Rationem deducent ex eo, quod inintelligibile ſit aliquod compoſitũ ex ente omnino, & ſimpliciter exiſtenti, & ex ente omnino, & ſimpliciter poſsibili; ſed ſi natura ſolaris v.g. foret expedité prædicabilis, tale ſequeretur: ergo. Minor eſt in promptu ſuaſa; quia natura Solis foret omnino exiſtens; ſed ſingularitates, de quibus prædicaretur, forent omnino poſsibiles: ergo tale ſequeretur. Deinde, quia non eſt rigoroſior ordo abſtrahentis, ac prædicantis, hoc eſt, ſicuti natura poteſt prædicari de pluribus, ſic & de pluribus poteſt eadem abſtrahi; ſed prædicta natura non eſt abſtrahibilis de ſingularibus puré poſsibilibus: ergo neque prædicabilis. Minor ſuadetur; quia natura abſtracta eſt exiſtens; ſed à ſingularibus puré poſsibilibus nil actuale poteſt abſtrahi, quia ſicuti nemo poteſt dare, quod non habet, neque à nemine, quod non habet, poteſt auferri: ergo prædicta natura nõ erit abſtrahibilis de ſingularibus puré poſſibilibus. Denique, ex difficili praxi prædicationis ſuaderi poteſt; quomodo enim poterit dici, ſeu effici hæc prædicatio, ſcilicet, Petrus eſt homo? Si enim non poteſt dici Petrus eſt Paulus, quia Petrus poſsibilis, non eſt Petrus, ſed poteſt eſſe, multo minus dicetur de ipſo, quod eſt homo, cum ſaltim formaliter, magis diſtet ab humanitate, quam ab ipſa ratione individui: ergo.

101 En vtriuſque partis probabilitas, & diſſidium. Scotiſtæ, qui velint partem negativam amplectere, poſſunt explicare Doctorem Subtilem, dicendo, ipſum ſolũ negativé naturam Solis vniverſalizatam intellexiſſe; & deinceps poſſunt reſpondere ad rationes probãtes, dicendo ad primam, poſſe naturam Solis cõparari ad ſingularia poſsibilia diſparaté, eo modo, quo formalitas exiſtentiæ comparatur, & inducitur à formalitate poſsibilitatis; aliter enim neganda eſt comparatio, hoc eſt, ita vt naturã Solis proximé, & expedité predicabilẽ nulla cõparatio relinquere valeat, in quo ſenſu eſt incõparabilis reſpectu exiſtẽtiũ, & poſsibiliũ. Ad ſecundã rationẽ poſſunt reſpondere, concedendo antecedens, & diſtinguendo cõſequens; haberet fundamẽtũ, remoté, & conditionaté, eſt verum; proximé, & abſoluté, eſt falſũ. Ad probationem conſequentiæ reſpondere debẽt ſimiliter, dicendo, quod ad vniverſalitatem remotam, ſat eſt, quod latiùs pateat quam illud, in quo eſt; at autem ad proximã, requiritur ampliùs, ſcilicet, quod actù ſit id,

id, cui actù, & proximé eſt natura intentionaliter communicanda.

102. Itaque dico, verum eſſe, quod quidquid proximé eſt vniverſale, latiùs debet patere, quam illud, in quo eſt; non autem é contrà, quia ſupra latiùs patere, ampliùs requiritur, nam in caſu prędicationis, ſolum negativé pateret latiùs prædicatum. Vnde, etſi natura poſsit abſtrahi ab vno, cæteris ſolū poſſibilibus, non tamen ex hoc ſequitur, quod poſsit prædicari de omnibus, ſed ſolum ſequitur, quod poſsit prædicari de vno expedité, ab vno ſiquidem eſt ſolum expedité abſtrahibilis. Patet tamen latiùs, & eſt abſtrahibilis, dum plura ſolum ſint poſsibilia; quia vt latiùs pateat, ſufficit naturæ, quod de ſe poſsit eſſe in alijs, & quod ſingularitas, adhuc in alijs ſolum poſsibilibus repugnet eſſe: Deinde ſufficit poſſibilitas aliorū, vt natura ſit in aliquo priori, ac illud ſingulare; & aliorum poſsibilitas, vt ſic poſsit eſſe ſingulare, in eis non ſufficit; quare, poterit natura abſtrahi, quia vt abſtracta ſit actù ab vna, non requiritur, quod actù ponatur in alio; aliàs nunquam poſſet illam intellectus abſtrahere ab omnibus; ſed ſufficit, vt abſtracta cognoſcatur ab vno, quod ipſi de ſe non repugnet eſſe in alio, etſi actù nō ſit aliud, in quo eſſe, ipſi de ſe non repugnet; at autem, vt ſit proximé vniverſalis, non ſufficit naturæ id, quod de ſe habet, ſed requiritur, quod ſint actù termini, quibus actù eſt communicanda forma, vt patet in accidenti, vt inhærente, quod aliter requirit ſubiectum, ac vt inhæſibile. Ratio pro omni eſt, quia proxima, & abſoluta vniverſalitas requirit expeditionem æqualem, & ex parte vnius, & ex parte multorum, in quibus eſt actù multiplicanda; reliqui autem actus ad proximū præcedentes, ſolum requirunt coditionatam naturam, vt expediātur, quia remotum eſſe naturę, & cuiuſvis virtutis, ſolā nō repugnantiā termini prȩexigit.

103. Scotiſtæ veró, qui partem affirmativam deffendere cupiant, reſpōdere poſſont, negando ſequelā, in primo ſyllogiſmo deductam. Deindé ad probationem minoris, & ſequelæ, permiſſo, quod natura ſolis foret omnino exiſtens, diſtingui poteſt alia pars, ſcilicet: ſingularitates forent omnino poſsibiles, ante abſtractionem, concedo; poſt iſtius exercitium, nego minorem, & ſequelam. Itaque hæc opinantes dicere poſſunt, quod intellectus ante exercitium prędicantis naturæ, potuit cōcipere ſingularia poſsibilia, & ab ipſis abſtrahere poſsibilitatem ſine mendario abſtrahentis, & tunc naturam interionaliter poſſet illis communicare, quod efficaciter cōvincent à paritate receptiſsimæ abſtactionis, quia (hæc eſt ratio, in qua vnicé ſiſtere debent) non minus repugnat, quod à parte rei natura Petri efficiatur eadem natura communicabilis Paulo, quam quod natura huius ſolis exiſtentis efficiatur communicabilis ſolibus poſsibilibus; quia in re, tantum diſtinguit Petreitas naturam à Pauleitate, quantum ab exiſtentia illam diſtinguat poſsibilitas: Deinde non minus actù, & à parte rei repugnat, quod natura humana ſit ſine Petreitate v.g. quam ſingulare poſſibile ſine poſsibilitate, vel quod ſit cum poſsibilitate natura ſolis exiſtentis; ſed eſt valdé receptum, quod per abſtractionem, naturæ Petri, & Pauli poſſunt effici vna, & eadem natura, vtrique communicabilis, nec non, quod per abſtractionem poteſt natura Petri eſſe ſine Petreitate, & contrahi cum differentia oppoſita: ergo pari ratione poterit dici, quod natura ſolis exiſtentis, poterit per abſtractionem effici vna, & eadem cum ſolis poſsibilis natura, vtrique intentionaliter cōmunicabilis; nec non poterit natura ſolis exiſtentis eſſe ſine iſto, & contrahi cū differentia oppoſita in altero.

104. Dices, quod naturæ Petri de ſe non repugnat exiſtere in Paulo, & ſic nil mirum, quod prædicta abſtractio exerceatur; at autem naturæ axiſtenti repugnat de ſe, eſſe in poſſibili, & ſic non erit practicabilis abſtractio. In primis iam dixi, quomodo intentionaliter, & logicé poterant per abſtractionem habere exiſtentiam ſingularia poſsibilia, ad communicationem intentionalem ſufficientem, & proportionatam. Deinde poteſt reſponderi, negando conſequētiam; quia etſi naturæ exiſtenti poſſet repugnare eſſe in ſingularibus poſſibilibus, nō autē naturę de ſe, & vt abſtractę à ſolari individuo, in quo nūc eſt. Ratio eſt, quia ſicuti natura Petri de ſe, hoc eſt, ſecundum formalia præciſé, non dicit Petrum, nec Paulum, ſic nec natura ſolis de ſe dicit exiſtentem, avt poſsibilem; aliàs ſi de ſe Sol diceret exiſtentiam, ab intrinſeco repugnaret ſoli eſſe poſsibilem, & é contrà ſi diceret poſsibilitatem: vndé dicere debent, quod ſecundum quidditativa, & formalia, abſtrahit à triplici ſtatu, ſcilicet, poſsibilitatis, futuritionis, & exiſtentię, quod probabiliſsimum eſt non paucis. Quibus ſuficienter poteſt reſponderi ad ſecundam rationem intendentem, non poſſe naturam à poſsibilibus, & exiſtenti abſtrahi. Quomodo autem poſſet fieri abſtractio, ex qua communicabilis maneret natura exiſtentis ſingulari poſsibili? Difficultas eſt ſolvenda ab omnibus communiter abſtrahentibus; hanc nec non individuam difficultatem

argumentis, eviſceratam dereliqui ſupra in *quæſt. 2. in reſolutione prima*, reſpondendo ad vltimam inſtantiam, formatam in fine *eviſcerationis ſecundæ.* Videantur illa, quibus ſufficienter ſatisfiet iſtis.

105 Reſtabant hinc aliqua argumenta contra primam deciſionem, quæ ommitto, quia robuſtiora manent ſoluta in quæſtione antecedenti, vbi deffenſavimus, nullam naturam ad vnum determinatam, poſſe abſtrahi, & conſequenter adhuc negativè poſſe vniverſalizari. Deinde ſentio, quod ſi prædicti Thomiſtæ nimis perſiſtant in hoc, quod non repugnet, naturam eſſe ex ſe habilem ad plura, etſi plura ſint impoſsibilia; quidquid ſit implicantiæ in reſolutione, poſſet dici, tali ſuppoſitione admiſſa, talem naturam poſſe abſtrahi, nunquam tamen poſſet expediri ad vniverſalitatem abſolutam; quia ſubiecta naturæ prædicabilis debebant eſſe purè ſuppoſita, & fictitia, aliàs deſtructur ſuppoſitio tenentium, eſſe impoſsibilia. Deinde, ſubiecto impoſsibili, & fictitio communicare naturam poſsibilem, & realem, adhuc intelligibiliter repugnare, manet laté ſtabilitum in *lib. 1. de ente intentionali. Diſt.* 1 *quæſt.* 1. & alibi. Sin autem talia ſingularia non requirant, ſed ſolam naturam vniverſalem conſtituant, quia ipſi de ſe non repugnant, in tali caſu ſentio, prædictum opinandi modum non eſſe impugnandum, ſed vt liberum relinquendum.

DISTINCTIO III.

De Vniverſali Logico.

1 CIRCA notitiam Logici Vniverſi plura deciſa reliquimus in *Lib. 1. de ente ſecundo intentionali*, vbi in *diſtinc.* 1. explicuimus, quomodo adſit fundamentum in rebus, vt dum ſecunda intentio ſit forma rationis, niloiminus tamen illam valeat intellectus, ſine fallacia, & contradictione, rebus applicare. Deinde, in *diſt.* 2. & 3. ex profeſſo examinatur tota ſeries, & quidditas entis ſecundo intentionalis, & aptitudo ad eſſendum, ſit ipſa, quæ ad prædicandum; vbi etiam laté plura expendimus de comparationum intelligentia; & tandem, quæcumquè hinc ommittā, ibi diffuſa invenientur. In preſenti enim *diſtinc.* ſolum agere reſtat de vnitate, & multiplicitate, vt ſunt ad Logicum Vniverſum requiſitæ, quibus finitis, tota finietur concertatio.

QVÆSTIO. I.

De vnitate ad Logicum Vniverſale requiſita, expediuntur aliqua.

2 STabilitum reliquimus in præcedenti *Diſtinc.* vnitatem præciſionis eſſe à principio rationis formatam, & completam; neque hinc de hoc puncto amplius devertere ſermonem oportet. Quod igitur impræſentiarum inquiritur, eſt, an vnitas propriùs, & proximiùs Vniverſi Logici conſtitutiva, ſit vnitas illa; quæ præcisè manet in natura, vt à differentijs individualibus abſtracta. Ante cuius deciſionem advertendum eſt, quod iuxta graves, & eruditos Doctores, diſtinctè conſiderantur formalitas vnitatis, & comunitatis. Ratio eſt; quia vnù videtur ſalvari ſub expreſione eſſendi in ordine ad ſe; commune verò ſpecialiter exprimit reſpectum in ordine ad alia; quia nil aliud videtur naturam exprimere per eſſe communem, quam eſſe communicabilem, & communicabilitas nil ſpecialiùs, quam reſpectum ad plura exprimere videtur; vnitas vero ſalvari videtur in natura abſtracta, ſub illo conceptu præciſo abſtractionis, penes quem, potius ſingularitates excludit, & reticet, quam reſpiciat, & dicat. Totum hoc combinari poteſt in eſſentia divina, quæ eſt vna, & communis; vna, per ſingularitatem, quam habet; communis, per reſpectum, & communicabilitatem ad plura. Deinde in ipſa natura abſtracta, de qua poteſt dici, quod habet per rationem, vnitatem vocatam præciſionis, & adhuc per rationem, communitatem non videtur habere, quouſque comparatione informatur. Deniq; quia vt aliquid ſit vnum, ſufficit, quod ſit à multis, vt in Vniverſali Metaphyſico, vt ſit commune, requiritur, quod ſit ad multa, vt in Logico.

3 Sed quidquid ſit de hoc, (exiſtimo enim, naturas vniverſales ſic eſſe communes, ſicut vnas, quia ſi benè attēdatur, etiam Vniverſale Metaphyſicum ſervat proportionem, quia dum eſt *à multis vnum*, relinquit reſpectum in illos ipſo modo, in quo videtur illum excludere; cognoſcitur enim, quod eſt *vnum à multis*, quod non cognoſceretur, quin multa, etſi fugiendo, cognoſcantur. Dixi

notan-

notanter, naturas vniverſales eſſe vnas, ſicut communes, quia certum eſt, non omne vnum eſſe commune, nam individuum habet vnitatem, & communitatem nullo modo habet) quod de principali inquirit difficultas, eſt, an vnitas ad Logicum Vniverſum requiſita, ſit ita illa vnitas abſtractionis, vt nil ampliùs requiratur, vt ſit proximé communis? Circa cuius vnitatis intelligentiam, aliqui Doctores, interquos Blancus, citatus à Maſtrio *dp. 9. Metaph. quaſt. 9. Art. 1.* aſſerunt, communitatem Logici Vniverſi non eſſe niſi rationis; ſed tamen volunt, eius vnitatem eſſe realem, & non habere eſſe rationis, niſi prout ſubſtat communitati, quę eſt rationis: vnde ait Blanc. naturam non eſſe vniverſam à parte rei, non ob defectum vnitatis, ſed ob defectum communitatis ad plura; itaqué non exiſtimat, vnitatem, quam habet natura abſtracta, & relata ad plura, eſſe vnitatem rationis; vnitatem vero, quam habet à parte rei eſſe vnitatem realem, vt paſsim dicitur; ſed putat, eamdem vnitatem, quam habet natura à parte rei, habere per intellectum, ſolum variatis accidentibus; communitas enim ad plura, & ſingularitas, ſunt accidẽria illius vnitatis, atque ita, à parte rei ſtare vnitatem illam ſub ſingularitate; at vero in intellectu ipſam concipiente in ordine ad plura, ſtare ſub communitate.

4 Alij, vnitatem formaliter conſtitutivam Vniverſi, volunt eſſe vnitatem illam præciſionis *in diſtinc. 2. quaſt. 1.* declaratam, & hanc vniverſaliter tenent, (inquit Maſtrius) quicunque vniverſale in actu docent fieri per abſtractivum actum naturæ ab inferioribus; imó, & aliqui, qui docent fieri per actum collativum, quatenus natura facta vna per abſtractionem, poſtea per actum collativum cogitatur pluribus ineſſe cum tali vnitate, vel ſaltim ſic apta ad ineſſendum, adeo vt vnitatem habeat ab actu abſtractivo, communitatem ab actu collativo. Ita Amicus, Averſa, & ex noſtris Meuriſſe, quos citat Maſtrius *dp. 9. Metaph. quaſt. 9. Art. 3.*

5 Magiſt. Dionyſ. Blaſco *in lib. 3. Diſt. 7. quaſt. 1. Art. 2.* omne eſſe primarium Vniverſi Logici expendit, per potentiam naturæ præciſæ ad eſſendum in multis intentionaliter; vult tamẽ, quod, etſi Vniverſalis conſtitutivum ſtet in potentia ad eſſendum in multis, ita veró, quod eo ipſo, quod natura ſit præciſa, ſine vlteriori cognitione detur in ipſa, potentia ad eſſendum in multis; quia, etſi natura vt præciſa, ſit metaphyſicé vniverſa, ac perconſequens ſecundum tale eſſe præciſionis, ſolum ſit fundamentum ad relationem; at, quia hæc ſe ſola ſine alio actu, poſita præciſione reſultat in natura, vt informata tali relatione reſultante, iam eſt logicé vniverſa. Pro hac citat, & exponit Bachonium Doctorem Reſolutum.

PROPVGNATVR HABENDA reſolutio, & ex ipſa cætera reficiuntur.

6 Dico igitur, illam vnitatẽ eſſe Logici Vniverſi formaliter conſtitutivam, quam habet natura, poſtquam abſtracta ab inferioribus, comparatur ad ipſa, ita vt natura fiat ſub illo conceptu omnibus vna. Ita Doctor Subtilis paſsim à me citatus, & expoſitus *in lib. de ente intentionali*. Ipſum ſequuntur quamplurimi ex alienis, & ex noſtris noviſsimé Fr. Antonius Groſſo *differtat. 10. elucid. 4.* Manet hæc concluſio directé propugnata in libro de ente intentionali, iuxta vnam problematis partem; proponam tamen hinc aliqua, & primum ex illo Doctoris communiter dicto, ſcilicet, id requirere naturam vniverſam ad ſui conſtitutivum, iuxta quod poſsit dici expedité de quolibet, prædicatione dicente, hoc eſt hoc; ſed de natura præciſé abſtracta, hoc non poteſt expleri: ergo requirit vnitatem abſtractionis, comparatione informatam. Prob minor; quia vt expedité, & proximé, natura prędicari poſsit de quolibet, requiritur, quod quodlibet cognoſcatur, nec non, quod natura cognoſcatur cuilibet communicabilis; ſed vt natura eſt præciſé abſtracta, cuiuslibet cognitionem non requirit: ergo de ipſa præciſé abſtracta, illud non poteſt expleri. Suadetur maior; quia contrariorum eadem eſt ratio; ſed non poteſt natura Petri eſſe proximé imprędicabilis de Paulo, quin cognoſcatur Petreitas: ergo nequé poterit natura iam abſtracta à Petro, eſſe proximé prædicabilis de Paulo, quin cognoſcatur Pauleitas.

7 Suadentur dicta; quia ille ſtatus eſt proprior naturæ logicé vniverſæ, iuxta quem, dum natura eſt vicinior ad actualem prædicationem, poteſt conſiderari adhuc non in actu, ſed in potentia ad prædicandum; ſed hunc ſtatum habebit adhuc natura, dum ſimplici intuitu comparetur ad inferiora: ergo ſtatus proprior naturæ vniverſæ logicé, non erit ſtatus abſtractionis, ſed vlterior. Maior conſona videtur; quia ſi inter naturam vniverſalem, & actualem prædicationem debeat, & poſsit mediare aliquod exercitium, à quo illius potentia approximetur, videtur certum, quod anterior

rior potentia, adhuc erat remota, & incompleta. Minor ſuaderi poteſt; quia poſtquam natura abſtracta eſt, adhuc poteſt ſimplici intuitu conferri ad inferiora, nec non aprehendere iſtorum æqualem ſubjicibilitatem; ſed adhuc tunc natura ante actualem prædicationem retinetur, & eſt in viciniori ſtatu ad illam: ergo tunc ſtatum habebit natura, dum ſimplici intuitu comparetur ad inferiora; & quia forté minor ſolvetur, ſuadetur, quod illum ſtatum, non ſolum poſsit, ſed, & debeat habere; quia eſt imperceptibile, quod mentis intentione aliquam formam communicem alicui, quin tale aliquod ſit in mente, in aliquo priori ad actualem communicationem; nec non eſt imperceptibile, quod aliquam formam intentionaliter, ſine formidine vniam, quin claré, vel confusé, vnionem apprehendam; aliàs, ex quo potiùs hoc iudicium, quam illud, perfecté convincetur; ſed eſt impoſsibile, quod vnionem aprehendam, nec non, quod aliquod ſubiectum in priori ad formam in mente habeam, quin ante actualem communicationem detur comparatio, & apprehenſiva concernentia: ergo erit imperceptibile, quod prædictum ſtatum non habeat natura, ita vt ſimplici intuitu ſit ad inferiora conferenda.

8 Probari poteſt 2. illa vnitas, penes quam natura potius metaphyſicé, quam logicé manet vniverſa, non eſt logicé requiſita; ſed ab vnitate ab actu præciſivo derivata, potius metaphyſicé, quam logicé manet vniverſa natura: ergo illa non eſt logicé requiſita. Prob. minor; quia cum actus præciſivus ſolum conſideret naturam ſecundum ſe, ſolum poteſt naturam in ſe relinquere indiviſam; ſed vniverſa logicé natura, cum ſit vna in multis, requirit ſimiliter eſſe, non in ſe, ſed & in multis indiviſam: ergo ab vnitate ab actu præciſivo derivata, potiùs metaphyſicé, quam logicé manet vniverſa natura.

9 Reſpondebit Dionyſ. quæ ſupra in explicatione ſuę opinionis, ex quibus dicet, quod ex illa relatione, ex natura præciſa reſultante, manebit natura potentialiter in multis indiviſa, & ſic ab vnitate Metaphyſici diſtincta; non enim requiritur, vt natura maneat relata, quod cognoſcatur relatio, quia, cum formæ ſecundó intentionales, non habeant aliam cauſam effectivam, quam rationem, & cognitionem ipſam, prius quam cognoſcantur, debent eſſe, ita vt actus reflexé cognoſcens, ſupponat actum directé facientem. Fateor, hæc vltima Dionyſij vera eſſe, & à me pro viribus propugnata; nequé hinc ego his contradicere intendo, quia, etſi dicam, quod vt natura ſit vniverſa, & logicé vna, requirat comparationem, & concernentiam, ita vt requiratur cognitio vertens naturam ad inferiora, vt relatione communitatis informetur natura, nunquam tamen dico requiri, quod cognoſcatur comparatio, concernentia, aut rationis relatio; neque dico requiri, quod cognoſcatur cum illa vnitate, vt illam habeat; ſed ſolum dico, quod vt formaliter, & proximé talem vnitatem habeat, requiritur, quod cognoſcatur in ordine ad inferiora, ita vt hæc cognitio, non ſit cognitio vnitatis proximæ, ſed ſolum vnitatis abſtractionis, & aptitudinis, adhuc remotæ ad prædicandum, cum qua cognitione, in natura abſtracta relinquitur relatio rationis, vnitas requiſita, & aptitudo proxima: quæ ſunt nimis notanda, vt valeamus deffendi, & queant impugnari.

10 At autem, quod prædicta relatio rationis reſultet poſita præciſione ſine vlteriori actu, vt ait Dionyſ. difficilé videtur; quia debent diſtingui relationes rationis à realibus relationibus in hoc, quod iſtæ reſultent ſecundum eſſe, quod habent in ſe; illæ autem, ſecundum quod in ordine ad aliud cognoſcuntur eſſe; (vnquam dico, quod debeat cognoſci relatio rationis, vt reſultet, ſed quod debeat cognoſci vt ſubijcibile, v. g. Petrus, in ordine ad Prædicabile, vt relatio rationis reſultet) quia licet non ſint relationes, quia relationes cognoſcantur, debet tamen aliquid in ordine ad aliud cognoſci, vt relationes notionales, & cognitionis, dimanent; ſed ex præciſa præciſionis poſitione, nil in ordine ad aliud cognoſcitur: ergo poſita præciſione ſine vlteriori actu, difficilé videtur, quod relatio reſultet.

11 Deinde; quia licet relatio non ſit fundamentum ipſum, deducitur tamen ex fundamento connaturaliter, & infallibiliter; ſed ex poſitione præciſionis, nil infertur relativum: ergo. Suadetur minor; quia fundamentum eſt natura, vt præciſa; ſed ex natura, vt ſolum pręciſa, nil relativum infertur: ergo. Suadetur minor; quia præciſionis ſpeciale munus, eſt relinquere naturam, vnam à multis, per aſcenſum, & elevationem ab illis: Deinde, tunc natura ſtrictiùs præciſa relinquitur, quantum magis ſolius naturæ percipitur eſſe, ita vt ab ſtricté præſcindente, non ſolum abſoluta, ſed & relativa quæcunque, à natura præſcindi intendantur; hoc enim exiſtimo eſſe, illam omnino denudare, ſcindere, & præſcindere: ergo ſi bene attendatur, ex ſola præciſione, potius ad abſolutiſsimam naturæ intelligentiã, quam ad relativam, exhibetur fundamentum. Deniq; quia id debet immediate imprimi in natura,

quod

quod immediatiùs exercetur ab actu præſcindente: ergo cum denominatio præciſi ſit immediatior reſpectu actus præſcindentis, ſolum eſſe præciſam, naturę immediaté imprimetur. Nunc ſic; ſed omnis relatio expletur, iuxta impreſionem novam, & ſpecialem illius lineæ, in fundamēto: ergo caſu, quo natura præciſa derivet relationem, derivabit eam præcisé in ordine ad actum præſcindentem, & non vltra, quovſque alter actus, per lineam naturę ad inferiora, imprimatur naturæ. Convincuntur; quia ex actu lineæ comparantis, non reſultat relatio præciſionis, nam comparatio immediaté, & iuxta alteram lineam imprimitur naturæ: ergo nequé ex actu lineæ præſcindentis reſultabit relatio concernentiæ, quia præciſio immediaté, & iuxta alteram lineam imprimitur naturæ.

12 Dices, me ſupra dixiſſe, quod dum natura per pręciſionem ſit Vniverſalis metaphyſicé, datur aliquis ordo in eo, quod ſit vna à multis: ergo iam præciſione compatitur concernentia. Non valet; quia ille ordo eſt maioris fugæ, & ſeparationis cauſa, ſicuti qui ab aliquibus ſe diſtinguendo, ea concernit; at autem hæc relatio, de qua Dionyſ. & reliqui loquimur, eſt relatio intimitatis, & convenientiæ; eſt ſiquidem iuxta quam, tam apud ipſum, quam apud nos, natura manet proximé communicabilis, & intentionali vnione expedibilis. Deinde, quia illa concernentia per aſcenſum, poterit eſſe Vniverſi metaphyſici propria, & ſpecialis, neutiquam tamen Logici.

13 Probatur reſolutio breviter contra Blanc. (dixi breviter, quia manet impugnata ad longum, vbi diximus, vnitatem ad Vniverſale logicum requiſitam, eſſe præciſionis, & hanc non eſſe realem) quia, etſi vnitas realis informetur communitate, quæ eſt accidens rationis, nunquam vnitas realis poteſt eſſe vnitas naturæ logicé Vniverſalis: ergo. Prob. antecedens; quia non poteſt natura humana v.g. eſſe communis omnibus individuis, quin prius intelligatur, quod natura omnium individuorum eſt vna; ſed non poteſt natura omnium individuorum eſſe vna, quin adſit informata per rationem: ergo etſi vnitas realis informetur communitate, quæ eſt accidens rationis, nunquam vnitas realis poterit eſſe vnitas naturæ logicé vniverſalis. Hæc omnia ſunt probanda omnibus illis, quibus diximus, naturam priùs eſſe abſtractam, quam proximé vniverſalem: ergo prius ſit ab omnibus vna, quam proximé communicabilis. Vnde, natura abſtracta eſt vna, & non eſt communis, quia nullum reſpectum dicit: ergo vnitas abſtractionis, dum eſt rationis, non eſt logicæ vniverſalitati proxima, & ſufficiens.

14 Sed reſpondebit, dicendo ad minorem ſyllogiſmi, verum eſſe, non poſſe naturam omnium individuorum eſſe vnam poſitivé, quin ſit informata ratione; at autē informabitur communitate, quæ eſt accidens rationis, inhęrens in vnitate. Sed contrà; quia eſtó vnitas detur ab omnibus, erit informata ratione, vt ex immediaté dictis ad alia retulimus; ſed poteſt dari ab omnibus vnitas, & non informata communitate; ergo poterit illa vnitas eſſe informata ratione, & non ratione communitatis. Prob. minor; quia poterit prædicta vnitas formalis præſcindi à ſingularitate, & communitate; ſed eſtó ſit à ſingularitate præciſa, erit ab omnibus vnitas: ergo poterit dari ab omnibus vnitas, & non informata communitate. Prob. maior; tum, quia tam ſingularitas, quam communitas non ſunt pluſquam accidentia vnitatis; tum, quia ita eſt ſub vnaquaque per potentiam neutram, quod non intelligendo ſingularitatem, non intelligere poſitivam vniverſalitatem, non ſit contra conceptum vnitatis formalis; aliàs non poſſem nunc intelligere vnitatem formalem Petri, non intelligendo Petreitatem, quin ipſam, vniverſalem, & reſpectu omnium communem intelligerem: ergo.

15 Contra 2. ex valido Scotiſtarum fundamento; quia eadem vnitas formalis eſt compatibilis cum ſingulari in eadem natura, quia humanitas Petri ſimul, & ſemel eſt vna formaliter, & ſingulariter; ſed non poteſt eadem natura eſſe ſimul actù vniverſalis, & ſingularis, quia talis vniverſalitas omnem determinationem excludit: ergo quia vnitas formalis non eſt idem, ac vnitas vniverſalis. Reſpondebit dicendo, defectum compatibilitatis cum ſingulari non eſſe ab vnitate, ſed à communitate ipſi inhærente. Sed contra; quia incompatibilitas cum ſingulari oritur ex formalitate vniverſalitatis: ergo vel Vniverſum Logicum non habet vnitatem formalem vniverſalem, vel incompatibilitas ſtat ex parte non eiuſdem vnitatis formalis. Reſpondebit, quod tale vniverſum habet vnitatem formalē vniverſalem, at vniverſalitas eſt rationis communitas. Contra, & inquiro: ab illa natura vniverſa, vt tali, poteſt præſcindi, & intelligi formalitas vnitatis, à formalitate vniverſalitatis, vel non? Si poteſt: ergo in illo ente vniverſo, vnitas vniverſalis non dabitur. Si non poteſt: ergo conceptus vnitatis vniverſalis eſt præcisé vnitas formaliter in illo ente requiſita; ſed hæc vnitas, quæ eſt vniverſalis, non eſt eadem vnitas, ac

illa,

illa, quæ eſt formaliter in natura Petri: ergo. Deinde, ſi dicat, quod vnitas vniverſæ naturæ eſt vnitas formalis inſimul vt communis: contra, quia per vos vnitas formalis vniverſæ naturæ debet eſſe vnitas, & communitas, ita vt ex hac duplici formalitate, vnicus conceptus vnitatis naturæ vniverſæ reſultet; ſed vnitas formalis naturæ non requirit tot conceptus, vt ſit nunc in ipſa vnitas formalis: ergo.

16 Sentio tamen, difficilé hanc opinionem poſſe impugnari, quod exiſtimo oriri ex Subtili ſallacia in ipſa opinione imbibita, quę ſequenti impugnatione cognoſcetur. Arguó ſic: ſicuti hæc opinantes aſſerunt, eamdem vnitatem formalem deſervire naturæ vniverſæ cum communitate rationis, quia licet eadem vnitas realis ſit, dum tamen ſit communis, difficilé poſſunt impugnari in hoc, quod natura non ſit vniverſalis; ſic etiam poterat quilibet pro libito dicere, quod eadem communitas, & negativa aptitudo poterant deſervire naturæ vniverſali cum vnitate rationis, quia eſtó natura omnium intelligeretur vna, difficulter poterat impugnari, quod cũ ipſa cõmunitate reali non foret natura vniverſalis: ergo ſicut in hoc dicendi modo datur difficultas in impugnando, ex ſuppoſitione implicatoria componente, ſic & in alia; vel erit vtraque practicabilis æqué. Si dicant, implicare eamdem communitatem realem, negativam ſcilicet, cum vnitate rationis, quia eſſet ſolum ex ſe communis, & expedité communis; dicam ſimiliter, implicare eamdem vnitatem formalem cum communitate rationis, quia eadem eſſet vna ſolum ex ſe, & vna per poſitivam expeditionem.

17 His ita, debemus amplius exprimere animum circa explicationem prædictæ concluſionis, vt vltimò decidatur controverſia cum aliquibus, multó nobiſcum conſentientibus. Stat igitur punctum in hoc, an ſcilicet eadem ipſa vnitas præciſionis, quæ tam apud Auctores ſecundi modi, quam apud nos, eſt iam rationis vnitas, ſit ipſamet, quæ logicum Vniverſum conſtituit. Sub hac expreſione formo reſolutionem, quia vſque adhuc ſolum impugnare exiſtimavimus, puram vnitatem præciſionis non ſufficere, ſed requiri comparationem; quod etiam ſi fateantur Amicus, & Averſa, aſſerunt tamen, quod adhuc in natura vniverſa logicé, vnitas habetur ab actu abſtractivo, & communitas à collativo, ita vt illa vnitas abſtractionis in vniverſo perſeveret.

18 Reſolvendum ſentio, quod ſi rigoroſé loquendum ſit, decidi debet, vnitatem logici vniverſi non eſſe formaliſsimé illam eamdem præciſionis vnitatem. Ratio eſt; quia etſi cadat comparatio, & reſpectiva collatio ſupra metaphyſicum vniverſum, abſtractione formatum, nunquam tamen Vniverſale metaphyſicum, concretum ſcilicet, ex natura, & ex præciſione, eſt idem formaliter, ac vniverſum logicum, ſcilicet, concretum ex natura, & ex forma rationis relativa: ergo licet comparatio cadat ſupra vnitatem vniverſi metaphyſici, quæ eſt abſtractionis, nunquam debet inferri, quod vnitas concreti comparati, ſeu logici, ſit formaliter eadem vnitas, ac erat vnitas concreti metaphyſici; vnum quodque enim concretum, ſicuti diſtinctum, & ſpeciale habet eſſe, ſic & ſpecialem debet habere vnitatem, ita vt ſicuti non poteſt dici, quod vniverſale metaphyſicum rigoroſé manet idem in logico, ſic nequé poterit dici, quod vnitas abſtractionis in collatione logica formaliter perſeveret, vt ipſius logicæ naturæ conſtitutiva.

19 Deinde, quia dato, quod prædicta præciſionis vnitas perſeveret, nunquam ex hoc debet inferri, quod ipſa ſit eadem Vniverſi Logici vnitas, ſed quod ſit fundamentum ad logicam vnitatem proximius, ſicuti etſi duę qualitates perſeverent cum ſimilitudine, nunquam tamen formalis vnitas ſimilitudinis eſt ipſum eſſe vnum qualitatis, etſi ſimilitudo, quæ eſt formaliter vna, ſupra vnitatem qualitatis fundetur: ergo à ſimili. Itaque nimis advertendum eſt, contra intelligentiam aliquorum, aliud eſſe, naturam in ſtatu præciſionis obiectivæ eſſe in potentia proxima ad prædicari de pluribus, & aliud eſſe, eſſe in potentia proxima ad recipiendam, & fundandam vniverſalitatem formalem, ſeu vnitatem formalem vniverſalitatis; hoc vltimum eſt verum, non autem primum. Vnde, caſu quo vnitas abſtractionis maneret, maneret non aliter, ac manet forma cum ipſius proxima ratione fundandi; quod ſi velint, nil contra intentum obſtat permanentia.

20 Ratio pro omni eſt; quia ſicuti in re actus intellectus abſtrahens, eſt cauſa effectiva vnitatis præciſionis, ſic actus intellectus comparans, eſt cauſa effectiva vnitatis prædicabilis: ergo ſicuti quilibet actus eſt in re diſtincta cauſa, ſic effectus correſpondentes debent in re eſſe diſtincti; ita vt ſicuti primus actus ſolum poteſt dici proximum fundamentum ad ſecundam, ſic & vnitas effectus terminantis primum actum ſolum debeat dici proximum fundamentum ad vnitatem alterius. Ex quibus confirmo rationem in hoc, quod in natura logicé Vniverſa, ſit quid intrinſecum reſpectus ad multa, quod prædicatum, taliter tranſcendit

quæ-

Digitized by Google

quæcunque naturæ, vt ſine illo, nil naturæ logicum eſſe percipiatur; quare vt vnitas ſit logicæ naturæ, debet eſſe vnitas reſpectiva, vnitas vniverſalis expeditè, & vnitas prædicabilis proximè; quia ſine hac expreſione, ſicuti natura non intelligitur ab alijs vniverſalibus diſtincta, & in proprio eſſe conſtituta, ſic neque ipſius vnitas intelligetur propria: ergo diſtincta vnitas ab vnitate præciſionis debet eſſe vnitas vniverſi logici conſtitutiva.

SOLVVNTVR ARGVMENTA *contraria.*

21 Objicies cum Dionyſ. intendens probare, quod per potentiam præciſæ naturæ ad eſſendum in multis conſtituitur vniverſale. Objicies igitur iuxta Bachoniū ſic: hæc potentia eſt conceptus primarius, per quem ſufficienter diſtinguitur ab omnibus alijs, & à quo oriuntur conceptus ſecundarij: ergo eſt conſtitutiva illius. Antecedēs Prob. quia ante talem conceptum nullus alius poteſt cognoſci prior; ſin minus, aſsignent, inquit ipſe. Deindè, per illud diſtinguitur à ſingulari, quod non poteſt eſſe in multis intentionaliter, & ab vniverſali metaphyſico, quia hoc nullam relationem dicit ad inferiora, ſed ſolam naturam præciſam: ergo.

22 Reſponderi poteſt argumento, negando antecedens. Ad probationem antecedentis reſponderi poteſt, verum eſſe, quod ante conceptum potentiæ proximæ ad eſſendum in multis, nullus conceptus poteſt cognoſci prior reſpectu logicæ vniverſalitatis; at autem, ex præciſo conceptu naturæ præciſæ, talis conceptus neutiquam ſic cognoſcitur. Vnde reliqua, quæ ad corroborationem deſumit, falſa ſunt; quia etſi verum ſit, quod natura habens prædictum conceptum diſtinguetur à ſingulari, & metaphyſico vniverſali, nunquam tamen talem conceptum habere probat, quia naturæ puræ præciſæ, ſolus conceptus metaphyſicæ vniverſalitatis adeſt. Nec valet, quod iam in natura præciſa datur potentia ad prædicandum, & quod hæc eſt primaria non enim valet; quia ſolum datur potentia, eo modo, quo hæc datur, dum datur fundamentum ad illam: vnde non datur potentia proxima, ſed ad ſummum remota ad prædicandum, & ad comparandum proxima. Quia propter, non probatur benè, quod illa debet eſſe conſtitutiva, quia primò intellecta: ratio eſt; quia reſpectu vniverſi logici non eſt primum, quod eſt primum abſolutè, ſed quod logicè eſt primum; quo pacto primus conceptus eſt potentia in priori proximo ad actum eſſendi intentionaliter. Sic, licet rationale ſit prima radix riſus, tamen riſibile in ſuo formaliſsimo conceptu, non per illam radicem, ſed per immediatiorem potentiam ad actum ridendi conſtituitur. Itaque, etſi illa potentia naturæ præciſæ ſit prior potentia proxima naturę logicę, at formaliſsimè loquendo, reſpectu conſtituti logici prior eſt hęc potentia, quam illa metaphyſici.

23 Objicies 2. ex Blanc. eo ipſo, quod vnitati reali naturæ ponatur intelligibiliter communitas rationis, ſufficienter intelligitur, & illam naturam eſſe vnam in omnibus, & eſſe per rationem in illis: ergo non datur motivum, vt eadem vnitas formalis naturæ non ponatur in natura vniverſali. Reſponderi poteſt, (extra iam dicta) repugnare veritatem antecedentis; quia eo ipſo, quod natura debeat eſſe expeditè vna, debet abſtrahi ab illis, propter quæ eſt ita multiplex, quod tot ſint vnitates formales, quot individuationes; eo ipſo quod abſtrahatur ab illis, tot illorum vnitates debent ſic abſtractivè fieri vnica; eo ipſo, quod ſic vnica efficiantur de ſe percipipitur, quod non ſit eadem vnitas formalis, cum iam ab intentionali principio ſcinderetur, & formaretur ratione. Videantur circa hoc dicta in *diſ.* antecedenti *quæſ.* 2. in reſolutione primi iudicij, *à §. Deinde in horum corroborationem*, vſquè ad ſecundi iudicij reſolutionem.

24 Inſtabis nilominus, & niſallor, benè etiam à parte rei tot ſunt naturę humanę, quot ſingularia, quia vnum quodque ſingulare diſtinctam naturam formalem in re habet, & nilominus tamen eadem natura realis eſt, quæ pluribus communicatur per lineas vniverſalitatis: ergo ſic pariter, etiam ſi de facto tot ſint vnitates formales, quot ſingularia, ita vt vnica vnitas formalis non ſit in omnibus, verum tamen ipſa vnitas formalis, & realis poterit eſſe, quæ vniverſaliter ſit vna in omnibus. Huic inſtantię, ſine formidine eſt ſimiliter concedendum de natura, quod concedimus de vnitate; qua propter poteſt rigorosè negari antecedens quoad vltimam partem; abſolutè enim, & ſtrictè loquendo, non eſt vndequaquè eadem natura realis, vt eſt iam expeditè communicabilis, quia etſi natura realis ſit communicabilis, non autem eadem, ſiquidem natura, vt ſit communicabilis, intentionalizatur, ita vt de tali natura ſit verum dicere, quod tunc eſt concretum intentionale, formalizatum ratione,

ſubſ-

ſubſtans illa natura ſecundæ intentioni, ac per conſequens nunquam eſt verum dicere, quod natura vniverſalis eſt eadem natura; ſic pariter de omnibus naturæ paſsionibus eſt inferenda ratiocinatio. Videatur Doctor Subtilis *in 2. d. 3. q. 1.* vbi diſtinguit naturam, & modum, ſub quo intelligitur, dum eſt vniverſa.

25 Inſtabis ſemper, dicendo, quod quomodocumque intentionalizemus, nunquam negare poſſumus, quod reale ſit, quod communicatur, & quod ſaltim aliquid ipſum perſeverat: ergo ſic pariter de vnitate eſt diſcurrendum. Reſpondeo, quod hæc ipſis conſentiendo, nil vnquam roboris inijcient; quia ad ſummum, ſolum poterant inferre, quod ſicuti aliquid reale idem naturæ perſeverat, ſic & aliquid reale vnitatis; ſed ex hoc nunquam cõcludent, quod eadem vnitas realis ſit eadem vnitas vniverſalis. Ratio noſtra ſtabit in hoc, quod etſi de ipſa natura reali faciat intellectus naturam vniverſalem, ita vt in hoc concreto, ſcilicet, vniverſale, intret ipſa natura, ipſa tamen non eſt pluſquam pars concreti, & natura vniverſalis eſt totum conflatum ex ipſa, & alia parte, ex quibus reſultat natura vniverſalis; quo pacto, etſi incompleté natura vniverſalis ſit eadem natura, non autem completé, quia natura vniverſalis, ſupra eſſe naturæ, dicit ampliùs in eſſe naturæ vniverſæ. Idem invenies in concreto albo, vbi etſi idem ſubiectum ſit album, nunquam tamẽ eſt verum dicere, quod natura ſubiecti ſit eadem natura albi, nequé quod idem eſſe ſubiecti eſt idem eſſe albi: ſic pariter eſt diſcurrendum de vnitate, tametſi ex vnitate reali, & ex ſecunda intentione rationis reſultet vnitas intentionalis, ita vt licet eſſet verum dicere, quod vnitas realis erat vniverſalizata, nunquam tamen eſſet verum dicere, quod idem erat vnum reale, & vnum vniverſale, quia hoc vnum, aliquid addebat diſtinctum, ſi non in eſſe vnius, in eſſe vnius vniverſalis.

26 Neque adhuc ſic diſcurrendo coincidimus cum opinione Blanc. Ratio eſt; quia ipſe nil rationis addit vnitati, ita vt ex vnitate, & ratione ſemper ſit vnum, quod efficiatur; at ſic, quod etſi addat aliquid rationis, non tamen vt vnum fiat, ſed vt commune, ita vt quomodocumque præſcindatur vnitas naturæ vniverſæ, ſecundum purum conceptum vnitatis, ex aliquo rationis non coadunetur, quia etſi vt natura vnitatẽ habeat in omnibus, requirat communitatem rationis, ſed tamen ſemper communitas intelligitur, tam completé, quam incompleté, extra formaliſsimum conceptum vnitatis naturæ vniverſæ, ex quo conſequenter dicit, vnitatem naturæ vniverſæ eſſe eamdem vnitatem realem. Nos autem in his, non ſic philoſophamus, quia etſi dicamus, quod vnitas realis eſt, quæ ſit vniverſalis, eo ipſo dicimus, quod non eſt ſic eadem; tũ, quia ſi ſit vniverſalis, diſtincta erit, diſtinctum ſiquidem eſt quod ſit, ab eo quod factum ſic non erat; tum, (& hoc eſt nimis advertendum) quia ex ipſa vnitate reali, & ex formalitate rationis coadunatur vnitas vniverſalis, ſeu vnitas realis intentionalis, vel intentionalizata, ſiſtentes, & advertentes, quod formalitas rationis, vnitati reali addita, ſit de puro, & formali conceptu vnitatis naturæ, vt vniverſalis, ita ſpecialis, quod ſine illo, non ſolum communis, ſed nequé vna vniverſaliter dicetur.

27 Dices, ſufficere, quod ex communitate rationis, & ex vnitate reali talis conceptus fiat: ergo ſuperfluit ſpeciali forma rationis complere vnitatem realem. Reſpondeo in primis dicendo, quod ſi velint diſtinguere naturam in eſſe vnius, in eſſe aptę, & in eſſe communis, in tali caſu, quævis harum paſsionum realium requiret intra propriam lineam, cõplementum rationis, ita vt forma rationis, qua completur vt apta, & communis, debeat eſſe alterius ordinis ab illa, à qua completur vt vna, taliter, quod cum vnitas intra conceptum vnitatis ſit intentionabilis, non ſuperfluat ipſi addere formam rationis ſpecialem, quia hæc ſit dicenda prædicta rationis communitas. Reſpondeo deinde, quod ſi ex vnitate reali, & communitate rationis ita velint formare vnicum conceptum vnitatis, quod ſecundum totum dicatur vnus, & ex vtraque parte vnitas, in tali caſu nil contra nos, dum ex communitate rationis, & vnitate reali vnus conceptus fiat, ita vt eſſe communem, ſit eſſe vniverſaliter vnum; tunc enim communitas rationis non erit extra adæquatum conceptum vnitatis. Deindé, ſicuti vnitas realis non eſt idem, ac vnitas, & communitas rationis apud Blanc. ſic melius cognoſcitur, quod nequé vnitas realis ſit idem, ac vnitas vniverſalis, dum extra conceptum vnitatis vniverſalis non eſſet communitas rationis.

28 Obijcies 3. ex Auctoribus, vnitatem præciſionis vnitatem eſſe rationis, nobiſcum deffendentibus. Sufficit ad vniverſalitatem vnitas præciſionis: ergo adhuc poſito actu collativo, illa indiſtincté perſeverat. Probatur antecedens; quia in primis, illa vnitas iam

eſt rationis, & ſic concreto rationis, vtpote logico vniuerſali idonea, & ſummé conformis, quia ex vlterioribus actibus comparationis, nil plus, quam vnitas rationis conſequitur: Deinde; quia etſi in vnitate reali, minori numerali, poſſit dari fundamentum ad vnitatem præciſionis, ſeu rationis, non tamen ipſa vnitas præciſionis, & iam rationis, habilis videtur, vt congrué, & vigorosé aliam vnitatem rationis valeat fundare: Deinceps; quia vnitas propria, & ſpecialiter naturę vniuerſalis conſtitutiva, debet eſſe illa, quæ dicit negationem vnitatis numericæ, non ſolum negatiué, vt vnitas à parte rei formalis, ſed etiam contrarié; ſed hanc non habet, niſi ratione præciſionis, quia per præciſionem ſeparatur natura à ſingularibus, ita vt in re non relinquatur multiplex, ſicuti in re relinquitur cum vnitate formali, minori, numerali: ergo ſufficit ad vniuerſalitatem vnitas præciſionis. Reſponderi poteſt argumento, negando antecedens. Ad probationem antecedentis, concedo primam partem, & nego eſſe idoneam, ita vt ipſa indiſtincté ſufficiat Ratio eſt; quia vnitas logica naturæ, non eſt indiviſio naturæ in ſe, ſed indiviſio naturæ in pluribus: vnde cum vnitas præciſionis conſtituat naturam, vnam præcisé in ſe, inde fit, vt non ſufficiat naturæ, quæ eſt vna in ordine ad multa. Verum enim eſt, quod vlterioribus actibus comparationis, nil plus, quam vnitas rationis conſequitur, conſequitur tamen diſtincta rationis vnitas, conſequitur ſiquidem vnitas cum diſtincto reſpectu, imò ipſe reſpectus eſt ipſa vnitas, quæ conſequitur; ſi enim aliqua, relationibus diſtinctis diſtincta ſint conſtituenda, nil melius, quam entia, ſeu concreta intentionalia, ſic diſtincté conſtituentur relationibus.

29 Ad ſecundum argumenti reſpondeo deinde, nil repugnare, quod vna relatio rationis poſſit fundare aliam, quod iuxta textualem doctrinam Doctoris Subtilis in lib. *de ente intentionali* laté propugnavimus, & ſic nil inconvenit, quod vna vnitas rationis poſſit eſſe proximum fundamentum ad aliam rationis vnitatem. Ad vltimum reſponderi poteſt, dicendo ad maiorem, naturam abſtractivé conſideratam, prædictam negationem poſſe habere, ex quo ad ſummum poteſt inferri, quod detur natura, ita vniverſalis, vt ſit magis vniverſalis, & magis vna, quam natura, quæ vnitate formali à parte rei eſt vna, nunquam tamen ita vna per talem vnitatem præciſionis, quod ſit logicé, & completa expeditione vna, quouſque ordine poſitivo ad multa ſit vna. Deindé, ad minorem reſpondeo, nil inconvenire, quod talem vnitatem ſolum à præciſione habeat, cum vnitas logicæ naturæ requiſita, debeat eſſe plùs, quàm quod à præciſione habet; habet enim à præciſione fundamentum ad ſpecialem vnitatem, quod tamen, vt proximum, & ſufficiens ſit, minus quod debet habere eſt, naturam à ſingularibus multiplicem ſeparare; id tamen non ſufficit, quia ad logicé eſſe vnam naturam, non ſolum requiritur, quod in re non ſit multiplex, ſed requiritur, quod ſit multiplex, & vna, vel ſaltim vna, & proximé multiplicabilis, quod à pura præciſionis vnitate non habet, etſi prædictas negationes ab argumento intentas habeat. Itaqué his omnibus reſpondebis, (& alijs, quibus inſtent) componendo, ſi velis, vnitatem logicam cum vnitate abſtractionis, ſicut illam compoſuimus cũ vnitate reali contra Blanc.

30 Dices, ex dictis inferri, dari naturam vnam vnitate rationis, & tamen non eſſe logicé vnam, quod liberé tantum dici poteſt. Reſpondeo, quod ſi ex eo, quod ſit rationis, ipſam logicam eſſe intendant, non renuemus dicere, ipſam præciſionis vnitatem, logicam eſſe, datur ſiquidem in vnitate abſtractionis ſecunda intentio nuditatis, ſeu abſtrahibilitatis, applicata primæ intentioni naturæ, quod, obiectum logicorum ſpeciale videtur; at tamen, ſi pro vnitate logica intelligant id, quod pro Vniverſali logico intelligere ſolemus, dicemus ſine formidine, logicam ſic non eſſe formaliter, ſed materialiter proximé, quod ſine repugnantia poteſt admitti, quia vnum logicum concretum, & artificium, poteſt eſſe fundamentum, & proxima ſolum materia reſpectu alterius.

31 Ratio pro omnibus in hac quæſtione dictis deſumitur ex eo, quod illa natura eſt ſolum ſtricté, & rigore logico vniverſalis, quæ completé eſt talis, & illa ſolum completé talis inſpici debet, cui adexpedité, & immediaté eſſendum in multis, nil deficiat, ita vt ſi aliquid deficiat naturæ in eſſe completo naturæ, aliquid etiam ipſi deficiat in eſſe completo vnitatis: ergo quouſque deficiant actus intellectus, quibus natura fiat completé natura, & logica, logica vnitas deficiet naturę: vnde, dum natura abſtracté intellecta, comparativé, & in promptu ad prædicationem non intelligatur, completa non intelligitur; dum autem ſic intelligitur, tunc vnitas innovatur, completur aut intenditur; ad innovationem enim, ſeu intenſionem logicam, levior mentis actus eſt impulſivus, cum natura illa, etſi realis, in omni paſſu intentioni ſubſtet.

Sin

32 Sin autem aliter velis ſupra hæc philoſophare, potes cum Patre Maſtrio deffenſare, quod vnitas naturæ logicæ, ita abſoluté eſt diſtincta ab omni antecedenti vnitate, quod formaliſsimé loquendo, nil vnitatum præcedentium perſeveret, vt ex ipſis, & ex relatione rationis, vnitas logica coadunetur. Sed dices, quod abſoluté tota vnitas logica ab actu cõparativo formatur; quia ſemel ſuppoſitis alijs vnitatibus, ſcilicet, realis, & præciſionis, fundamentum habet intellectus, vt per actum comparantem, totam vnitatem logicam efficiat: & ad illud, quod natura eſt realis: ergo & vnitas; poteſt reſponderi, negando paritatem. Ratio debet eſſe iuxta dicta *in 1. diſt.* quod natura ex ſe non dicit præciſé vnitatem illam formalem negativam, eo quod ipſi de ſe non repugnet habere vnitatem poſitivé, & expedité vnam, & eamdem in omnibus: ergo natura ex ſe eſt indifferens vtrique vnitati: ergo in aliquo priori ad vtramque poteſt conſiderari natura, ita vt ſecundum propriam entitatem naturę, neutram dicat: ergo indifferentiori, & ampliori modo poteſt conſiderari natura, quã vnitas formalis, quam nunc à parte rei habet: ergo poterit intellectus ſupra naturam realem, ponere vnitatem adæquaté rationis, etſi non poſsit ſupra vnitatem formalem, réalem vnitatem rationis formare. Ratio eſt; quia vnitas formalis realis eſt determinatiſsimé negativa, ita vt videatur nimis difficile, aufferre negativum ab illa, & ponere poſitivam indifferentiam, & illam non deſtruere, & in totum aliam contrariam non relinquere. Notentur iſta, & attenté videantur. Idem debet dici, vt nil vnitatis abſtractionis ſit vnitatis logicæ conſtitutivum. Noto tamen, quod adhuc admiſſa doctrina à me ſupra explicata, nunquam tamen coincidimus cum tenentibus, vnitatem præciſionis eſſe eamdem vnitatem logici Vniverſi. Vt autem nos cum illis non coincidere videamur, eadem diſtinctio eſt componenda inter nos, & inter tenentes, vnitatem præciſionis manere eamdem, ac compoſuimus, explicando ſupra, quod non coincidebamus cum Blanc. etſi ex vnitate reali, & relatione rationis, vnitatem vniverſalem admitteremus; ſimili modo cum alijs non coincidemus, explicando, ex vnitate abſtractionis, & relatione rationis, vnicum conflari vnitatis logicę conceptum. Vtramque noſtram explicationem vnitatis vniverſę, vt mihi probabiliſsimam relinquo.

(***)

QUÆSTIO II.

Eviſceratur difficilimum multiplicitatis punctum:

33 EGimus hùc vſq; de vnitate in natura ad vniverſalitatẽ requiſita, reſtat pro complemento notitiæ vniverſalium, agere de multiplicitate ad vniverſalitatem neceſſaria, quia cum regulariter vniverſale ſoleat definiri, vnum aptum cum ſui multiplicitate, vt exacté ſciamus, quid ſit Vniverſale, ſcire debemus, quid ſit eſſe multiplex, ſicuti quid eſſe vnum, pręnotavimus. Tota huius puncti difficultas ſtat penes hoc, quod aliqui firmiter ſtabiliant, naturam humanam v.g. multiplicem ab vniverſalitate manere, & deinceps, tam ipſius multiplicitatem, quam vniverſalitatem, naturæ divinæ repugnare firmiter aſſerant. Vellem igitur videre, quomodo tot Auctores naturam humanam ita faciant multiplicem, & vniverſalem, vt ſic nequé multiplex, neque vniverſalis valeat eſſe natura divina; mihi etenim sẽper hoc ita difficilimũ fuit viſum, vt contrarium, ſolum ex tòt Doctorum praxi, probabile appareret; & né hoc liberé dictum videatur, eviſcerabitur ſic.

34 Primò, ex Doctore Subtili *in 2. d. 3. q. 1. §. ſed contra verſ. ad ſecundam inſtantiam*, vbi Doctor, répugnans dari vniverſale à parté rei, reſolvit, quod nullum vniverſale in creaturis eſt realiter vnum, quia hoc eſſet ponere, quod aliqua natura creata, non diviſa, prædicaretur de multis individuis, prædicatione dicente *hoc eſt hoc*, ſicut dicitur, Pater eſt Deus, & Filius eſt idem Deus; at autem, quod eſt commune à parte rei in creatis, non eſt ita commune, quod ſit prædicabile de multis, ſed ita commune, vt laté explicuimus *in diſt. 1.* prę ſentis libri. Nunc ſic: ergo vt natura humana v.g. ſit prædicabilis de multis, non requiret amplius, quam quod ſit ita prædicabilis, quod ipſa poſsit dici de quolibet, prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*, ſicuti natura divina; ſed vt ſit natura divina ſic prędicabilis de multis, non requirit multiplicitatem in eis: ergo nequé vt natura humana ſit prædicabilis, eam plus requiret, vel ſaltim intrinſecam multiplicitatem non requiret. Prob. conſequentia illata; quia Doctor diſtinguit communitatem realem naturæ creatæ contra communitatem naturæ divinæ, nam iuxta communitatem realem natura creata, nunquam ipſa eſt expedité prædicabilis de quolibet; ſed dũ natura creata

eſt

Digitized by Google

eſt intentionaliter poſitivé communis, eſt vna, & eadem expedité prædicabilis de quolibet, vt expedité prædicabilis eſt natura divina, ſervatis dumtaxat ſervandis, penes infinitam diſtantiam materiæ: ergo vt natura humana ſit prædicabilis de multis, non requiret ampliùs, quàm quod ſit ita prędicabilis, quod ipſa poſsit dici de quolibet, vt natura divina.

35 Confirmo dicta; quia Doctor nunquam communitatem à parte rei admiſsit poſitivé, & expedité in natura, & ſemper ſignavit cauſalem in hoc, quod in tali caſu daretur aliquid in re commune in creatis, cum hoc ſolum in divinis debeat admitti: ergo dum natura vniverſalitatem, & communitatem, quam habet ſolum intentionaliter, eam haberet à parte rei, illud in re commune daretur in creatis, quod ſolum debet admitti in divinis; ſed non repugnat, quod habeat natura intentionaliter communitatem, quam à parte rei expeditam habere repugnat: ergo intentionaliter habet natura, quod à parte rei ſoli Deo non repugnat; ſed quod creaturæ repugnat, non autem Deo, relinquit naturam ſine multiplicitate expedité prædicabilem de multis, vt quid vnum, & ſuperius ipſis: ergo ad intrinſecam rationem entis prædicabilis, & naturæ vniverſalis, ſuperfluit multiplicitas. Itaque, puncto aliquando conſiderato, exiſtimavi, quod de facto natura humana eſt in quolibet, ita multiplex, ſeu diviſa, quod tot ſint naturæ, quot individua dividentia, ex quo ipſi à parte rei vnitas vniverſalis repugnat; at autem, dum intentionaliter vniverſalis conſtruitur, ipſam indiviſam, & omnibus communicabilem relinquere intenditur, quod non videtur aliud, quam trinare intentionaliter in creatis, quod à parte rei ſolum eſt vnitate trinum in divinis.

36 Dices, maximum ſemper dari diſcrimen penes hoc, quod natura vniverſalis multiplicatur numericé, non autem numericé multiplicatur natura divina. Sed contra in primis quia vel natura vniverſalis eſt ante contractionem eadem numero, ita vt habeat aliquid idem numero, vel non? Si reſpondeas, nil idem numero habere: ergo non multiplicatur. Prob. quia multiplicitas ſtat in hoc, quod aliquid idem, fiat multiplex; ſed nil illius naturæ, quod ante contractionem erat idem, fit multiplex: ergo intrinſecé non multiplicatur. Prob. minor; quia quod ante contractionem erat idem, erat ſolummodo natura formalis; ſed natura formalis, ſecundum nil naturæ formalis, poſt contractionem dividitur: ergo nil illius naturæ, quod ante contractionem erat idem, fit multiplex. Prob. minor; quia ſi natura formalis ſecundum aliquid naturæ formalis divideretur, etſi numericé divideretur, tot manerent naturæ formales, etſi ſolum numericé diviſæ, quot individuationes; ſed in caſu, quod tot manerent, non foret multiplex, & vna poſitivé: ergo natura formalis, ſecundum nil naturę formalis poſt contractionem dividitur. Prob. maior; quia de facto, vt tot ſint naturæ formales, quot individua, non requiritur ampliùs, quam quod intrinſecé natura, etſi numericé, ſit diviſa, de quo diffusé ſupra *in diſt.* 2. ergo &c. Prob. minor; quia in vniverſalibus, multiplicitas, ſeu multiplicatio, ſolum poteſt dici reſpectu rei, quę ſervet aliquid idē; ſi enim ipſa ſit totuplex, quotuplex dividentia, malé multiplicari dicetur, iuxta ſenſum vniverſalitatis: requiritur enim, quod in multis vnum ſit, nam vt aliquod corpus inſimul replicatum dicatur in loco, requiritur, quod nil corporis dividatur, quia ſi replicatio loci duo corpora relinquat, iam non poteſt dici, quod corpus eſt replicatum, quia tot ſunt corpora, quot replicantia: ergo à ſimili.

37 Ex quo infero, impracticabilem eſſe multiplicitatem intrinſecam in natura vniverſali; quia repugnat, quod ſecundum aliquod ſui intrinſecé multiplicetur, & quod ſecundum aliquid ſui maneat poſitivé, & vniverſaliter vna. Dices, quod dum fit multiplex, non manet vniverſalis, nequé apud ipſos poſitivé vna perſeverat, & ſic poterit ſine vnitate permanenti fieri multiplex. Contra hoc vertetur infra ſermo, quo expedito, nunc dicta, robore informabuntur.

38 Si reſpondeat forté aliquis Scotiſta, naturam illam vniverſaliter vnam habere principium numericum, & eſſe vnam etiam numero, iuxta illud Scoti ſupra, de ente, ſeu obiecto vniverſali aſſerentis, quod vt intellectum, habet vnitatem etiam numeralem obiecti, ſecundum quam ipſum idem eſt prędicabile de omni ſingulari, dicendo, quod *hoc eſt hoc*: Contra; quia ex hoc ſequeretur, quod etiam Petrus adæquaté ſumptus foret vniverſalis. Prob. quia Petrus non exprimit eſſe aliud, quam hæc natura humana, ita vt ſupra naturam humanam nil addat præter hæcceitatem: ſed etiam ſi natura vniverſalis hęcceitatem addat ſupra naturam humanam, poteſt eſſe vniverſalis: ergo etiam Petrus adæquaté ſumptus foret vniverſalis. Contra 2. quia ſi non ſolum natura, ſed etiam hæcceitas foret communicabilis, non daret motivum, ex quo ab omnibus hæcceitatibus non poſſet etiam abſtrahi ratio communis hæcceitatis. Contra 3. quia aliquid

eſſe

eſſe commune, & eſſe ſingulare, eſt proprium naturæ divinæ, ita vt ibi poſsit dici, hic Deus communis tribus, non autem in creatis dicitur, hic homo tribus communis, ſeu de pluribus prædicabilis: ergo &c.

39 Dices, & forte bené, quod etſi natura vniverſa dicatur hæc, poterit eſſe communis, dum Petrus ſic communis non ſit; quia illa hecceitas eſt hæcceitas naturæ vniverſalis, taliter, quod ſolius entis in communi ſit ſingularitas, eo modo, quo iuxta Scotum, non ſine levi fundamento, dicunt aliqui Scotiſtæ, quod in verbis conſecrationis, ſcilicet, *hoc eſt corpus meum*, ly *hoc* ſupponit pro individuo entis in cõmuni; ſic pariter. Dari poteſt ratio; quia nil eſt, quod ſingulare non ſit, & nil eſt ſingulare, quod de ſingularizato prædicabile nõ ſit: vnde ſingularia, quæ faciũt multitudinem in natura vniverſali, cum non poſsint ipſius eſſe ſingularia, quia non poteſt dici, quod Petrus eſt vniverſalis, hinc eſt, quod debeat dari individuũ, tali naturæ vniverſali proprium. Ex quibus proficua doctrina poteſt adaptari ad illud, ſcilicet, cur dum Petrus dicitur homo, & homo eſt vniverſalis, de Petro non dicitur, quod vniverſalis ſit: poteſt enim dici, ex eo eſſe, quod naturæ humanæ primó intentionaliter acceptæ, ſingularia ſunt individua primó intentionalia etiam, ſcilicet, Petrus, Paulus, &c. at autem naturæ ſecundó intentionalis ſingularia, debent eſſe ſolum illa, quæ ipſi, ſeu de ipſa valeant dici; cum autem natura vniverſalis, ſolum de ſingulari communi poſsit dici, & ſingulare commune ſolum ſit vnum, hinc eſt, quod ſecundò intentionaliter ſoli vni eſt propria, & vt quod dicibilis, etſi vt quo, hoc eſt, ſit ratio, vt natura iuxta eſſe primó intentionale, dicatur de pluribus, vt communiter de prædicatione ſignata dicunt feré omnes.

40 Dices deinde ad ſecundum, nunquam ſequi, quod ab hæcceitatibus poſſet abſtrahi aliqua ratio communis; quia etſi natura hæc foret communis, nunquam foret communis hæcceitas, vltimò dividens, & diverſificans, vt ſunt hæcceitates numericæ; & licet hæcceitas compatibilis in priori ad vltimas hæcceitates, foret communis, nec non, & hęc hęcceitas abſtrahibilis, nunquam ex hoc infertur, quod ab hæcceitatibus, huic inferioribus, valeat ſic aliquis conceptus eſſe abſtrahibilis. Itaqué, dató, quod ab vltimis differentijs foret abſtrahibilis conceptus hæcceitatis, nunquam tamen, quia ex ipſis formaretur conceptus abſtractus, ſed abſtraheretur ab ipſis hæcceitas, modo quo nunc dicitur, quod ab ipſis abſtrahitur humanitas.

41 Dices ad tertium, nil repugnare, quod intentionaliter natura creata ſit vniverſalis, & hæc, ex eo quod naturæ divinæ hoc ſit proprium. Ratio eſt in promptu; quia non minus eſt extraneum naturæ creatæ, & proprium divinæ, eſſe eamdem naturam formalem poſitivé in omnibus à parte rei, quam eſſe communem, & ſingularem à parte rei; ſed non repugnat, quod natura humana habeat intentionaliter communitatem formalem poſitivam, quam à parte rei ſolum habet natura divina: ergo neque repugnabit, quod natura humana habeat intentionaliter cõmunitatem ſingularem, etſi hãc à parte rei ſolũ habeat natura divina. Permitto doctrinam, ſed tamen adhuc dum ſit admiſſa vniverſalitas ſingularis, non ſatisfit prędictę rationi, quia etiam ſi natura divina ſit à parte rei cum communitate ſingulari, non requirit ex hoc multiplicitatẽ intrinſecam habere: ergo etiam ſi natura creata habeat intentionaliter vniverſalitatem numeralem, non requiret ex hoc multiplicitatem intrinſecam. Deinde, quia etſó communitas ſit ſingularis, & ſingularitas communis, idem argumentum, quod ſupra formatur contra multiplicitatem intrinſecam naturæ communis, formari poteſt contra multiplicitatem intrinſecam communitatis ſingularis, quia eadem eſt difficultas de multiplicitate vnius, ac alterius: ergo adhuc admiſſa ſingularitate communi, nunquam combinatur multiplicitas intrinſeca cum vnitate communi.

42 Deinde, ad Scotum poſſunt reſpondere Scotiſtæ, iuxta expoſitionem Lichet. ad textum ibi, quod licet naturę vniverſali quamdam videatur tribuere vnitatem numeralem, certum tamen eſt, ibi nõ loqui de vnitate numerali reali, ſed obiectiva, ſeu in ratione obiecti intellecti, quatenus ſicut conceptus formalis naturæ humanæ eſt vnus numero, ita obiectum eius in ratione obiecti, vnum numero dici poteſt per denominationem extrinſecam à conceptu mentis, quia natura humana vt ſic, cum tota ſua communitate, eſt vnum de numero intelligibilium; cui expoſitioni in re cõſentit Maſtrius. Sed quidquid ſit de hoc, veniamus ad difficultatis punctum, intendendo pro nunc illud eviſcerare contra tenentes, naturam, vnitatem formalem poſitivé communem, in ſingularibus conſervare, & prædicatione non diſſolvi. Argui poteſt ſic: in tali caſu, non poſſet dari in natura creata multiplicitas; aliàs ſequeretur, danda ab eis in natura divina: ergo intrinſeca multiplicitas eſt extra rationem poſitivæ communitatis. Prob. quia eſſe naturam multiplicatam, dũ vna, & eadem

natu-

Digitized by Google

natura formalis ſit in pluribus, non eſt aliud, quam plures ſingularitates eſſe cum eadem natura; ſed ex hoc non infertur intrinſeca multiplicitas: ergo vel non poteſt dari in natura creata multiplicitas, vel apud ipſos eſt danda in natura divina. Prob. minor; quia ex eo quod plures ſingularitates præcisé terminent eamdem naturam, nunquam ſequitur, quod natura ſit vnum aptum cum ſui multiplicitate: ergo ex eo, non ſequitur intrinſeca multiplicitas. Prob. antecedens; quia illa natura in ſe non eſt multiplex, & ſic non erit apta ad eſſendum cum multiplicitate *ſui*, ſed cum multiplicitate illorum, quæ *ſui* non ſunt: ergo ex eo, nunquam ſequitur, quod natura ſit vnum aptum cum ſui multiplicitate.

43 Dices, quod etſi ſingularitates, ſuæ non ſint formaliter, ſint autem realiter, quod ſufficit, vt ſit vnum aptum cum ſui multiplicitate. Contra; quia etiam perſonalitates divinæ ſummé idemptificantur realiter cum natura, & non plurificatur natura. Deinde, ex eo quod non plurificetur natura divina, nullatenus poſſunt dici plures Dij plures perſonæ; ſed ex ſuppoſitione conſervatæ vnitatis, nequé de pluribus ſingularibus poſſunt dici plures homines, ſed valet dici, quod ſunt vnus homo: ergo.

44 Dices, quod natura creata conſtrahitur, & actuatur per hæcceitates, non ſic divina natura per perſonalitates, cum ſit in vltima actualitate. Contra; quia ſi aliquid contractum maneat vnum, ſicuti antea, difficulter poteſt percipi, ipſum dividi, & multiplicari per adventum alterius; ſed ex permiſſa ſuppoſitione, ita manet natura in ſe vna poſt adventum ſingularitatum, ac antea erat vna formaliter, & poſitivé: ergo ſicuti quia ſic manet vna natura divina poſt adventum perſonalitatum, ac antea, non multiplicatur in perſonis, nequé propter ſimile natura humana multiplicabitur in ſingularibus.

45 Contra directé, ex eo quod ad vitandam difficultatem, parum referat, quod natura divina ſit ante contractionem ad perſonas ſingularis, nec non ſingularis ſecundum ſe, ſecus autem creata: contra igitur ſic; quia non minus Deus, & hic, ſcilicet hic Deus, eſt communicabilis perſonis realiter diſtinctis, quam homo ſine hæcceitate ſit communicabilis ſingularibus diſtinctis: & non minus ſingularia habent, & contrahunt puram rationem humanitatis, quam perſonæ divinæ contrahant, & habeant rationem Deitatis huius; ſed in perſonis divinis, nequé Deus, nequé hic Deus dividitur in contrahentibus: ergo nequé in ſingularibus contrahentibus, quod ſolum eſt homo, ſeu natura humana dividetur. Contra aliter; quia ſi per poſsibile, vel impoſsibile natura humana foret hæc, vt ſupra dicebamus, vel ab omnibus individuis foret abſtrahibilis ratio communis ſingularitatis, dum ratio ſingularitatis notionibus diſtinctis foret communicabilis, non eſſet cur natura multiplicaretur, non autem ſingularitas: ergo à ſimili, dum tribus perſonis ſit natura, & hæc communicabilis, ſicut in creatis ſola natura. Contra aliter; quia natura expedité communis, ex nullo alio capite dicitur multiplicata, quam ex eo, quod etſi ſit communicabile quidquid dicit extra ſingularitatem, non autem totum concretum, ſcilicet, natura, & ſingularitas; ſed etiam ſi quidquid dicit natura divina, & ſingularitas extra rationem perſonalitatis ſit communicabile, non autem totum concretum, quia natura perſonata, ſcilicet Pater, qui eſt Deus, & perſona, non eſt communicabilis: ergo ex ſuppoſitione talium Auctorum; multiplicitatis punctum æqué militat. Contra aliter; quia ſi in creatis vltra ſingularitatem, daretur conceptus realiter idemptificandus cum ſingularitate, ſicuti vltra naturam datur conceptus idemptificandus ſingularitatis, neſcio ex quo, tam rigor multiplicitatis, quam contractionis, & prędicationis, non ſalvaretur: ergo. Dixi, ſi vltra ſingularitatem daretur cóceptus idemptificandus, ſcilicet, caſu quo, perſonalitas in creatis idemptificari poſſet, & ſic ſingularitatem contrahere.

46 Dices (& inter omnes rationes, nulla, ni fallor, melior apparet) ex Doctore Subtili ſupra, diſcrimen debere deſumi ex eo, quod in divinis valeat hæc prædicatio, ſcilicet, Pater eſt Deus, Filius eſt idem Deus; at autem in creatis, adhuc per rationem ſuppoſita in natura vnitate poſitivæ indifferentiæ, nunquam valet dici, Petrus eſt homo, Paulus eſt idem homo: ergo quia intra ipſam rationem humanitatis datur multiplicitas, quę vt apparet, non erit ſolum extrinſeca, ſed etiam in eſſe naturæ. Sed nequé hæc ratio difficultatem evacuat ex ſuppoſitione vnitatis poſitivæ in natura communicata; quia ſi per eſſe eumdem hominem intelligant, quidquid eſt præcisé naturæ humanæ, idem homo eſt Petrus, ac eſt Paulus, quia iuxta hunc ſenſum, nil amplius exprimit hæc prædicatio, ſcilicet, Petrus eſt idem homo, ac Paulus, ac hæc, ſcilicet, Petrus, & Paulus habent eamdem naturam humanam, quod verum eſt; quo pacto, ſemper invenitur, quod intentionaliter, ſic ſe habet formale naturæ humanæ reſpectu ſingulatium, ac formale Dei-

Deitatis, & huius reſpectu perſonarum. Sin autem per ly *idem homo* percipiatur aliquid excluſivum reſpectu alterius, qui idem homo non eſt, tunc non valet prædicatio, quia idem homo exprimit, non ſolum formam humanæ naturæ, ſed & ſingularitatem, ita vt Paulus non ſit idem homo, ac Petrus, quia Petrus eſt homo, qui eſt hic, qui non eſt idem homo, ac alius. In divinis autem valet, quod Pater ſit idem Deus, ac Filius, quia hoc prædicatum *idem Deus*, poteſt formari ex individuo, & Deitate, quin recurratur ad aliquod notionale, & incommunicabile, quia ſingularitas ſemper eſt eadem.

47 Deindé, quod in illa prædicatione, ſcilicet, Petrus non eſt idem homo, ac Paulus, in ly *idem homo*, ponatur ſingularitas Petri, nec non quidquid Petrus eſt, ſuadetur; quia etſi non valeat hæc prædicatio, Petrus eſt idem homo, ac Paulus, valet tamen iſta, ſcilicet, Petrus, & Paulus ſunt vnus homo: ergo cum vnitas, & idemptitas idem ſint, dum prima prædicatio non expeditur, ſin autem vſualiter ſecunda, ſignum eſt, quod in ſecunda, ſolum exprimitur vnitas formalis naturæ, & in prima, non ſolum formalis, ſed & numerica. Vbi notare debes, quod ſi illa prædicatio, ſcilicet, Petrus eſt idem homo, ac Paulus, ſit falſa, quia prædicatum exprimit in *idem*, quidquid Petrus eſt, quin aliquid notionale, & ſpeciale reſervet ex Petro; ſic etiam falſificaretur in divinis, quia Deus Pater, non eſt Deus Filius, tametſi Deitas Patris ſit Deitas Filij. Itaque ſi rectè ſupra hæc examen vertas, nulla vigebit diſparitas, niſi materialis, ſcilicet, quod in creatis contrahit hæcceitas, quod in divinis perſonalitas, quod nil refferre ſuadeo *diſt. 1. quæſt. 3. art. 3. reſolutione 1.*

48 Celebres Scotiſtæ examinantes punctum hoc, ſcilicet, cur natura in divinis multiplicitate perſonarum non ſit multiplex natura, ſin autem in creatis ſit multiplex multiplicitate individuationum, ſignant, hoc vnicé provenire ex eo, quod in divinis, perſonalitates, ita idemptificantur cum natura, vt ex vi talis idemptitatis non fiat multiplex natura in ratione naturæ, ſed tantum perſonaliter; in creatis veró, natura, ita idemptificatur cum hæcceitatibus, vt per ipſas multiplicetur etiam in ratione naturæ: vnde, quia in Petro, & in Paulo à parte rei, non ſolum inveniuntur plures hecceitates, ſed etiam plures humanitates, ideo dicuntur plures homines, non ſic Pater, & Filius plures Dij, ob oppoſitum. Hęc ratio optima eſt, non autem militat ex ſuppoſitione, quod vnica natura formalis ſit poſitivé in omnibus, ſed ſolum militat de natura humana, vt nunc in pluribus exiſtente, quo pacto præcisé habet vnitatem negativé. Quod ita loquentur, affirmat Maſtrius *dp. 9. q. 5. Art. 1. num. 112.* & expreſsiùs *quæſt. 9. Art. 3. num. 221. in fine*: & ſic percipiendus eſt Scotus, dum communitatem naturæ creatæ diſtinguit ex ratione multiplicitatis à communitate naturę divinę, de qua ſic vniverſalitatem negat.

49 Dicet fortè aliquis, id ipſum ſufficere ad diſtinctionem cum divina, ſcilicet, quod natura creata à parte rei ſit diviſa, ita vt tot ſint à parte rei naturæ formales, quot individua, nec non quod à parte rei creata natura ſolum habeat vnitatem indifferentię negativę. Sed contra; quia hoc ſolum poſſet eſſe roboris, caſu quo natura, vt vniverſa, illam eamdem vnitatem, realem, & à parte rei ſervaret; ſed illam non ſervat, imò habet oppoſitam; vnitas ſiquidem præciſionis eſt requiſita ad vniverſalitatem, quæ vnitas, præterquam quod eſt poſitiva, eſt rationis: ergo. Deinde, quia intentionalizata ſemel natura vniverſalitatis formâ, non eſt conſideranda iuxta ea, quæ à parte rei habuit; aliàs, levior abſtractio repugnaret, ſi ſic cum natura à parte rei diviſa foret ſemper componenda; ſed eſt conſideranda iuxta ea, quæ abſtractionibus, & comparationibus tunc habet natura, *quæ intentionaliter non poſſet habere plus, etſi à parte rei habuiſſet vnitatem poſitivæ indifferentiæ.*

50 Nec valet repetere, quod poſſent eſſe plures naturæ numericé, & vna formaliter; non enim valet; quia de facto, & à parte rei natura humana Petri non eſt pluſquam numericé diſtincta, nam formaliter non eſſe diſtinctam, ipſimet Scotiſtæ firmiter aſſeverant; ſed etſi de facto, & à parte rei non poſſit dici, quod pluſquàm numericé ſint diſtinctæ, & plures, ſufficit, quod hoc dicatur, vt adhuc non ſit poſitivé communis, & vniverſa natura, quæ formaliter non eſt diviſa: ergo eſtó numericé ſint plures, non poterit natura, vnitatem ad vniverſalitatem requiſitam habere.

51 Dicetis, quod dum de facto eſt multiplex numericé, non obtinet adhuc vnitatem poſitivæ indifferentiæ, & vniverſalitatis, etſi formaliter non ſit diviſa, quia ad hanc vnitatem poſitivam habendam, non ſufficit, quod de natura Petri dicatur, quod non eſt formaliter diſtincta à natura Pauli, ſed requiritur ampliùs, ſcilicet, quod abſoluté ſit vna natura formalis vtriuſque individui natura, quod eſt aliquid plus, ſiquidem, etſi à parte rei non poſſit dici, quod natura Petri non diſtinguitur formaliter à natura Pauli, poteſt tamen dici,

quod

Digitized by Google

quod natura formalis Petri, non eſt natura formalis Pauli, quia abſoluté eſt verum dicere, quod ſunt duæ naturæ formales; at autem, vt ſit vniverſalis, & poſitivé vna, non ſolum requiritur, quod formaliter non ſit natura Petri diſtincta à natura Pauli, ſed quod in re, ſit in vtroque vna ſolum natura formalis.

52 Sed revera, prædicta doctrinâ, potiùs fulcitur, quam infringatur difficultas; quia dum de natura poſitivé vna in pluribus dicitis, quod numericé diſtinguitur adhuc, vel intelligitis, quod dantur plures naturæ numericę: vel intelligitis, quod nunquam dantur plures numericæ naturæ, ſed plures numeró differentiæ numericæ? Si dicatis, quod dantur plures naturæ numericæ, ita vt, etſi numericé, dent naturæ multiplicitatem intrinſecam, à fortiori debet effici natura cuiuſvis individui, ſicuti de facto à parte rei eſt natura Petri v.g, quæ intrinſecé eſt multiplicata, ſeu diviſa; ſed non poteſt natura intrinſecé dividi, quin de ipſa dicatur, quod nunc dicitur de natura Petri, ſcilicet, quod abſoluté eſt diſtincta natura formalis, etſi id ipſi proveniat ex eo, quod ab vnitate numerica eſt intrinſecé diviſa: ergo non poterit natura intrinſecé dividi numericé, & in omnibus diviſis eſſe abſoluté vna. Prob. iſta; quia etſi à principio numerico dividatur, tamen, quod dividitur, non eſt natura numerica, quia hæc omnibus modis eſt indiviſibilis: ergo etſi numericé, natura formalis debet eſſe diviſa; ſed non poteſt natura formalis eſſe intrinſecé diviſa, hoc eſt, in aliquo ſui, quin ſit plures naturæ formales, etſi non formaliter, ſed numericé diſtinctæ: ergo non poteſt intrinſecé dividi numericé, & poſitivam vnitatem ſervare, ſemper ſiquidem ipſi deficiet eſſe vnam naturam formalem, dum ſolum, ſic numericé ſit diviſa. Si intelligatis, quod ſolum dantur plures differentiæ numericæ: habetur intentum, quia extrinſeca multiplicitas deduceretur dumtaxat, & ſic deberetis admittere pluritatem indifferentijs reſolventibus naturam communem, ſicuti in perſonis ſic reſolvẽtibus in divinis naturam individuam. His ita præiactis iuxta prædictam ſuppoſitionem, & pluribus etiam poſitis abſque illa, vt melius hęc vndique clareant, reſtat eviſcerare, an cum actuali communicatione naturæ, vnitas formalis, & poſitiva naturæ diſſolvatur, an veró conſervetur.

***

EVISCERATVR, ET RESOLVITVR; an actuali communicatione vnitas poſitiva conſervetur.

53 EX Doctore Subtili *in 4. d. 43. q. 2.* inferunt aliqui Scotiſtæ, per actualem exiſtentiam naturæ in inferioribus logicam naturæ vniverſalitatem non deſtrui, quibus, etſi in manu ſcriptis domeſticis, contrarius fuiſſem, nunc tamen cupio in eorum favorem punctum eviſcerare; exiſtimo enim probabiliſsimam poſſe deſumi reſolutionem, ductus principaliter ex hoc, quod illam poſitivam vnitatem habeat natura intẽtionaliter, quam, ſi poſsibile foret, haberet à parte rei; ſed ſi à parte rei daretur natura cum vnitate poſitiva, nil obviarẽt ſingularitates, vt vna, & eadem, actù eſſet in illis: ergo dum intentionaliter habeat, quod habere non poteſt à parte rei, nil obſtabit, vt eadem, actù ſit omnibus illis intentionaliter communicata. Maior videtur certa; quia ſi eadem natura à parte rei foret in omnibus, dum præciſa tunc intelligeretur, non intelligeretur tunc magis vna vnitate illius realis præciſionis, quam nunc intelligitur vna intentionaliter, vnitate intentionalis abſtractionis: ergo non aliam poſitivam vnitatem habebit intentionaliter, quam illam, quam, ſi poſsibile foret, haberet à parte rei. Minor convincitur; quia ſi natura foret à parte rei vna, & eadem poſitivé in pluribus, ita vt omnium natura intelligeretur vna à parte rei, nõ impediret, quod prædicaretur de Petro, vt eadem prædicaretur ſecundum eſſe formalis vnitatis de Paulo: ergo ſi daretur à parte rei natura &c. Nunc aſſumptum infertur; ſed ab omnibus individuis vna manet intentionaliter natura: ergo vnitatem intentionalem non deperdet, etſi cuilibet intẽtionaliter communicetur. Deinde, quia id intẽdit intellectus facere actũ, & poſitivé cõmune, quod actù eſt negativé cõmune, ita vt fiat cõmune intentionaliter poſitivé, quod à parte rei ſolũ eſt cõmune negativé; ſed cõmune eſſe negativé compatitur actũ, & cũ idemptitate actuali, ita vt, etſi actù ſit natura in vno, negativé ſit ſic in omnibus, vt laté dixi ſupra: ergo commune poſitivé compati debet ſic actù, & cum idemptitate intentionali, ita vt in omnibus ſit actù poſitivé.

54 Secundum motivum deſumi poteſt ex eo, quod ſemper, & quando aptitudo, & principium formale vnius naturæ eſt diſtinctum ab alia aptitudine, & principio formali alterius naturæ, etiam exercitia, & actus illorum principiorum diſtinguntur; quæ

regula infallibiliter adaptari poteſt in omnibus; imó à principio indiſtincto actus diſtincti oriuntur; ſed tam natura vniverſi phyſici, quam ipſius aptitudo, & vnitas, ſunt principia diſtincta à natura logica, & intentionali, eiuſque aptitudine, ſeu formali principio: ergo non minus actus talium principiorum, quiquidem actus ſunt prædicationes, debent diſtingui. Nunc ſic: ergo ſi vniverſale phyſicum habet vnicam ſingularitatem actù, à quocunque alia diviſam, vniverſale logicum iuxta ſuæ aptitudinis correſpondentiam, debebit exerceri circa vnam ſingularitatem, etſi natura ipſius cum quacunque alia ſit inſimul compoſita. Itaqué, ſi natura phyſicé vniverſa in ſolo Petro ſalvatur actù, natura logicé vniverſa, pluſquam in ſolo Petro actù poſita, non corrumpetur. Minor fundamentalis ſyllogiſmi eſt *in diſt. antecedenti* propugnata.

55 Tertium motivum (& prævenitur impugnatio contra dabilem ſolutionem de ſecundo) deſumi poteſt ex eo, quod vnitas poſitiva naturæ logicæ, vel eſt incompatibilis cum actuali communicatione, quia etſi detur potentia ad prædicandum inſimul de omnibus, tamen potentia in nullo perſeverat, eo quod actus ſit ipſius deſtructivus; vel eſt incompatibilis, quia etſi detur potentia ad prædicandum de pluribus, non autem inſimul, ſed diviſivé, ſcilicet, aut de Petro, aut de Paulo; ſed ex nullo motivo vniverſalitas evertitur: ergo. Prob. minor quoad primam partem; quia etſi virtus productiva alicuius cauſæ, *provt cauſativa*, foret incompatibilis cum actualiter communicantibus virtutem, ſi inſimul foret plurium cauſativa, impediretur, quod virtus vnica, *vt cauſativa*, communicaretur illis, nunquam tamen impediretur, quod virtus, *vt actu cauſans*, vna inſimul illis communicaretur actù, vt patet in materia prima, ſi actù in illa reciperentur plures formæ, quæ incompatibiles forent actù cum vna materia, *vt ſuſceptiva*, non autem cum vna *vt ſuſcipiente*: ergo ſi detur potentia in natura ad inſimul ſe communicandum pluribus, etſi natura, vt potens communicari, non perſeveret in ipſis, hoc nil impedict, quod natura vnica, vt actù communicata perſeveret in ipſis: vnde, licet non poſſet tunc eſſe vnum prædicabile de pluribus, poſſet tamen eſſe vnum prædicans de illis.

56 Probatur minor quoad ſecundam partem; quia cum illo modo prædicandi, magis everteretur vniverſalitas: ergo ex illo non evertitur apud nos. Prob. antecedens; quia in tali caſu, non foret natura prædicabilis, niſi de vno vagé: ergo cum illo modo prædicandi, magis everteretur vniverſalitas. Deinde; quia tunc non bene diceretur, quod vniverſale erat prædicabile de multis, vt intendit Philoſophus, cum ſolum foret prædicabile de vno ex illis multis: ergo. Dices, ſufficere quod ſit prędicabile de quolibet ex multis. Contra, quia etiam aliquis homo foret vniverſalis, ſiquidem eſt dicibilis de aliquo ex multis. Contra 2. quia ex tali modo, nunquam poſſet eſſe natura in pluribus cum ſui multiplicitate. Prob. quia vnum in vno, nunquam poteſt multiplicari; ſed licet illa natura poſſet eſſe in vno ex multis, nunquam poſſet eſſe pluſquam in vno: ergo quomodocunqué poſſet poni in quolibet, cum quodlibet non ſit pluſquam vnum, nunquam poſſet multiplicari. Suadetur; quia etſi aliqua cauſa ſit indifferens quoad quemlibet effectum ex pluribus individuis; nec non aliquod corpus ſit indifferens ad eſſendum in quolibet loco ex pluribus, ex hoc præcisé, nequé cauſam, nequé corpus replicari dicimus: ergo. Nec non, quia ex eo, quod vnum ſolum ſingulare poſſet eſſe actus, & exercitium potentiæ logici vniverſi, ſequeretur inutiliſsimus circulus, ſiquidem vniverſale phyſicum, nil aliud eſſet, quam dicens potentiam ad eſſendum vniverſale logicum, eo quod in natura ſingulari expendi poſſit fundamentum ad abſtrahendum, &c. Deinde, vniverſale logicum nil aliud foret, quam dicens potentiam ad eſſendum vniverſale phyſicum; eo quod quævis natura ſingularis ſit vniverſale phyſicum, & ſolum vnicæ naturæ ſingularis actu, omnis naturæ logicæ potentia effrænetur, & ad vnum in ſingulari vertatur. Denique, velem ſcire, ad quid tot anxietates in abſtrahendó, comparando, &c. vt deinceps exerceatur natura, manens in ſingularibus, ſicuti antea erat in illis, ante prædictum ordinem, & mentis anxioſam fabricam?

57 Quartū motivū deſumi poteſt ex valido Scotiſtarū fundamēto, ex Doctore Subtili deſumpto; quia ex eo, quod vnitas poſitivé cōmunis, idēptitate intētionali diſſolveretur, ſequeretur, quod nulla daretur prædicatio directa, nequé ſuperioris de inferiori: ergo. Prob. ſequela; quia hæc prædicatio, Petrus eſt hic homo, nō eſt directa formaliter, ſed idēptica; neq; eſt prædicatio ſuperioris de inferiori, quia hic homo, cū ſit idē, ac Petrus, eſt ipſi ęqualis; (aliàs cōcedēt de natura humana hac, indifferētiā, & indiſſolutā cōmunitatē, quā de natura humana pręcisé, nō cōcedūt) ſed ſi deſtruatur vnitas naturæ, hæc propoſitio, Petrus eſt homo, idē eſſet, ac Petrus eſt hic homo: ergo ſi vnitas poſitivé cūmunis, idemptitate intentionali diſſolveretur, ſequeretur, quod nulla daretur prædicatio directa, nequé ſuperioris de inferiori.

58 Obij. nulla natura poſitivé communnis,

idemp-

identitate intentionali poſita in inferiori, contrahitur, actuatur,& dividitur:deinde ponitur cũ differentia:ergo manet à fortiori diviſa,& diſtincta, ac perconſequens intrinſecé multiplicata. Prob..conſequentia;quia ex eo, quod animal contrahatur,& intelligatur cum rationali,debet intelligi,quod animal manet diſtinctum,quia debet efficere quoddam concretum, ſcilicethomo, quod, nullum aliud concretum ſit, ſcilicet, leo &c: ergo manet à fortiori diviſa,& diſtincta,ac per conſequens intrinſecé multiplicata. Reſponderi poteſt,dicendo ad antecedens, quod contrahitur, & quod dividitur ſolum extrinſecé, & neganda eſt deinceps conſequentia, iuxta id, quod exprimit. Ad probationem antecedẽtis,debet ipſo modo reſponderi;ſi intelligant illud de animali,vt intentionaliter contrahendo,& communicando, ſolum admitti debet ſecunda pars, ſcilicet, quod concretum abſoluté maneat ab alio diſtinctum: ex quo nil contra reſolutionem,vt ſtatim dicam.

59 Itaque dico, quod aliud eſt, naturam aliquam differre ex compoſitione cum differentia per idemptitatem realem nunc,& à parte rei, & aliud eſt differre ex coniunctione cũ differentia per idemptitatem intentionalem, & ex ſuppoſitione,quod in ſe ſit vna poſitivé; de facto enim animal,nunquam à parte rei,adhuc vt à rationali diſtinctum, poteſt intelligi expedité, & poſitivé vnum, quia vt laté diximus, vnitas præciſionis addit rationem ſupra virtutem,& purum fundamentum diſtinctionis formalis,& à parte rei, ac per conſequens,cũ nunquam detur nunc ſtatus, in quo animal ſit indiviſum, & in re vnum, ſeu commune, differt,& dividitur intrinſecé à quolibet alio, etſi aliud,etiam animal ſit,ita vt tot ſint animalia diviſa à parte rei, quot dividentia à parte rei; vnum ſiquidem in re commune à parte rei,in omni ſtatu extra Deum, repugnat; at autem, cum animal intentionaliter intelligatur poſitivé vnum,& expedité commune reſpectu differentium inferiorum, ita vt animal intentionaliter,aliter reſpiciat iam inferiora,ſcilicet, intelligatur verſus illa maiori vnitate,& idẽptitate;ſic etiam & inferiora,aliter debent iam intentionaliter converti, & eſſe cum animali, ſcilicet,cum minori diviſione,& multiplicitate debẽt intelligi verſus illud:vnde,ſicuti natura animalis intentione fuit mutata,ſic & differentiæ ipſius, quoad rigorem dividendi animal,mutatæ, & innovatæ debent intelligi. Ex quo debet percipi, quod ſi à parte rei animal dividebatur intrinſecé,quia à parte rei repugnabat negatio multiplicitatis intrinſece,intẽtionaliter animal ſolum divedetur terminativé, quia ad diviſionem intentionalem extrinſeca multiplicitas ſufficit.

60 Adaptantur iſta, ſolvendo illud argumenti,ſcilicet,quod cõcretũ ex animali,& rationali debet eſſe diſtinctũ;dixi igitur,ita eſſe, imó ex hoc augeo intẽtum reſolutionis, quia eſtó ita poſſit congrué intelligi natura, quod etſi ipſa poſitivé ſit in pluribus,tamẽ quodlibet ex illis diſtinctũ concretum ſit cũ illa, in tali caſu,no debet eſſe,cur ipsã, eamdẽ in omnibus nõ percipiamus, iuxta eũ rigorẽ idemptitatis, iuxta quẽ ſemper ſalvetur, quod quodlibet eſt concretũ,& totũ diſtinctũ;eo enim ipſo,quod hoc ſalvetur,ſalvatur quidquid requiritur pro cõditione cuiuſvis entis,& totius, vt ſit ſpeciale:deinde augemus rigorẽ debitũ ſpeciebus, & gaudentibus convenientia, & cõmunitate; ſed hoc omne poteſt ſalvari, quin cõmunitatẽ,& gradũ idẽptitatis diſſolvamus à pluribus eiuſdẽ naturæ intellectis:ergo.Cõvincitur minor; quia et ſi eadẽ natura animalis,quę eſt in Leone,foret in homine,vt nos intelligimus eſſe ex vnitate abſtractionis poſita in animali, adhuc concretũ *Homo* intelligeretur diſtinctũ à cõcreto Leonis;neq; ex eo ſequeretur,quod *Homo* rugiret,& quod Leo diſcurreret, ſed ſẽper ſolũ illius concreti foret ſpecialis diſcurſus:ergo cũ hæc omnia ſalvarentur, ſolũ extrinſeca diviſione,& multiplicitate,ad quid intẽtionaliter alia multiplicitas,& diviſio?Nec non, ad quid idemptitatis, & communitatis intentionalis diſſolutio?

61 Confirmo dicta(ex quibus vltimé reſpondeo) in perſonis divinis, quia vt aliquod cõcretũ intelligatur ſpeciale in natura humana, v.g.vt cognoſcatur, quod tale cõcretũ eſt Petrus,ſufficit cõcreto, & Petro,quod ita ſpeciale ſit,vt Pater eſt in divinis, qui ſpecialiſſimus eſt perſonatus; ſed vt Pater ſic ſpecialiter cognoſcatur,ſufficit ſola extrinſeca diviſio,& multiplicitas puré terminativa,ita vt eãdẽ poſitivã entitatẽ naturæ habere,imó & eãdẽ ſingularitatẽ, illud ſpeciale nõ impediat: ergo & idẽ ſufficiet,vt Petrus maneat,& ſufficiẽter intelligatur Petrus. Addo deinde ad exemplũ de animali ſupra,quod ſola idẽptitas cũ notione Patris ſufficit,vt Pater ſolus generet,ita vt generatio illius cõcreti ſit ſpecialis:ergo idẽ ſufficiet,vt ſolum diſcurrat homo,ita vt diſcurſus illius concreti ſit ſpecialis.

62 Dices, nunquam poſſe mentem in ſupradictis quietari, tametſi divinis paritatibus informetur, quia in divinis, nunquam poteſt dici, quod ſint tres numero Dij, ſed tres diſtinctæ perſonæ; at autẽ in creatis, valet dici, quod ſunt plures numero homines. Deinde, in divinis non idemptificatur natura cõmunis

ſingularitatibus ſpecialibus; ſin autem in creatis, ita vt debeat dari in vnoquoque vnitas propria, & ſingularis: ergo licet ex idemptitate naturæ divinæ cum perſonis, non detur intrinſeca multiplicitas, & diviſio, ſin autem dabitur ex coniunctione intentionali naturæ creatæ cum individuis.

63 Huic inſtantiæ reliqui ſolutionem, quoad difficiliora, ſupra in eviſceratione prima, ſed quidquid ſit ibi de hoc, dico ad primum, quod etiam firmiter ſtare debemus in hoc, quod non dentur plures homines diſtincti numero, provt hoc exprimit, eſſe formam hominis intrinſecé numero diviſam, & multiplicatam, ſed ſolum extrinſecé illud poſſe dici, ſcilicet, plura numero concreta, eo quod in quolibet concreto, ſicuti datur aliquid idem, datur & aliquid diſtinctum. Itaque, nunquam poteſt dici, quod dentur plures rationes formales hominis intrinſecé diviſæ, ſed quod detur eadem ratio formalis humanitatis, quæ eſt pluribus vnitatibus numericis communicata, ita vt ex idemptitate intentionali vnitatis formalis cum numerica, non varietur, ſicuti non variatur intrinſecé ſingularitas communis in divinis, ex idemptitate reali ipſius cum vnitate notionali.

64 Et né hoc vltimum de vnitate notionali in divinis videatur durum, ſic illud ſuadeo; quia eſt certum, imó & fide ſancitum, quod divinę perſonalitates ſunt rigoroſé *tres*: ergo Pater eſt vna, Filius altera, & altera Spiritus Sanctus: ergo cuilibet correſpondet ſpecialis vnitas illius numeri, qui notionaliter conflatur ex tribus, non minus ac in creatis, quilibet numerus ternarius conflatur; ſed nulla vnitas ex illis tribus eſt eadem cum alia, nequé ſui communicativa: ergo in vnaquaqué perſona datur vnitas ſingularis, & propria. Deinde, quia eſt valdé receptum apud graviſſimos Theologos, tres dari exiſtentias, imó & durationes; perſonalitas enim Patris aliquod eſſe habet, quod Filius non, & ſic aliquod exiſtens, & durans: ergo ſi cum eadem eſſentia communi compatiuntur plura eſſe notionalia, nec non, & exiſtentiæ, quid mirum, quod cum eadem ſingularitate communi, plures ſingularitates notionales compatiantur, & etiam, quia in Patre datur aliquid, quod eſt hoc, & perſonalitas hæc, quod non eſt illud, quod eſt Filij: ergo etiam expreſsé dantur hæcceitates. Nunc ſic; etiam ſi in divinis detur idemptitas realis à ſingularitate communi cum materiali vnitate, nunquam ſequitur ex hoc, quod aliter quam extrinſecé dividantur, quod ſufficit, vt habeant diſtinctionem, etſi principia diſtinguentia non varient entitatem formæ, cui idemptificantur, quia ſufficit, quod totum concretum dicatur diſtinctum, etſi diſtincta non dicatur forma divina, quæ eſt formalitas concreti: ergo à ſimili, in caſu, & exemplari noſtro poterit inferri, ex vnione intentionali cum vnitate numerica.

65 Nec valet, ſi dicas, quod in divinis eſt ſumma idemptitas, & indiſtinctio, tam naturę, quam ſingularitatis, & ſic, adhuc idemptificata, & communicata cum diſtinctis vnitatibus, non poteſt manere, niſi extrinſecé multiplex, ita vt non detur plus capacitatis, vt à diſtinctis reddatur intrinſecé diſtincta: Non enim valet; quia ſicuti ſumma eſt ſingularitatis communis idemptitas, etiam ſumma eſt ſingularitatum notionalium diſtinctio: ergo ſicuti ex ſummo idemptitatis, non datur motivum, vt non ſit communis, ſic nequé ex ſummo diſtinctionis dabitur motivum, vt non ſit notionalis. Vndé, etiam in creatis dabitur eadem incapacitas, vt ab vnitatibus numericis, pluſquã extrinſecé diſtinguantur, quia ſicut in contrahentibus vnitatibus numericis datur ſumma diſtinctio, ſic in natura creata contrahibili, data fuit ex abſtractione ſumma vnitas. ergo nec debet natura (dum duret ordo ille intentionalis) deperdere ſuam vnitatem intentionalem, nequé vnitas numerica ſuam intentionalem diſtinctionem; quare debent temperari, ita, vt vnitas numerica ſit diſtincta, & ita, vt alia non deperdat eſſe eadem; quod, cum reſpectu ipſarum non ſit facile, debet facilitari reſpectu concretorum, cum, vt ſupra dicebam, id ſufficiat, vt, manente gradu communi, totum quoad eſſe, & quoad operari, cognoſcatur diſtinctum.

66 Noto tamen, & infero ex dictis, alia eſſe ſingularia primó intentionalia, & alia eſſe ſecundó intentionalia, ſicuti alia eſt natura, nunc realiter exiſtens, & alia natura, vnitate præciſionis intentionalizata: Itaq; ſingularitas à parte rei exiſtens, non ſolum eſt primo diverſa ab alia, & intrinſecé diviſa ab illa, ſed etiam habet eſſe diſtinctiva, & diviſiva naturę formalis, ex quo tot manent naturæ, quot ſingularitates; at autem, ſingularitates ſecundo intentionalizatæ, potius debent dici diſtinctę, quam diſtinguentes reſpectu naturæ, quia naturam non relinquunt diſtinctam, ſed concretum, ita vt ex hoc, ſolum denominativé poſsit natura dici diſtincta, ad quod ſufficere poteſt extrinſeca ſingularitatum diviſio; ad maiorem veró diſtinctionem, datur incapacitas in natura, ex ſumma ipſius vnitate, iuxta quam eſt communicabilis, ac per conſequens communicantia, quæ ſunt ſingularia, ex ipſa

abſ-

abſtractione modificantur etiam, & deperdunt illum rigorem in diſtinguendo, quem reſpectu naturæ, ſolum negativé communis, habebant: nil ergo ſuavizaret, nequé facilitaret abſtractio reſpectu naturæ vniverſalizandæ, ſi ſicuti naturam intentione innovat, non innovaret ſingularitates; confunderetur enim intellectus, ſi repugnarent ſingularitates vnitatem in natura, dum naturam vnam, illis communicabilem intendebat. De denominativé diſtingui, Subtilis invenietur Scotus *in 2. d. 3. q. 6. §. ad quæſtionem.*

67 Dices, inferri ex dictis, illam naturam formalem actù, & poſitivé vnam, non eſſe intrinſecé diviſam numero: ergo intrinſecé eſt numero indiviſa; ſed quod eſt numero indiviſum, habet vnitatem numeralem: ergo illa natura poſitivé communis, habet vnitatem numeralem. Inſto rationem ſic: natura divina non eſt perſonaliter intrinſecé diviſa; ſed quod eſt perſonaliter indiviſum, habet vnitatem perſonæ: ergo natura divina, ſecundum ſuum eſſe formale, eſt cum vnitate perſonæ, ſeu habet vnitatem perſonalem: Non tenet. Reſpondeo deinde, concedendo antecedens, & conſequentiam, & diſtinguo minorem ſubſumptam: quod eſt numero indiviſum, habet vnitatem numeralem, ſi numerica indiviſio oriatur ex prædicato numericé indiviſo, & numericé dividente, concedo; ſi numerica indiviſio oriatur ex eo, quod non dentur ibi, nec debeantur, imó enti repugnent, prædicata numericé dividentia, nego.

68 Itaque dico, quod etſi de facto detur in Petro vnitas numerica, & hæc ſit numero indiviſa, ita tamen eſt indiviſa numero, quod poſsit dici, hoc oriri ex eo, quod ſit in ſtatu, in quo poſitivé dantur principia intrinſecé numero dividentia, & ſic illa indiviſio relinquit numericam vnitatem, quia habet ſtatum, & naturam, in quibus indiviſio non oritur ex negatione, ſed ex poſitivo principio, iuxta illum ſtatum, debito; at autem, natura, vt poſitivé, & formaliter vna, cum dicat prædicata formalia, poſitivam, & formalem vnitatem exprimentia, tunc nequé eſt vna numero, nequé multiplex numero intrinſecé: quapropter, poteſt dici, quod poſitivé, nequé eſt numero diviſa, nequé indiviſa, eo quod iuxta ſtatum, & eſſe vnitatis formalis, & poſitivæ, neutrum intrinſecé dicat; & né hoc difficile contrarijs appareat, convincere apud ipſos intendam; quia ipſi dum dicunt, naturam eſſe vniverſalem, antequam alicui individuo actù communicetur, tunc non dicent, quod natura eſt numero diviſa, quia dum habet vnitatem vniverſalem, nullà individuatione eſt contracta: ergo eſt numero indiviſa; ſed quod eſt numero indiviſum, habet vnitatem numeralem: ergo natura, vt vniverſalis, eſt vna numero. Quidquid dicant, dicam. Noc valet dicere, quod vt contracta, erit numero intrinſecé indiviſa; quia intrinſecé, & poſitivé, indiviſio numerica eſt impoſsibilis reſpectu vnitatis poſitivæ, & ſic non poteſt dici numero indiviſa intrinſecé, niſi provt hoc exprimit negationem principij numero intrinſecé dividentis, ex cuius principij repugnantia, & negatione. Solum oritur eſſe indiviſam negativé, id eſt, numero non diviſam.

69 Deinde, poteſt clariùs reſponderi, dicendo, quod licet illa natura intrinſecé ſit indiviſa, vel diviſa, at autem numero, nequé eſt intrinſecé diviſa, nequé indiviſa, quia vt inter prædicata contradictoria non detur medium, requiritur, quod nulla modificatione reſtringantur, nam auferetur ex modo contradictio, quæ ſine illo erat incompatibilis, v. g. homo, vel eſt albus, vel non eſt albus, hic non datur medium; ſi autem albedo modificetur, neutrum erit, v. g. homo nequé intrinſecé eſt albus, neque intrinſecé non eſt albus. Sic pariter ſupra. Denique, poteſt negari illa minor ſubſumpta; quia vnitas numerica, potiùs colligitur ex eo, quod aliquid ſit numero diviſum, quam ex eo, quod ſit numero indiviſum, vt patet in ipſa natura humana, quæ eſt multiplex numero, quia eſt numero diviſa.

70 Obijcies 2. quod in quæſtionibus Vniverſi metaphyſica ſtatuimus, non ſolum vnitatem realem naturæ non eſſe vnitatem vniverſalem, ſed nequé vnitatem abſtractionis eſſe vnitatem logicé vniverſalem, & hoc non aliũde, niſi quia vnitas comparationis, aliquid addebat ſupra vnitatem abſtractionis: ergo cum vnitas naturæ, vt actù communicatæ, aliquid addat ſupra vnitatem, vt in potentia proximé communicabilem, etiam debemus dicere, quod vnitas naturæ, vt expolitæ, erit diſtincta ab vnitate naturæ, vt comparatæ, ac proinde duplex dabitur logicum vniverſale, ſi diſtinctio vnitatum, ſit diſtinctarum vniverſalitatum conſtitutiva. Reſponderi ſentio, poſſe admitti diſtinctas eſſe vnitates, non autem ſic diſtinctas, vt de vnitate cõparationis, & abſtractionis, ſupra ſtatuimus; quare vnitas abſtractionis, & vnitas comparationis, ſeu naturæ, vt proximé aptæ, poſſunt dici vnitates ſpecificé diſtinctæ, eo quod vna conſtituat naturam vnam, in ordine ad ſe præcisé, & alia illam conſtituat vnam, in ordine ad alias; at autem vnitas naturæ, vt aptæ, & vnitas ipſius, vt exercitæ, poſſunt

dici

dici diſtinctæ, ſolum accidentaliter, & penes modos eſſentiæ rei materiales, eo quod vtraque vnitate ſit natura in ordine ad alia, & ſolum differant penes actum, & potentiam, quæ differentia non debet reputari ſpecifica, ſed debet dici de his vnitatibus, quod de homine reſpectu bruti, & quod de homine poſsibili reſpectu actualis.

71 Noto in fine, quod ſi aliquis voluerit, hanc noſtram reſolutionem defenſare, & ipſi moleſtum ſit non concedere, naturam communem habere vnitatem numeralem, ipſi propriam, & omnibus communicabilem, poterit ipſam amplectere, iuxta doctrinam ſupra probabilizatam; nec non probabiliſsimum fundamentum inveniet apud Scotum *in 2. d. 3. q. 1. §. ſed contra*, & hoc, non tantum ex eo, quod ibi Scotus, vnitatem obiecti vniverſi eſſe numeralem, dicat, quantum ex eo, quod tam in prædicta *diſt.* quam in alijs, ſupra citatis, paſsim dicat, naturam non eſſe à parte rei vniverſalem, quia vt aliquid ſit poſitivé, & in re commune, requiritur, quod poſsit dici de quolibet, prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*; & hoc explicat, dum dicit, quod in creatis, nihil eſt ita in re commune, quod prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*, valeat dici, quia hoc ſic dici, eſt ſolum proprium in divinis; nunc ſic: ergo dum natura eſt intentionaliter vniverſalis, hoc poterit dici iuxta illam fraſim, à parte rei ſolum exercitam in divinis; quod, ipſe Scotus admittit *verſ. ad ſecundã inſtantiã*; ſed ita in divinis dicitur natura de quolibet, prædicatione dicente, *hoc eſt hoc*, vt ly *hoc* prædicabile, ſit *hoc*, quia eſt hæc natura, vnitatem numeralem, etſi communem, habens: ergo dum aliquid in creatis ſit ita commune intentionaliter, quod prædicatione dicẽte, *hoc eſt hoc* valeat dici de quolibet, prædicabile, quod eſt *hoc*, etiam, etſi communem, habebit vnitatem ſic numeralem. His ita præiactis de maiorum difficultatum puncto, (videatur noſter doctiſsimus Maſtrius *tom. poſteriori Metaph. dp. 9. q. 9. art. 3. num. 221.* vbi in fine fatetur, ſibi eſſe explicatu difficilimum) venit reſolvenda quæſtio.

RESOLVTIO QVÆSTIONIS.

72 REſolvendum, naturam vniverſalem non poſſe habere intrinſecam multiplicitatem, ac per conſequens, quod, vel natura creata non erit vniverſalis, vel quod modo à nobis dicta, vniverſalis erit divina, vnica ſolum dempta differentia, ſcilicet, quod natura divina habebit in eſſe vniverſalitatis à parte rei, quod natura creata ſolum habebit intentionaliter. Ex quibus ſumes, nil aliud eſſe aliquid vniverſalizare, (ſervatis in materiæ diſtantia, ſervandis) quam intentionaliter Myſterium Trinitatis conſtruere, in quo eſt infinita differentia recogitanda, vt eſt inter ea, quæ ſunt realitatis, & ea quæ ſunt ſolius intentionis; ſi iam differentiam non ponas penes hoc, quod natura divina à parte rei eſt communis, & hæc, non autem adhuc intentionaliter creata.

73 Dubitabis pro complemento *diſtinctionis*, quodnam prædictorum vniverſalium ſit ſtrictius vniverſale? Longa circa hoc punctum ſolet apud aliquos eſſe concertatio; reſpondeo tamen breviter, dicendo, quod ſi iuxta melioris prudentiæ, & Philoſophorum vſum alloqui debeamus, Vniverſale Logicũ eſt inter omnia vniverſalia vniverſale ſtrictius. Ratio eſt; quia illud eſt magis vniverſale, quod reſpectu plurium eſt magis vnum, & communicabile; ſed vt ex dictis conſtat, Vniverſale Logicum eſt magis vnum, & expeditiùs, & proximiùs communicabile: ergo. Suadentur iſta reſpectu cuiuslibet; quia Vniverſale phyſicum non habet in re, eſſe poſitivé vnum, & commune, ſed ſolum quatenus eſt ex ſe, & negativé; Logicum veró, non ſolum habet eſſe vnum, & commune ex ſe, ſed addit eſſe in re, & poſitivé commune: ergo ſicut auget rationem vniverſalitatis, auget & rationem eſſendi vniverſalé; ſtrictius enim habetur, quod habetur abſoluté, & in re, quam quod ſolum conditionaté habetur. Suadetur reſpectu metaphyſici; quia etſi natura abſtracta ſit vna, nunquam tamen ſic exprimit vnitatem in pluribus, ac natura comparatione expedita, vt ſupra dicebamus: ergo cum ad vniverſalitatem, non minus requiratur ex parte inferiorum pluralitas, quam ex parte naturæ vnitas, dum Vniverſale Logicum magis exprimat, quæ ex parte vtriuſqué requiruntur, expreſsius, & formalius erit vniverſale. Denique; quia vtrunque vniverſale eſt fundamentum reſpectu Logici; ſed id, quod eſt ſupra fundamentum, ſemper eſt formalius, & expreſsius: ergo. Itaque Vniverſale Logicũ poteſt vocari forma vniverſalitatum, & vltimum complementum, quo poſito, naturæ manent perfecté, & completé vniverſales, ita, vt nil amplius expleri relinquatur.

***

LIBER QVARTVS.

DE LOGICIS VNIVERSALIBVS IN SPECIALI.

PRÆAMBVLVM ARGVMENTVM.

CVM in præcedentibus, de vniverſalibus in communi egerimus, recta methodus compellit, vt in ſubſequentibus, de vniverſalibus in ſpeciali agamus. Quinque aſſignantur tantum à noſtro Subtili Magiſtro *in q. 12. Vniverſal.* de quibus in Iſagoge egit Porphyrius, videlicet, Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. De his igitur per ſpeciales eviſcerationes, quæſtiones vnicuique principaliter correſpondentes, ſecundum mentem Scoti reſolvere intendemus.

DISTINCTIO I.

De Genere.

MULTIPLICITER hæc vox *genus* percipitur, ſed tamen provt ad præſens eam intelligere ſpectat, pro natura vniverſali, in ſpecies partibili, percipienda proponitur; in quo ſenſu cum Porphyrio, & Scoto hinc diſputare penſamus.

QVÆSTIO. I.

Quid ſit genus.

1 PORphyrius cap. 1. Iſagoge, ſic genus definivit: *quod prædicatur de pluribus differentibus in ſpecie in eo quod quid*. Hanc definitionem, aliqui in vero ſenſu expoſitam relinquunt; alij verò eam, vt puré deſcriptivam fuiſſe à Porphyrio datam intelligunt; Doctor autem Subtilis in *q. 15. Vniverſal.* poſtquam deſcriptionis punctum exacté examinavit, eam eſſe definitivam eſſentiæ generis, reſolvit. Quare

2 Reſolvendum eſt, præfatam Porphyrij explicationem, veram eſſe definitionem. Ita Scotus in §. *Dicendum ergo ad quæſtionem, quod eſt vera definitio &c.* Scotum ſequuntur plures, noviſsimé Peinado ex alienis in *Tract. 3. dp. 1. ſec. 1.* & ex noſtris Groſſo *Diſſertat. 11. elucid. 2.* Prob. ab Scoto; quia illa eſt vera definitio, quæ vero genere, & vera differentia conſtat; ſed prædicta, his conſtat veré: ergo. Minorem probat quoad primam partem; quia verum genus reſpectu definitionis generis eſt ratio vniverſalis; ſed hanc rationem habet pro genere genus: ergo. Maior probatur ex eo, quod vniverſale ſit genus ad quinque prædicabilia, ſicque, ex Porphyrio, & ex graviſsimis Philoſophis, eſt quinque vniverſalium vocum ſubiectũ. Minorem probat, quia prædicabile de pluribus eſt ratio vniverſalis ex *Ariſtot. 1. Perhierm.*; ſed genus pro genere habet prędicabile de pluribus: ergo.

3 Probat deinde minorem quoad ſecundam partem; quia illa ratio, quæ per ſe dividit ſuperius, eſt de per ſe differentia; ſed prædicari de pluribus differentibus ſpecie, per ſe dividit ſuperius: ergo. Maiorem probat; quia illa eſt de per ſe differentia, quæ immediaté ad rationem ſuperioris conſtituit, & relinquit inferius; ſed ratio, quæ de per ſe dividit ſuperius, nõ poteſt immediaté nõ relinquere, & conſtituere inferius: ergo. Maior eſt certiſsima, quia non aliter rationale eſt de per ſe hominis differentia, quam ipſum inferiorem ad animal conſtituendo. Minor non minus certa videtur; quia non aliter homo de per ſe conſtituitur inferior, quam dividendo per rationale animal, æque verſum ad Leonem: ergo. Minorẽ igitur primi ſyllogiſmi ſuadet Scotus; quia per

per ſe prædicari de pluribus, non poteſt diuidi niſi in differẽtibus ſpecie, & in differentibus numero; nam de differentibus genere, in quãtum talia, nil prædicatur per ſe, cum ſic non poſsint percipi, vt ſubijcibilia: ergo prædicari de pluribus differentibus ſpecie per ſe, diuidit ſuperius.

4 Deindé, quod ſic diuidendo genus, relinquat illa diuidens differentia inferius, quód manifeſté ſit genus, ſuadet Scotus ex eo, quod prædicari in quid, & in quale, ſint primi modi prædicandi inter primas differentias diuiſiuas; ſed in definitione generis, modus prædicandi in quid ponitur: ergo. Confirmantur ab Scoto *ex §. antecedenti*, eo quod prædicta explicatio conuertatur cum definitio, & vltra hoc habeat, non prædicari, vt accidens, nequé conuertibiliter, vt proprium, nequé vt differentia. Quod non prædicetur, vt accidens, ſuadet: quia quæ prædicantur vt accidens, non ſunt eiuſdem generis cum ſubiecto definito; ſed quæ ponuntur in definitione generis, ſunt eiuſdem generis cum ipſo, quia ſunt intentiones, & hæ, vt infra dicemus, ſunt definitum: ergo. Deindé, quod dum prædicatur per ſe, & conuertibiliter, non prædicetur conuertibiliter vt proprium, ſuadet Scotus; *quia tunc tota hac ratio poſſet definiri*, quod foret improprium; quia in tali caſu, inſimul, vt proprium generis, poſſet definiri ratio vniuerſalis, quod eſt improprium, cum ratio vniuerſalis ſit ſuperior ad genus, quod definitur. Deniqué, quod prædicetur conuertibiliter, & nõ vt differentia, non minus ſubtiliter ſuadet Scotus ex eo, quod tunc oporteret illi, ſcilicet, definitioni, addere genus, aliàs non poſſet conuertibiliter prædicari de genere, differentia; ſed addendo vniuerſale, quod eſt genus definiti, fieret nugatio in hac generis definitione: ergo &c.

5 Objicit 1. Scotus: omne accidens definitur per ſubſtantiam, quia ſubſtantia præcedit omne accidens definitione, cognitione, & tempore ex Ariſt. *7. Metaphy*. Sed in prædicta definitione, in qua definitur ſecunda intentio, quæ eſt accidens, nil ponitur ad ſubſtantiam pertinens: ergo in prædicta definitione, deficit ordo, iuxta Ariſtot. requiſitus. Reſpondet Scotus, diſtinguendo maiorem, definitur per ſubſtantiam, ſeu cum ordine de per ſe ad illam, omne accidens copulatum, id eſt, accidentia, quæ ſibi determinant ſubiecta, quę vocantur 7. Metaphyſ. copulata, eſt verũ: omne accidens intentionale, eſt falſum. Itaque, accidentia copulata, v.g. quæ ex natura rei, hoc, & non illud generis ſubiectum ſibi determinant, vt albedo, & ſic alia, habent definiri in ordine ad illud, ſeu per ipſam ſubſtantiam, in qua inſunt, quia cum huic, & non illi ſubſtantiæ inſint, per ſubſtantiam poſſunt ſufficienter percipi, at autem ſecundæ intentiones non determinant ſibi rem alicuius generis, quia vniuocé applicantur omnibus, ita vt eadem intentio generis, quæ ſubeſt animali, ſubſit, & colori, quin ipſa cum animali determinaté copuletur. Præſens doctrina eſt notanda.

6 Inſtat Scotus ex Ariſtot. 2. *Poſter.* quod ſi paſsio ſit vniuoca, & vniuocum debet eſſe paſsionis ſubiectum: ergo ſi paſsio, ſcilicet intentio, ſit in multis generibus vniuoca, & vniuocum erit intentionis ſubiectum: ergo bené poſſet paſsio, per ſubiectum explicari. Antecedẽs ſuadetur ab Scoto in actu, qui ſi ſit vniuocus, & vniuoca erit potentia, cum hæc per ſe ordinetur ad actum; ſed ſubiectum, v.g. animal, eſt in potentia ad accidens, v.g. ad ſecundam intentionem, vt eſt materia ad formam: ergo. Deindé ſuaderi poteſt ex paſsionibus entis, & cuiuſuis entis ſpecialis, cuius paſsiones ſunt vniuocæ, cuicunque, cui earum ſubiectum vniuocum ſit. Reſpondet Scotus ad antecedens, & ad Philoſophum, vera dicere, ſi loquantur de paſsione reali, quæ phyſicé aut metaphyſicé egreditur de principijs ſubiecti, v. g. riſibile reſpectu hominis, & vnum, verum, & bonum reſpectu entis, ſed huiuſmodi paſsio, non eſt intentio, quia intentio non eſt effectiué à principijs ſubiecti, ſed ab intellectu, & ſic nil mirum, quod cum ſubiecto omnimodam proportionem non ſeruet, vt ſeruant cæteræ paſsiones. Deindé, ad paritatem ſatisfacit dicendo, eſſe veram de potentia per ſe ordinata ad actum, cuius modi potentia nõ eſt in ſubiecto intentionis, reſpectu ipſius intentionis, quia illa potentia, non eſt rei ſecundum naturam, ſed ſecundum rationis conſiderationem.

7 Inſtat Scotus, quod ex dictis ſequeretur, quod nulla in hac re, & illa, eſſet vnitas, hoc eſt, in illis entibus, quibus vnitas intentionalis generis applicatur; ſed in tali caſu, vnitas generica rationis foret purum figmentum: ergo in rebus, quibus ſecunda intentio generis applicatur, datur vniuocatio in re. Maior infertur ex dictis; Scotus ſiquidem diſtinxit ſecundó intentionale accidens à copulato, quia illud nõ determinat ſibi rem alicuius generis. Minorem probat Scotus; quia illud eſt in re figmentum, quod applicatur rebus, iſtis repugnantibus, ſeu non dicentibus id, quod applicatur; ſed intentio eſt rebus vniuoca, quin

in

in rebus detur vnivocatio, quia in hac re, & in illa, hoc eſt, in animali, & in colore, non datur vnitas: ergo cum ſic applicetur vnitas generica intentionis, erit putum figmentum. Hæc inſtantia eſt ſumma omnium logicalium difficultas. Videantur dicta *in lib. 1. entis intentionalis, Diſt. 1. q. 2.* Vbi omnis contrariorum vis corroboratur, & corroborata infringitur. Reſpondeo tamen pro nunc, quæ ipſe Scotus reſpondet. Reſpondet igitur ad maiorem, dicendo, quod abſoluté eſt falſa, quia aliqua vnitas in re datur, ſcilicet vnitas proportionis, à qua movetur intellectus, hanc intentionem vnivocam, huic, & illi attribuens; quæ vnitás in rebus ſufficit, vt intentionalis vnivocatio non ſit figmentum. Quod in re ſufficiat vnitas ad proportionem intentionalis generis vnitatis, ſuadet ſatis claré Scotus in colore, & in animali, quia ſicuti ſe habet color ad albedinem, ſic ſe habet animal ad hominem, quæ proportio ſufficit, vt vtrique rei, eamdem generis intentionem applicet. Vide Scotum in *q. 7. Prædicam. §. ad quæſtionem,* vbi hoc docté comprobat.

8 Inſtat Scotus: vnitas intentionis, maior eſt illarum rerum diverſarum vnitate; quia vnitas intẽtionis generis eſt vnivoca, & vnitas rerum, ſolum eſt vnitas proportionis: ergo nunquam vnitas intentionis poterit ſine figmento ſumi ab vnitate proportionis. Reſpondet Scotus iuxta ea, quæ in *ſenten. lib. 1.* ſupra citato, dixit: ait enim, verum eſſe antecedens, non tamen ſic veram cenſet conſequentiam; quia etſi vnitas vnivocationis ſit maior vnitate proportionis, tamen occaſionaliter, bene poteſt accipi maior vnitas à minori, non totaliter, quia aliquid debet reſtare, quod ab intellectu compleatur verſus fundamentalem vnitatem, à qua ſumpſit occaſionem, ad vnitatem intentionalem ſine figmento formalizandam. Itaque ait Scotus, quod vnitas in re, tantum eſt occaſio vnitatis in intentione, vtpoté, in quantum intellectus movetur ab ipſa; motus tamen intellectus à re, poteſt maiorem vnitatem cauſare in intentione: ſicuti v. g. motus ab impreſſa ſpecie, maiorem, & expreſsiorem ſpeciem cauſat. Sed de hoc ſatisfies, ſi videas Scotum in *q. 3. Prædicam.*

9 Objicit 2. Scotus: definitio tantum eſt ſpeciei: ſed genus non eſt ſpecies: ergo incompatibiliter de genere fuit expedita definitio. Idem argumentum militat contra quodcumque vniverſale ex quinque; ſicque Scotus hoc argumentum in *q. 15. Vniverſ.* formatum pro genere, format pro differentia in *q. 26.* eo quod ibi differentia definiatur, dum ſolum ſpecies, quæ non eſt differentia, poſsit definiri. Reſpondet argumento in locis citatis, & in *q. 8. Vniverſ.* nec non & alibi citandum infra. Reſpondet igitur Doctor noſter, negando minorem, in ſenſu à contrarijs intellecto, & hinc cum ipſo explicando. Aſſerit enim, quod genus eſt ſpecies in propoſito, quin ex hoc oppoſitorum prædicatorum ſequatur vnio, cum genus reſpectu eiuſdem conſiderationis non ſit ſpecies: genus igitur, dum eſt ſpecies, conſideratur reſpectu vniverſalis vt ſic; quo pacto genus accipitur *vt quid*, hoc eſt, vt metaphyſicum eſſe, & intentionale primum, reſpectu cuius eſſe, ſpecies ſumitur vt modus, ſeu vt forma ſecundó intentionalis, per quam eſſe quidditativum generis modificatur, ita vt in hac prædicatione, *genus eſt ſpecies*, genus ſit res, & ſpecies intentio; quo pacto formatur propoſitio ex re, & ex intẽtione; ſicuti in iſta v. g. *homo eſt ſpecies*, vbi ſicuti ſpecies eſt modus intentionalis reſpectu quidditatis hominis, ſic in illa, *genus eſt ſpecies*, genus eſt *quid*, & ſpecies eſt *modus*, ſub quo, quidditativum eſſe generis intelligitur; genus enim, convenientiam, & diſconvenientiam intrinſecé, & primó intentionaliter habet, vt homo: & idem eſt dicendum de qualibet ſecunda intentione, quia vt ait Scotus in *q. 11. Vniverſ. quodlibet in ſuo genere eſt quid.* Vnde ſpecies, quæ reſpectu hominis eſt modus, & intentionalis, vt in hac propoſitione, *homo eſt ſpecies*, in ſuo genere, & linea intentionis eſt quid primó intentionale, vt hinc v. g. *ſpecies eſt intentio, modus, ens rationis*, &c. quæ denominationes, ſic intrinſecé conveniunt ſpeciei, ac conveniunt homini denominationes viventis, ſentientis, &c.

10 Prędicta paſsim excitat Scotus in Vniverſalibus, cum in penetratione terminorum, ex tranſitu nominis, & intentionis, non parum confundant. Qua propter, vt ſolutionem amplìus explicatam relinquat, plura docet in locis ſupra citatis, & in *q. 12. in 14. in 17. in 20. in 27 in 28. & in ferè omnibus Vniverſ.* Ex quibus locis, pro præcedentium, & ſimilium prædicationum intelligentia, Scoti doctrinam eviſcerare intendemus in *Diſtinctione* infra ponenda, de praxi prædicabilium. Sed hinc pro ſolutione præſentis argumenti, ſolum dicam, quod quando genus dicitur ſpecies, non lenitur repugnantia, ex eo, quod vt ait Scotus in fine *q. 28. Vniverſ.* modus non opponitur rei, ſed res rei, & modus modo. Pro re percipitur natura intrinſeca, & pro modo percipitur ſecunda intentio.

Itaque, etſi vna ſecunda intentio non poſsit dici de alia ſecunda intentione, quia quævis ſecunda intentio eſt ſpecialis forma, & ſic oppoſita cum alia; ſed tamen, dum vna ſecunda intentio conſideratur in quid, ita vt transferatur ad eſſe metaphyſicum, & primó intentionale, tunc bene poterit altera ſecunda intentio dici de ea, & ſub alterius ſignificatione percipi; quia tunc deperditur ſecundarum intentionum oppoſitio, eo quod ſola vnica ſecunda intentio maneat, vtpoté illa, ſub cuiuſmodo, quidditativum eſſe prioris intelligitur: quo pacto aiebat Scotus, quod modus modo opponitur, hoc eſt, vna ſecunda intentio alteri; non tamen opponetur modus modo, qui iam eſt res reſpectu illius modi intentionalis, qui de ipſa dicitur.

11 Motivum autem radicale, vt Scotus dicat, quod modus modo, in exercita prædicatione opponitur, deſumpſit ex eo, quod ſecunda intentio ſit modus, ſit accidens, & ſit forma. Ex eo quod ſit modus; quia eſt impoſſibile, quod modus de modo dicatur, quin vnũ reſpectu alterius non tranſeat ad eſſe rem, modi rationem deperdens. Ex eo quod ſit accidens; quia eſt imperceptibile, quod vnum accidens inhæreat alteri, & non é contrà, quin aliquod reſpectu alterius, rationem accidentis, ſeu inhærentiæ conſumat. Ex eo quod ſit forma; quia eſt incompatibile, quod vna forma informetur ab alia, & quod in illa exercita informatione non dicatur ſubiectum, & materia: ergo ex eo quod ſecunda intentio ſit modus, accidens, & forma, ſubtiliter deduxit Scotus, quod modus modo in prædicatione opponatur.

12 Deindé Scotus, cum prævidiſſet futuram inſtantiam, ſcilicet, quod modus debeat eſſe invariabilis, & ſic nunquam genus poſſe variari à modo, quem habebat, docuit in *q.* 16. quod iſti modi intelligendi, qui tantum inſunt ſignificato, vt ſub aliquo certo modo concipitur, ſunt ſeparabiles; quia non repugnat, quod ſignificatum, vt ſignificatur ſub tali dictione, poſsit intelligi ſub oppoſito talis modi, v. g. *homo*, qui eſt ſignificatum intentionis ſpeciei, poteſt ſub oppoſito iſtius intentionis intelligi ſine repugnantia, vt *iſte homo* intelligitur; vbi *homo* intelligitur ſub oppoſito modo, vtpoté ſub individuo. Præſens doctrina eſt notanda pro tranſitu, qui in intentionalibus paſsim experitur. His ita expoſitis

13 Reſponſio Scoti amplius exprimitur. Prævidit ergo Doctor genus, & invenit, quod erat ſecunda intentio applicata rei, vt quo prædicabilis de ſpeciebus; quo pacto, ſcilicet, vt applicata rei, reſolvit, quod genus non erat ſpecies; quia cum ſecunda intentio generis, ſic non ſit *quid*, ſed modus applicatus quidditati, non poterat ſpecies, quæ erat modus alteri quidditati applicatus, dici de genere, quia tunc modus diceretur de modo, quod repugnat, cum modus, v. g. *ſpecies*, ſolum poſsit dici de quidditate, ſeu eſſe ratio, vt quidditas, quam modificat, v. g. *homo*, ſit ſubiectum, de quo dicatur quidditas, quam modificat genus, v. g. *animal*, ita, vt ſicuti genus, vt eſt modus, ſolum in actu ſignato dicitur de ſpecie, ſic & ſpecies, ſolum in actu ſignato ſit, de qua genus dicatur, vt *ſpecies eſt modus*. Vnde videbis, quod prout ſecundæ intentiones ſumuntur vt modi, eſt impoſsibile, quod in actu exercito vna dicatur de alia, & ſic, quod ſpecies dicatur de genere, v. g. *genus eſt ſpecies*; quia quando vtraque eſt modus, exercitium debet eſſe ſubiectorum, quibus inſunt, cum vtraque ſit ratio, vt vnum ſubiectũ, cui ineſt, dicatur de alio, cui ineſt, eo quod vt modi, ſint rationes vt quo, & ratio vt quo, non eſt quod exercet, ſed quo exercetur; aliàs inſimul foret modus, & res.

14 Deindé, conſiderat Scotus ſecundam intentionem generis, verſus vniverſale vt ſic, & invenit, quod generis intentio dividit rationem vniverſalis vt ſic per intrinſecam differentiam, & ſic conſtituit inferius, ex parte dividente, & ex vniverſali diviſo, intrinſecé conſtitutum; & tunc verſus hanc conſiderationem invenit in genere eſſe quidditativum, & primó intentionale ex duplici parte metaphyſica conſtitutum; quo pacto genus poteſt conſiderari, imó debet intelligi ſub illo modo, qui generis quidditatem ſignificet, cuius quidditas, nullo modo, quam ſpeciei, poteſt ſignari tunc; & ſic reſolvit Scotus, *quod genus eſt ſpecies*, quin ex hoc ſequatur repugnantia, cum hoc nomen *genus* varietur; ſiquidem genus, quod antea erat puré ſignans, vtpoté modus, ſolum inſpectus, vt rei applicatus, iam tranſfertur, vt inſpiciatur, nõ vt rei applicatus, ſed vt res ipſa, cui iã poteſt diſtinctus modus applicari. Vbi cõſequenter debet notari, quod genus, ſic ſpecie modificatũ, non prædicatur iã in actu ſignato reſpectu inferiorũ, quę ſic habet, ſed ſolum in actu exercito; tunc ſiquidem genus eſt natura ipſa obiectiva, quæ exercité de omnibus generibus dicitur, ſicuti dũ genus eſt modus ſignans rem, eſt res, v. g. animal natura obiectiva, quę dicitur de omnibus animalibus.

Vndé,

Digitized by Google

Vndè, quod tunc prædicabitur in actu ſignato, erit ſpecies modificans quidditatem generis, ſic quo ſpecies erit ratio formalis, vt genus exercitè dicatur; quare, etſi genus ſit ſpecies, non dicetur, quod genus *A*, eſt ſpecies, ſed quod eſt genus; ſicuti etſi homo ſit ſpecies, non dicitur, quod homo *A*, ſit ſpecies, ſed quod ſit homo; ſic in alio gradu, in quo genus eſt modus animalis, non dicitur, quod etſi animal ſit genus, quod genus ſit, quod eſt animal. Sic Scotus in 14. *Vniverſ.* vbi ait, quod hæc intentio *genus* non eſt *quid*, niſi reſpectu numero differentium; prædicatur tamen de differentibus ſpecie, hoc eſt, genus vt eſt res ſignata modo ſpeciei, habet, vt inferiora, genera individua; ſed prout eſt modus alicuius rei, eſt ratio, vt res dicatur de alijs in ſpecie diſtinctis, v.g. animal de homine, & Leone. Hæc ad longum expoſui, quia non ignoro eximiam difficultatum confuſionem, & ipſarum plura argumenta, ſolum vim ſignantia ex pura prædictorum terminorum impenetratione. Videantur pro dictorum intelligentia, quæ diximus in *lib. 1. Diſt. 1. q. 1.* & etiam infra dicenda in *Diſt. Prædicationum.*

15 Objicit 3. Scotus: ad veram definitionem, genus, & differentia requiruntur, ex Ariſtot. 6. *Topic.* Sed in prædicta generis definitione non ponitur genus; quia iſtud poſitum in definitione, etiam definiretur, cum debeat definiri omne genus; ex quo ſolent deducere, quod idem eſſet definitum, & pars materialis definiti: ergo in definitione generis, veritas requiſita non obſervatur. Huic argumento excitato à Doctore noſtro in 15. *q. Vniverſ.* Reſpondet ibidem, ſed exactiùs prævenit ſolutionem in *q. 11. §. ad tertiam quæſtionem dicendum.* Reſponderi igitur debet iuxta Doctorem, diſtinguendo maiorem: omnis definitio vera requirit genus primó intentionale, & in actu exercito, eſt verum; genus ſecundó intentionale, & quod tale ſit in actu ſignato, eſt falſum. Deinde minor eſt conſimiliter diſtinguenda: non ponitur genus primó intentionale, eſt falſum; ſecundó intentionale, & quod ſit modus, eſt verum; & ſic neganda eſt conſequentia. Itaque in definitione generis, loco generis, ponitur vniverſale primó intentionaliter, quo pacto non eſt genus, quod definitur, ſed quid vniverſalius genere definito, quam vniverſalitatem non haberet, ſi vt ponitur loco generis in definito, genus etiam definitum foret. Vnde hinc definitur ſecunda intentio generis, definitur tamen per primam intentionem vniverſalis, & primam intentionem differentiæ generis; quomodo definitio generis conſtat genere, & differentia exercitis. Nequé ex his negare intendo, quod ipſum vniverſale, quod eſt genus primó intentionale, non poſsit conſiderari, vt ſecunda intentione generis informatum; libenter enim hoc concedam, cum ſine repugnantia poſsit dari reflexio in ſecundis intentionibus. Dico tamen, quod conſideratum ſecundó intentionaliter, nõ erit iam pars materialis generis definiti, ſed erit definitum genus, & vnum genus individuum, (ſic ſupra aiebat Scotus *in q. 14.* quod genus non eſt quid, niſi tantum reſpectu generum numero differentium, quin hoc repugnet, ſiquidem de re tranſit ad modum, vt ſupra dicebamus.

16 Objicit 4. Scotus in *q. 28. Vniverſ.* quod differentiæ videtur convenire definitio generis, cũ differentia prędicet in quid; quod ſuadet ſic: *quid* dicitur à quidditate; ſed differentia prædicat quidditatem eius, ſcilicet, eſſentiæ, cuius eſt differentia: ergo ex prædicare *in quid*, videtur definitionem generis convenire differentiæ. Huic objectioni, ſolitum eſt nunc ſic reſpondere, ſcilicet, quod prædicare *in quid*, eſt prædicare eſſentialiter, ſeu intra eſſentiam, & ſic quod genus, ſpecies, & differentia prædicant *in quid.* Tamen prædicare *in quid*, adhuc eſt ſub duplici differentia, ſcilicet, in prædicare *in quid*, *per modum per ſe ſtantis*, & in prædicare *in quid*, *per modum alteri adiacentis.* Tunc enim aliquid prædicat per modum per ſe ſtantis, quando percipitur vt ſubiectum, aliquo actu determinatum; quomodo prædicat genus, quia ſe habet vt materia, quæ in nullo ſuſtentatur, veluti in ſubiecto, ſed imó eſt ſubiectum aliud, videlicet, formam differentialem ſuſtentans &c. Tunc verò aliquid prędicatur per modum alteri adiacentis, quando percipitur veluti alicui inhærens, ipſum informando, ſeu actuando; quo pacto differentia prædicat *in quale.* Itaque genus prædicat *in quid*, quia per modum per ſe ſtantis; differentia veró aliter, ac genus, quia per modum alteri adiacentis.

17 Sed contra inſtare ſemper intendet aliquis, ex eo, quod inferatur, quod prædicare *in quid* ſie indifferens ad prædicandum per modum per ſe ſtantis, & per modum alteri adiacentis: ergo prædicare *in quid*, non eſt ſufficiens generis differentia. Antecedens videtur deduci; quia prædicare *in quid*, ſecundum ſe, non dicit pluſquã prędicare intra eſſentiã; ſed prędicare intra eſſentiam, abſtrahit ab intra eſſentiam per ſe ſtando, vel alteri adiacendo: ergo prædicare *in quid*, eſt indifferens ad prædicandum per modum per ſe ſtantis, & per

modum alteri adiacentis. Maior convincitur; quia ſi prædicare, *in quid*, non ſolum diceret prædicare intra eſſentiam, ſed & per ſe ſtando, nunquam prędicare *in quid* poſſet poni in definitione differentiæ; ſed ſemper ab his ponitur: ergo. Sic, licet prædicare *in quale* in differentia, ſit prædicare intra eſſentiam, at prædicare *in quale*, de ſe hoc non dicit, accidens ſiquidem, *in quale* prædicat: ergo licet prædicare *in quid* in genere, ſit prædicare per modum per ſe ſtantis, at hoc de ſe non dicet prædicare *in quid*, differentia ſiquidem *in quid* prædicat: ergo diminutam explicationem definitione applicamus.

18 Reſpondet Scotus, ſupra citatus, dicendo, quod ad prędicare *in quid*, non ſufficit quod *prædicet quid*, hoc eſt, quod prædicet quidditatem, ſed quod prædicet *quid* per modum *quid*; differentia enim prædicat *quid*, quia prædicat quidditatem, ſeu partem eſſentiæ, ſed non prędicat *in quid*, quia non prędicat *quid* per modum ſubſiſtentis, ſed per modum informantis. Hæc Scotus. Itaque, cum verba cuiuſvis definitionis poſsint retineri iuxta explicationem definientis, dum in verbis non detur vis contradicens explicationi, poſſumus per verborum differentiam, in ſenſu recto accomodare explicationem. Doctor igitur Subtilis hæc prævidens tam in *q.* 28. quam in *q.* 19. & alibi iam citatus, prædicare vt ſic, veluti in primos modos prædicandi, diviſit in prædicare *in quale*, & in prædicare *in quid*, applicans primum modum differentiæ, & ſecundum generi. Prę poſito tamen ſibi prędicto argumento, reſolvit, ſemper dari differentiam inter genus, & differentiam. Rationem explicuit; quia prædicare intra eſſentiam, quod eſt generi, & differentiæ commune, non eſt prædicare *in quid*, ſed præcisé prædicare *quid*, ita vt ly *quid* denotet ſubſtantiam prædicandi, & ly *in* denotet modum prædicandi ſubſtantiam, vel quidditatem; quare ly *In*, poſſet ſuſpendi in definitione differētię, vel caſu, quod ponatur, debet poni ſupra *quale*, vpote *inqualequid*. Nec non, vt etiam prędidit Scotus, in definitione generis iam ponitur *quod quid*; quia ly *quod* eſt terminus ſubſtātialis, ad differentiam termini *qualis*, qui eſt informativus. Sicque genus eſt *in eo quod quid*, id eſt, *in* eſſentia eſt *quod* ſuſtentat *quidditatem*. Denique, in omni caſu ſubſiſtet prima ratio Scoti; dicimus enim, quod intelligitur illa particula ita, vt dicam *quid*, *per modum quid*.

19 Objiciet tandem aliquis, quod in nullo prædicabili ponitur pro genere definitio vniverſalis, quia pro genere ponitur *eſſe prædicabile de pluribus*, quod eſſe præcisé non eſt vniverſale, ſiquidem eſſentia divina eſt prędicabilis: ergo debet poni ſupra eſſe prædicabile cum ſui multiplicitate. Hoc notat Scotus *in 1. Report. d. 26. q. 5.* fateor, quod ſi literaliter ſit ſtandum, feré omnes deficere in definitionibus prædicabilium, cum multiplicitas obliviſcatur; ſed tamen vſus ex intentione definientium eſt præferendus, ſicque adaptandus ſenſus. Deinde hoc ad me non attinet iuxta dicta *in q. vltim. vniverſ.*

QUÆSTIO. II.

Quodnam ſit definitum in definitione generis.

20 Circa hanc quæſtionem, aliqui vertunt iudicium irridentes; idem ſiquidem videatur inquirere, quodnam ſit definitum in definitione generis, ac inquirere, cuius Apoſtoli ſint claves Petri? nec non prout nunc ab inſipientibus inquiritur, quiſnam ſit Pater Filiorum Zæbedei? Sed tamen, cum in genere aliqua inæqualiter conſiderentur, poterit inquiſitio verſari circa aliquod, vt rectum, & principalius, & non ſic circa reliqua, ſicuti ſi cum Zæbedeo concurrerent alia principia, poſſet dubitari, quiſnam eſſet Pater Filiorum ſub nomine eius, prout ipſos ſuſtentans, veluti natura ſecundam intentionem, etſi hæc illi de per ſe ſit extranea. Dubitatur igitur, dum explicatur, quid ſit genus, an quod explicari intenditur, ſit aggregatum ex natura, & intentione, vtramque æqualiter dicens? an ſola natura generis, quæ eſt primum intentionale? an veró natura, prout ſubeſt ſecundæ intentioni? vel an ſecunda intentio, vt connotans naturam? an denique ſola ſecunda intentio, ſine vlla naturæ terminatione?

21 Reſolvendum eſt, quod ſuperius ſolum fuit definita ſecunda intentio, prout connotans primam. Ita Scotus *in q. 14. Vniverſ.* vbi ait, definiri intentionem rei applicabilem: in quibus verbis explicat, non definiri intentionem in abſtracto. Prob. reſolutionem Scotus; quia illud debet definire Logicus, quod per ſe Logicus cōſiderat; ſed Logicus de per ſe cōſiderat ſecundam intentionem: ergo. Reſpondet Scotus dicendo, quod res ſub intentione conſideratur à Logico, & ſic, quod res ſub intentione definitur. Contra, ait Scotus; quia quod hic definitur, debet convenire vnivocé rebus omnium generum, v. g. animali, colori, figuræ, &c. participant enim idem nomen ſecundum eamdem definitionem; ſed eſt impoſsibile, rem

ali-

Digitized by Google

aliquam ſub intentione convenite rebus omnium generum: ergo eſt impoſsibile, hinc rem ſub intentione definiri.

22 Reſpondent aliqui, & noviſsimé Peinado hinc, negando robur inſtantiæ, ex eo, quod licet natura animalis, & coloris, ſecundum ſe, & in conſideratione phyſica, diſtinguantur ſpecie, tamen vt ſubſunt ſecundæ intentioni generis, ſub qua definiuntur, & cõſiderantur à Logico, eodem modo ſe habent, quia eodem modo conſiderantur à ſecundis intentionibus prædicabiles de ſuis inferioribus, nempé, tanquam pars materialis. Unde ait, quod etſi naturis ſecundum ſe, & ſeorſim à ſecundis intentionibus, non daretur aliqua ratio communis, & vnivoca, daretur tamen, prout ſubſunt ſecundis intentionibus, id eſt, ſumptis concretivé cum ſecundis intentionibus, nempé, ratio prædicabilis, vt pars materialis; quæ ratio licet naturis ſecundum ſe accidentalis ſit, naturis tamen in concreto eſſentialis eſt; quodvis enim concretum ex natura generica, & ex ſecunda intentione generis eſſentialiter eſt genus.

23 Adverto hinc, præfatam Peinadi rationem tradi ab Scoto in ipſa *q. 14.* aiens, quod prædicta genera habent proportionis vnitatem; quam proportionem explicat Peinado eiſdem terminis, ac Scotus *in quæſt. 15. Univerſ.* in ſolutione primi argumenti. Vbi noto, quod inſtantia Scoti eſt efficaciſsima, ſaltim contra tenentes, quod ſola natura definitur, quin intentioni ſubſit. Efficacitas ſtat in eo, quod ab illis diverſis naturis non poſsit abſtrahi ratio communis, in qua conveniant, vt definiantur in definitione generis, quin alicui eidem intentioni generis ſubſint. Sed de hoc in Metaphy. contendam. Pro nunc tamen deduc, quod prædicta ratio Scoti poteſt ſubſiſtere etiam contra intentum Peinadi, cum poſsit percipi dictum Scoti in recto, ſeu primó, & per ſe; ita vt dum dicit, impoſsibile eſſe, rem aliquam poſſe ſub intentione convenire rebus omnium generum, intelligatur primó, & per ſe, cum vnitas illa derivetur ab intentione, vt à forma, cui ſic convenite, primó convenit. Sic deducitur ex Scoto *in 14. Univerſ. §. dicendum igitur.*

24 Inſto deinde ſic: etſi illa entia diverſi generis, prout ſubſunt intentioni, poſsint cõſiderari à Logico, hoc non impedit, quod formaliſsima, & prima ratio conſiderationis debeat eſſe intentio: ergo nunquam ſuadetur, quod ſecunda intentio non ſit, quod primó, & per ſe à Logico definiente reſpicitur. Prob. antecedens; quia illud primó, & per ſe attingitur à quacunque potentia, & habitu, quod eſt formaliſsima ratio attingendi alia; ſed formaliſsima ratio attingendi illa entia, vt logicalia, eſt generis intentio: ergo quod illa, vt intentioni ſubſint, attingantur, nunquam impedit, quod intentio ſit prima, & formaliſsima ratio conſiderationis. Maior eſt certa. minor ſuadetur; quia ipſi fatentur, quod etſi in naturis ſecundum ſe non daretur ratio communis, & vnivoca, daretur tamen, prout ſubſunt ſecundæ intentioni: ergo formaliſsima, & prima ratio attingendi illa entia, vt logicali vnitate communia, eſt generis intentio.

25 Confirmo inſtantiam, & directé contra Peinadum, & communem claſſem Jeſuitarum: etſi conceptus obiectivi, vt ſubſunt formalibus, ſint logicæ conſiderationis, ſed tamen bene compatitur, quod prima, & formalior ratio rectæ conſiderationis ſint conceptus formales, non aliunde, niſi quia etſi illi conceptus, vt ſubſunt conceptibus formalibus, ſint intra ſpecialem logicæ ſphæram, tamen ſi non ſubeſſent, nullam vnitatem obiecti logici conſtruerent: ergo etſi conceptus primó intentionales, vt ſubſunt ſecundis, ſpecialem vnitatem reſpectu genericę definitionis conſtruant, dum talem vnitatem non haberent, niſi ex intentionis informatione, debebit compati, quod prima, & formalior ratio genericæ definitionis ſit intentio ſecunda. Addo hinc contra vltimum dictum reſponſionis, quod etſi ex conceptu formali, & materiali poſsit fieri vnum concretum, ita vt de quolibet concreto poſsit dici, quod eſt ſubiectum ſpeciale logicæ, tamen hoc non impedit, vt ſolum aliqua pars concreti, ſcilicet, formalis, ſit primó, & in recto inſpecta à ſcientia: ergo etſi ex qualibet natura, & intentione fiat vnum concretum, ita vt de quolibet poſsit dici, quod ſit genus, hoc non iuvabit, vt totum concretum ſit primó, & in recto inſpectum à definitione. Præſens inſtantia poteſt ſic formari in omni opinione, primam rationem ſubiecti ſcientiæ conſiderante.

26 Adducam aliam ſolutionem Peinadi, quę cum inſtantię intento coincidere videtur. Dicet igitur, verum eſſe, quod principaliter, & formaliter ſignificatum nomine concreti accidentalis, eſt forma denominans, quæ reſpectu totius accidentalis præcipuum munus habet; at quod in recto definitur, cum definitur concretum, illud eſt, quod prædicatione vera affirmatur in recto de ſubiecto, quando accidens in concreto prædicatur; quod autem ſic affirmatur, ſolum eſt materia, à forma accidentali denominata, nam quando veré affirmo, *Petrus*

eſt

Digitized by Google

eſt albus affirmo de Petro, *eſſe habentem albedinem*, non veró eſſe albedinem ipſi adiunctam accidentaliter; ideo dum album in concreto definio, in recto ponitur *habens*, & in obliquo *albedo*, etſi hæc in concreto exerceat munus formæ. Sic pariter diſcurrit de concreto accidentali logico, etſi forma ſit intentio, quia in affirmatione, *quod*, eſt natura, quod eſt rectum, & ſolum *quo*, eſt Intentio, quæ in affirmatione, eſt obliqua &c.

27 Sed contra; quia quando aliquid definitur, illud primó, & ſpecialiùs debet definiri, à quo ſcientia definientis ſpecificata percipitur; ſed reſpectu concretorum ſignatorum, primò, & de per ſe ſpecificari percipitur ex forma: ergo. Maiorem exiſtimo veram in omni notitia, quare nulla eſt ab intellectu, ſed à ſpecie informante. Minor ſuadetur ex eo, quod ſi aliquis ſcientiam definitivam albi intenderet, parum curaret de ſpecie ſubiecti, quodcunque enim æqué concerneret, ſive foret paries, ſive Leo; nec non ſi aliquis intenderet habere definitivam notitiam calidi, forté inveniret pro ſubiecto illud ipſum, quod erat reſpectu definitionis albi ſubiectum. Nunc ſic: dum aliquis ſpecialem definitionem noſcere cupit, id de per ſe, & in recto intendit definire, ex quo illam, & non alteram definitionem habet; ſed dum aliquis intendat habere definitionem albi, & non calidi, ex forma, primó, & per ſe, diſtinctam definitionem habebit, quia ſubiectum poteſt eſſe idem: ergo. Prob. minor; quia ab illo primó, & per ſe ſumitur definitio, à quo ſumitur diſtincta definitio; ſed primus conceptus diſtinctionis ſumitur à calore, & ab albedine, quia vſque tunc erant idem: ergo. Hæc hinc ſuadeo ex eo, quod idem paries numero poſſet eſſe calidus, & albus, & inconveniret, quod duplicis definitionis diſtinctæ in ſpecie, habeatur pro definito, idem numero in recto prædicatum, & de per ſe conſtitutum.

28 Inſto deinde directé ex eo, quod ſi quia in affirmatione Petri albi, ſenſus ita convertit prædicationem, quod Petrus affirmetur in recto, vtpoté, *Petrus eſt habens albedinem*, ſubiectum debeat definiri in recto; dum ſenſus é contra vertatur, iuxta omnem vſus, & rationis perfectam affirmationem, & illi æqualem, forma debebit definiri in recto; ſed poteſt: ergo. Patet minor in hac affirmatione, *albedo eſt vnita Petro*; en albedinem in recto, & Petrum in obliquo. Deindé, non eſt debilior vigor *vnits*, quam *habentis*; imó perfecté prius, cum ex eo Petrus habeat, quia datur vnio, ita vt ex affirmatione noſtra *per vnitá*, derivetur, vt ab ſtrictiori recto, affirmatio

Peinadi. Quidquid dicat, inſtabitur. Addo hinc, quod in pluribus alijs ſenſibus poteſt intentio eſſe rectum, & pro definitione generis habiliſsimum, v. g. *Intentio eſt denominans ſubiectum: intentio eſt forma concreti*: nec non in ipſo rigore definitivo, v. g. *intentio eſt definita* &c.: ergo.

29 Deinceps; quia iam quod rationes formales non ſint principaliores ſubiectivis, debent ad minus eſſe æquales; ſed in actu ſignato, in quo virtus formæ intentionalis exercetur, hoc eſt, de per ſe cognoſcitur, affirmatur in recto de intentione prædicabilitas, v. g. *genus, ſeu intentio in actu ſignato eſt prædicabilis* &c: ergo ſi quia in actu exercito de prima intentione affirmatur terminus ſignatus, prima intentio definiretur in recto; quia in actu ſignato affirmatur de ſecunda intentione, ſecunda intentio in recto definietur. Addo hinc, quod ſi pro omnibus calefactivis aliquod vnũ calefactivum definiretur, hoc non eſſe Solem, pauci aſſererent, etſi Sol ſolum in actu ſignato habeat calorem, in ipſo ſiquidem non exercetur calor, quem eius virtus ſignat: ergo à ſimili.

30 Prob. 2. reſolutio à ſufficienti partium enumeratione; quia in primis hic non definitur ſola prima intentio, nec intentio de per ſe, & ſecunda in obliquo, nec ſola ſecunda intentio in abſtracto, nec concretum æqué ex vtraque conflatum: ergo definitur ſecunda intentio de per ſe, connotans primam, vt obliquam. Antecedens quoad primam partem, manet efficax ex illa prima inſtantia Scoti. Deindé, quia vt ait Scotus, ſi Logicus ſolam rem conſideraret, foret artifex realis, & non haberet aliquid, ex quo diſtingueretur à Metaphyſico, rem definiente; quod ſuadet non parum efficaciter, ex eo, quod ſecunda intentio generis ſub maiori, & ſuperiori vniverſalitate, debebat pro re, cui ſubeſſet, habere rem ſic in vniverſalitate proportionatam; ſed talis res non poteſt eſſe alia, quam res vt ſic, nempe ens: ergo cum ens ſit quid definiendum à Metaphyſico, dum ſola res in concreto intentionali vniverſaliſsimo definiretur à Logico, definiretur idẽ, ac à Metaphyſico. Antecedens principale, quoad ſecundam partem extat propugnatum in dictis pro noſtræ reſolutionis probatione.

31 Prob. quoad tertiam partem ex Scoto; quia hinc definitur intentio, quæ eſt applicabilis rei; ſed non eſt rei applicabilis intentio in abſtracto: ergo. Maior prob. ex eo, quod tam ex dictis Philoſophi, quam ex communi vſu, & acceptatione, Logica ſit ex his, quę cõſiderat ha-

habilis ad alias ſcientias comparandas, demonſtrando per propria inſtrumenta aliorum ſubiectorum paſsiones; ſed hoc foret impoſsibile, niſi alijs rebus inſtrumenta ſciendi applicaret, vt patet in quocunque cuiuſvis artificis inſtrumento: ergo quia quod hinc definitur à Logico, eſt intentio, quæ eſt applicabilis rei. Minor ſuadetur; quia abſtractum, vt ſecundum ſe ſignificat, potius dicit receſſum, quam applicationem. Deindé, quia non invenitur quomodo genereitas poſsit dici de animali, & præcipué, dum adhuc in concretis metaphyſicis, vbi connexio eſt realis identitas, eximia difficultate vna pars in abſtracto dicatur de alia, v. g. *rationale eſt animalitas* &c. ergo. Deniqué, quia intentio eſt forma rerum, nec non forma relativa, & modificans rem primó intentionalem; ſed forma, modus, & relatio, debent conſiderari cum concernentia ad ſubiecta: ergo.

32 Quoad quartam, & vltimam antecedentis partem, ſuadetur ex Scoto; quia quando partibus concreti ſub eadem conſideratione non poteſt convenire eadem definitionis conſideratio, illud tantum debet definiri, cui per ſe primó ineſt definitio: ergo cum ſic ſe habeât partes cōcreti intētionalis, illa definietur, cui per ſe primó definitio inſit; ſed definitio generis per ſe primó ineſt intentioni: ergo. Antecedens eſt receptum; aliàs nullum ens per accidens, nec cuiuſvis extraneæ, & oppoſitæ conſiderâtionis, eſſet indefinibile. Conſequentia etiam debet concedi, cum ea, quę ſunt conſiderationis puræ intentionalis, non poſsint rei convenire: aliàs actus ſignatus verificaretur de per ſe de ipſa; & é contra, ea, quæ ſunt conſiderationis primó intentionalis, non poſſunt ſecundæ intentioni convenire; aliàs de ipſa verificaretur actus exercitus: ergo eſt impoſsibile, quod æqué vna definitio vtramque conſiderationem vtrique miniſtret. Nunc ſuadet Scotus minorem derivatam; quia illud per ſe primó ineſt alicui ex duobus, quod in ipſa definitionis explicatione exprimi videtur; ſed quæ ponuntur in definitione, ſunt intentionalia, ſcilicet, *prædicari de pluribus &c.* quæ voces ſunt actus ſignati, ſicuti *eſſe id, quod prædicari ſignatur*, ſunt notæ ſtabilitæ actus exerciti: ergo intentio erit, cui per ſe primó ineſſe debebit.

33 Objicies 1. cum Peinado: definitione generis id explicatur in recto, quod in recto ſignificatur nomine *genus*; ſed nomine *genus* ſignificatur in recto natura generica, & in obliquo ſecunda intentio: ergo definitione generis explicatur in recto natura, & in obliquo ſecunda intentio. Min. prob. quia nomen *genus* ſic ſignificat, *natura habens genereitatem*, ſeu *terminans cognitionem, & ſecundam intentionem denominantem genus*; ſicut nomen *album* ſic ſignificat, *ſubiectum habens albedinem*. Et confirmatur; quia genus, concretum quoddam eſt accidentale, non minus, ac album; ſed concretum accidentale, ita ſignificatur per vocem, vt ſignificetur ſubiectum in recto, & forma accidentalis in obliquo: ergo genus, ita ſignificatur hoc nomine, vt ſignificetur in recto natura, cui accidit forma generis, & in obliquo ipſa forma.

34 In primis poteſt diſſolvi argumentum ex dictis ſupra contra Peinadi expoſitionem. Reſpondeo tamen argumento, ſic percipiendo maiorem: id definitur in recto, quod in recto ſignificatur, materialiter, & reſpectu ſcientiæ æqué, & communiter conſiderantis concretum, tranſeat; quod ſignificatur in recto, formaliter, & reſpectu ſcientiæ de per ſe ſolum conſiderantis formam, & partem concreti à qua ſpecificatur, negatur. Deinde, minorem diſtinguo: nomine genus ſignificatur in recto natura generica, materialiter, & reſpectu ſcientiæ communis concretorum, tranſeat; formaliter, & reſpectu ſcientiæ ſecundó intentionalis, ſive logicę, negatur; & ſic conſequentia. Itaque dico, quod tametſi hoc nomen *genus* ſignificet, vt eſt præcisé concretum, materiam in recto, tamen reſpectu logicæ conſiderationis variatur ordo; quia id intendit Logicus, de per ſe, & in recto attingere, quod eſt in recto movens ſcientiam, ita vt reliqua propter ipſum attingantur, & ſic in obliquo, tametſi iſta obliqua in linea materiali, & communi ſint in recto, & habentia formam logicam, quæ eſt rectum totius logicæ conſiderationis, ſive definitivæ, ſive diviſivæ &c. Vnde, etſi natura, vt eſt ſubiectum, ſit rectum, hoc eſt, *habens*, & intentio, vt eſt forma, & accidens, ſit obliquum, hoc eſt, *habita*, tamen prout hoc concretum directé, & ſpecialiter definitivam conſiderationem reſpicit, é contra percipitur; quia intentio in linea logica, eſt ſubiectum formale, habens ſub ſe materiam, & habens rationem formalem attingendi à Logica, tranſiens in hac linea ad eſſe rectum, quod in alia erat obliquum. Sic invenies variatum ordinem eſſendi in medijs, & in fine, provt in linea intentiva, & executiva. Sic etiam, etſi in linea effectiva, intellectus ſit rectum, vtpoté agens in recto, at in linea formali, & denominativa, intellectus eſt obliquus, & intellectio eſt rectum, cum ſit in recto denominans. Nec non, etſi materiale peccati ſit rectum materialiter

ref-

reſpectu formalis, at reſpectu theologicæ conſiderationis, rectum eſt formale, ſcilicet, privativum. Denique, etſi rectum ſit animal reſpectu rationalis in ſenſu Peinadi, quia eſt ſuſtentans, at reſpectu definientis humani, vtraque pars eſt primò, & per ſe definitum: ergo &c. Ex quibus facilè poterit quilibet inſerre ſolutionem in probationem, & confirmationem argumenti. Sed his non obſtantibus, poteſt dicere, diſparem eſſe rationem, ex his, quæ cum Scoto diximus *in 1. q.* in ſolutione primi argumenti. Deniquè, huic, & alijs conſimilibus argumentis, vnico verbo clariùs ſatiſfacies, dicendo, quod id intelligimus eſſe rectum in definitione, quod principaliter definitur, & in concretis accidentalibus dicimus, quod forma dicitur de principali à concreto; ſive hæc ſit in recto, ſive in obliquo; de quo, in ſolutione ſequentis argumenti ſignabo rationem.

35 Objicies 2. id de principali definitur, quod de principali eſt prædicabile; ſed hoc de principali, non eſt intentio concernens naturam, ſed è contra: ergo. Reſpondent Noſtri, maiorem concedendo, & negando minorem; quia intentio eſt prædicabilis in actu ſignato, qui modus prædicandi eſt principalis, & qui definitur.

36 Sed Inſtas, permittendo, quod tam intentioni, quam naturæ, eſſe prædicabiles competat; iſti, *vt quod*, & exercitè; & illi, *vt quo*, & ſignatè; moves tamen ſemper difficultatem, inquirendo, cur prædicabile *vt quo* debeat eſſe definitum in definitione prędicabilis? Reſponderi ſolent Scotiſtæ, dicendo, quod ſecundæ intentioni convenit prædicari, quia eſt ratio, & forma, propter quam prima intentio prædicat, & propter quod vnumquodque eſt tale, illud eſt ipſo magis. Optima ſunt iſta; exiſtimo tamen, ſequentia eſſe meliora, vtpotè ex mente Scoti eviſcerata, de quo infra. Reſpondetur enim, ex eo eſſe, quod prædicabilitas *vt quo* eſſentialiter convenit intentioni, cum in hoc genere ſit *quid*, vt aiebat Scotus; at nulla prædicabilitas convenit eſſentialiter naturæ ſecundum ſe, ſed purè accidentaliter; quia vt latè dixi *in libro de ente intentionali*, dum dicitur, *Petrus eſt animal*, quæ eſt prædicatio exercita, inter Petrum, & animal, non ponitur niſi vnio intentionalis, quæ ipſis accidit. Videantur dicta *in Diſtinctione de ente rationis ſine fundamento*, vbi ſolam vnionem intentionalem explicamus: vnde hinc ſolum definitur illud, cui prædicabilitas eſt eſſentialis.

37 Deinde, prædicta corroborando, dici poteſt, quod quando alicuius concreti ſola vna pars de principali debeat definiri, illa debet de principali definiri, ſecundum regulam conciſionis, & innecceſſariæ multiplicitatis, qua poſita, intelligatur alia, & ſic quidquid ad intentam notitiam requiritur; non autem debet definiri illa, qua poſita, ſecundum ſe non percipiatur alia, neque intenta notitia; quia eſt ſignum debilioris vis, & improprioris quidditatis reſpectu notitiæ habendæ, & præcipuè per definitionem, quæ eſt converſiva; ſed in quovis concreto accidentali, poſita forma, inducitur ſubiectum, cui inhæret; non autem poſito ſubiecto, inducitur, quod forma ſit in illo, quia ipſi de ſe accidit, vt experitur in pariete reſpectu albedinis, & in prima intentione reſpectu ſecundæ: ergo ex hoc motivo, non naturæ, ſed formæ, & modi debent de principali in ſimilibus caſibus notificari.

38 Obijcit 3. Scotus *in q. 14.* hic definitur, quod prædicatur *in quid* de re, vt verba ipſa definitionis indicunt; ſed intentio non prædicatur *in quid* de re, quia intentio eſt accidens: ergo hic intentio non definitur. Reſpondet Doctor ſic: *Dico, quod intentio non eſt quid rei, prædicatur tamen in quid de re*; in quibus verbis ſufficientem reliquit rationem. Itaque, vt tam hæc, quam plura alia ex eviſceratione ſecundæ intentionis percipias, debes ſcire, quod ſecundæ intentiones ſolum ſunt ſigna, per quæ Logicus venit in perfectã cognitionem rerum ſignificatarum; ſed tamen nimis nota, quod etſi ſolum ſint ſigna, ita vt omne earum munus in ſignificando ſiſtat, ſed taliter ſunt ſigna, quod cum diſtinctione ſignent; ita vt ſecunda intẽtio, à qua Logicus habet indicem reſpectu convenientiæ, ſit diſtincta ab alia, à qua Logico indicatur diverſitas. Deindè, etſi eſſe ſigna habeant ab actu puro rationis, tamen ita infallibiliter, & cum fundamento ſignant, ac ſi res ipſæ intuerentur; taliter, quod ſignum rationis ſit repreſentativè ipſum obiectum reale, & quidditativum, non rationis, ſed realis entis quidditatem ſignificans. Provide exempla in ſtatua Cæſaris, verũ Cęſarem repreſentantem, etſi ipſa ſit ſignum, à machinante compactum. Sic Lupus rapax pictus eſt ſignum vivum, & ferox animal ſignans, & licet depictum, tamen non Aſinos, ſed Lupos omnes ſub illa vnica ratione repreſentat. His ita

39 Intellige nunc claram, & perfectam ſolutionem Scoti. Dixit ergo Scotus, quod intentio non eſt *quid* rei, quia intentio eſt quidditativè accidens, & res poteſt quidditativè eſſe ſubſtantia, & de ſe intuetur, quod quidditas accidentis non ſit de quidditate ſubſtantię.

Præ-

Prædicatur tamen, inquit, de re; quia prædicare in actu ſignato *in quid*, non eſt aliud, quam eſſe ſignum quidditatis, quod poteſt eſſe aliquid, quod non ſit quidditas rei; ſicuti lupus pictus nil eſt de quidditate lupi veri, attamen in actu ſignato, lupus eſt quidditativus, & verus, quia ſemel depictus, veré, & non ficté ſignat quidditatem lupi veri, & ſic in ſigno, & in repreſentatione, lupus verus dicitur de ipſo, cum lupus verus repreſentetur ab ipſo, ſignatéque, & repreſentativé eſt ipſe, ſicuti ſpecies repreſentans Deum, eſt Deus, & accidens repreſentans ſubſtantiam, eſt repreſentativé ſubſtantia. Sunt tamen in actu exercito diſparata, quia id, quod intentiones ſignant, non exercetur in ipſis, ſed in ſignatis; ſicuti id, quod lupus pictus ſignat, non in ipſo, ſed in ſignato exercetur; ſignat enim vitam, ſenſus &c. quæ omnia in alio exercentur, vtpoté in habente vitales operationes; ſicque exercité, non eſt quod ſignat, quia vnus eſt pictus, & alius eſt verus; ſicuti intentio exercité, & entitativé eſt accidens, & ſignatum entitativé eſt ſubſtantia, vivens, ſentiens &c. ſed licet in ipſis non exerceatur, quod ſignant, exercetur tamen in alijs, vt ſignatur ab ipſis: ex quo Doctor Subtilis, ſecundas intentiones, entia rationis cum fundamento, & vera intelligibilitate, nominavit. Idē exēplificare poteris in gemitu ſignante dolentem, cum gemitus non ſit dolens; & in fumo ſignante ignem, cum non ſit ignis; quæ ſigna ad exemplificandum, videntur aptiſsima.

40 Notandum eſt in fine, quod etſi Doctor Subtilis reſolvat, quod definitum in definitione generis non ſit genus in abſtracto, ſed in cōcreto, hoc eſt, ſecūda intentio applicabilis, & indicens rem; tamen eſt nimis advertendum, quod totum concretum non definitur, ita vt res ſit pars definita, quia res nunquam eſt connotata, vt pars reſpectu definitionis, ſed ſolum vt purus terminus connotatur; in quo maximam diverſitatem adſtruit Scotus in *q. 8. Vniverſ.* propé finem, vbi ait: *Dico, quod non eſt ens per accidens ſicut aggregatum, quia res non cadit in intellectu illius totius vt pars, ſed vt terminans reſpectum.* Hæc Scotus: quorum relinquimus expoſitionem, in ſolutione argumentorum contra intelligentiam Obiecti adæquati Logicæ. Hinc nota etiam pro complemento obiectionum, quod Porphyrius ponit exemplum in naturis, non quia has definierit, ſed quia notiores ſint nobis. Sic notat Scotus in fine *q. 14.*

QVÆSTIO III.

An genus plures ſpecies requirat.

41 Difficultas præſentis quæſtionis ſolet iam, vt celebrior inter generis difficultates inquiri, & meritó, cum eſſentia, & generis expreſsio, ex nullo melius, quam ex aptitudine ad vnitatem, vel multitudinem ſpecierum, deducatur. Doctor noſter, difficilem habet intelligentiam circa hoc punctum, ex eo, quod ipſum, eximia ſubtilitate, & profunditate eviſceraret, vt videri poteſt in *q. 18. Vniverſ.* Itaque, cum eius genuinus ſenſus ſit à nobis fideliter audiendus, illū explicabimus, & explicatum reſolvemus.

42 Doctor enim Subtilis, poſtquam in initio quæſtionis propoſuit plures rationes, probantes *ex libris logic. Boetij, & Porphyrij*, & *ex 7. Metaph.* genus plures ſpecies requirere, tradit in oppoſitum alias infra ponendas. Deindé, ſic reſolvitur: *ad quæſtionem dicitur, quod genus, ſive ſumatur pro intentione, ſive pro illo, cui applicatur intentio, non requirit multas ſpecies actù, vel potentia.* His poſitis, ſtatim probat aſſumptum in natura, relinquens hæc verba, à primo intuitu oppoſita; *tamen ſicut univerſale requirit multa aptitudinaliter, quia definitur per aptum natum prædicari de pluribus, ſic ad rationem generis requiritur, quod dicatur aptitudinaliter de pluribus ſpecie differentibus.* His poſitis, reſolvit, quod genus plures ſpecies requirat actù, tametſi ſpecies, nequé actù, nequé potentia exiſtant. En ipſum: *poteſt igitur dici ad quæſtionem, quod ad rationem generis requiritur, quod multas habeat actù ſpecies, non quæ exiſtan actù, vel potentia, ſed quod tantum actù concipiantur per ſpeciem intelligibilem.* Denique his poſitis, ſimiliter in fine videtur reſolvi. Nota Scotum non facilé intelligibilem, cui ſolum apparenter de his inquirat examen. Sed tamen, cum ex libris ſententiarum, ſimilium doctrinarum *in libro 1. Entis intentionalis*, nec non in *lib. 3. Vniverſ.* ſcopum, & habendam praxim eviſcerare intendiſſemus, præfatas reſolutiones, ſine contradictionis nota, imó profunda Subtilis doctrina, combinabimus. Circa quorum expoſitionem

43 In primis debes notare, quæ ibi Scotus, ſcilicet, quod datur aptitudo, & datur potentia, quæ ſunt interſe diſtinctæ. Aptitudo eſt inclinatio alicuius *ſecundum ſe* ad aliquid. Potentia autem eſt ordo expedibilis ad actum. Differunt igitur, quia potentia poteſt eſſe ſine

aptitudine, & é contra. Poteſt ergo potentia eſſe ſine aptitudine, vt poſsibile eſt, grave eſſe ſurſum, non tamen eſt aptum ibi eſſe, quia ei ſecundum ſe repugnat. Poteſt aptitudo eſſe ſine potentia, vt cæcus eſt aptus natus ad videndum, nil enim dicitur privatum, niſi dum eſt aptum natum habere habitum ſecũdum *Ariſtot. in poſt prædicam.* apud Scotum ſupra, non autem eſt poſsibile cæcum videre. Secundum exemplum ab Scoto adductum eſt clarius: vniverſali enim, quantum eſt ex ſua forma, non repugnat dici de multis, & ſi illa multa non ſint; quo pacto daretur aptitudo, non tamen potentia. Sic in libro 3. *Vniverſ.* deffenſavimus, & diffusé explicuimus, quod naturæ ſecundum ſe, non repugnabat eſſe poſitivé in pluribus; aliàs, vt paſsim ibi cum Scoto diximus, nequé intentionaliter poſſet eſſe ſic, ſine intelligibili contradictione, cum ſine contradictione non poſsit intelligi de natura, quod naturæ ſecundum ſe repugnare intelligitur, & tamen, etſi in ipſa ſecundum ſe adſit non repugnantia, quæ eſt aptitudo, terminus, ſeu executiò, à parte rei eſt impoſsibilis, cum abſoluté ſic eſſe in pluribus repugnet naturæ; & né in prædictorum explicatione amplius detineamus, videantur diligenter plura, quæ diximus *in lib. 1. Diſt. 1. quæſt. 2. & in lib. 3. Vniverſ. Diſt. 1. quæſt. 3. art. 1.* & præcipué *in 2. art.* & ſic, vbicunque explicuimus, vnitatem formalem vniverſi eſſe ad plura, quam numerica, quia etſi in re tot ſint vnitates formales, quam numericæ; at ſecundum quod ipſis de ſe non repugnat, non ſunt tot.

44 Reſolvit igitur Scotus, quod ad rationem generis requiritur, quod multas ſpecies habeat actù; non quæ exiſtant actù, vel potentia, ſed quod tantum concipiantur per ſpeciem intelligibilem &c. Cuius reſolutionis verba ſunt intelligenda ſic, ſcilicet, quod ad hoc vt genus ſit prædicabile vt genus, non requiritur, quod actù ſint plures ſpecies, vt actù exiſtunt homo, & animal v. g. Nequé requiritur, quod ſint abſoluté poſsibiles, ſeu expedité, & poſitivé in potentia, v. g. ſpecies poſsibiles aliorum quam plurium animalium, & plantarum, ſed ſufficit, quod ſint negativé poſsibiles, & in ſpecie intelligibili actù exiſtentes, ad quod ſolum requiritur, quod animali ſecundum ſe v. g. non ſint repugnantes; quod ſufficiet, vt animal prędicabile ſit vt genus, habens vnitatem vniverſaliorem, quam ſpecies, & deinde continens multas ſpecies actù, & ſine contradictione intelligibiles.

45 Quod ſint negativé poſsibiles, ſuadetur; quia naturæ genericæ ſecundum ſe, non repugnant: ergo in natura generica ſunt poſsibiles, ſeu non repugnantes. Antecedens ſuaderi debet omnibus illis, quibus vnitatem negativam in natura vniverſali propugnavimus, nempe, quod etſi ſit impoſsibile, quod natura humana ſit abſoluté in duobus, id tamen eſt poſsibile negativé; naturæ ſiquidem de ſe eſſe in illis, & in omnibus non repugnat &c. Quod in ſpecie intelligibili valeant eſſe actù exiſtentes, ſuaderi debet omnibus illis, quibus in libro 1. *Entis intentionalis. q. 2. & alibi*, diffusé propugnavimus, & explicuimus, quod ad hoc, vt aliquid intentionaliter exiſtat, ſufficit, quod tale, negativé ſit non repugnans. Dum igitur intellectus cognoſcat, quod naturæ genericæ, prout eſt ex ſe, non repugnant plures ſpecies, ſtatim plures ſpecies concipiuntur ab ipſo ſine cognitionis contradictione, cum vt cognitio non contradicat, ſufficiat, quod cognoſcatur aliqua natura realis, cui terminus conceptus non repugnet ſecundum ſe, imó exhibeat aptitudinem.

46 Deindé, quod præfata non repugnantia ſufficiat, vt vnitas animalis v. g. ſit generica, ſuaderi debet omnibus illis, quibus in *lib. 3. Vniverſ.* citato ſupra, diximus, quod pro aptiſsimo fundamento ſecundæ intentionis vniverſalitatis formalis, & poſitivæ, ſolum requirebatur, quod ipſi de ſe non repugnarent illa multa, quæ abſoluté repugnare affirmabamus. Quod hac non repugnantia, ſeu aptitudine negativé intellecta, in animali v. g. ſit ſufficiens motivum, vt vnitas animalis foret altioris, & diſtinctioris ordinis, quam vnitas ſpeciei, v. g. hominis, ſuadetur omnibus illis, quibus tam in locis citatis *in lib.* 3. quam in feré omnibus *q. q. Vniverſ.* propugnavimus, quod id ipſum ſufficiebat, vt natura humana, quæ in re ſolum eſt in Petro v. g. diceret altiorem vnitatem, quam vnitas individui, ex eo, quod etſi abſoluté tot, quot numericæ, forent vnitates ſpecificæ, non tamen negativé; quia etſi natura ſpecifica foret in vno, ipſi tamẽ de ſe non repugnabat eſſe in pluribus, at vnitas individua erat in vno, & ipſi de ſe repugnabat eſſe in pluribus. Sic pariter: verum eſt, inquit Scotus, quod ex ſuppoſitione, quod vnica ſolum ſpecies foret exiſtens, & nulla alia poſitivé poſsibilis, quod tunc abſoluté, & in re, non poſſet natura generica v. g. extendi ad plura, quam ſpecifica, cum in re vtraque foret in individuis; ſed tamen ſemper vnitas generis foret altioris, & ſuperioris ordinis, quam ſpeciei, ſiquidem generi nõ repugnaret, quantum erat ex ſe, eſſe ita in alijs, quam in his, in quibus erat ſpecies, vt licet in re tot eſſent genera, quot ſpecies; non

autem

autem negativé, & in aptitudine, generi ſiquidē non repugnaret dividi in plures ſpecies, & ſpeciei, tam abſoluté, quam ſecūdum ſe, ſic dividi repugnaret: ergo quia in generis vnitate datur motivum, vt percipiatur ſecunda intentio vniverſalitatis, ſuperioris, & diſtinctioris ordinis, diviſibilis.

47 Objicit Scotus: ſicut ſe habet ſpecies ad individuum, ſic genus ad ſpeciem; ſed ſpecies non requirit multa individua: ergo nequé genus multas ſpecies. Minorem ſuadet Scotus in Sole, Fenice, & conſimilibus ſpeciebus. Reſpondent aliqui apud Scotum, negando paritatem; quia de ratione generis eſt, dividi per differentias oppoſitas, quæ cum genere conſtituunt ad minus duas ſpecies, vt ſupra ex Boetio innuebamus; at tamen ex ratione ſpeciei, non eſt ſic per oppoſita dividi, cum aliter ac genus in individua deſcendat. Sed præfata ſolutio diſplicere videtur Scoto, in quam inſtat ſic: æqué eſſentiale eſt cuicunque, quod in eius definitione æqualiter ponitur à definiente; ſed *differentibus numero* equaliter ponitur à Porphyrio in definitione ſpeciei, ſicut *differētibus ſpecie* in definitione generis: ergo ſicuti ex *differentibus in ſpecie* derivatur in genus ratio dividendi in oppoſita ſpecifica, ex differentibus in numero derivabitur in ſpeciem ratio dividendi in oppoſita numerica.

48 Reſpondet Scotus argumento, concedendo maiorem, & negando reliqua. Ad probationem minoris reſpondet, negando intelligentiam illorum exemplarium; eſt enim eadem difficultas, cuius petitur in Sole principium; quia, vt ait Scotus, forma Solis nata eſt eſſe in alia materia, extra illam, in qua eſt, *quantum eſt de ſe*. Ex quibus manifeſté deducitur, quod ſi Sol &c. conſtituant ſpeciem, deſumetur ex eo, quod tametſi vnicum in re habeant individuum, ipſi tamen Soli non repugnabunt plura adeſſe, quod cum de ſe repugnet principio numerico, inde erit, quod Solis vnitas poſsit dici ſpecifica, & in ſuperiori gradu, quam numerica, ac per conſequens vnitatis vniverſalis diviſiva in oppoſita numerica. Quare Scotus in ſolutione antecedenti ad nunc exhibitam, reſpondet, quod ſicuti genus requirit aptitudinaliter multas ſpecies, ſic ſpecies aptitudinaliter requirit multa individua.

49 Quod aptitudo requiſita ad ſpeciem ſit eiuſdem conditionis, ac ſuperius explicatæ pro genere, claret apud Scotum in præcedenti ſolutione Solis, vbi ait, quod licet forma Solis ſecundum ſe, poſsit eſſe in alia materia, non tamen eſt aliqua materia nata recipere talem formam, quia ſi talis correſpondens argumentatio teneret in aptitudinē, ſemper eſſet aptitudo in vtroque extremorum; in quo caſu, non deberet iam dici pura aptitudo, aptitudo vnius extremi, nempe, Solis, vel generis vt ſupra expoſiti; ſed deberet dici inſimul cum potentia, aptitudo. Ex quibus verbis noto pro aliquibus Scotiſtis, quod iuxta hanc viam, meritó ſubtilem, non bene reſolutionem formant conclusionando, quod genus non requirit multas ſpecies actù exiſtentes, ſin autem poſitivé poſsibiles. Sic aliqui hoc punctum reſolvunt, quorum mihi noviſsimus eſt Antonius Groſſo *Diſſert.* 11. *Elucid. vlt.* Nequé reprobo omnimodé talem viam ab Scoto, cum ipſe innuat ſuſtineri poſſe; imó eius praxis facilimé poteſt expediri, & ad ipſam exercendam inclinor in 3. *Vniverſ. Diſt.* 3. *q.* 4. vbi expono, qualiter ab exiſtentibus, & poſsibilibus natura ſpecifica poſſet abſtrahi, & de omnibus prædicari; ſed tamen præſens via eſt ſubtilior, ac per conſequens Scoti proprior. Videantur dicta in locis citatis, quia hinc ſolum propoſui normam, innuendo ibi fundamenta, contra quæ debet militare, qui in hanc Scoti reſolutionem intendat irruere. Noto, quod Recentiorum argumenta, parum illi nocent, imó nec attingunt.

50 Dices tamen, repugnare, quod ex tali aptitudine ad ſpecies, poſsint iſtę eſſe in mente actù intelligibiles: ergo repugnabit, quod genus maneat genus, vt habens vniverſalitatem contra, vel ſupra diſtinctam ab ſpecie; nec non, qood ad plura concipiatur extenſum. Suadebis antecedens ex principijs Scoti, exponentis, quod vt aptitudo maneat in natura, non requiritur, quod maneat in termino, aliàs iam eſſet potentia: ergo quia in termino, qui eſt ſpecies, datur impoſsibilitas; ſed termini impoſsibiles non poſſunt eſſe actù intelligibiles, vt noſtrum, & commune intentum hinc optat: ergo videtur repugnare, quod ex tali aptitudine ad ſpecies, poſsint iſtæ eſſe in mente actù, & ſine fictione intelligibiles; ac per conſequens inintelligibile videtur, quod generis eſſentia, & paſsiones, poſsint contra diſtingui cum ſpecificis, vnica ſolum ſpecie exiſtenti, cæteris impoſsibilibus.

51 En in compendio poſitam omnem vim, Scoti reſolutioni contrariam. Reſpondeo argumento, negando antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo primum conſequēs in termino, qui eſt ſpecies, datur impoſsibilitas, poſitiva, cōcedo; poſitiva, & negativa, nego. Similiter diſtinguo minorē: nō poſſunt actù, & ſine fictione eſſe intelligibiles, termini poſitivé, & negativé impoſsibiles,

Digitized by Google

eſt verom;poſitivé ſolum,eſt falſum;& ſic cętera percipio. Itaque dico, quod tametſi verum ſit, quod ſpecies in ſe ſint impoſsibiles, quia hoc ex præciſa aptitudine docuit Scotus; ſed tamen non ſunt negativé, & vndequaque impoſsibiles, quia ex parte naturæ genericæ non ſunt impoſsibiles; generi ſiquidem ſecundum ſe, non repugnat multitudo: ergo concipere poteſt intellectus actù, & ſine fictione hoc obiectum, ſcilicet, ſpecies. Suadetur, ex eo quod ſine fictione poſsit intellectus concipere in aliquo, quod ipſi ſecundum ſe nõ repugnat; quo enim modo vnitatem, & communitatem negativam explicamus paſsim omnes, qui fidem Scoticæ doctrinæ adhibemus. Videantur illa, non parum vrgentia: ergo à ſimili. Quod talis poſsibilitas ſine fictione ſit combinanda, convincitur claré ex eo, quod impoſsibilia vndequaque impoſsibilia, non ſolum dicunt vnam repugnantiam, ſed omnem, vtpoté ex parte naturæ ſecundum ſe, v.g. quod genus ſit diviſibile in naturas divinas, qui terminus éſt vndequaque impoſsibilis: ergo cum alter terminus, nempe *ſpecies creata*, non ſic repugnet, non repugnantiam, & poſsibiliratem ibi debet inducere, vbi alter repugnantiam, v. g. *ſpecies eſt diviſibilis in ſpecies*: ergo cum repugnet, quod ſpecies ſic ſit diviſibilis in ea, in quæ genus, & individuum in ea, in quæ ſpecies; & deinde hæc non repugnantia ſufficiat, vt intellectui, ſpecies reſpectu generis, & individua reſpectu ſpeciei ſint præſentia, infertur, quod ſic genus per ſpecies intelligibiles conſervetur, & contradiſtinguatur ab ſpecio, & ſimiliter ſpecies ab individuis, ita vt in illis non repugnantijs vniverſalis extenſio, & diſtinctio percipiantur.

52 Si dicas, ita eſſe, ſed tamen eo ipſo, quod alicui de ſe non tepugnet, debet terminus in ſe etiam expediri. Nil dicis, quin impugnes celebrem opinionẽ Scoti tenentis, quod Hircocervus non repugnat ex parte Omnipotentiæ. Deindé eſt nobis, & pluribus communis praxis, quod ſit impoſsibile, naturam humanam eſſe poſitivé in omnibus, ita vt à parte rei *omnes* ſint ſic terminus impoſsibilis, & tamen naturæ de ſe, ſic eſſe in omnibus non repugnet. His ita expoſitis, ni fallor, manet genuinus ſenſus Scoti ſufficienter animatus: ſed vt modus opinandi aliquorum R.R. abſque examine non prætereat, eorum concertationem inquirere prætendam.

***

ART. VNIC.

ALIQVORVM INTELLIGENTIAM examinans.

53 ALiter ac ſupra, de genere diſcurrebam aliquando. Dicebam igitur à ſuperiori opinione præciſſus, genus in vnica ſpecie poſſe conſervari, ſiquidẽ poſſet ſic, eſſe prędicabile de pluribus vt pars materialis, ex eo, quod prędicando de individuis, non prædicaret vt tuta eſſentia, quia tota eſſentia nũquã eſſet, & aliter ac eſſet, non prædicaret. Dicebam deindé, quod nequé prædicaret vt pars formalis, quia ſi ſolum vnicum eſſet animal, & vnicum rationale, ſemper pars perfectior, & formalis foret rationalis; omnis enim perfectionis denominatio ſumitur à famoſiori, & ſemper eſſet melius, & famoſius diſcurrere, quam ſentire: ergo. Denique, quod non foret prædicabile vt proprium, nequé vt accidens, facilius combinabar; tum, quia hominis eſſentia ſemper foret animal rationale; tum, quia animal non poſſet eſſe palsio diſcurrentis; tum denique, quia nec quale, nec ſeparabile poſſet conſiderari. Ex quibus inferebam, quod debebat tale prædicabile, vt pars materialis, eſſe genus; vel ſi non, deducebam, qnod daretur prædicabile de multis, à quatuor prædicabilibus diſtinctum, quin foret prædicabile genus.

54 Si opponeretur, quod genus habebat ſecundum ſe determinata inferiora, v. g. ſpecies, ſicuti ſpecies individua; ſicque non poſſe in ſolis individuis generis prædicationem conſervari, quia eadem inferiora non poſſunt reſpici à duplici ſuperiori diſtincto: Dicebam, nil hoc opponi; quia abſoluté non eſſent eadem inferiora; nam individua forent inferiora generis, per reſpectum ſubijcibilem generi, vt materiæ; & ſpeciei foret per reſpectum ſubijcibilem, vt toti eſſentiæ. Sic licet ſpecies infima, v.g. homo, & differentia infima, v.g. rationale, prædicent de aliquibus individuis vnius ſpeciei, ſalvantur diſtinctæ prædicationes, quia vna vt pars formalis, & altera vt tota eſſentia, prædicat: ergo à ſimili.

55 Si opponeretur etiam, quod tunc difficilé poſſet ſalvari pars materialis in animali, quia non eſſet per modum per ſe ſtantis, pluſquam rationale, cum ex ſumma neceſsitate, animal cum illo foret coniunctum: Dicebam, nequé hæc habere oppoſitionem; quia apud illos, id per ſe ſtat, quod ſuſtentat aliud, & id per modum alteri adiacentis, quod ſuſten-

tentatur in alio, veluti forma recepta in illo; ſed licet paries v. g. non poſſet non recipere albedinem, & intellectus ex neceſsitate intellectionem reciperet, ſemper ſalvaretur, quod albedo, & intellectio, eſſent per modum alteri adiacentis, & é contra paries, & intellectus: ergo. Suadebatur minor; quia licet aliquod ſubiectum non poſsit non ſuſtentare, infertur tamen, quod ſuſtentet; & ſimiliter, licet actus prædicti non poſſent non ſuſtentari, attamen ſuſtentarentur: ergo.

56 Deindé, dupliciter hæc confirmabam, ex his, quæ Doctor Subtilis innuebat in *q.* 18. *Univerſ.* Dicebam primó, quod ſecundum dicta ex Doctore in *quodlib.* citato *in lib.* 1. *diſt.* 1. *q.* 1. ſecunda intentio est modus, & prima intentio eſt ſubiectum: vnde modus prędicandi ſequitur modum eſſendi; ſed vno homine relicto, animal intrinſecé, & primó intentionaliter eſſet idem: ergo & animal ſecundó intentionaliter, ſcilicet, cum modo generis, animal modificante. Dicebam ſecundó, quod in ſola natura humana cum pluribus individuis ſalvatur, quod ſit ſpecies; ſed ſecunda intentio ſpeciei, ſine genere dari non poteſt: ergo vnica ſpecie ſic manente, maneret genus. His ita propoſitis, re nunc melius inſpecta, & iuxta Scotum radicitus examinata

57 Exiſtimo, præfatam reſolutionem amplecti non debere. Hinc enim pro parte materiali intelligi debet pars determinabilis, & contrahibilis, non autem pars præcisé minus perfecta, quia ex hoc ſequeretur, quod nullum prædicabile potiori iure, quam accidentis, foret prædicabile, vt pars materialis. Deindé, quia vel animal eſſet minus perfectum, ac riſibile, vel non eſſet? Si non eſſet: ergo cum riſibile foret inſeparabile, & non magis perfectum ac animal, non eſſet ex quo, potius animal, quàm riſibile, vt pars materialis prædicaretur. Patet, quia ad eſſe contrahibile, & determinabile per riſibile ad modum actus, non daretur in tali ſuppoſitione recurſus. Si animal eſſet minus perfectum: contra, quia in tali caſu, non poſſet animal eſſe principium metaphyſicé conſtitutivum hominis, ſiquidem nulla paſsio poteſt eſſe æqué perfecta, ac principia conſtitutiva eſſentiæ, à qua dimanant: ergo &c. Nec non confirmantur iſta ex eo, quod tunc perfectius deberet homo conſtitui per rationale, & riſibile, ſeu ex vna ex paſsionibus, quæ nunc habet. Ratio eſt; quia eſtó ſine convenientia in vna parte, v.g. in animali, ſalvent hominis quidditatem; dum ſic homo deberet conſtitui, perfectiùs conſtitueretur ex admirabili, & diſcurſivo, vel ex riſibili, & rationali, quam ex animali; perfectius enim eſſet admirari, quam ſentire.

58 Si enim nunc perfectius non inſpicitur exercitium paſsionis, derivatur vnicé ex eo, quod animal ſit diviſibile in ſpecies immediate; ex quo ipſum in linea metaphyſica eſſendi percipimus, vt quid primum, ex primis eſſentiæ quidditatibus. Ratio eſt; quia cum animal percipiatur diviſibile, & ſic indifferens; ſine indifferentia percipitur, dum prima, & perfectior eſſentiæ forma ipſum dividit, & determinat. Vnde cum in ipſo priori, in quo intelligitur determinans, inſimul intelligatur determinatum, intelligitur animal in priori, in quo prima, & perfectior quidditas intelligitur, quin aliquid prius animali intelligatur: ex quibus, etſi animal, imperfectum, vt comparatum ad rationale, videamus; inferimus tamen, quod ipſi poſsit coæquari reſpectu eſſentiæ conſtitutæ; quod non inferremus, ſi conceptum determinabilis, & contrahibilis ab animali auferremus. Rogo enim, ex quo intelligere poſſemus, quod animal, & ſic quævis materia, poſſet intelligi principium ex his, quæ in priori perfectiori intelliguntur, dum animal diſtantioribus eſſentijs ab homine ſit commune? Profecto non aliunde, quam ex ſupradictis: ergo dum illa indifferentia, & diviſibilitas ab animali auferatur, nil manet, ex quo in ipſo priori formæ conſtitutivæ percipiatur.

59 Nequé valet, quod animal adhuc prædicaretur vt pars materialis. Ratio invalidans deſumitur ex eo, quod adhuc ſuppoſito, quod animal poſſet eſſe materia, prout eſſe materiam, ſolum exprimit eſſe partem minus perfectam, nunquam ſequeretur, quod animal foret prædicabile, vt genus communiter percipitur; quia genus, vt communiter percipitur, eſt prædicabile, exprimens quid diſtinctum ab hoc conceptu *differentia*; ſed in tali caſu conceptus differentiæ deleretur: ergo & prædicabile genus, vt communiter intelligitur. Minor convincitur; quia ſi ſolus homo daretur, rationale non eſſet differentia reſpectu animalis: ergo in tali caſu conceptus differentię deleretur.

60 Dices, quod ſemper rationale ſecundum ſuam entitatem differret ab animali, & ſic ſemper foret differentia. Contra; quia hoc pacto, nõ minus foret differentia animal, cum ſecundum ſuam entitatem, etiam differret à rationali. Deinde, quia ablato conceptu gradus ſuperioris, & inferioris, non foret facilé diſtinguere entitates, cum effectus non minus diverſi, quàm tunc forent ſentire, & diſcurrere, procedant ab eodem indiviſibili intellectu,

& ab

& ab eadem indiviſibili voluntate.

61 Dices, quod ſemper animal foret prædicabile diſtinctum, ac differentia, cum hæc prædicabilis foret vt pars formalis. Do, quod in tali caſu poſſet ſalvari conceptus partis formalis; adhuc ſemper eſt invicta difficultas, quia etſi rationale foret prædicabile vt pars formalis, exprimens conceptum eſſendi partem perfectam, & animal conceptum eſſendi partem imperfectam; ſed tamen conceptum differentiæ, neutrum exprimeret, cum vtrumque foret in linea æquali, & quodlibet æqué inter ſe differret, cum non minus imperfectum differret à perfecto, quam é contra; ſicque forent diſtincta prædicabilia, penès perfectum, & imperfectum; ſed ita, quod conceptus prædicabilis, vt differentia, vel vnicuique conveniret, vel nulli, ſed foret in vtroque præcisſus.

62 Dices, quod ſemper conceptus differentiæ, vt exprimitur, competeret parti formali, ſiquidem de facto pars formalis ſolum in differentia invenitur, ſicuti pars materialis in genere. Profectó mirabilia ſunt iſta; ſed é medio petunt principium. Verum enim eſt, quod in genere invenitur pars materialis; invenitur tamen, quia adeſt diviſibilitas in differentias, ſeu in partes, quæ à fortiori, vt ſint dividentes, requirunt eſſe actus, & formæ, quia indifferens non poteſt dividi, & reſolvi per aliud, quod in eadem linea ſit indifferens, & ſic requirit entitatem, per modum actus dividentem, informantem, & differentem. Vnde cognoſces tranſitum prædicta opinantium. Concipiunt enim animal, quod eſt nunc, in quo, cum ex indifferentia, & diviſibilitate ad formas, relinquatur perfectibilitas, & conceptus materiæ, ſumunt deinde hunc conceptum materiæ, & auferentes ab animali indifferentiam, quæ ipſi intrinſeca eſt, non minus quam materialitas, cum in ſuo conceptu ſemper relinquant animal, quod in re iam non relinquitur, intendunt, & cogitant, quod animal ſemper erit pars materialis, cum videatur ab ipſis, quod ſemper eſt animal. Itaque dico, quod adhuc dato, quod in animali, quod nunc eſt genus, ſemper inveniatur pars materialis, non tamen invenietur illa pars materialis, quæ ſolum ex ſuppoſitione in animali inveniretur.

63 Quare, deveniendo ad vltimum, ex quo in favorem contrariæ opinionis intentum confirmabam, ſentio, quod ſecundum ſupra ſtabilitam doctrinam Scoti, nullius roboris illam confirmationem eſſe. Ratio eſt; quia ſi ſolus homo ita maneret, quod vndequaqué quælibet alia ſpecies repugnaret, in tali caſu animal primó intentionaliter acceptum, non foret animal. Fundamentum vnicum rationis ſiſtit in hoc, quod animali de facto exiſtenti, vt primó intentionaliter conſiderato, non repugnent ſecundum ſe aliæ ſpecies animalis; ſed in caſu prædictæ ſuppoſitionis, animali ſecũdum ſe, aliæ ſpecies repugnarent: ergo non eſſet primó intentionaliter, & ſecundum ſe, idem animal. Maior eſt evidens in tot animalis ſpeciebus. Minor ſupponitur, & ſupponi debet; quia ſi animali, ſaltim ſecundum ſe, aliæ ſpecies non poſſent non repugnare, nunquam poterat dari caſus, in quo animal haberet eſſe partem materialem, quin animal haberet eſſe diviſibile in alias ſpecies; quæ eſt irrefragabilis opinio Scoti. Conſequentia pari curſu deducitur; quia ſi vnitati formali naturæ humanæ repugnaret ſecundum ſe, dividi in plures vnitates numericas, non foret eadem vnitas formalis, ſed foret numerica: ergo ſi animali ſecundum ſe repugnaret dividi in naturas ſpecificas, non foret idem ens, cum non foret idem vnum, ſed foret vnum in ſpecie, & eius natura foret ſpecifica; non minus ac in antecedenti, ſpecifica foret numerica. Nota hanc vltimam paritatem, vt contrarium tranſitum percipias. Currunt enim æqualiter.

64 Ad ſecundam rationem, in vltimo confirmationis poſitam, ſatisfacit Scotus in *q. 18. Vniverſ.* dicendo, verum eſſe, quod ex ſuppoſitione, quod vnica ſpecies à parte rei exiſteret, adhuc animal v. g. denominaretur genus; denominaretur tamen genus, quia adhuc dum conciperetur, minus haberet de intellectu, quam ſpecies, foret ſiquidem minus vnum, cum foret magis diviſibile; nunquam ſiquidem poſſet ab ipſo tolli, quod ipſi de ſe non repugnaret dividi in plura, quam ſpecies. Vnde ad propoſitum ait Scotus, non poſſe concipi rationem ſpeciei, quin in tali intellectu poſſit præcedere conceptus generis. Itaque dico breviter, quod in caſu, in quo vnica daretur ſpecies, debebat dari genus; quin à priori deduceretur ab ſpecie, ſed quia debebat dari ens, cui in ſpecies dividi, ſaltim de ſe, non repugnaret, Aliter enim ſuppoſitio repugnat per locum intrinſecum, quia vt pauló ante dicebam, non foret idem animal, nequé idem homo, ſi talis communitas, & intrinſeca convenientia, ab animali tollatur. Addo, quod feré omnes eſſentiæ variarentur, animali vt ſupra non intellecto, & in eſſentijs mutatio, intrinſecé ex Philoſopho, & ex ratione repugnat.

***

QVÆS

Digitized by Google

QUÆSTIO. IV.

Quænam individua habeat genus immediatè.

65 PRo quæſtionis intelligentia, duplex aſsignatur individuum; inadæquatum, & incompletum vnũ; adæquatum, & completum aliud. Inadæquatum, ſeu incompletum dicitur illud, quod ſolum dicit vnam partem eſſentiæ, v. g. hoc animal, vel hoc rationale. Adæquatum, & completum dicitur illud, quod totam eſſentiam explicat, v. g. hic homo, hic Leo &c. Dicitur adæquatum, & completum, quia eſſentia formaliter completa, & adæquata ſiſtit in materia, & forma, quas cum exambiat prædictum individuum, v. g. hic homo, ideo individuum completum, & adæquatum dicitur. E contra individuum, partem vltra ponendam relinquens, incompletum, & inadæquatum nominatur. Difficultas igitur ſtat in reſolvẽdo, an genus, v. g animal, mediaté, vel immediaté de prædictis individuis dicatur.

66 Reſolvo 1. quod genus de individuo completo non prædicatur immediaté. Ita expreſsé Scotus in. *q. 17. Vniverſ. §. ad oppoſitum eſt Porphyrius*, vbi ait, *quod ſpecies prædicatur immediatè de differentibus numero; genus vero non, quia mediante ſpecie.* Eſt etiam Veterum cum Doctore Reſoluto apud Diony. in *lib. 3. diſt. 7. q. 1. art. 6.* Suadetur ex ipſa litera Scoti; quia inter genus, & individuum mediat ſpecies: ergo de individuo non prædicatur immediaté. Prob. antecedens; quia id mediat prædicabiliter, cuius notio pręrequiritur, vt prædicatio exerceatur; ſed vt animal prædicetur de Petro, prærequiritur, quod cognoſcatur eſſentia ſpecifica hominis in illo: ergo. Maior eſt certa. Minor ſuadetur; quia quod Petrus ſit animal, poteſt à priori probari ex eo, quod ſit homo; ſed dum aliquid ſic probetur, requiritur, quod medium à priori præhabeatur: ergo cum medium ſit ſpecies, vt animal prædicetur de Petro, prærequiritur, quod cognoſcatur eſſentia ſpecifica hominis in illo. Videntur deduci ex eo, quod medium probationis ſit ſpecies: ergo ſpecies eſt *medium*, ſeu medians inter animal, & Petrum.

67 Dices, & forſan bene, quod ſi animal prædicatur de Petro, non eſt, quia Petrus ſit homo, ſed quia eſt vivẽs ſentiens; quod præcisé non eſt homo; aliàs, ſi animal diceretur de Petro, quia homo, animal non diceretur de Leone, cum Leo homo non ſit. Sed contra; quia hinc inſtat difficultas in animali, vt dicto de individuo completo; ſed dum animal non diceretur de Petro, quia homo, de individuo cõpleto nõ diceretur animal, & ſic non de Petro, ſed de hoc viventi præciſo: ergo vt de Petro dicatur animal, requiritur, quod de ipſo dicatur, quia homo. Deinde, quia etiam eſſe vivẽs ſentiẽs prærequirit in Petro idẽ mediũ, cũ cauſalis poſita in vivẽti ſentienti, pruut in Petro, poſsit à priori de Petro probari per ſpeciẽ: ergo nõ eſt immediata; aliàs nullo probaretur, ſicuti non probatur per ſe nota, quia à primo intuitu immediata ſubiecto. Deinde, ſuaderi poteſt ex eo, quod verum ſit, rationale complere animal; eſt enim actus metaphyſicé ipſum determinans, & perficiens; Petrus veró, ſeu actus numericus, complet rationale, quod complet animal, ita vt rationale compleat non vltimó, & ſingularitas vltimó compleat: ergo cum nõ vltimum ſit cuilibet ſubiecto immediatius, quã vltimum, reſpectu animalis immediatius erit complementum ſpeciei, quod non eſt vltimũ, quam complementum individui, quod eſt vltimum. Quod ſpecies compleat genus, patet, cum genus ſit diviſibile, & in potentia ad illã. Quod non compleat vltimó, ſuadetur ex eo, quod actus vnitatis numericæ ſuperflueret. Quod inter ſubiectum, & vltimum gradum debeat non vltimus ſupponi, dum detur, adhuc ex gradibus materialibus Scalæ convincitur: ergo vt genus ad individuum completum deſcendat, requiretur, quod per gradum non vltimum ſpeciei, prius, & immediatius pertranſeat.

68 Suaderi poteſt aliter ex eo, quod minus inferius immediatius ſit ſuperiori, quam ſit magis inferius; ſed reſpectu generis, quod eſt ſuperius, minus inferior eſt ſpecies, quam individuum: ergo generi, immediatior individuo, eſt ſpecies. Maior videtur fundamẽtum, arborem ſubſtantiæ ſuſtentans. Deinde ratione ſuadetur; quia quod reſpectu alicuius eſt ita inferius, quod adhuc aliud inferius ſe habeat, non ſic diſtat, ac aliud ipſo inferius diſtat; quia ſi æqué vicina forent iuxta omnem rationem, & æqué infima iuxta illam. Minor ſuadetur; quia illud eſt minus inferius, quod eſt magis ſuperius; ſed ſpecies eſt individuo ſuperior, (dato quod ſuperius ſit individuum) cum ipſi omnia ſubijciantur: ergo.

69 Contra ſtabilitam reſolutionem duo proponam media, in quibus ſiſtebam aliquando. Primum ſic formatur: Petrus eſt individuũ completum; ſed de Petro immediaté prædicatur animal: ergo. Prob. minor; quia inter Petrum, & animal nil mediat: ergo. Prob. ante-

antecedens; quia inter rationale, & Petrum nil mediat: ergo nequé inter Petrum, & animal. Prob. antecedens; quia rationale eſt in eadem linea cum homine; à differentia enim ſpecifica incipit ſpecies. Prob. deinde conſequentia; quia ad eſſentiam ſpecificam conſtituendam, rationale non ſufficit, ſed requiritur animal conſortians rationale: ergo cum animal æqué compars ſit reſpectu lineæ ſpecificæ, ſi inter rationale, & Petrum nil mediat, nequé mediabit inter Petrum, & animal.

70 Secundum medium ſic formatur: intimitas videtur deſumi ex parte idemptitatis, ſicuti diſtantia ex parte ſeparationis; ſed animal, & homo æqué idemptificantur cum Petro, ſicut & æqué diſtinguuntur: ergo æqué diſtant, & intimantur. Minor ſuadetur; quia ſi homo realiter idemptificatur cum Petro, & animal: ſi animal ex natura rei diſtinguitur à Petro, & homo: ſi animal ſecundum ſe non dicit magis hominem, quam Leonem, neque homo ſecundum ſe dicit magis Petrum, quam Paulum. Deinde, vna idemptitas realis non eſt magis idemptificans, quam alia: ergo &c.

71 Hoc argumẽtum duplici præfato medio formatum, plura excitat, quorum exactũ examen in *Diſtinc.* de prædicationibus exhibebitur. Reſpondeo tamen pro nunc ad primum medium, concedendo maiorem, & negando minorem vſque adhuc. Ad probationem min. reſpondeo negando antecedens. Ad probationem antecedentis, adhuc permiſſo antecedenti, negatur conſequentia. Ad probationem antecedentis reſpondeo dicendo, quod in ſenſu infra explicando, non eſt in eadem linea. Ad probationẽ conſequentiæ, concedo antecedens, & ſervatis ſervandis, admitto conſequentiam. Itaque dico, quod rationale, & ſic quævis differentia ſpecifica, vt comparata ad individua completa, etiam prædicatur mediaté, vtpote mediante ſpecie; quia rationale v.g. prædicatur de Petro, tanquam pars formalis naturæ humanæ: ergo prædicatur de Petro media natura humana, quæ eſt in Petro. Quare notavi, quod rationale in ſenſu infra explicando, non erat in eadem linea cum homine. Non enim videtur eſſe in eadem linea cum homine reſpectu ſubiecti, ſcilicet, individui completi, quoad hoc, quod eſt veritatẽ intentionalem induci, ſiquidem vt veritas alicuius partis probetur de ſubiecto, nullum medium videtur exactius, quam illud, per quod *de omni dicitur*, ita vt ſit terminus veram faciens cuiuſcunque partis aſſeverationem. Ratio congrué ſuadens, poteſt adaptari ex eo, quod virtus vnita fortior &c. ergo cum virtus intentionalis ſit vnita in ſpecie, hæc ſola erit per ſe nota, & medium, vt reliqua fortiùs, & certiùs dicantur per ipſam. Hoc enim modo, non eſt rationale in eadem linea ac homo; rationale, inquam, vt concipitur ab alia parte præciſum; quia ſi concipiatur vt compars animalis, metaphyſicé vtraque hominem conſtituens, tunc non ſolum rationale, ſed & animal erit in eadem linea cum homine.

72 Sed adhuc permiſſo ſecundo antecenti, vt reſpondendo in forma permiſi, & ſic dato, quod inter rationale, & Petrum nil mediet, negandum ſentio ſemper, quod nequé ſic mediet inter animal, & Petrum; quorum intelligentia expedietur ſtatim in ſolutione ſecundi medii, cui reſpondeo concedendo maiorem vſque adhuc, & diſtinguendo minorem: animal, & homo æqué idemptificantur cum Petro, vt animal percipitur vt genus, & vt totum in potentia reſpectu hominis, & aliarum ſpecierum ab ipſo, negatur, vt animal percipitur vt pars actualis metaphyſicé hominis conſtitutiva, ita vt pars hominis determinaté ſit, & concipiatur, conceditur; & ſimiliter diſtinguitur conſequens: æque diſtant, & intimantur, vt animal ſumitur vt genus, indeterminaté, & in potentia neutra ad ſpecies, eſt falſum; vt animal ſumitur vt pars actualis, & determinata, tranſeat. Ex quibus facilé ad reliqua adaptari poteſt ſolutio.

73 Itaque dico, quod animal poteſt conſiderari vt pars, actù, & determinaté hominem conſtituens, & vt totum, hominem ſolum in potentia indeterminata continens. Si enim animal conſideretur vt genus, & vt quid indeterminatum, certum videtur, quod tunc inter Petrum, & animal mediet homo, quia vt animal deſcendat ad Petrum, requiritur, quod prius deſcendiſſe ad hominem intelligatur. Unde, etſi animal deinceps vſque ad Petrum deſcendat, & cum ipſo idemptificatũ maneat, ſed tamen cum ad Petrum non deſcenderet, niſi quia ad Petrum deſcendit homo, ad quem deſcendit animal, ſemper deducitur, quod cauſaliter mediet homo inter Petrum, & animal; nec non, quod magis idẽptificatus ſit homo, quam animal cum genere, cum prædicatum non idemptificaretur Petro, ſi Petro non idemptificaretur ſpecies: ergo idemptitas generici cum Petro, dependet ab idemptitate ſpecifici cum ipſo. Sin autem animal aliter concipiatur, tunc non erit ſuperius, nec vt genus, cum vt pars, & principium actù informatum cum ipſo toto, converteretur. Quare dixi, quod animal plus diſtabat à Petro, quam homo, ſumpto animali vt ſupra. Ratio eſt; quia

ho-

homini de ſe, ſolum non eſſe in Petro non repugnat; at autem animali ſecundum ſe, non ſolum non repugnat non eſſe in Petro, ſed nequé eſſe in homine: ergo ſi animal vt genus, & homo vt ſpecies, conſiderentur reſpectu individui, magis diſtat animal à Petro, quam diſtet homo, & hæc diſtantia eſt à parte rei, cum mediatur ex non repugnantijs ipſis ſecundum ipſa competentibus. Vnde poteſt dici, quod ſaltim negatiuè à parte rei, non ſic idemptificatur animal, in quantum idemptificatur homo. Ratio eſt; quia homini ſolum de ſe non repugnat, non habere vnitatem, & formam individuam Petri; at autem animali, nō ſolum non repugnat non habere individua Petri, ſed neque ei repugnat, Petri ſpecifica non habere: ergo ſaltim negativé, minus idem eſt genericum cum individuo, quam cum ipſo ſit ſpecificum; ſed ad hoc vt vnum prædicatum intentionaliter mediet, ſufficit, vt diximus diffuſé, quod *ſecundum ſe* magis, vel minus diſtet, cum ex idemptitate negativa poſsit excitari regula prædicationum: ergo.

74 Denique, cui hæc facilé intelligibilia non fiant, poterit in omni caſu difficultatis, ſiſtere in hoc, quod licet quomodocunque, non minus animal, quam homo, idem ſit Petro, ſed tamen quoad vnire intentionaliter, & prædicationes exercere, idemptitas vnius eſt immediatior idemptitate alterius. Ratio eſt; quia ad hoc vt immediatior ſit idemptitas intentionalis, ſeu exercitium prædicationis, ſufficit, quod cognitio vnius requirat vt medium, cognitionem alterius; & vt animal prædicetur de individuo completo, requiritur cognitio ſpeciei in individuo. Nec valet, quod ſunt immediata quoad eſſe idemptificata in Petro; quia etiam intellectus, & voluntas ſunt quoad idemptitatem æqué vicina animæ, non tamen quoad exerceri, & intentionaliter operari, cum vt voluntas exerceatur, prærequiratur vt medium, exercitium intellectivum.

75 Circa ſecundum, an ſcilicet, de individuis incompletis, animal v.g. immediaté poſsit prædicari? reſolvi poteſt pars affirmativa, etſi non multum incliner. Ei favere videtur Scotus in *1. d. 3. q. 6. Verſ. Item vltimo, & in d. 8. q. 3. & in 4. d. 8. q. 2.* Ratio, ex qua melius reſolutio propugnari poteſt, eſt illa de animali à longe viſo, cuius, intellectus affirmat quod ſit animal, quin mediante cognitione ſpeciei id affirmet; tum, quia ſpeciei non habet cognitionem; tum, quia affirmatio animalis derivatur ex ſenſibili motu, qui puré animalis eſt: ergo cum in affirmatione animalis de Petro, nil poſsit mediare niſi cognitio ſpeciei, & huius cognitio non mediet, poterit dari caſus, in quo, nullius mediante cognitione, animal affirmetur de incompleto individuo. Aliæ ſolent excogitari rationes, ſed nulla robuſtior iſta; tum, quia omnes, vel ab iſta moventur, vel in iſta deinceps qui eſcunt; tum, quia iſta ſenſibilem habet experientiam. Sed ſicuti præſentem rationem dumtaxat exiſtimo fortem, ſimiliter duo dumtaxat contra illam ſunt mihi non minus robuſta.

76 Contra propoſitam reſolutionē dices primò, inconſequentē eſſe ex duobus motivis. Primū ex eo, quod in prima reſolutione diximus, quod de individuis cōpletis non poterat affirmari animal, niſi mediante cognitione ſpeciei, quod videtur inconſequens; quia vel animal habet in ſe aliquid, ex quo excitet ad immediatam aſſeverationem ſui in aliquo ſubiecto, vel non habet? Si non habet: impoſsibilis erit aſſeveratio animalis reſpectu cuiuſcunque individui, ſive completi, ſive incompleti, niſi mediante cognitione alicuius quidditatis ab animali diſtincta. Si habet: ergo cum ea, quæ animal ſecundum ſe habet, habere poſſit inquocunque, in quo ſit animal, non repugnabit, quod cognito animali in individuo completo, animal aſſeveretur immediaté de illo, quin tametſi cognoſcatur ſpecies, eius cognitio, vt medium requiratur. Secundum motivum excitatur ex eo, quod ratio reſolutioni vnicé favens, inconſequenter probet; quia ſi vt de illo individuo, quod à longe moveri videmus, affirmamus, quod ſit animal, quia motum percipimus, infertur, quod inter individuum, & animal mediat cognitio motus; ſed ex eo, quod inter Petrum, & animal mediaret cognitio ſpeciei, animal mediaté aſſeverabatur de Petro: ergo & ex eo, quod inter individuum incompletum, & animal mediet cognitio motus, animal mediaté aſſeverabitur de illo.

77 Reſponderi poteſt, dicendo ad primum, quod licet aliqua entia in ſe habeant quoad ſui aſſeverationem reſpectu alicuius ſubiecti, id ſecundum quod immediaté cognoſcantur, & dicantur de illo ſubiecto; ſed tamen dum ſubiectum diſtinguatur, & modus aſſeverandi poterit diſtingui, cum entia ſub diverſis modis ſint cognoſcibilia, & ſub modo, ſub quo aliquid aſſeveratur de vno ſubiecto, non debeat illud aſſeverari

de alio ſubiecto, quod ſit diſtincto modo ſubiectum. Vnde, etſi animal poſsit de ſubiecto incompleto aſſeverari immediato modo, ſin autem ſub ipſo immediato modo aſſeverabitur animal, dum ſubiectum, de quo eſt aſſeverandum, ſit individuum completum. Suadetur; quia id, de quo immediatè aſſeveratur animal, eſt ſubiectum incompletum, ſeu non completum, & id de quo deinceps aſſeveratur, eſt ſubiectum completum: ergo cum completum ſit poſt incompletum, dum animalis aſſeveratio immediata ſit incompleto, deducitur, quod non ſic immediata erit illi, quod eſt poſt illud, de quo immediatè aſſeverabatur animal.

78 Quod enim eadem indiviſibilis formalitas ſub diverſis principijs, & ſubiectis poſſit ſub diverſis modis aſſeverari, & attingi, ſuadetur primò in formalitate entis, imò & in ipſa formalitate veri, quæ reſpectu intellectus eſt attingibilis vt vera, & reſpectu voluntatis vt bona, ita vt reſpectu voluntatis, quæ eſt poſt intellectum, verum attingatur mediante bonitatis modo, etſi nullo mediante attingatur reſpectu intellectus prioris ad voluntatem. Suadetur etiam in fine ſub fine, qui immediatè attingitur ſub vna conſideratione, & per medium ſub alia. Similiter ſuadetur ratione ſubiecti, in quantitate formæ materialis, quæ ſi conſideretur in ſubiecto incompleto, nempe reſpectu formæ inexiſtentis in materia, tunc immediatam eſſe illi ſubiecto aſſeverabitur; ſi veró conſideretur reſpectu ſubiecti formæ completi, ſolum mediatè ſubiecto illi ineſſe dicetur: ergo à ſimili reſpectu animalis, vt conſiderati reſpectu ſubiecti incompleti, & vt conſiderati reſpectu ſubiecti adæquati, & completi.

79 Deinde, directè reſpondendo argumento, dico, quod etſi animal in Petro, poſſet ſine motione ſpeciei affirmari de Petro, vt dum quis etiam Petrum moveri videret, ſed tamen ſunt in tali caſu duo notanda. Primum, quod etſi cognita ſpecie in Petro, tamen ipſum eſſe animal, propter motum intenderet affirmare, tunc Petrus reſpectu illius affirmationis non ſupponeret pro individuo completo, ſed vt individuum incompletum (de quo eſt quæſtio) reputaretur, & præciſivè intenderetur à ſic animal affirmante de illo. Secundum, notandum eſt, quod in tali caſu, animal non affirmaretur de Petro vt quid genericum, quia ſic erat imperceptibile, quod prius quam ad Petrum, non deſcenderet ad ſpeciem, animalis cognitio, ita vt mediante ſpeciei cognitione, ipſum in Petro cognoſcere deberet. Sin autem de individuo incompleto affirmatur immediatè, oritur ex eo, quod tunc animal ſub modo ſpeciei cognoſcatur, ex quo modo habet immediatè aſſeverari poſſe de alio. Sic dum deficit ſubſtantia, ſub modo ſubiecti cognoſcitur quantitas, quæ ſub tali modo, & perſeitate non cognoſceretur, ſi ſubiectum in proprietate adeſſet. Sic pariter eſt diſcurrendum, dum ſpecies abeſt.

80 Reſpondendo ad ſecundum medium, dico, veriſsimum eſſe totum ſyllogiſmum; nego tamen inconſequentiam intentam ex eius probatione. Signo rationem in hoc, quod dum nos diſputamus, an de individuo poſsit aliquod genericum, vel ſpecificum affirmari immediata aſſeveratione, intendimus alloqui de illis prædicatis, quæ intrinſecè, & in recto ſunt dicibilia de ſubiecto; de his ergo immediationem, tam in aſſeverando, quam in ſimpliciter cognoſcendo diſputamus; non autem diſputare intendimus de illis effectibus, qui ſubiectis ſunt accidentales, vt motus, riſus, diſcurſus &c. quia ab iſtis, ſolum à poſteriori formatur aſſeveratio erga ſubiecta, excitando intellectum, vt circa prædicata eſſentialia, & à priori, formet aſſeverationem, ita vt difficultas ſit, quænam prædicata ex his, quæ de ſubiecto valent affirmari, affirmentur immediatiùs de illo. Aliter enim, nulla hinc foret reſolutio, cum ſic, nequè ſpecies poſſet immediatè affirmari de individuo, ſiquidem, vel per riſum, vel per diſcurſum, ad principia pœ ſe ſpecifica debebamus, ſaltim pro nunc, intelligibiliter devenire. Vndè ſimiliter poterat argui, quod ad cognitionem motus, præibat exercitium viſus, & aliorum ſenſuum, quibus mediantibus, gradatim formalizatur actus intellectivus. Itaque reſpondendo directè, dico, quod cognitio motus, mediat in linea diſpoſitiva, cognitio verò ſpeciei, in linea formali. Vbi nota, quod licet diſpoſitiones medient ad formam, huic non impediunt eſſe ſubiecto immediatam: ergo à ſimili. Aliqua excitantur prædictis concernentia, quorum, etſi breviter, quæſtione ſequenti expedietur notitia, *in dubitat.* 4.

QUÆSTIO V.

Aliquas dubitationes reſolvens.

81 DUbitabis 1. an de genere detur ſcientia? Reſpondetur affirmativé cum Scoto, & ſuadetur ex ipſo in *q.* 17. *Vniverſ.* quia de

de omni illo poteſt dari ſcientia, de quo cognoſcatur, poſſe eſſe ſubiectum demonſtrationis; ſed de genere percipitur, quod ſubiectum demonſtrationis poſsit eſſe: ergo. Suadetur minor; quia illud poteſt cognoſci ſubiectum eſſe demonſtrationis, de quo ſupponitur, *quod eſt, & quia eſt*, habens propriam definitionem, quæ ad demonſtrationem eſt medium potiſsimum; ſed vt conſtat ex prima, & ſecunda quæſtione, illa omnia habet genus: ergo. Notat tamen ibi Scotus, quod nullum ex prædicabilibus erit demonſtrabile, niſi ſub ſpeciei modo, quod ſuadet ex nunc poſita ratione, ſcilicet, quod oportet, quod de ſubiecto demonſtrationis ſupponatur, *quod eſt, & quia eſt*, quod non poteſt ſupponi de vllo ſub modo ſpeciei non ſuppoſito. Vndé reſolvit Scotus, quod etiam proprium ſub modo ſpeciei erit demonſtrationis ſubiectum.

82 Dubitab. 2. an genus ſit alijs prædicabilibus vniverſalius? Huic dubitationi, etſi breviter, ſufficienter ſatisfacit Scotus, dicendo *in q. 8. Vniverſ.* quod genus, etſi vniverſaliori primæ intentioni videatur applicari, & adiungi, ex hoc tamen non debet dici magis vniverſale, ſed ſolum poterit, quodam modo, dici maius vniverſale, eo quod extendatur ad plura. Sic, ait Scotus, quaternarius eſt maior numerus binario, non veró magis; ſicuti etiam vna ſpecies ſpecialiſsima non dicitur magis ſpecies, tametſi plura ſub ſe habeat contenta.

83 Dubitab. 3. an genus reſpiciat omnia genera ſub modo ſpeciei infimæ? Reſpondetur affirmativé cum Scoto in *quæſt. 14. Vniverſ.* videantur expedita de hoc in *quæſt. 1.* huius *diſt* præcipué in §. *Deinde conſiderat Scotus* &c. Sic deindé Scotus in *q. 17. Vniverſ. §. ad quæſtionem dicendum*, vbi non ſuſtinet ſolutionem aliquorum dicentium, quod genus non prædicetur de pluribus numero differentibus niſi per accidẽs, eo quod idem poſsit genus, & ſpecies *ſecundum extraneam rationem*. Suaderi poteſt ex eo, quod ſi ex aliquo motivo ſecunda intentio generis non foret ſpecies, reliquas notiones generis concernens, vt numero diſtinctas, maximé, quia primæ intentiones eſſent ſpecie, & genere diverſæ, v. g. ſubſtantia, accidens, &c; ſed hoc motivum vincitur à ſecunda intentione generis: ergo. Suadetur facilé minor ex eo, quod licet ſubſtantia, accidens, &c. ſint genere primò intentionali diſtincta, hoc tamen nil impediat, vt omnia genera ſubſint ſecundæ intentioni generis definitæ, ita vt ſub eadem generis intentione explicentur omnia, quin prædictæ generis intentioni poſsit addi differentia ſecundó intentionalis ſpecifica, nec ſpecies intentionales dividi; aliàs foret imperceptibile, quod ſecunda intentio generis, ſub modo ſpeciei completæ foret definita: ergo illud motivum à ſecunda intentione generis vincitur.

84 Dices, quod relatio generis diſtinguitur ſpecie à relatione ſpeciei, quia illa terminatur ad inferiora ſpecie diſtincta; hæc veró ad inferiora numero diſtincta: ergo ſimiliter relatio generis ſupremi diſtinguetur à relatione generis infimi, quia illa terminatur ad plura genere diverſa; hæc veró ad plura ſpecie diverſa. Reſponderi poteſt, negando antecedens, cum genus adhuc reſpiciens individua, quæ ſpecies, derivet relationem diverſam. Diſtinguuntur itaque, quia genus prædicatur, tanquam pars materialis; non autem ſic ſpecies. Quare, cum omnia genera, hanc rationem prædicandi vt partem materialem, contrahant ita, vt eam ſecundó intentionaliter inveniant in ſpecie conſtitutam, & infimé diſtinctam, inde eſt, quod genus ſic inſpectum, ſolas differentias individuas permittat. Vndé debes ſtare in hoc, quod omne genus tam infimum, quam ſupremum, immediaté ſubijciuntur generi vt ſic, vt ſecundó intentionaliter conſiderata, quia tam immediaté eſt ſic genus vivens, quam ſubſtantia. Prædictæ reſolutioni conſentiunt etiam Bachoniſtæ, quorum non diſplicet hoc, ſcilicet, quod ſubſtantia non eſt genus ſupremum à ſecunda intentione generis, ſed à ſua prima notione, quæ ſupra ſe ſolum habet tranſcendentia; & ſic, quod alia ſint genere diſtincta, non ſumitur à ſecunda intentione ſubijcibilitatis ad genus vt ſic, ſed à prima eorum notione.

85 Dubitab. 4. an quando genus prædicatur de individuis incompletis, prædicetur ſub modo ſpeciei? Reſponderi ſolet affirmativé à reſolventibus, quod genus de individuis incompletis prædicatur immediaté, & mediaté de completis. Sic ex noſtris noviſsimé Antonius Groſſo, & ex alienis Dyoniſ. Blaſco: vterque hinc. Suaderi poteſt ex eo, quod tunc animal v.g. ſolum addat ſupra vivens ſentiẽs, differentiam individualem: ergo quia admodum ſpeciei prædicaret. Prob. antecedens; quia ſupra vivens ſentiens, ſolum addit, quod prædicans cognoſcit; ſed ſupra rationem viventis ſentientis, ſolum cognoſcit differentiam individualem, vtpote, quod individuum ſit illud, quod movetur: ergo tunc animal ſolum addit differentiam individualem.

Ad hanc rationem confluere videntur quæcunque alia, quæ in favorem reſolutionis excitantur.

86 Sed contra hæc dices, & forſan bene, quod tunc, etſi non cognoſcatur ſpecies determinata, poteſt tamen cognoſci ſpecies vt ſic; ſed hoc ſufficit, vt tunc animal prædicetur vt genus: ergo. Maior ſuadetur; quia bene compatitur, quod tunc mihi proponatur, quod illud vivens ſentiens eſt homo, vel Leo, & ſic quod eſt alicuius ſpeciei; imò videtur incompatibile, quod ſpecies vt ſic non proponatur. Minor prob. quia eſtò mihi proponatur, quod eſt alicuius ſpeciei, ſufficit, vt mihi proponatur, quod animal illud non eſt tota eſſentia, & ſic, nequé ſpecies; ſed eo ipſo, quod mihi proponatur, quod non eſt tota eſſentia, & ſic, nequé ſpecies, debet mihi proponi, quod ſolum eſt pars eſſentiæ, & ſic genus: ergo illud ſufficit, vt tunc animal non prædicetur vt genus. Maior, in qua ſiſtere poteſt difficultas, ſuadetur: quia ſi mihi proponatur, quod aliquid habet compartem intrinſecé, etſi compartem ignorem, ſufficit, vt ſciam, quod propoſitum mihi non eſt totum. Deinde, vt ego, animal eſſe genus, intelligam, non requiritur, niſi quod ſciã, dicere aptitudinem ad ſpecies, etſi rationem determinatam ſpeciei non ſciam: ergo.

87 Propter hoc argumentum, à me iam prævisō in quæſt. antecedenti, reſolvi parum propenſus, quæ ibi in concluſione, contra quam, etiam primum argumentum difficile exiſtimavi. Verumenim verò, cum vſque adhuc præfata reſolutio conformis Scoto appareat, hinc pro ſolutione argumenti, dicam quantum adipiſcar. Reſpondeo igitur, dicendo, quod maior poteſt negari, ex eo, quod poſsit percipi vivens ſentiens, quin ſit neceſſarium, quod percipiatur diſcurrens, aut irrationalizans; ſicuti enim non repugnat, quod ex parte obiecti animal ſit terminus præciſionis, ſic nec repugnabit, quod ex parte actus; imò minus repugnant nobis plura ex parte modi concipiendi: ergo etſi poſſet concipere ſpeciem vt ſic, poſſet etiam concipere vivens ſentiens, quin vllam ſpeciem conciperet: ergo cum hinc verſetur difficultas iuxta ea, quæ tunc per vnionem intentionalem exercerentur à prædicante, dum tunc ſolum vivens ſentiens, conceptum in individuo, identificet, ſufficiet, vt in virtute illius prædicationis, animal ſit in linea eſſentiæ totum, quod eſſentialiter poteſt dici de illo, vt tunc concipitur, & incompleté conſideratur. Addo hinc, eſſe nimis compatibile, quod tunc, nec ipſi proponatur genus, nec ſpecies; quia non eſt infallibile, quod mihi proponantur ea, quæ in aliquo ſunt; non enim ſemper, & quando vertimus ſenſum ad hominem, intelligimus, quod ſit prædicabilis de individuis; quod per animal differat ab Angelis; quod per eſſe creatũ à Deo, conveniat; quod habeat paſsiones à tota eſſentia dimanãtes, &c. & tamen non minus repugnat, quod hæc non ſint in homine, quam quod illud animal non ſit in ſpecie. Itaque tunc cognoſcitur, quod illud, quod movetur, eſt vivens ſentiens, & ſic cum vivens ſentiens, vt tota eſſentia cognita dicatur, dicetur ſub modo ſpeciei. Noto, quod vt ſub modo ſpeciei dicatur, non requiritur, quod ratio intentionalis ſpeciei mihi occurrat, ſufficit quod poſsit deinceps reſultare relatio: de quo *in lib. Entis intentionalis*.

88 Sed tamen, vt hæc difficultas plené eviſceretur, reſpondeo ad argumentum, concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem; ſed hoc ſufficit, vt tunc animal prædicetur vt genus, ſub aliqua conſideratione, permitto; ſub omni, nego, & ſub hac forma, & explicatione, ſtatim expedienda, reliqua argumenti diſtinguo. Dico itaque, quod etſi tunc cognoſcam, quod animal ſit illius habentis ſpeciem; ſed tamen, cum tunc, ita debiliter ſpecies influat, quod etſi non influeret eius cognitio, non minus indefectibiliter diceretur de illo animal, infertur, quod tunc, etſi aliquo modo poſsit dici genus, ſed tamen abſolutum, & independens exercitium, quod ſpecie non cognita haberet, efficit, quod in re, & abſoluté prædicetur, ac ſi genus non foret. Deinde poteſt dici, quod tunc animal, ſaltim negativé, & comparativé, non prædicaret vt genus. Explicatur, ſicut dum animal prædicatur de individuo completo, vt genus, prædicatur vt tale mediaté, quia determinaté, & diſtincté cognoſcitur ſpecies, quæ eſt medium, vt animal, ſeu genus prædicetur de Petro v.g. ergo cum dum prædicatur animal de individuo incompleto, ſic ſpecies non ſit determinativa animalitatis, nequé ſic ſit medium, vt animal prædicetur de illo, poterit dici, quod hæc prædicatio, vt comparata ad aliam, non eſt generis, ſed poterit negativé dici ſpeciei, hoc eſt, non generis abſoluté, & determinaté, vt alia; ſemper enim huic deficiet, quod ſpecies ſit à priori ratio determinativa animalitatis; imó animal foret tunc inductivum immediatum ſpeciei.

89 Tandem, qui prædicta facilé non capiat, poterit reſpondere facilimé, & forté melius, dicendo, quod hinc verſatur difficultas, de prædicatione alicuius generici reſpectu individui incompleti: vndé, ſi vigoroſé inſtetur, quod ſit imperceptibile, non eſſe genus tunc, quia per-

percipitur ibi ſpecies,dicetur in tali caſu,quod ſtrictè, & ſub omni conſideratione, non erit de individuo incompleto prædicabile. Ratio eſt; quia ſi tunc prædicatum genericum affirmetur de illo quod movetur,quia illud eſt ſpecificum,claré dignoſcitur, quod ſubiectum illius prædicationis eſt ſpecies cum individuatione,quod eſt individuum completum.

90 Dices, ita eſſe, ſed tamen id intelligi pro individuo incompleto, quod etſi habens ſpeciem percipiatur, non vero habens determinatam ſpeciem: ergo illud quod movetur, ſemper erit incompletum, cum etſi ſpecificum eſſe percipiatur habere; non vero ſpecificum eſſe,determinaté percipitur. Reſpondebis, firmiter ſtando in hoc,(in fine, reſponſionis forma ponetur) quod prout ex ſpecifico medio, illi ſubiecto ſine formidine applicaretur genericum, tunc tale ſubiectum, individuum eſſet completum. Itaque, debes nimis conſiderare, quod in animal affirmatum de illo,quod movetur,vertitur dubitatio ſub duplici modo. Sub primo modo, ita vt inquiratur, an animal, vt eſt vivens ſentiens, dicatur de incompleto? Sub ſecundo modo, ita vt inquiratur, an animal, vt dicitur,cognita,& movente ratione ſpecifica, dicatur de incompleto? In quibus modis magnam debes prævidere æquivocationem, & differentiam. Si enim animal,dictum vt vivens ſentiens de illo,quod movetur,quia præcisé movetur, dicatur; tunc prædicatur vt tota eſſentia,cum ſolum mediet cognitio motus,& ſic ſubiectum eſt incompletum. Sin autem percipiatur ſpecies vt ſic in individuo, & ſpecies vt ſic ſit medium vt ſub ſecunda intentione generis prædicetur animal, tunc individuum vt correſpondens illi rationi generis additæ, erit ſtrictè completum.

91 Signo rationem ex eo,quod etſi vt aliquid dicatur incompletum reſpectu generis exerciti, & primó intentionalis, nil obſtet, quod ſpecies vt ſic percipiatur; ſin autem, vt aliquid ſit incompletum reſpectu generis ſignati,& ſecundó intentionalis. Fundamentum rationis deducitur ex eo, quod genus ſignatum, id quod determinate requirit pro completo individuo, eſt ſpecies indeterminata, & vt ſic, ita vt concepta ſecunda intentione ſpeciei, concipiatur vltimior, & determinatior generis ſubijcibilitas in illo, & in quocunque individuo. Speciei enim ſecundó intentionalis non datur multitudo; vnica enim eſt ſecunda intentio ſpeciei, quæ pro diverſitate ſpecierum primó intentionalium, non variatur: ergo prout de aliquo individuo affirmetur aliquid ſub modo generis, quia ad id movet ratio ſpeciei, debet dici, quod ſecundum iſtum modum eſt completum, & determinatum illius affirmationis ſubiectum. Neque ad hanc completionem requiritur, quod moveatur, ſed quod quis concipiat in aliquo, genericum, & ſpecificum. Erit tamen incompletum reſpectu prædicati in actu exercito; quia etſi ſpeciei cognitio ſit medium, vt qua genericum, & ſecundó intentionale percipiatur; non tamen erit medium, vt percipiatur primó intentionaliter, cum vt ſic percipiatur, vnicum medium ſit motus, ex quo affirmata ratione viventis, & ſentientis de moventi, excitatur cognitio ſpecifici, ex qua affirmatur ratio generici. Quod enim ratio ſpeciei non ſit medium, vt vivens ſentiens dicatur de illo, ſuadetur claré ex eo, quod ſub ſecunda intentione ſpeciei non minus ſit lapis, quam homo: ergo ex ſecunda intentione ſpeciei non derivatur illius prædicati aſſenſus. Vnde noſces, quod ſolum poteſt derivari ex ſpecie primó intentionali, quæ ſit vivens ſentiens, v.g. homo, vel Leo, quæ cum non percipiantur niſi ſub ſecunda intentione ſpeciei, manet, adhuc cum cognitione ſpeciei, incompletum individuum primó intentionaliter, cum nullius primæ intentionalis ſpeciei detur, nec tunc dari poſſit cognitio. Quare, cum primó intentionaliter, totum quod dicitur ſit vivens ſentiens, inde dicitur, quod ſic, vt tota eſſentia prædicetur.

92 Si dicas, quod iam primæ intentionalis ſpeciei concipit rationem communem; dicam tibi, quod ſignes mihi vnam rationem primó intentionalem ſpeciei, omnibus ſpeciebus primó intentionalibus communem: ergo cum in illo individuo, nec poſſit ſignari ratio determinata ſpeciei primó intentionliater, nec ſecundó intentionaliter poſſit ſignari determinatior ratio ſpeciei, ſemper infertur, quod etſi ſub vna conſideratione foret incompletum; non autem ſub alia. Ex quibus in forma reſpondebis enthimemati, diſtinguendo ipſum ſub his conſiderationibus, affirmando ſub vna, & negando ſub alia, vtpote ſub ſecundo intentionali.

(.·.)

***

DIS-

DISTINCTIO II.

De Specie.

1 CUM ſpecies ſit generis correlatum, ideo poſtquam de genere egimus, de ſpecie agere decernimus. Species enim, etſi quoad entitatem indiviſibiliter conſideretur, tamen quoad modum, ſub duplici reſpectu, ſcilicet, ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis, inſpicienda proponitur, vt iuxta Porphyrium eam ſic decernit Scotus in *q. 21. Vniverſal.* Quare in præſenti *diſtinc.* vt ſubijcibilem, & vt prædicabilem, ſecundum genuinam mentem Doctoris noſtri, ſpeciem examinare intendemus. Noto hinc, quod Porphyrius in capite de ſpecie, cathegoriam, ſeu prædicamentum ſubſtantiæ ſignavit, ad inſtar cuius, cuiuſcunque alterius prædicamenti ordinatio poteſt metiri. Vnde hinc, pro vtiliori Tironum fructu, bonæ ſubſtantiæ arborem ſolent prope ſenſibiliter erigere, cuius iam abundant exemplaria.

QVÆSTIO I.

Quid ſit ſpecies ſubijcibilis, & an ſit vniverſalis?

2 CIrca primum reſolvo, ſpeciem ſubijcibilem poſſe ſic definiri: *quæ ſub aſſignato ponitur genere.* Ita Scotus ad literam in *q. 21. Vniverſ.* Plures eam admittunt, vt ſtrictam, quorum noviſſimus Dyoni. Blaſco in 3. *diſt.* 8. *q.* 2. *art.* 1. Quod prædicta definitione ſufficienter ſpecies ſubijcibilis percipiatur, ſuadetur ex aliquibus, quæ tradit Scotus ſupra. Tunc enim ſpecies vt ſubijcibilis rectè explicatur, quando per explicationem intelligitur, aliter ac vt prædicabilis; ſed aliter ſic intelligitur, explicata in ordine ad genus: ergo. Maior certa videtur, quia id pro ſubijcibili intelligimus in ſpecie, quod non intelligimus, vt prædicabile; aliàs nequè ſub vllo conceptu ſubijcibilia, & prædicabilia darentur. Minor non minus convinci videtur; quia in ordine ad genus intelligitur, vt ſubiectum; ſine tali ordine, vtpote verſus individua, intelligitur vt prædicatum; ſed quod intelligitur ſub ſecunda intentione ſubiecti, aliter intelligitur, ac quod intelligitur ſub ſecunda intentione prædicati: ergo aliter intelligitur, ſic explicata in ordine ad genus.

3 Obijcit 1. Scotus, quod Porphyrius duplicem ſpeciei in ordine ad genus ſignavit definitionem, vtpote prædictam, & hanc: *ſpecies eſt de qua genus, & in eo quod quid eſt, prædicatur*; ſed ex Ariſtot. *6. Topic.* non ſunt multæ definitiones eiuſdem, ſicut nec multæ eſſentiæ, quia ſic non eſſet definibile: ergo vel Porphyrius definivit, quod non erat definibile, tradendo duplicem definitionem, vel vna ex duabus traditis repugnat. Reſpondebis, veram eſſe minorem Ariſtotelis, formatam reſpectu definiti, quod eſt abſolutum; quia cum definitio iſtius indicet eius eſſe in ſe, eſtò talis eſſe expendatur definitio, reliquę ſuperfluunt, cum quieſcat reſpectus, ſub quo nova poſſit excitari conſideratio; ſpecies verò, cum per ſe referatur ad duo, dum vnicus reſpectus explicetur, manet vltra locus, vt ſub alio aliter expendatur.

4 Prædicta expoſitio videtur placere Scoto, prout ſpecies dicit ordinem ad ſuperius, quod eſt genus, & ad inferius, quod eſt individuum; quia cum ſub his reſpectibus, diverſis intentionibus ſpecies induatur, & diverſis definitionibus poterit expendi; quia cum ſecunda intentio ſit in recto definitum, vt diximus, dum verſus individua habeat ſpecies ſecundam intentionem prædicabilem, & verſus genus habeat ſecundam intentionem ſubijcibilem, meritò duplicem definitionem terminabit, dum vt videtur ſubeſſe duplici intentioni, duplex in recto maneat definibile. At vero, quod in ordine ad genus duplicem habeat definitionem, nempe, duas ſupra relictas, diſplicere videtur Scoto; quare inſtat ſic: ſic, ſervatis ſervandis, debet conſiderari ſpecies verſus genus, ac verſus individua, quia etſi diſtincta ſit vt ſubijcibilis, ac vt prædicabilis, ſed tamen dum vnicam habet intentionem ſubijcibilem, & vnam habet prædicabilem; ſed ſpecies ſolum vnicam habet definitionem in ordine ad individuum: ergo & vnicam ſolum debebit habere in ordine ad genus. Reſpondet igitur Scotus argumento, dicendo, vnicam ſolum eſſe definitionem ſpeciei ſubijcibilis, vtpote, exhibitam in reſolutione; ſicque de alijs eſt dicendum, quod ſolum ſunt expoſitiones illius: vnde ſi plures inveniantur, non definitiones, ſed notificationes ſunt dicendæ.

5 Obijcit 2. Scotus: per definitionem poſitam in reſolutione, ſcilicet, *quæ ſub aſſignato poni-*

ponitur genere, habetur, quod ſpecies per ſe ſit ſubijcibilis; ſed ex hoc ſequeretur, quod per ſe non foret prædicabilis: ergo. Prob. minor: oppoſita non inſunt eidem per ſe; ſed ſubijcibile, & prædicabile ſunt oppoſita: ergo ſi ſubijcibile cõveniret per ſe, ex hoc ſequeretur, quod per ſe non foret prædicabilis. Reſpondetur, quod relativé oppoſita poſſunt ineſſe eidem, ſed non reſpectu eiuſdem, cum ſolum ſic ſint oppoſita; & ſic, quod eſt prædicabile reſpectu individuorum, poterit ſine oppoſitione eſſe ſubijcibile reſpectu generis. Sed licet exhibita ſolutio, ab Scoto etiam propoſita, ſufficere videatur, tamen ſemper videtur Scoto, quod argumentum remur mutet ex illo Philoſophi 5. *Metaphyſ.* Scilicet, incompatibile eſſe, *quod idem bis relativè dicatur*, & licet reſpectu individui, & generis, quæ ſunt diverſa, eadem tamen prædicata ſpeciei bis relativé dicerentur. Quare igitur, vt vtrunque Scotus diſſolvat, notat, quod ſpecies poteſt conſiderari ſecundum ſuam primariam rationem, ſecũdum quam dicat ſua prædicata, eam in eſſe primo conſtituentia; & deinde poteſt conſiderari ſecundum rationem alicuius principij, ex quo iam conſtituta fuit intellecta; ita vt vtraque conſideratio conveniat ſpeciei de per ſe, cum vna ſit ſecundum ſuæ eſſentiæ rationem, & alia ſecundum rationem principij, à quo fuit conſtituta; non tamen ita, quod vtraque conſideratio ipſi conveniat de per ſe primó, cum eſſentiæ primó debeat convenire, dicere ſe ad eſſentiam principiorum, ipſam conſtituentium, quam ad rationem ipſi competentem ex ratione derivata à principio, ipſam iam conſtitutam relinquens. His ita.

6 Reſpondet Scotus dicendo, quod licet eidem non poſsint duo convenite per ſe primó, ſin autem per ſe; quare dum primó, & per ſe non conveniant, aufertur duorum relativorum oppoſitio: vnde ait Scotus, quod dum Philoſophus dixit, quod idem bis relativé non dicebatur, debebat intelligi, idem bis primò relativé non dici. Itaque reſolvit ſolvendo argumentum, quod etſi ſpecis referatur per ſe ad diverſa; non tamen per ſe primò; quia primo refertur ad vnum, nempé, ad genus, per ſuam rationem, at per ſe ad aliud, nempé, ad individuum, ſecundum rationem ſui generis. Relativum enim ſecundum genus, vt eſt hinc ſpecies, eſt relativum per ſe, quia includit in ſua eſſentia illud, per quod refertur. At ſpecies dicitur de per ſe, & primó ad genus, quia non dicitur ſecundum id, quod includitur, ſed ſecundum ſuam primam rationem, potiùs iam includentem, quam incluſam, ita vt eſſe primarium, ſit componi ex genere, & differentia; ex quo dimanat, quod ſic conſtituta, prædicetur, & vertatur ad inferiora: vnde reſolvit Scotus, quod primum correlativum eſt genus. Secundum autem rationem ſui generis, dicitur relativé ad illa, de quibus prædicatur; quia dici *de*, convenit ſibi in quantum eſt vniverſale; quæ ratio eſt poſterior ad rationem intrinſecam ſpeciei, cum ipſi competat, quia ſuo primo correlativo, ſcilicet, generi, competit. Ex quibus concludit Scotus, quod prima definitio, vtpote, poſita in reſolutione, eſt ſpeciei propria ſecundum ſe, quia datur per primum eius correlativum; at veró ſecunda, vtpote, quæ *in quæſt.* ſequenti dabitur per individua, eſt per poſteriùs, ſed magis ad propoſitum, cum ſit propria ſpeciei in quantum vniverſalis. Videantur dicenda *in diſt. 5. q. 2.* in ſolutione ad argumenta.

7 Obijcies 3. etiam individuum ſubijci generi: ergo alijs ab ſpecie cõvenit ſpeciei definitio. Reſponderi poteſt ex ipſa doctrina Scoti, diſtinguendo antecedens: individuum ſubijci generi, primó, & immediaté, eſt falſum; mediante ſpecie, eſt verum. Si inſtetur, quod individuum incompletum immediaté ſubijcitur generi, reſponderi debet, quod tunc non vt generi, ſed vt ſpeciei ſubijcietur. Si inſtetur, quod etiam vt generi, reſpondeatur in tali caſu, quod circa hoc adduximus *in quæſt. vltim. de Genere. dubit. vltim.*

8 Sed inſtabis contra primam ſolutionem argumenti, dicendo, quod in definitione deficit illa particula *immediatè*. Reſponderi poteſt, dicendo, non deficere, cum eo ipſo, quod ſpecies definiatur, certum debeat eſſe, quod ſi aliquod prædicatum poſsit intelligi ſub ratione prima, & immediata in definitione, ſub ipſa potius quam ſub alia debet intelligi, cum in definitionibus, prima, & immediatiora debeant explicari. Sic, ſi aliquis interrogaret, qualis ſit differentia hominis, recté ei reſponderetur, quod rationale, tametſi etiam per riſibile differat ab illis, à quibus per rationale.

9 Obijcies 4. dicendo, quod genus fuit à nobis definitum in ordine ad ſpeciem: ergo adeſt nunc circulus vitioſus, definiendo ſpeciem in ordine ad genus. Reſpondetur negando conſequentiam ex Scoto *in ſolutione primi argumenti*, vbi ait, quod ſpecies dicitur correlativé ad genus, & ideo neceſſé eſt, aliquam eius definitionem dari, in qua ponatur genus, in quibus definitionibus non eſt circulus vitioſus, eo quod ſine vitio adſit circulus in ipſis quidditatibus extremorum definitorum,

Digitized by Google

rum, vtpote, inter ſpeciem, & genus, & quodlibet debet definiri ſecundum propriæ quidditatis rationem; imó dico, quod ſine tali circulo, malé definirentur entia, quæ ſibi ad inuicem circuunt, vt videri valet in omnibus correlativis.

10 Dubitab. 1. an terminus adæquatus relationis generis ſit ſola ſpecies? Ante reſponſionem rogo, an pro termino adæquato intelligi debeat adæquatum ſimul cum primo, & immediato; an veró à primo, & immediato præciſum? Si pro termino adæquato intelligatur præcisé, quidquid generi ſubijcibile ſit, reſpondeo, quod terminus adæquatus eiuſdem in ſpecie relationis generis, poterit eſſe ſpecies, & individuum. Ratio eſt in promptu; quia id ſolū adæquat aliquid in vna linea, quod vltra ſe nulli relinquit locum; ſed ſpecies ſic terminat relationem generis, quod vltra ſe relinquat individuum ſubijcibile; & ſpecies, & individuum ſic terminant genus, quod vltra ipſa nullum quod ſubijcibile ſit, relinquant: ergo terminus adæquatus ſubijcibilitatis, non erit ſola ſpecies, ſed erit ſpecies cum individuis. Dixi etiam *eiuſdem in ſpecie relationis generis*, quia etſi mediaté genus ad individua terminetur, terminatur tamen ſecundum ſpecificam, & eſſentialem rationem generis, ac ad ſpeciem, cum terminetur ſemper vt pars materialis: ergo hæc duo ſubijcibilia, eamdem in ſpecie relationem reſpectu generis terminabunt. Deindé poteſt ſuaderi, cum ſubijcibilia hæc, non ſint in ſpecie diſtincta, imó individua non poſſunt habere aliam ſpeciem, quam ipſam, quæ eſt immediatum ſubijcibile, & tandem, né in hoc detineamus, ſi aliquis ex mediatione, & immediatione intendat contrarium, dici poterit, quod erit relatio diſtincta in ſpecie reducibili, hoc eſt, in ſpecie ſub ſpecie; non tamen in ſpecie ſtricté oppoſita, cum ea, quæ ſunt individui, ad ſpeciem reducantur.

11 Sin autem pro termino relationis intelligatur adæquatus, & primus, breviter reſpondetur dicendo, quod ſola ſpecies ſit terminus adæquatus. Ratio deducitur ex hucuſque dictis; ſi enim genus vt genus dividitur numericé, derivatur ex eo, quod ſecundum ſe divideretur ſpecificé. Deindé, ſi quis poſsit concipere ſpecierum multitudinem ſine recurſu ad cognitionem individuorum, nil conceptui generico deficeret ex his, quæ ipſi primó ineſſe concipiuntur; non autem ſic deduæere quibit conceptum genericum ex individuis, ſine recurſu ad cognitionem ſpeciei: ergo quia terminus primó ſubijcibilis, & terminans relationem generis, eſt ſpecies.

RESOLVTIO CIRCA SECVNDVM.

12 Reſolvo, ſpeciem ſubijcibilem, vt intelligitur ſub ſecunda intentione ſubijcibilitatis, non eſſe vniverſalem. Deducitur ſufficienter ex doctrinis Scoti in *quæſt. 21. Vniverſal.* Suaderi poteſt ex doctrina Scoti ſic: ſolum poteſt dici vniverſale, quod eſt prædicabile de pluribus; ſed ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis, non eſt prædicabilis: ergo neque vniverſalis. Maiorem probat Scotus in *quæſt. 27.* quia id ſolum poteſt concipi vniverſale, quod deſcendere in inferiora concipitur; ſed ſolum quod eſt de pluribus prædicabile, poteſt concipi in inferiora deſcendere: ergo ſolum poteſt dici vniverſale, quod eſt prædicabile de pluribus. Minor ſuadetur; quia ſolum poteſt eſſe prædicabilis ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis, caſu in quo aliquid, quod aſcendit, deſcendat vt aſcendit; nec non, caſu in quo aliquid reſpiciat retro, quæ reſpicit ante, prout ante reſpicit; ſpecies enim vt ſubijcibilis aſcendit, & quæ ante ipſa ſunt reſpicit; ſed videtur imperceptibile, quod aliquis deſcendat, prout aſcendit, & quod reſpiciat retro, prout reſpicit ante: Vnde phyſicé ex Philoſopho dicitur, quod non eſt eadem via aſcendentis, & deſcendentis, quia aclivis vna, & declivis alia: ergo & erit imperceptibile, quod ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis, ſit prædicabilis. Addo etiam, quod quomodocunque diſcurratur, ſi ſpecies ſubijcibilis non foret prædicabilis, eſſet impoſsibile, quod ſpecies ſubijcibilis foret vniverſalis: ergo ſemper ſalvatur, quod quomodocunque reduplicetur, ſpecies eſt vniverſalis, quia prædicabilis; ergo non quia ſubijcibilis.

13 Dicent aliqui, ſufficere ad vniverſalitatem, quod ex vi alicuius cognitionis cognoſcatur aliqua natura, à differentijs individuantibus abſtracta, & ſpecies vt ſubijcibilis, ſic abſtracta valet cognoſci. Contra; quia ad vniverſale logicum non ſolum requiritur, quod non reſpiciat inferiora, ſed quod ea reſpiciat, vel ſaltim reſpicere poſsit, vt ex eius definitione patet. Contra 2. quia dato, quod poſſet natura ſine inferioribus eſſe vniverſalis aliquomodo, non tamen in caſu, quo ipſa natura in ſe inferior ſit; quod convincitur, quia ſi vt ſit vniverſalis denudatur ab inferioribus, vt naturæ vniverſali nocivæ, magis ipſi noceret inferioritas propria, cum ſit intimior, & ſic potius deberet ab ipſa denudari: ergo. Quod in ſe ſit inferior, ſuadetur; quia ſecundum id, quod eſt, reſpicit ſuperius; aliàs ſubijcibilitas dereretur: ergo.

Di-

Digitized by Google

14 Dicent alij, quod ſpecies ſubijcibilis, v. g. homo, poteſt ſubijci animali, viventi, corpori, &c. quæ ſunt plura. Deindé, licet non ſit apta, vt prædicet, eſt tamen apta, vt paſsivé prædicetur de illis, ſeu ab illis: ergo poterit vt ſubijcibilis, eſſe vniverſalis. Contra Inprimis; quia vniverſalis aptitudo de pluribus, debet eſſe reſpectu inferiorum, immediaté eamdem naturam participantium; nec non ipſa inferiora debent equalem habere entitatem: Deinde, ſine gradibus contrahentibus eſt imperceptibilis multiplicitas; quorum neutrum haberet talis natura; quia immediaté vnicum ſolum reſpiceret: Deinde, omnes illi gradus forent difformes; & tandé ipſa nunquã foret contrahibilis, ſed individuans, & cõtrahens: ergo &c.

15 Obijcies: ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis, eſt prædicabilis de omnibus ſpeciebus ſubijcibilibus: ergo eſt vniverſalis. Reſponderi ſolet, negando antecedens, quia ſpecies ſubijcibilis, quando eſt vniverſalis, non eſt talis, vt ſubijcibilis, ſed vt prædicabilis. Inſtant tamen, & non levi apparientia; quia eo modo ſpecies eſt prædicabilis de inferioribus, quo inferiora conveniunt in ſpecie; ſed inferiora ſunt inferiora, & convenientia, prout ſunt ſpecies ſubijcibiles: ergo quia ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis, eſt prædicabilis. Hoc argumentum eſt eiuſdem apparientiæ, ac illud in prima quæſtione generis derelictum, videlicet, quod genus definitur prout eſt genus; ſed quod definitur eſt ſpecies: ergo genus vt tale, eſt ſpecies. Itaque pro ſolutione argumenti, eadem doctrina eſt notanda, ac in quæſtione generis annotatam reliquimus. In primis igitur conſideratur homo, qui denominatur ſpecies, in qua conſideratione, homo eſt res primó intentionalis, & ſpecies eſt modus ſecundò intentionalis, ſub quo intelligitur. Deindé, ſpecies poteſt conſiderari vt ſubijcibilis, vel vt prædicabilis, in qua conſideratione, ſpecies iam manet res primó intentionalis, & *ly ſubijcibilis* extat modus ſecundó intentionalis, ſub quo intelligitur ſpecies. Si deinceps conſideretur ſubijcibile, vt vniverſale, & in eſſe ſubijcibili commune reſpectu omnium inferiorum, tunc ſubijcibile erit res primó intentionalis, & reſpectus communitatis ad inferiora erit modus ſecundó intentionalis, ſub quo ſubijcibile intelligetur. In quibus debet adverti, quod ſicuti quidditas generis poteſt intelligi ſub ſecunda intentione ſpeciei, ita vt genus in quid; ſeu primó intentionale, poſsit dici ſpecies ſecundó intentionalis, ſic ſubijcibile, quod tranſit ad eſſe quid, & rés primó intentionalis, poterit ſubeſſe ſecundæ intentioni prædicabilitatis; at autem ſicuti nunquam poteſt dari caſus, in quo nec ſecunda intentio generis poſsit affirmari de ſecunda intentione ſpeciei, nec totum concretum genericum de toto concreto ſpecifico, quia natura vt dicens ſecundam intentionem genereitatis, non poteſt dici de alia, vt in recto dicente ſecundam intentionem ſpeciei; ſic nequé poterit dari caſus, in quo, nec ſubijcibile ſecundó intentionale poſſit eſſe ſecundò intentionale prædicabile, nec concretum ex natura, & ex notione ſubijcibili valeat affirmari de concreto ex natura, & ex ſecunda intentione prædicabili.

16 His ita, iuxta ſolidiorem doctrinam Scoti, expoſitis, reſpondeo argumento diſtinguendo antecedens: ſpecies ſubijcibilis, vt ſubijcibilis ſecundó intentionaliter, eſt ſecundó intentionaliter prædicabilis, negatur: ſpecies ſubijcibilis, prout ſubijcibilis non eſt ſecunda intentio, ſed tranſit ad eſſe quid, & rem primó intentionalem, conceditur, & ſimiliter conſequens intelligi debet. Itaque dico, difficultatem verſare, an ſubijcibile vt eſt ſecunda intentio, & modus rationis informans naturam, ipſam referens alteri vt ſuperiori, poſsit eſſe ſic prædicabilis, vtpote ſecunda intentio prædicabilitatis, quæ eſt modus referens naturam alijs vt inferioribus? Quod negamus; quia vt recté aiebat Scotus *in quaſt. 1. & 2. generis* expoſitus, eſt imperceptibile, quod modus dicatur de modo, nec forma de forma, quin modus transformetur in rem, & forma in ſubiectum: ergo ſi ſubijcibile, & prædicabile conſiderentur vt ſecundæ intentiones, per diverſos reſpectus informãtes naturam, erit imperceptibile, quod ſic, ſubijcibile ſit prædicabile, nec é contra, quin ſubijcibile v. g. deperdat eſſe ſecundam intentionem, quo deperdito ceſſat difficultas, cum hæc inquiratur de ſubijcibili, & prædicabili ſecundum eſſe notionum.

17 Ex quibus ad inſtantiam adaptari poteſt ſolutio. Reſpondeo igitur diſtinguendo maiorem: eo modo ſpecies eſt prędicabilis, quo inferiora conveniunt in ſpecie, eo modo eſt prædicabilis, ſubijcibile, quod eſt res, concedo; ſubijcibile, quod eſt modus, nego. Vel ſic: in actu exercito, conceditur; in actu ſignato, negatur. Deindé diſtinguo minorem: inferiora conveniũt in ſpecie ſubijcibili, quę eſt res, prout ſunt ſpecies ſubijcibiles, quæ ſunt res, conceditur; alio modo, negatur, & ſic vſque ad vltimum eſt deveniendum. Itaque dico, quod dum ſpecies ſubijcibilis percipitur vt inferioribus communicabilis, tunc iam ſpecies ſubijcibilis eſt res metaphyſicé, vel phyſicé vniverſalis, quę ſit logicé vniverſalis, & communis per ſecundã

intentionem prædicabilitatis, connotantem in obliquo naturam primó intentionaliter ſubijcibilem, & ſic phyſicé communicabilem. Hæc notentur, quia ſine notæ magna præſentia, facilimé quilibet confunderetur, vt in quæſtione de genere annotavi.

18 Obijcies 2. ſpecies vt ſubijcibilis reſpicit ſuperius; ſed hoc reſpicit inferius: ergo iam ſpecies reſpiciet id, quod inferiora reſpicit, ac per conſequens, ſaltim mediaté habebit inferiora, quod ſufficit, vt ſit vniverſalis. Inſto argumentum in forma, quæ appetit materiam appetentem formam formæ illius deſtructivam: ergo forma ſuam deſtructionem appetit conſequenter. Reſpondeo breviter concedendo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens: mediaté habebit inferiora diſparaté, & inſubordinaté, tranſeat; ſubordinaté, & intra lineam, intra quam immediaté reſpicit ſuperius, negatur. Itaque dico, quod mediatio poteſt aliquid conſtituere vniverſale, quando etſi mediaté reſpiciat inferiora, ſit mediatio eiuſdem in ſpecie gradus, v. g. quando genus mediaté reſpicit individua, quæ etſi mediaté reſpiciat, illa tamen reſpicit per gradus conſimiles, & ſubordinatos, cum ſemper per omnes gradus deſcendat; at autem non ſic ſpecies ſubijcibilis, cum reſpiciat ſuperius per gradum aſcendendi, & ſuperius per gradus deſcendendi inferiora reſpiciat.

19 Dubitab. an ſaltim ſpecificativé omnis ſpecies ſubijcibilis ſit prædicabilis, & é contra? Quoad primum, affirmativé debet reſponderi, cum nulla ſpecies ſubijciatur ſuperiori, quæ inferiora non habeat: ergo omnis ſpecies ſubijcibilis erit prædicabilis. Antecedens certó ſuadetur, quia ſi aliqua ſpecies ſubijcibilis poſſet dubitari ſine inferioribus, foret infima, & hæc inferora habet: ergo &c. Quoad vltimum, ſi ſtricté loquendum non ſit, exiſtimo poſſe reſponderi negativé; quia ens abſtractum ab omnibus entis ſpeciebus, eſt prædicabilis ſpecies; ſed vt ex ſe conſtat, nullum eſt, cui ſubijci poſsit: ergo. Dixi ſi ſtricté non ſit loquendum, cum ſic, difficilé gradus ſpecificus de ente ſuadeatur. Vndé exiſtimo, quod ſtricté loquetur melius, cum ſic deſinant res ſub proportione, qua incipiunt. Datur enim quoddam ſubijcibile, quod non eſt ſpecies, videlicet, individuum, quod eſt vltimum: ergo & videtur dari quoddam prędicabile, quod non ſit ſpecies, videlicet, ens, quod eſt primum. Sic enim in alijs proportionantur; quia ſicuti in individuo invenitur ſubijcibile non prædicabile, ſic in ente invenitur prædicabile non ſubijcibile: ergo &c.

QUÆSTIO II.

De ſpeciei prædicabilis quidditate, & multiplicitate.

20 QUod de principali inquiritur in præſenti, eſt quidditativa definitio ſpeciei vt prædicabilis, cuius varias adducere poteram explicationes, ſed eas prætermitto, cum certum ſit, omnes, eamdem, vel conſimilem habere in re normam; ſiquidem hinc, tametſi his, vel illis verbis, omnes tamen illam explicationem ſpeciei applicare intendunt, per quã ſpeciem à genere, & ab alijs prædicabilibus diſtinctam cognoſcere queant. Idem intentum circa expoſitionem quidditativam cuiuſvis prædicabilis eſt vnicé à diſſerto Logico obſervandum. Vnde

21 Reſolvo, ſpeciem prædicabilem recté eſſe ſic definitam: *quæ de pluribus differentibus tantum numerò in eo quod quid ſit, prædicatur.* Ita Scotus ad literam in *quæſt.* 21. *Vniverſal.* & in *quæſt.* 17. vbi propter clariorem ſolutionem cuiuſdam argumẽti, addit ly *tantum*. Quod recta ſit exhibita definitio ſuadetur breviter, quia per *prædicari de pluribus*, convenit immediaté cũ omnibus prædicabilibus: ergo ex parte generis non deficit. Deindé per *prædicare in quid*, differt à proprio, & accidẽti, quæ ſolũ in *quale* prædicant. Differt etiam à genere per prædicare de pluribus *tantum numero differentibus*; quia genus, non tantum de pluribus numero prædicat. Vbi nota, quod motivũ ponẽdi ab Scoto ly *tantum* in definitione ſpeciei, ortũ duxit ex hoc argumẽto, nẽpé, quod ad differre ſpecie, ſequitur differre nũmero ex Ariſtotil. 5. *Metaphyſ.* quod antecedens in genere non diſtinguitur à conſequenti; ſed conſequens generis ponitur in definitione ſpeciei: ergo infertur ex conſequenti, quod quidditates generis, & ſpeciei, non diſtinguantur. Propter hoc enim argumẽtũ Scotus exponendo definitionem ſpeciei addidit ly *tantum*; quo modo, diſtincta redditur ſpecies à generis conſequenti. Denique differt à differentia per prædicare in eo quodquid. Videatur expoſitio Scoti ſupra *in q. 1. de genere. argum. 4.*

22 Sed tamen pro maiori explicatione definitionis, & aliquorum oppoſitorum ſolutione, explicandum venit aliter hinc, quomodo præfata definitione poſsit ſpecies, diſtincta à differentia cognoſci. Videtur enim, quod differentia prædicetur de pluribus tantum numero differentibus. Deinde, ſpecies non ſolum prædicat in *quid*, ſed debet etiam prædicare ſecundum partem formalem, cum ſit prædicabile, ex parte materiali, & formali conflatum: ergo licet ly *tantum*, quod eſt in definitione ſpeciei poſitum ſupra *quid*, poſſet

dif-

differre ſpeciem à differentia, quæ tantum *in quid* non prædicat, cum prædicet *in quale*; attamen ly *tantum in quid*, cum repugnaret ſpeciei, quia ſi *in quale* non prædicaret, non prædicaret vt quid ex materiali, & formali compoſitum, inferri debet, quod expoſitio ſpeciei ſit diminuta.

23 His reſpondeo dicendo breviter, quod ex oppoſitis hinc, nulla ſequitur diminutio. Itaque dico, quod vt aliquis diſcernat tres eſſentias ex tribus appoſitis definitionibus, ſolum requirit r, quod propoſitis definitionibus duarum eſſentiarum, cognoſcatur, quod definitio, quæ remanet, diſtincta cognoſcitur à definitione aliarum cum ipſa dividentium; ſed propoſitis definitionibus generis, differentiæ, & ſpeciei, cognoſcitur, quod adhuc ſit diſtincta definitio ſpeciei intra lineam prædicabilium: ergo. Maior debet eſſe certa, poſita reduplicatione propoſiti ſupra lineam prædicabilium, ſeu quinque vniverſalium; quia etſi aliter poſſet dari definitio, quæ nec foret ſecundæ intentionis generis, nec differentiæ, quin indé foret definitio ſpeciei; non tamen id invalidaretur ex ſuppoſitione, quod foret vniverſale, & tale non foret vt genus, differentia, &c. Minor ſuadetur definitionum propoſitione; quia definitio ſpeciei, ex illa particula *tantum numero, &c.* conſtat, quod non ſit generis. Deindé ex eo, quod non ponatur *in quale*, ſeu *quid per modum qualis*, cognoſcitur quod non ſit definitio differentiæ. Denique ex eo, quod nec prædicet per *modum qualis*, nec per modum *quid*, *tantum numero*, & tamen prædicet intra eſſentiam, manifeſté cognoſcitur, quod prædicet per modum totius, quia intra eſſentiam non ſunt alij modi prædicandi: ergo propoſitis definitionibus generis, differentiæ, & ſpeciei, cognoſcitur, quod adhuc ſit diſtincta definitio ſpeciei intra lineam prædicabilium. Nota etiam hinc, quod licet differentia non tantum prædicet *in quale*, cum prædicet intra eſſentiam; at *quoad modum*, tantum prædicat *in quale*: ex quo poteſt differre ab ſpecie, quæ *quoad modum* non prędicat tãtum *in quale*.

24 Dices ita eſſe, videtur tamen, talem diſtinctionem prædicabilis ſpeciei debere poni in illa. Reſpondeo, id non eſſe neceſſarium, imó foret ſuperfluum, quia ſi coopoſita ſpeciei manifeſtant differẽtiam in his, in quibus cum ſpecie poterãt convenire, nil ſuperfluus, quàm quod ſpecies eam manifeſtet, dum eam non manifeſtando, manifeſtet.

25 Obijcies: Species poteſt eſſe prædicabilis de differentibus pluſquam numero: ergo per eſſe tantum numero prædicabilem, malé definitur. Probant antecedens; quia ratio vnionis humanæ v. g. eſt ſpecies; ſed prædicatur de pluſquam numero: ergo. Maior ſuadetur; quia ſi vniones humanæ eſſent diverſæ ſpeciei, etiam & homines, qui ex illis componuntur, eſſent diverſi: ergo. Minor ſuadetur; quia vnio humana prædicatur de vnione Petri, & Pauli, quæ pluſquam numero differũt; quia vnio Petri magis differt ab vnione Pauli, quam alia vnio ipſius Pauli, quæ ſolo numero differt: ergo. Confirmantur; quia genus infimum prædicatur de pluſquam ſpecie differentibus: ergo ſimiliter ſpecies infima de pluſquam numero. Prob. antecedens; quia animal v. g. eſt genus infimum; aliàs hæc definitio, *homo eſt animal rationale*, non eſſet bona; ſed animal prædicatur de homine, & equo, qui pluſquam ſpecie differunt: ergo. Prob. minor; quia equs minus differt à leone, quam ab homine: ergo cum à leone differat ſpecie, ab homine pluſquam ſpecie differet.

26 Huic argumento reſpondent vniformiter P. Quiros, & Pater Peinado hinc. Reſpondeo tamen negando primum antecedens: Ad illius probationem reſpondeo negando minorem, ad cuius probationem reſpondeo, quod eſtó ratio vnionis humanæ, ab omnibus vnionibus, veluti ſpecies ab individuis, abſtrahatur, non differet numericé vna vnio ab alia pluſquam reliquæ. Ratio eſt, quia vel eſt æqué abſtrahibilis ratio ſpecifica ab omnibus, ita vt reſpectu omnium ratio ſpeciei abſtractæ ſit infima, vel non? Si non ſit infima; nil mirum, quod talis ratio abſtracta de pluſquã numero differentibus dicatur. Tunc enim nil contra nos, cum *dici tantum numero*, ſolum ſpeciei infimæ tribuamus. Si ſpecies abſtracta ſit infima: tunc diſtinctio vnionum erit æqualis, quia ſi ſupponunt, quod infimum ſpeciei, vnicuique vnioni eſt immediatiſsimum, eſt impoſsibile, quod vlla vnio dicat pluſquam id, quod ſupra infimum, & immediatũ ſpeciei dici, & addi ſolet, quod eſt puré numericum.

27 Vnde non valet dicere, quod vnio Petri magis differt ab vnione Pauli, quam alia vnio ipſius Pauli. Non valet, quia tunc diſtinctio numerica vnionum non attenditur penés Petrum, & Paulum, ſed penés rationem communem ſpeciei, verſus quam, ſicuti non poſſunt nec magis, nec minus cõvenire, ſic vltra ipſam, nec poſſunt magis, nec minus differre. Quare dato, quod poſſent ampliùs differre, dum non foret verſus rationem ſpeciei prædicabilis, nil contra intentum; quia hinc ſolum loquimur de ſpecie, vt

Digitized by Google

ſpecies, quo pacto ipſa, de pluſquam numero, non eſt prædicabilis, cum reſpectu ipſius, tantum ſint numero ſubiecta, *ita vt reliquum foret de per accidens ipſi.* Confirmo doctrinam in ſecunda intentione generis, quæ reſpectu omnium generum eſt ſpecies, & ſic, vt diximus, eſt prædicabilis de pluribus tantũ numero differentibus, quin hoc impediat videre, quod ſubiecta, quibus ineſt ſecunda intentio generis, ſint diſtincta, non ſolum numero, ſed ſpecie, & ampliùs, v. g. *ſubſtantia, accidens,* &c. & tamen conſiderata verſus ſecundam intentionem generis ſub modo ſpeciei, reſolvimus ſupra, quod pluſquam numero non poterant differre: ergo à ſimili.

28 Ad confirmationem reſponderi debet, negando antecedens, ſtando ſemper in hoc, quod genus infimum, pluſquam in ſpecie non poſſit prædicari de pluribus. Vnde dico, quod animal conſideratum infimé, vel non reſpiciet irrationale, vel ſi irrationale reſpiciat, ipſum reſpiciet vt infimam ſpeciem, ita vt reliqua vltra irrationale ſint vt puté individuantia cenſenda. Ratio eſt conſimilis ſupra poſitæ; quia ſi animal conſideretur vt infimum reſpectu irrationalis, & rationalis, tunc verſus infimitatem animalis ſunt iam advertendæ differentiæ ipſi immediatæ; ita vt ſicuti animal inquantum infimum, æqué vertitur ad illas, ſic illæ æqué ſint conſiderandæ verſus animal: ergo ſicuti quia infimum reſpectu rationalis, quidquid vltra habetur, conſideratur vt numericum, ſic quia æqué infimum reſpectu irrationalis, vt puré numericum debebat conſiderari quidquid vltra habeatur. Vnde, reſpectu ſpeciei humanæ, vt ſummé infimum conſiderabitur irrationale, cum exercitia verſus animal vniformiter expleantur. Hinc applica confirmationem præcedenris doctrinæ.

29 Dixi etiam, quod vt genus infimum, *vel non reſpiciet irrationale*; ex quo nullum ſentio inconveniens. Dices ſequi, quod animal, vt genus infimum, non haberet eſſe prædicabile de pluribus ſpecie differentibus, cum non foret infimum niſi reſpectu hominis v. g. Dico, nil inconvenire, quod animal in quantum infimum non habeat pluſquam vnam ſpeciem, dum plures immediaté habeat in quãtum genus. Quod in quantum genus plures ſpecies haberet, ſuadetur; quia in quãtum genus, dicit ſecundam intentionem generis, præciſam à ſecunda intentione infimi, & interiecti; ſed ſic animal ſub ſecunda intentione præciſa generis, non poteſt non habere plures ſpecies immediatas: ergo. Suadetur minor; quia ſi immediaté animal non dicit Leonem, & Æquum, ſed irrationale, oritur ex eo, quod animal ſit ſub ſecunda intentione generis interiecti, ſeu ſubalterni: ergo hac præciſa, non poteſt plures ſpecies immediatas non habere. Inſeruntur hæc ex Scoto in *q. 29. Univerſ.* in fine.

30 Dices, ſi animal vt infimum, ſolam ſpeciem humanam reſpiciat, ex quo tunc diſtinguetur ab ſpecie? Dico, quod propter plura; ſed principaliter ex eo, quod animal, etſi vt infimum ſolum reſpiceret hominem, attamen poterat ſubeſſe ſecundæ intentioni generis ſubalterni, cui nulla ſpecies ſubeſſe poteſt: vndé ſéper ex infimo ſalvaretur in animali ſufficiens diſtinctio ſtricti generici cum ſpecifico. Addo hinc pro confirmatione doctrinæ §. antecedentis, quod etſi animal, vt infimum, non prædicaretur de pluribus ſpeciebus, ſemper tamen prædicaretur de pluribus in ſpecie differentibus.

31 Dubitab. quotuplex ſit ſpecies prædicabilis? Reſolvo, ſolam ſpeciem infimam eſſe ſpeciem prædicabilem. Sic cenſeo Scotum *in Vniverſ.*; præcipué tamen in *quæſt. 21. Verſ. ad tertium dicitur*, vbi hæc permittit: *dat tamen Porphyrius duas* (puta ſpeciei definitiones) *in comparatione ad genus, dicit enim, hæc quidem aſſignatio, ſcilicet, prædicari de pluribus &c. ſpecies ſpecialiſſima eſt, quæ ſolum ſpecies eſt.* Suadetur; quia ſpecies prædicabilis eſt illa, quæ prædicatur vt tota eſſentia; ſed ſola ſpecies infima ſic prædicatur: ergo ſola ſpecies infima eſt ſpecies prædicabilis. Dices, quod etiam ſpecies ſubalternæ, v. g. vivens, ſentiens, prædicantur vt tota eſſentia; nam ſi homo v. g. prædicatur vt tota eſſentia, quia quidquid homo eſt, dicitur de inferioribus, etiã quidquid eſt vivens ſentiens, de inferioribus dicitur. Sed contra; malé enim ſic circa totam eſſentiam diſcurrunt; patet, quia ſic nulla poſſet excogitari prædicatio partis, eo quod quidquid pars foret, prædicaretur de toto: ergo. Itaque debes hinc notare, quod homo non prædicat vt tota eſsẽtia de individuis, quia quidquid homo eſt, de individuis prædicat; ſed ideo de illis prædicat vt tota eſſentia, quia quidquid individuum, v. g. Petrus, eſſentialiter, & ſpecificé eſt, prædicatur ab homine: ergo.

32 Suadetur reſolutio aliter ex eo, quod ſi intermedia forent ſpecies prædicabiles, nullum daretur genus: ergo. Prob. antecedens; quia ſi præter ſpeciem infimam darentur aliqua intermedia prædicabilia, vt ſpecies, maximé animal, vivens, corpus, &c. Sed ſi iſta forent ſpecies, nil reſtabat, quod poſſit eſſe genus: ergo. Deindé, hæc poſſunt confirmari ex eo, quod eadem natura, etſi per diverſos reſpectus, vtpote per reſpectum ad ſuperius, poſſit eſſe ſpe-

Digitized by Google

ſpecies ſubijcibilis, & per reſpectũ ad inferius, prædicabilis; non autem poteſt eadem natura per reſpectum ad inferius eſſe genus, & ſpecies. Denique, ex quo poteſt convinci, quod ſpecies infima, v. g. homo, non ſit genus vt animal? non aliundé, niſi quia homo prædicatur vt tota eſſentia, non autem animal: ergo quidquid non prædicet vt homo, qui eſt ſpecies infima, dumtaxat erit genus.

33 Nec valet, ſi dicas, plures alias eſſe ſpecies ſtrictè, vtpote ſpecies ſubalterna ad omnes ſubalternas, ſuprema ad ſupremas &c. Non valet; quare debes notare, quod quando ratio ſubalterni v. g. conſideratur reſpectu omnium ſubalternarum, eſt tunc ſtrictiſsima ſpecies, ſed tamen eſt infima, quia, vt toties dixi, omnia ſubalterna ſunt ſub ſecunda intentione ſubalternitatis, quæ in alias in ſpecie ſubalternitatis rationes non eſt diviſibilis, ſicque erit ſpecies infima, vtpote de ſolum numero differentibus prædicabilis. Similiter ratio ſupremi generis ad omnia ſuprema, transformatur in ſpeciem, de hoc, & de illo ſupremo prædicabilem, ita vt ſupremum, quod primó intentionaliter erat ſupremum, & ſub ſecunda intentione generis reſpectu non ſupremorum, ponatur deinde ſub ſecunda intentione ſpeciei reſpectu omnium ſupremorum; quo modo ſupremum manebit infimum, ſicuti quęlibet alia ſtricta ſpecies infima. In quibus debes conſiderare illũ eumdem tranſitum, quem de ſpecie ſubijcibili, dum vt ſubijcibilis erat prædicabilis, in quæſtione antecedenti conſiderabamus.

34 Dubitab. 2. an natura divina poſsit eſſe ſpecies prædicabilis? Reſpondeo affirmativé iuxta diffusé propugnata in *lib. 3. Univerſ. Diſt. 3. q. vltim* Vbi eſſe vniverſalem deffendo. Solum noto hinc, quod etſi conſequenter ad illa, eſſe prædicabiliter vniverſalem deffendam, tamen quoad punctum eſſendi ſpeciem, ſolum dicetur talis ab imperfectionibus ſpeciei creatæ præciſa; quia certum eſt, quod non videatur ſic dependenter ex partibus materiali, & formali, illo rigore compoſita. Sed de his in proprio loco.

QUÆSTIO III.

De individuo ſecundo intentionaliter conſiderato.

35 IN præſenti quæſtione non veniebat agendum de principio individuationis naturæ communis, ratione cuius natura conſtituitur hæc, & ſingularis, ita vt ratione metaphyſicæ indiviſibilitatis, nulli vltra communicabilis reddatur. Solum ergo hinc agere debebatur de individuo logicé conſiderato, quo pacto inſpicitur, vt ſecundam intentionem ſpeciei correlatam indicens, quem modum conſiderandi individuũ expertè habuit Scotus *in 2. d. 3. q. 2. §. contra iſta primò*. Verum enim verò, tametſi in libris Mataph. de individuo primó intentionaliter conſiderato, quæſtiones agere decernamus, non poſſumus hinc ommittere, aliqua de illo examinare; tum quia prædictæ individuationes nimis reſpiciuntur; tum quia celebris illa quæſtio de ratione omnibus individuis communi, hinc ſolet à pluribus exagitari, vt plurium Logicorum deſiderijs ſatisfaciant. Quare, vt talium individuationum notitia pleniùs intelligatur, prius ſentio decidendam quæſtionem de individua communitate; à dicendis ſiquidem in ea, cæterorum notitia pręcavetur.

36 Sed pro clariori deciſionis intelligentia, breviter noto, quod individuum, aliud eſt primó intentionale, & aliud ſecundó intentionale. Individuum primó intentionale ſolet dici, quodvis inferius naturæ ſpecificę, ſive accidentalis, ſive ſubſtantialis, ſecundum ea, quę abſque aliqua intellectus comparatione habet. Hoc (ſecundum accidentia, vt communiter exiſtimatur, definivit Porphyrius, quia datur individua Deitas, & in alijs individua immaterialitas, quibus illa collectio extraneatur) eſt illud, de quo dixit Porphyrius, *eſſe collectionem proprietatum, in alio non repertam*. Tale etiam individuum ſolet communiter dici, *eſſe indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*, ſentio tamen, ſic malé exprimi, cum plura ſint ſub modo individuationi oppoſito, & nullum ſit, qood ſic in ſe non ſit indiviſum, & diviſum ab alio &c.

37 Individuum ſecundò intentionale, dicitur quodvis inferius naturæ ſpecificę, prout à comparativa intellectione aliquod eſſe recipit. Quo modo ſolet dici ſubijcibile, vel prædicabile. Vnde ſolet etiam deduci, quod ſicuti ſpecies v. g. eſt concretum dicens de formali ſecundam intentionem, & de connotato naturam, ſic individuum poteſt concipi vt concretum, de materiali dicens entitatem numericam à parte rei exiſtentem, & pro formali ſecundam intentionem, ſic eam denominantem. Vbi etiam notatur, quod ſicuti ſpecies per vnũ reſpectum redditur ſubijcibilis, vtpoté per reſpectum reſultãtem ex comparatione ad genus, & per alium reſpectum redditur prædicabilis, vtpoté per reſpectum reſultantem ex comparatio-

ratione ad individua; ſic, ſervatis ſervandis, individuum, vt comparatur ad ſpeciem, denominatur ſubijcibile, & prout comparatur ad entitatem ipſam, quam denominat indiuiduam, denominatur prædicabile. Itaque, vt ſubijcibile, prout loquimur, poterit dici, *terminus, ſpecificæ naturæ immediatè ſubiectus*; & vt prædicabile poterit dici, *quod eſt ſine ſui multiplicitate prædicabile*, ſeu vt ſolet, *quod de vno tantum prædicabile dicitur*. His ita, pro elucidatione principalis difficultatis, ſic breviter expoſitis, inquirendum venit, an ab vltimis naturarum individuarum differentijs, aliquis conceptus in re, vel in ratione communis poſsit abſtrahi? Pro quorum clariori examine, ſit.

ART. I.

AN INDIVIDVATIONIS, SEV haecceitatis, dabilis ſit conceptus communis?

38 Dupliciter poteſt præſens punctum exagitari. Primò, an ab vltimis differentiarum entitatibus poſsit abſtrahi aliquis conceptus, ita in re communis, quod detur convenientia primò intentionalis à parte rei, ſicuti datur inter hominem, & brutum per conceptum animalis? Secundò, an poſsit per operationem intellectus abſtrahi aliquis conceptus, qui tametſi non ſit realitatis per realitatem contrahibilis, ſed ſolum ſit puræ rationis, ſit tamen vniuocè, & per modum *quid* dicibile de omnibus? Circa primum, affirmant aliqui, quibus conſentire videtur Dyoniſ. *in 3. Diſt. 8. q. 2. §. 1.*

39 Reſolvo tamen partem negativam, communiſsimam Noſtris, & Scoto, paſsim citato in *lib. 1. Entis intentionalis*, & in *lib. 3. Vniverſal.* Necnon infra videndo. Suadetur 1. quia ſi inter Petrum, & Paulum daretur in re communitas extra rationem humanitatis, natura humana non prædicaret de illis, vt tota eſſentia illorum: ergo. Prob. antecedens; quia id in re non prædicat vt tota eſſentia de inferioribus, quod non eviſcerat prædicando, quidquid eſſentialiter eſt inferioribus commune; ſed in re datur conceptus eſſentialis extra rationem naturæ humanę, qui eſt inferioribus communis, quin talem conceptum, prædicando de illis, eviſceret natura humana. ergo ſi inter Petrum, & Paulum daretur in re communitas extra humanitatem, natura humana non prædicaret de illis, vt tota illorum eſſentia.

40 Dices, ſemper naturam humanam prædicare vt totam illorum eſſentiam, quia etſi conceptus ille individuationis ſit in re eſſentialis individuis, eſt tamen extra conceptum eſſentialem naturæ, ſeu eſſentiæ ſpecificæ, quæ ſic totam individuorum eſſentiam exambit. Sed contrà, & in primis, nunquam diſſolvitur argumentum; quia etſi conceptus rationalis, qui eſt eſſentialiter in Petro, ſit extra puram rationem viventis, & ſentientis, nunquam dicitur de animali, quod vt tota eſſentia prædicet de Petro, non aliunde, niſi quia ſupra eſſentiam animalis totaliter dictam de Petro, datur adhuc in Petro vnus alter conceptus, nempe, rationalis, æquè omnibus communis: ergo ſi ſupra conceptum hominis detur adhuc in Petro vnus alter conceptus Petro eſſentialis, nempe individuatio, etſi individuatio ſit conceptus, qui ſit in Petro extra puram rationem hominis, nunquam dicetur, quod homo prædicet vt tota eſſentia de individuo, eſtò alter conceptus eſſentialis, omnibus æquè communis, adſit. Ad ſummum enim poterat dici, quod genus non prædicabat vt tota eſſentia, ſicuti ſpecies, & quod ſpecies prædicabat vt tota eſſentia, vt generi contrapoſita; nunquam tamen poterat dici, quod ſpecies prædicaret abſolutè, vt tota eſſentia abſoluta, cum ſupra eſſentiam ſpeciei, daretur conceptus eſſentialiter prædicabilis; quem debere dici ab ſpecie, hucuſque intelleximus; aliàs variabimus intentiones prædicabilium, & hæc aliter nominabimus.

41 Contra deinde; quia tunc homo, nequé vt tota eſſentia ſpecifica poſſet prædicari de Petro. Suadetur; quia id intelligitur eſſe tota eſſentia ſpecifica Petri, quod eſt intrinſecum Petro, & eſt de ipſo ſub ſecunda intentione ſpeciei prædicabilis; ſed extra rationem humanitatis datur conceptus à parte rei intrinſecus Petro, & prædicabilis, vt ſpecies: ergo. Si dicas, quod eſt ſpecies, illa ratio communis individuationis, per aliam lineam, ita vt ſit ſpecies diſparata. Contra; quia eſt non minus intrinſeca Petro: ergo iam hoc ſufficiet, vt poſſimus dicere, quod neutra prædicat de Petro, vt ſpecies, iuxta omnem lineam ſpecificam Petri. Contra 2. quia reſpectu Petri, ſemper foret proprior gradus ſpeciei individuæ: ergo huius prædicatio foret ſingularior per modum ſpeciei. Si dicas, quod vna ſpecies eſt alteri ſubordinata. Contra; quia vel vtraque eſt infima, vel non? Si ſit: ergo impoſsibilis eſt ſubordinatio. Si non: ergo natura humana non erit infima ſpecies, cum altera, infima debeat eſſe; aliàs non foret linea individua, poſterior linea huma-

Digitized by Google

humanitatis, ſed prior; quod intrinſecé in omni linea repugnat.

42 Contra aliter, & arguitur ſecundo, inferendo, quod in tali caſu non poſſet, immediaté ſaltim, prædicari ſpecies de Petro; ſed illa eſt prædicatio ſpeciei, quæ eſt immediata individuo: ergo. Huic rationi reſpondere videtur P. Peinado *tract.* 3. *dp.* 2. *Sect.* 3. quod licet prædicatum *individuum* proximius ſit Petro, quam *homo*, hæc prædicatio *Petrus eſt homo*, immediata eſſet adhuc fundamentaliter ex parte obiecti; quia prædicatum *individuum* inepté aſſumeretur pro medio, ad affirmandum de Petro hominem, ſic: *Petrus eſt individuum: ergo eſt homo.* Interretur autem recté, eſſe hominem, ex eo, quod ſit individuum naturæ humanæ; at vt affirmetur, eſſe individuum naturę humanę, non eſt medium notius, quod ſit individuum, ſed quod ſit homo.

43 Sed contra; quia etſi conceptus individuationis non ſit inductivus humanitatis, nunquam vitatur mediatio inconveniens inter Petrum, & humanitatem: ergo. Prob. antecedens; quia etſi nil, quo excitetur humanitas, mediet inter ipſam, & Petreitatem, mediabit tamen id, cui primò poſsit applicari humanitas, vtpoté conceptus individuus, qui vt ſuperior debet eſſe prior Petreitate: ergo iam priùs, & immediatiùs, quam de Petreitate, debebit dici humanitas de illo conceptu individuo. Deinde; quia nec Petreitas v. g. quæ eſt principium formale individuationis, eſt ſecundum ſe inductiva humanitatis; aliàs nunquam poſſet ex parte obiecti præſcindi, nequé poſſet ita abſtrahi conceptus naturæ ab individuis, cum individua ſemper eſſe humanum dicerent; ſed licet Petreitas non ſit principium inductivum humanitatis, tamen, ſi prius quam Pauleitati, vniri deberet Petreitati, nunquam diceretur bene, quod immediaté vniebatur Paulo: ergo à ſimili. Itaque dico, quod etſi incipiente conſideratione ab humanitate, non deducatur ex individuationis conceptu; attamen ſi prædicans comprehenderet totum concretum, & rectum ordinem prædicandi, concipere deberet, quod hoc prædicatum *homo* v. g. primó debebat dici de immediatiori, quod eſſe conceptum communem non ignoraret.

44 Aliter etiam; quia ſaltim ſecundó intentionaliter, & in actu ſignato, priùs, & proximiùs deberet dici de conceptu individui, quam de Petro. Suadetur; quia ſicuti genus in actu ſignato, pro immediato termino ſolum reſpicit ſpeciei conceptum vt ſic, ſic cum deſcenſus ſpeciei ad individua ſit proportionatus, debebat conſimiliter ſpecies pro termino immediato habere in Petro conceptum individuationis vt ſic, in ipſo à parte rei idemptificatum: ergo ſecundum id, quod ſpecies ſecundum ſe dicit, prius quam de hoc, deberet dici de individuationis conceptu.

45 Dices duo. Primum, quod eo ipſo, quod ſpecificus gradus eſſet in conceptu individui, iam foret in hoc, nempe in Petro, quia repugnaret, quod conceptus individui, qui poſſet eſſe omnibus communis, foret homo, dum homo, omnibus rerum individuis non poſsit eſſe communis. Secundum, quod foret imperceptibile, quod ſpecies primò intentionalis foret communicabilis per deſcenſum ad individuum vt ſic, cum ſpecies requirat plura, & conceptus individui ſit vnicus. Vndé, adhuc dato, quod ſpecies ſecundò intentionalis poſſet ſalvari cum ordine ad omnia individua in communi concepta; ſecus primó intentionalis.

46 Sed contra iſta potius inſurgam; quia ſi gradus ſpecificus non poſsit percipi in conceptu individui, quin ſit *hoc*: ergo quia eſt impoſsibile, quod in hæcceitate, naturam humanam individuante, detur à parte rei alia ratio individuans, quam *hæc*. Deinde inſurgo contra cauſalem ſic: repugnat per vos, quod natura ſpecifica idemptificetur cum conceptu individui à parte rei communis, cum ſic natura communis non foret: ergo multó melius repugnabit, quod in Petro, qui eſt, natura ſpecifica minus communis, detur conceptus à parte rei idemptificatus, cum ſic eſſet Petrus, quidquid omnia forent, dum Petrus ſolum eſſet à parte rei quidquid vnum. Contra ſecundum eſt in promptu inſtantia ex ipſorum ſolutione; quia ſi ſpecies requirit plura individua, erit conſequens, quod à parte rei non dabitur quod requirit, cum à parte rei vnicus ſit individuationum conceptus.

47 Dices ſtatim, communiſsimum eſſe apud Scotiſtas, quod licet à parte rei detur cõceptus vnicus naturæ humanæ v. g. in omnibus, ſaltim negativus, tamen dentur tot naturæ commones, quot à parte rei individuationes: ergo ſimiliter, etſi à parte rei vnicus ſit conceptus individuus, poterit compati, quod tot ſint conceptus, quot individua; ac perconſequens ſemper habebit ſpecies pluralitatem in inferioribus. Sed contra; ex eo nos dicimus, quod conceptus naturæ ſit totuplex, quotuplex individuorum, quia etſi natura ſecundum ſe petat eſſe vnam, attamen individua ſecundum ſe non exercent, quod petit natura: ergo ſi non ſolum detur communitas ex parte naturæ, ſed etiam ex parte individuationum, non

dabi-

Digitized by Google

dabitur principium, ex quo natura ſit aliquo modo intrinſecé multiplex. Patet; quia repugnantia in compoſitione alicuius exercitij ſolum poteſt delumi ex parte extremorum; ſi enim Ircocerbus, nec ſecundum ſe, nec ſecundum omnipotentiam repugnaret, poſſet extra cauſas exerceri: ergo ſi non ſolum natura ſpecifica ſecundum ſe dicit convenientiam, ſed etiam hanc ſecundum ſe, principia individuantia dicunt, non erit ex quo à parte rei ſit natura intrinſece diviſa, quin hoc poſsit exerceri abſque repugnantia.

48 Inſto aliter contra præcipué nunc dicta, & confirmo reſolutionem; quia ſi ſpecies non poſſet contrahi ad gradum individui vt ſic, quin foret in *hoc* determinanté, ex eo quod individui conceptus à parte rei ſit omnibus individuis communis, & non ſic conceptus ſpeciei, ſequeretur, quod omnia individua forent primò intentionaliter eiuſdem rationis, & ſic, quod Petreitas, & Bucephaleitas, non differrent magis, quam Petreitas, & Pauleitas, quod forté ipſis difficili.num erit. Nunc ſic: ex quo poſſet deduci, quod natura humana v. g. non poſſet contrahi per principia individuantia naturæ in leoninam? hoc ſcire cupio, & interdum in contrarium arguo ſic: omnia principia individuantia ſunt à parte rei eiuſdem rationis: ergo natura humana non minus communis, & contrahibilis eſt per Petreitatem, & Pauleitatem, quã per reliqua principia numerica: ergo ex motivo inexiſtendi ſic communis natura humana, ac quidditas individua, non deſinit contrahi ad gradum individui vt ſic, quin ſit in *hoc* determinaté.

49 Arguo denuó contra primam reſponſionem Peinadi, ſi aliquis, aut ipſe, à parte rei intendat alloqui. Dicebat enim, quod etſi inter Petrum, & naturam humanam mediet conceptus individui vt ſic, hic tamen non foret homo. Arguo ſic, & ſuppono, quod in per ſe ordinatis de primo ad vltimum, & de vltimo ad primum, rectus, & æqualis ſervatur ordo ſecundum gradus deſcendentis, & aſcendentis. Nunc ſic; ſed eſt imperceptibile, quod inter animal, & ſubſtantiam mediet à parte rei corpus, quin corpus à parte rei ſit ſubſtantia: ergo & erit imperceptibile, ſecundum ordinem vſque ad vltima ſervatum, quod inter Petrum, & hominem mediet individui conceptus à parte rei, quin hic ſit homo.

50 Dices, & forté intendens majorem partem noſtræ doctrinæ evertere. Dices igitur, quod conceptus individui non eſt medius inter hominem, & Petrum v. g. ſed eſt ipſo Petro poſterior. Contra; quia conceptus individui eſſet vltimum in ſerie prædicamentali, & non vltimum vtcumque, ſed à parte rei vltimum; ex quo ſequeretur, quod Petrus à parte rei non foret completé individuum; nec non, quod naturæ deficiebat complementum à parte rei, cum deficeret, quod à parte rei vltimum erat. Sequeretur deinde altera inordinatio, vtpoté, quod linea entium inciperet convenientia, & vniverſalitate, & his ſimiliter deſineret. Tum etiam, quia nunquam vitatur prima ratio; ſi enim ſit imperceptibile ſecundum perfectum ordinem entium, quod animal ſit vivens, & quod poſterius animali non ſit vivens; non minus erit imperceptibile, quod Petrus ſit homo, & quod homo non ſit gradus ipſo poſterior, & dum realiter idemptificatus. Si dicat aliquis, quod ſunt in æquali linea Petrus, & conceptus individui: Contra; quia ex hoc ſequeretur, quod gradus ſuperior, & inferior forent inſimul, & ad convertentiam.

51 Suadetur ſecundó reſolutio, applicando hinc pro individuis, efficacem rationem Scoti pro in communitate generum primò intentionalium in *quæſt. 14. Vniverſ. §. ad quæſtionem dicitur.* Arguo ſic: non minus diſtinguuntur genera omnia primó intentionaliter intellecta, quam ſic intellecta omnia principia individuantia; ſed ab omnibus naturis genericis, v. g. animal, ſubſtantia &c. primó intentionaliter ſumptis, nequit abſtrahi ratio communis, in qua conveniant, vt eadem generis definitione definiantur: ergo nequé ab omnibus entitatibus individuis, primò intentionaliter intellectis, poterit abſtrahi ratio communis, in qua conveniant, vt eadem individui definitione definiantur. Maiorem exiſtimo veram; quia omnia genera primò intentionaliter intellecta, poſſunt ad ſummum ita diſtingui, quod ſint vel primó, vel vltimó diverſa, vel ita, quod vnumquodque non poſsit ſecundum ſuam propriam rationem ampliùs diſtingui; ſed quodlibet individuum ſic per principium individuationis à parte rei diſtinguitur: ergo. Minorem convincit Scotus, eo quod ſolum poſsit abſtrahi ratio communis, quatenus poſſunt ſubeſſe eidem ſecundæ intentioni generis; & né in hoc detineamus, ſi aliquod genus primó intentionale poſsit abſtrahi, ſignent illud. Si dicas, quod ratio generis vt ſic abſtrahi poteſt. Dico, quod ſignes mihi ſecundam intentionem generis. Profectó vſque adhuc, nullam aliam, quam generis rationem agnoſco.

52 Forte dicet aliquis, quod non potiùs differunt inter ſe differentiæ individuales, vt tales, quam ſpecificæ, vt tales; ſed ab ſpecificis abſtrahitur ratio communis differentiæ ſpecificæ:

ficæ:

Digitized by Google

ficæ: ergo & ab individualibus poterit abſtrahi. Sed nequé hoc dictum valet propter duo. Propter primum; quia differentiæ ſpecificæ, & ſic quævis diſsimilitudo, non eſt vltimó determinata, & quod ex ſuis prædicatis non eſt vltimó determinatum, poteſt eſſe indifferens, & ratione talis indifferentiæ fundare, ad hanc, & illam diſsimilitudinem, rationem communitatis; non autem id poterunt individuationes, quia cum diverſitas ſit iam vltima, quin iudicium contradicatur, non poteſt vlterius excitare convenientiam. Propter ſecundum, & magis ad propoſitum; quia ſimiliter dicemus, quod ab illis ſpecificis differentijs non poteſt abſtrahi conceptus primó intentionalis, cum omnes definiantur, vt ſubſunt ſecundæ intentioni differentiæ eſſentialis: & ſi non, talem differentiam primò intentionalem rogo? Dico igitur, quæ ſuperiús, ſicque ratio erit in ſuavi.

53 Suaderi tandem poteſt concluſio omnibus illis rationibus, quibus eam ſuadere ſolitum eſt. Prima; quod à primó diverſis nil poteſt abſtrahi commune. Secunda; quod ſi vltima determinatio poſſet fundare aliam, non foret vltima determinatio. Tertia; quod ſi quia diſconveniunt, conveniant, erit impoſsibilis puræ diſconvenientiæ conceptus. Quarta; quod ſi diſconveniendo poſsint aliqua convenire, etiam non diſcurrendo poſſent aliqua diſcurrere, & non ſingularizando ſingularizare; ſicuti dicunt, quod ſingularizando, non ſingularizare poſſunt; non enim magis opponuntur diſconvenientia, & convenientia, quam diſcurrèntia, & non diſcurrentia, &c. Quinta; quod ſi principia individuantia poſsint habere à parte rei conceptum individuationis vt ſic; & hinc poterunt habere à parte rei divinæ perſonæ; quem ſi concèdas, debes & infinitum concedere proceſſum.

54 Si dicas ad primum, quod non ſunt primó diverſa, ſed vltimò. Contra; quia ſic ſe habet primó diverſum circa eſſe primum, quam vltimó diverſum circa eſſe vltimum; ſed eſt imperceptibile, quod primó diverſa incipiant conveniendo per aliquid ante: ergo & erit imperceptibile, quod vltimó diverſa terminētur, conveniendo per aliquid poſt. Si dicat alius, quod ſunt primò diverſa, & quod à primó diverſis poteſt pręſcindi ratio ſignata, non autem exercita, & quod ſignata poteſt præſcindi, quia eo ipſo quod ſint primó diverſa, convenient in ratione primi diverſi. Contra; quia ſic etiam exercita ratio poſſet præſcindi, cum à parte rei etiam exercité ſint primó diverſa, & ſic, vt ſunt primó diverſa, ratio primi diverſi poſſet præſcindi. Contra deinde ex eo, quod ex prædicto modo diſtinguendi, non inferatur, quod à parte rei loquantur, ſed per actum ratione ſignatum.

55 Denique, ſi dicat aliquis contra vltimum, quod nullus conceptus eſt à parte rei præſcindibilis à perſonis, quia ibi ex hæcceitate datur vltima determinatio. Contra; quia in præſenti loquimur de ipſis hæcceitatibus, ita vt natura prout in Petro, non minus ſit *hac*, quam natura prout in Patre æterno. Tum etiam ex eo, quod in divinis perſonis ſi ſit impræſcindibilis à parte rei perſonalitas, vel quia ſunt magis diverſæ in ratione perſonæ, quam individua in ratione hæcceitatis; vel quia ſunt minus diverſæ? Non erit impreſcindibilis propter vltimum; quia quo aliqua minus diſtant, tanto minus diſconveniunt. Deinde, non propter primum; quia individua ſunt tantum diverſa, quantum eſſe poſſunt, & tamen ex ipſa maiori diverſitate fundant apud eos vnitatem per indiſtinctionem: ergo &c.

56 His ita, circa quæſtionem, vt à parte rei intellectam, deciſsis, examinare venit, an per rationem, aliquis conceptus communis poſsit omnibus adaptari? Circa quod, adhuc inter ipſos Scotiſtas, nõ leve inveni diſsidium. P. Maſtrius *diſp.* 10. *quæſt.* 10. plures Scotiſtarum modos impugnat, ei nimis diſplicens opinio tenentium, inter individua ſolum dari quamdam convenientiam analogam, ipſe ſtrictiorem convenientiam opinans, hancque, contra novem dicendi modos, pugnaciſsimé deffenſans.

SUBART. I.

IN QVO CVM DOCTISSIMIS SCOtiſtis, reſolutionis Scotizandæ, controverſia formatur.

57 PAter Maſtrius, pauló ante citatus, pro viribus propugnat, quod ab vltimis hæcceitatibus poſsit abſtrahi conceptus individuationis vt ſic, qui non ſolũ ſit in nomine cõmunis, verum etiã in ipſa ratione hæcceitatis, ita vt aſsignata ratione, *quid ſit hæcceitas*, tã intrinſecé, & quidditativé participabunt Petreitas, & Pauleitas rationẽ hæcceitatis, ac Petrus, & Paulus participant rationẽ humanitatis. Deinde, etſi aſſerat, poſſe dari conceptũ individuationis vt ſic, nõ tamẽ fũdatũ in aliqua cõmuni realitate, quæ ſit per aliam realitatẽ contrahibilis, & quæ per ipsũ adæquaté exprimatur, ſicuti per conceptũ animalis adæquaté exprimitur vna realitas, quæ eſt per aliã cõtrahibilis; ſed cõceptus individua-

tionis fundatur, vel in pluribus differentijs individualibus inadæquaté conceptis, vel in vna, nempe, Petreitate, inadæquaté concepta, adeo, vt conceptus adæquaté Petreitatis vt ſic, ſit vtique ſimplex quoad realitates, compoſitus tamen apud intellectum, ex conceptu communi, & proprio; quia per intellectum inadæquaté coucipientem, eadem prorſus realitas à parte rei dividi poteſt, & partiri in duos conceptus, quorum vnus ſit communis, & contrahibilis, alter proprius, & contractivus.

58 Deinde, quod hęc ſit propria, & genuina mens Scoti deducitur cum Rotherico, ipſo Maſtrio, & alijs, ex aliquibus locis Scoti; vt ex luculentioribus, ex illo Scoti in 1. *d.* 13. *q. Vni.* Vbi in vltimis verbis *q.* hęc in ſumma aſſerit: *poteſt dici, quod ab individuis, non tantum poteſt abſtrahi ſpecies, quæ dicit quidditatem individuorum, ſed etiam aliquid quaſi proprium.* Et etiam hæc deducitur ex alio *in* 1. *d.* 26. *q. vn.* Vbi in ſumma ait hæc: *dico, quod Paternitas, & filiatio non ſunt duo primò diverſa, quantum ad intellectum, quin poſſit intellectus abſtrahere ab eis aliquem conceptum realem communem; ſed ſunt primò diverſa quantum ad realitatem, & realitatem, ita quod nullũ vnũ gradũ realitatis includunt, qui ſit quaſi potentialis, & determinabilis per proprias differẽtias, vel quaſi proprias, ſicut albedo, & nigredo includunt realitatem aliquam eiuſdem rationis determinabilem per proprias differentias ſpecificas earum, ſive realitates à quibus ſumuntur earum differentiæ ſpecificæ; & tunc illa propoſitio maior, quod primò diſtinctiva ſunt primò diverſa, debet intelligi de ipſis realitatibus, quæ primò conſtituunt, quantum ad non convenientiam in aliqua realitate vna formali, quam formaliter includant ambo.* Ex quibus verbis Maſtrius reſolutionem exhibuit, vt habetur ſupra, ſic conceptum vnum deffenſans, vt ſit ſupra omnem analogiam; de quo ſtatim formabitur controverſia. Maſtrium ſequitur ad literam P. Groſſo, noviſsimus Scotiſta, in *Diſſert.* 12. *Elucid.* 3. & ambo ſequi videntur Rothericum *q.* 1. *Prædicab. art.* 7. Ex altera parte ſunt etiam celebres Scotiſtæ, nullum vnum conceptum amplectentes, fundati in verbis Scoti, tam in 2. *d.* 3. *q.* 6. quam alibi citandi, tenentis eſſe primò diverſa; adducentes alia videnda infra, quæ non levioris roboris apparent; de quo in argumentis, à Poncio, & alijs, noviter corroboratis.

59 Reſolvo, quod poteſt dari ſecunda intentio individuationis, quæ poſsit eſſe forma, cui omnia individuantia ſubſint; ita tamen, vt talis conceptus intentionalis abſtrahibilis ſit ab omnibus, vt proportionabiliter ſe habent; hoc eſt, quod ſicuti ſe habet hæcceitas, ſeu Petreitas ad Petrum, ſic ſe habet Pauleitas ad Paulum; quam proportionem reſolvo eſſe fundamentũ vnitatis conceptus intentionalis. Si Maſtrius, Groſſo, & prior ipſis Rothericus, hæc dicere intendant, eis ſubſcribã; ſin autẽ aliud cupiant, contra ipſos etiam verſabuntur ſequentia. Ita Scotus reliquit opinandi modum in *q.* 15. *Vniverſ.* eſt etiam expreſſus, quoad literam reſolutionis in *q.* 12. vbi ait: *ad tertium dico, quod individuũ eſt ſpecies reſpectu intentionis*; citatque ſe ibi ad *q.* 8. in qua ſignat modum, quo vna intentio diſparata prædicetur de altera. Melius tamẽ videatur Scotus in 2. *Reportat. d.* 12. *q* 5. Expreſsiùs *in* 1. *Reportat. d* 25 *q. vlt. verſ. ad aliud, quod non abſtrahitur,* vbi ait: *poteſt tamen ab vltimis diſtinctioris, aliquis conceptus communis abſtrahi &c.* & in ſentẽtiarijs paſsim citatur ab Scotiſtis. Videatur Groſſo ſupra. In quo etiam ſenſu intelligam Scotum, pro Maſtrio, & alijs adductum.

60 Propugnatur reſolutio, & de principali cõtra Scotiſtas hinc nõ cõſẽtiẽtes. Suadetur igitur: ſi cõceptus vnicus intentionis omnibus individuis repugnaret & Scoto, & rationi, maximé, quia primó intẽtionaliter erãt diverſa; ſed ex hoc eiuſdẽ ſecũdæ intentionis cõceptus non repugnat: ergo. Maior eſt omniũ, & præcipué Noſtratũ fundamentũ; quia omnes alij Scotiſtæ, id negant ex Scoto, docente in 1. *d.* 3. *q.* 3. & alibi, differentias individuales eſſe primò diverſas; & deinde, quia primò intentionaliter abeſt vnitas, & convenientia in individuis, dũ verũ ſit, imó cõmuniſsimũ, dictũ Scoti, pluriés à me expoſitũ in *lib.* 1. *Entis intention. d.* 1. *q.* 1. 2. *& alijs*, quod ſi res à parte rei ad conveniendũ habeant repugnantiã, nequé intelligibiliter eam deperdent. Minor convincitur, & efficaciter apud Scotizantes; quia apud Scotum ſupra *in d.* 1. *q.* 1. *&* 2. circa generis eſſentiã, rationibus expoſitũ, non repugnat, quod idem conceptus ſecundæ intentionis generis ſit vnivocé dicibilis de omnibus generibus primó intẽtionaliter diverſis, & per locũ intrinſecũ eãdẽ rationẽ generis primó intẽtionaliter repugnãtibus, vt diximus de animali, colore, ſubſtãtia, &c: ergo neq; repugnabit, quod idẽ ſit omnibus individuationibus intentionis cõceptus, etſi hũc, ſic primó intẽtionaliter repugnãtibus.

61 Formalizatur aſſomptũ, & eluceſcit noſtra literalis reſolutio, vt conformis Scoto, & vt combinanda cum primæ claſis Scotiſtis. Ex eo enim apud Scotum, & iam in *quæſt.* generis formatam rationem, poteſt dari vnitas ſecundæ intentionis generis, reſpectu vnitatum à parte rei repugnantium, quia vt eidem

Digitized by Google

ſecundæ intentioni generis ſubſint, ſat eſt, quod proportionaliter ſe habeant, videlicet, (inquit Scotus) quod ſicuti ſe habet color ad albedinem v. g. ſic ſe habeat animal ad hominem; ſed proportionaliter etiam ſe habent individua, quia ſicuti ſe habet Petreitas ad Petrum, ſic ſe habet Pauleitas ad Paulum, illo ipſo modo, quo prædicta genera ſe habent: ergo ſicuti in illis primó diverſis poteſt applicari eadem ſecunda intentio generis; & in iſtis primó diverſis poterit applicari eadem ſecunda intentio individui. Videantur dicta *in quæſt.* 1. *&* 2. *generis*, in quibus hæc corroborantur, & ſolutiones præcaventur.

62 Propugnatur 2. ex doctis, & eruditis rationibus Scoti in 12. *&* 8. *Vniverſal.* Si repugnaret prædictus inteotionis conceptus reſpectu individuorum, maximé, quia repugnaret ſingulari concipi ſub modo vniverſalitatis: nec non, quia repugnaret, quod poſt vltimum entis conceptum, adhuc alter perciperetur; ſed ex neutro repugnat: ergo. Maior eſt contratiorum Aquiles, vt ſupra in *art.* 1. prævidimus. Minorem probo quoad primum: quia non minus repugnat generi eſſe ſpeciem, quam repugnet individuo eſſe vniverſale; ſed vt in quæſtionibus citatis de genere expoſuimus, non repugnat, quod genus percipiatur ſub modo ſpeciei: ergo neque repugnabit, quod individuum percipiatur ſub modo vniverſalis. Maior, ni fallor, probabiliſsima videtur; quia genus intrinſecé eſt pars, & ſuperius ſecundũ ſe ſpeciebus: Deinde genus ſecundum ſe petit habere ſub ſe gradum infimum vniverſalem, vtpoté infimam ſpeciem: Denique ſunt ab intrinſeco diſtinctæ notiones, quæ ſine fictione non valent confundi; ſed non minus repugnat, quod pars ab intrinſeco non ſit pars, & quod ſuperius ſit inferius; nec non quod idem ſit ipſum, quod ſub ſe habetur, tranſeundo ad gradum infimum, quod infimum à ſe diſtinctum requirit; quam repugnet, quod ſingulare, infimum, & inferius tranſeat ad gradus oppoſitos: ergo cum id ſequatur ex vtroque gradus tranſitu, non minus repugnabit, quod genus ſit ſpecies, quam quod vniverſale ſit individuum. Vnde ait Scotus in 8. *Vniverſ.* quod hæc propoſitio, *plurale eſt ſingulare*, eſt vera, vt plurale accipitur *vt quid*, & ſingulare *vt modus*.

63 Prob. quoad ſecundam partem; quia non minus genus petit eſſe ante ſpeciem, quam ſingulare poſt vniverſale; ſed non repugnat, quod genus percipiatur ſub modo, qui ante ſpeciem non ſit: ergo neque repugnabit, quod individuum percipiatur ſub modo, qui poſt vniverſale non adſit. Maior perſuaſa manet in immediaté dictis, & ſecundum ſe currere videtur pariter. Minor explicatur ampliùs; quia genus, dum, vt definitur, concipitur ſub modo ſpeciei, non poteſt eſſe ante ipſum modum, ſub quo concipitur, aliàs denominaretur per formam, antequam percipiebatur exiſtens: ergo. Itaque, ſi quod eſt ſecundum ſe ante, poteſt percipi, ſub modo, qui ſit poſt; & quod eſt ſecundum ſe poſt, poterit concipi ſub modo, qui ſit ante: ergo ſi ſpecies, quæ eſt poſt genus, poteſt percipi, quin ſupra ſe habeat genus; & individuatio, quæ eſt poſt vniverſale, poterit percipi, quin repugnet poſt ſe habere vniverſale. Vnde Scotus in *q.* 12. *Vniverſ.* ait, *individuum eſt ſpecies reſpectu intentionis; & quomodo intentio diſparata prædicetur de altera, dictum eſt q.* 8. & à nobis in *q.* 1. *&* 2. *de genere; & in q.* 2. *de ſpecie, dub.* 1.

64 Propugnatur 3. non minus repugnat, quod à ſummé à parte rei actù idemptificatis (loquor nunc cum Auctoribus alterius claſsis à noſtra) abſtrahatur conceptus diſtinctionis, quam quod à ſummé à parte rei actù diſtinctis abſtrahatur conceptus idemptitatis; ſed à ſummé à parte rei actù idemptificatis, puta à prædicatis divinis, poteſt abſtrahi conceptus diſtinctionis, vel virtualis, vt Ieſuitæ, vel rationis, vt Angelici: ergo & à ſummé à parte rei diſtinctis, puta prædicatis numericis, poterit abſtrahi conceptus idemptitatis, vel per virtualitatem, vt primi, vel per rationem, vt ſecundi. Intendo aſſumptum. Non poteſt in his creatis eſſe elevatior gradus diſtinctionis, quam in illis divinis ſit elevatus gradus idemptitatis; quia ſi omnis excogitabilis diſtinctio ſit in creatis, omnis excogitabilis idemptitas eſt in divinis: ergo ſi cum omni excogitabili idemptitate poteſt abſtrahi aliquis conceptus diſtinctionis, & cum omni excogitabili diſtinctione poterit abſtrahi aliquis conceptus idemptitatis.

65 Dices, quod in creatis, iuxta opinionem noſtram non daretur omnis excogitabilis diſtinctio, ſiquidem magis diſtinguerentur individuationes, ſi ita diſtinguantur, quod neque vnitati per rationem relinquant locum. Contra; quia neq; in divinis, iuxta eorum opinionem, daretur omnis excogitabilis idemptitas, ſiquidem, ſi neque diſtinctioni per rationem relinquerent locum, magis idemptificarentur. Dices, quod in divinis datur omnis excogitabilis idemptitas, quæ poteſt compati cum Deitate; quia ſi talis idemptitas daretur, quod diſtinctionem per rationem impediret, non poſſent illa oppoſita, quæ ſolẽt verificari,

Digitized by Google

compati. Contra; quia etiam in creatis datur omnis excogitabilis diſtinctio, quę dari poteſt in creatis; quia ſi talis diſtinctio daretur in hęcceitatibus, quod vniformitatem per rationem impediret, non poſſet verificari propoitio, neque æqualitas in rationibus individuis, vtpoté, quod ſicuti Petreitas reddit hanc naturam, non vnam genere, neque ſpecie, ſed numero, ſic Pauleitas reddit aliam. Vnde foret impoſsibile formare cognitionem hæcceitatis, cum vnaquæque ſic foret diſtincta ab alia, quod ſi hæc ſic diſtinguebatur à genere, & ſpecie; altera non ſic, ſed aliter genus, & ſpeciem reſpiceret.

66 Dicent plures, quod ad prædictos conceptus hæcceitatis, ſufficit illa prædicta convenientia analoga. Contra pro nunc; quia ſimili modo poſſemus dicere, quod prædicata divina non diſtinguebantur abſoluté per rationem, ſed per analogiam; ita vt difficilimé poſſet impugnari, qui talem diſtinctionem vellet ibi ſtatuere. Vnde, ſicuti in creatis daretur convenientia analoga, non quia in re, & abſoluté per rationem daretur conceptus vnitatis, ſed quia dabatur proportio ad alia, quæ conſimiliter ſe habebant, dum talem vnitatem rationis habebant abſoluté, & ſic quod ad munera individuorum vniformia, talis vnitas analoga ſufficiebat; ſic pariter in divinis daretur diſtinctio analoga, non quia in re adhuc per rationem diſtinguerentur, ſed quia daretur proportio ad alia, quæ per rationem diſtinguebantur; quod ad munera divinorum oppoſita, æqué foret ſufficientiſsima. Deinde, quia ſi ex vniformitate hæcceitatum in ratione hæcceitatis, ſolum inferant convenientiam per analogiam, ſimiliter de omnibus conceptibus analoga convenientia poterat deduci; poſſet ſiquidem dici, quod omnia entia ſolũ proportionaliter conveniebant in ratione entis, & omnes homines in ratione humanitatis; quia ſicuti Petrus per ſuam humanitatem eſt homo, ſic & Paulus per ſuam. Vndé, vt recté notat Maſtrius, poſſent facilé quæcumqué præciſiones obiectivę evelli. Similia dicent, & evellent, qui convenientiam individuam, convenientiam per æquivalentiam adſtruant.

67 Propugnatur 4. & vltimó, illa electa ratione Scoti *in 1. d. 3. q. 3.* firma enim eſt omnibus doctrina, quod ad perfectam erectionem ſyllogiſmi in *Darij* requiratur, quod medium verbum ſit terminus vniverſalis, & vnivocus; ſed in ſyllogiſmo in *Darij* perfecté erecto, poteſt conceptus individui eſſe medium verbum: ergo & eſſe vniverſalis, & vnivocus. Maior eſt communis doctrinæ, cum in maiori propoſitione medium verbum ſit ſubiectum, de quo omni maior extremitas dicitur; & in minori ipſum medium verbum dicitur de aliquo, vt de tali aliquo poſsit maior extremitas dici in conſequentia, iuxta illud, *quæ ſunt eadem vni &c.* Minor non minus certa videtur, vt cõſtat ex hoc ſyllogiſmo: *Omne individuum eſt primò diverſum; ſed Petrus eſt individuum: ergo Petrus eſt primò diverſum.* Vbi non minus intrinſecé, & quidditativé, nomen, & rationem primi diverſi participat Petrus ex nomine, & ratione individui, ac per hunc ſyllogiſmum, *omne individuum eſt homo; ſed Petrus eſt individuum: ergo Petrus eſt homo*, participet nomen, & rationem quidditativam hominis, ex nomine, & ratione individui.

68 Dicent aliqui, quod per illum conceptum communem individuationis formatum in maiori propoſitione, non exprimitur aliqua ratio communis individuationis vt ſic, ſed immediaté, & indeterminaté omnes. Sed contra; quia illatio ex illa maiori deducta, eſt certa, & ex curſu ſyllogiſtico præmiſſarum evidentiſſima; ſed ex communibus Philoſophorum principijs, omnis evidentia per illationem pręmiſſarum, requirit determinatam, & ſtrictam vnivocationem in aliquo ex principijs: ergo quia per modum vnius exprimitur in illa pręmiſſa, conceptus individuationis vt ſic. Contra deinde; quia illa propoſitio, ſi ſic indeterminaté dicta de omnibus, poſſet deducere cognitionem certam, & ſcientificam, ſimiliter poſſet quilibet, circa omnia principia concluſionum ſcientificarum philoſophare, & ſic ab ſtricta ſyllogizationis armonia aures avertere. Itaque poſſet dicere, quod vt medium verbum foret vniverſale, & ſufficiens principiũ, vt maius extremum diceretur de minori, ſufficiebat; quod medium ita foret vniverſalius minori extremo, quod dum minus extremum ſolum pro vno ſupponeret determitaté, medium verbum indeterminaté ſupponeret pro omnibus.

69 Dicent alij, quod in minori propoſitione ſyllogiſmi datur æquivocatio penes nomen, ſiquidem hæc propoſitio, *Petrus eſt individuum*, idem exprimit in re, ac *Petrus eſt Petrus.* Sed contra; quia per curſum ſcientificum habeo ex illo ſyllogiſmo notitiam de eo, quod Petrus ſit primò diverſum: ergo ly *individuũ* in minori, non exprimit idempticum, ſed maioris extremi vniverſalem gradum. Dices, habere certam notitiam de eo, quod Petrus ſit individuum, ſeu primó diverſum, quia ad hanc notitiam ſufficit, quod ſciam, quod Petrus ſit Petrus. Contra; quia vt in alio ſyllogiſmo certam notitiam haberem de eo, quod Petrus

erat

Digitized by Google

erat homo, ſufficiebat ſcire, quod Petrus erat Petrus, & ſic à cognitione cuiuſvis individui completi in concreto, vt à primo principio omnes gradus prædicamentales deducere. Contra deinde; quia etiam in ratione, iſtæ propoſitiones non convertuntur, v. g. *Petrus eſt individuum: ergo individuum eſt Petrus*. Dices, quod illa ratio individui, quæ eſt in Petro, convertitur cum ipſo, quia talis ratio eſt Petrus, & ſic idem eſt dicere, *individuum eſt Petrus, ac Petrus eſt Petrus*. Contra; quia individuum habet nomen, & rationem: ergo ſi ratio individui idem exprimeret, ac Petrus, v. g. *individuum: ergo Petrus*, ſequeretur, quod Petrus foret individui omnis ratio. Contra deinde; quia ſimiliter poſſet quis ipſum principium petere, in quibuſcumque, & ſic dicere, quod idem erat Petrus eſt homo, ac Petrus eſt Petrus, quia Petrus ſolum dicitur homo ab illa natura, quam habet in ipſo, quæ in ipſo eſt Petrus. Itaque, cum ratio individui concepta, omnem illam communitatem reſpectu huius, & illius infundat menti, quam quilibet alius gradus, non poteſt à paritate aliquid opponi, quod ſcoticam reſolutionem evertat.

70 His ita præiactis, reſolvo controverſiam cum Scotiſtis, & dico primó, Scotiſtas omnes, qui Rotherici, & Maſtrij expoſitiones ſequantur, debent dicere, quod prædicta vnitas rationis debet fundari ſupra proportionis vnitatem, ita vt proportio, non ſit formaliſsima vnitas intentionis individuæ, ſed fundamentum, & occaſio, (vt aiebat Scotus) vt intellectus ſine rerum primó diverſarum repugnantia, poſsit excitare vnum conceptum rationis, ſub quo omnes illas res percipiat, & per eamdem definitionem exprimat; eo modo, quo *in q. q. de genere* diximus, quod etſi omnia genera nullum habeant conceptum primó intentionalem, quo vnivocé definiantur, ſin autem dant occaſionem ex omnium proportione, vt omnibus vna ſecunda intentio generis competat, ſub qua omnium generum rationes definiri queant. Videantur dicta *in q. 1. generis* in ſolutione primi argumenti, in quo quilibet Scotiſta, præſentem reſolutionem inveniet in Scoto evidentiſsimam. Videantur etiam dicta *in q. 2. generis*, præcipué in prima ratione reſolutionis. Itaque ſic prædictorum Scotiſtarum intelligentiam admitto; aliter veró eam reprobo.

71 Sic dico ſecundó, ſiniſtré ſcotizare omnes illos, qui præfatum rationis conceptum denegent. Primó, quia Scotus, vt vnam rationem generis omnibus generibus inveniat, ſolum requirit proportionem, vt paſsim diximus: ergo eſtó vnitas proportionis detur in individuis, non poſſum cum fide Scoti, prædictæ rationi diſſentire. Deinde, quia Scotus certiſsimé deffendit in ſupra citatis *q. q. Univerſal.* quod poteſt intentio individui percipi vt modus ſpecificus: ergo vel debent dicere, quod in ſecunda intentione ſpeciei non datur conceptus vnitatis; vel debent concedere, quod talis conceptus vnitatis datur in individuis, ſiquidem in iſtis dari poteſt apud Scotum conceptus ſpeciei. Hæc ſunt evidentiſsima apud doctrinam, & literam Scoti, quin hinc aliqua ſophyſtica expoſitione abutamur. Corroborabuntur, & eluceſcent ampliús in ſolutione argumentorum.

SUBART. II.

VNICUM DILUITUR ARGUMENTUM.

72 Argumentum, ex quo impetuosé in noſtram reſolutionem contrarié ſcotizantes irruunt, formatur ex irrefragabili doctrina Scoti, à me diffusé expoſiti in *lib. 1. Entis intentionalis*, præcipué in *q. 1. & 2.* in quibus firmiter docet Scotus, quod non poteſt intellectus, adhuc intentionaliter applicare, & concipere in naturis id, quod ipſæ naturæ ſecundum ſe repugnant: ergo ſi à parte rei individuationes ſunt primó diverſæ, & ſecundum ſe convenientiam repugnantes, erit imperceptibile, quod adhuc intentionaliter poſsit intellectus, ſine intelligibili contradictione, communitatem in eis concipere. Id ipſum docet Scotus in *2. Reportator. d. 12. q. 5. verſ. contra, non quæritur &c.* Vbi ſic arguit de natura *hac*: illa natura extra animam, quæ in eſſe ſimpliciter eſt *hac*, ex ſe eſt talis, quod repugnet communicari pluribus; ſed natura ſpeciei eſt talis per te (loquitur Scotus contra opinantes, ſubſtantiam materialem eſſe de ſe *hac*): ergo ei repugnat, pluribus communicari. Confirmat Scotus intentum in aliquibus. Primó in natura divina, quæ nequit pluribus alijs individualibus communicari, quia de ſe eſt *hac*. Secundó in ratione Philoſophorum; quia cui ex ſe convenit vnum oppoſitorum, ſibi repugnat ex ſe oppoſitum aliud eſſe; ſed eſſe ex ſe *hac*, & poſſe communicari pluribus, ſunt oppoſita: ergo cui competat eſſe *hac*, ſibi repugnabit poſſe communicari pluribus. Vltimó, hæc omnia iterum confirmat ex contradictione intelligendi; quia ſi eſſentia extra animam determinat ſibi quod ſit *hac*, intellectus intelligens eſſentiam, vt vni-

Digitized by Google

vniverſalem, intelliget eam, vt repugnantem obiecto extra animam: ergo ſi lapis extra animam in eſſe ſimpliciter ſit *hic*, intelligens lapidem, vt vniverſalem, ſub oppoſito modo intelliget ipſum. Hæc Scotus in *Reportat.*

73 Conſimilibus verbis, & doctrinis Scoti, ex 2. *ſenten. d.* 3. *q.* 7. deductis, reſpondet Doctiſsimus P. Maſtrius ex doctrina ipſius Scoti in 1. *d.* 26. *q. Vni.* dicendo, quod prædictis, ſolum probatur, individuationem vt ſic non poſſe dici vniverſalem, & communem eſſentialiter vt *quid*, ſicuti dicitur natura humana, quæ re vera præſefert realitatem pluribus communicabilem; non tamen probatur, quod non poſsit dici, & concipi ſub ratione vniverſalis, denominativé, & vt modus: non enim eſt novum, quod vnum oppoſitum poſsit ſic à ſuo oppoſito denominari per ſupervenientem intentionem, vt docet Scotus de genere, quod dicitur ſpecies; ſic æquivoca, quatenus definiuntur, dicuntur vnivoca, denominativé, & vt modus: & ſic in propoſito, ſingulare poterit vniverſale denominari. Sic Joan. Anglic. in expoſit. *q.* 24. *Vniverſ.* ait: *Crede mihi, quod mirabilis eſt natura ſecundarum intentionum, & præcipuè differentiarum.* Itaque Scotus loquitur de vniverſalitate, quæ fundatur in natura veré communicabili pluribus à parte rei, atque multiplicabili, quam vniverſalitatem, ſicuti nequit fundare natura divina, quia de ſe *hæc*, nequé obidem eam ſundabit individuatio. Sic etiam ſatisfecit Rothericus in *q.* 1. *de ſpecie art.* 7. Optima ſunt iſta; ſunt tamen magis intendenda; de quo videbitur, poſita prius ſequenti inſtantia.

74 Inſtabis, quod ſic, natura etiam divina poterit eſſe vniverſalis, ſeu ſaltim fundare vniverſalitatem, quam poteſt fundare individuatio. Reſpondet Maſtrius, quod quamvis tam divina eſſentia, quam individuatio ſit à parte rei *hæc*; adhuc tamen cum maiori fundamento poſſe concipi individuationem ſub ratione vniverſalis, quia individuationes ſunt plures à parte rei, & vlterius quamdam habent inter ſe ſimilitudinem, & convenientiam à parte rei, ſaltim virtualem, & fundamentalem in modo conſtituendi, & diſtinguendi individua, quod non habet divina eſſentia, quæ eſt vnica à parte rei, nec aliam naturam conſimilem formaliter, aut ſaltim fundamentaliter à parte rei habere poteſt, quo fit, vt ei omnino repugnet concipi ſub ratione vniverſalitatis.

75 Hæc ſolutio forté non ſic placebit vt prima. Primum, quia ſaltim à perſonalitatibus divinis poſſet abſtrahi conceptus, qui foret ſic vnivérſalis, ac ab vltimis hæcceitatibus abſtractus, cum iam detur pluralitas, & in modo perſonali conſimilitudo, pari paſſu, ac in primó diverſis. Secundó, quia etiam in divinis dantur plures hæcceitates; quod efficaciter ſuadetur ex eo, quod licet eſſentia divina de ſe ſit exiſtens, tamen plures dantur exiſtentiæ notionales apud plures: ergo licet natura divina de ſe ſit *hæc*, plures ſic dabuntur hæcceitates. Tertió, ex eo, quod hæcceitas divina cum vna ex hæcceitatibus creatis, ad ſummum, poteſt eſſe ſummé, & omnimodé diverſa: ergo poſſet ſimiliter abſtrahi conceptus ſummé, & omnimodé diverſus, quia tunc iam eſſent plures, & æqualiſsimam haberent diverſitatem. Suadetur hoc, quia dum conceptum individuationis cupimus abſtrahere, non quærimus viam conveniendi, vtpoté, quod ſint entia, quod ſint creata &c. Sed ſolum intendimus diverſitatem, ita vt nec oblviſci eſſe creati, talem conceptum impediat, imó quo remotiores ab ſpecie, & alijs gradibus, in communitate intenduntur: ergo etſi aliquis non poſſet concipere vnquam hæcceitatem ſine Deitate, cum tunc magis diverſa forent, poſſet exprimere conceptum *magis diverſorum*, ſicuti dicebat Maſtrius de æquivocis. Quarto, quia hæcceitas divina eſt incommunicabilis cum ſui multiplicitate: ergo conſimiliter ſe habet ad omnia ſine ſui multiplicitate incommunicabilia, vtpote cum Petro, & quam pluribus: ergo poſſet concipi inadæquaté incommunicabilitas, & ſic excitare vniverſalitatem hæcceitas divina, ſicuti in initio *Subart.* 1. concipiebat Maſtrius individuationem inadæquaté.

76 Reſpondendo ad omnia, & in primis incipiendo à ſubſtantia argumenti, dico, quod tametſi in individuationibus non adſit omne illud ſundamentum, quod in natura earum ſpecifica adeſt, adeſt tamen vnitas proportionis, quæ ſufficienter excitat intellectum, vt ſine intelligibili contradictione, vnitatem tationis abſtrahat. Quomodo autem, etſi vnitas proportionis ſit minor, & debilior vnitate rationis, poſsit iſtam fundare, manet *in argum.* 1. *q.* 1. *generis*, declaratum. Videantur illa, ne dicta repetantur. Vnde dicimus, quod communitas, & vniverſalitas, quæ adhuc per rationem individuis repugnat, dicitur illa communitas, quam habet natura ſpecifica Petri v. g. & quam repugnat Petrus, vt ſuamet natura eam habeat; quia cum Petrus debeat ſecundum ſe non dicere, quod natura dicit de ſe, & hæc de ſe dicat eſſe communem, & non eſſe de ſe *hæc* ſecundum aliquid reale naturæ, id dicere Petrus de ſe, repugnat, cum ſic de ſe dicat eſſe

hic,

Digitized by Google

bir, & ita, quod prout hic conceptus eſt contrapoſitus conceptui communi naturæ, nunquam ſine figmento, & contradictione poſsit eſſe ſic communis; & ſic reſpectu communitatis naturæ ſemper manet ſingularis. Qua propter vnitas, & comunitas rationis non habet aliud fundamentum, quam proportionis vnitatem; at vnitas, & vniverſalitas naturæ, non proportionem, ſed ſuam aptitudinem, & vnitatem intrinſecam habet pro vniverſalitatis fundamento, quod cum ſit elevatius, & elevatior erit eius vniverſalitas; ita, *vt ex fundamentis percipi poſſit ſingularitas in individuis, & communitas in natura, ſi fundamentorum adſit contrapoſitio*. Hæc, ſequenti inſtantia declarata manebunt.

77 Inſtabis, nunquã exacte argumento ſatiſfieri, quia cum Scoto *in q. q. Vniverſ.* diximus, quod à parte rei nullum dabatur vniverſale, taliter quod vnitas vniverſalis naturæ, foret vnitas rationis, & ſic natura ſolũ per rationẽ manebat completé vniverſalis; ergo ſi natura vniverſalis, v. g. humana, in eſſe vniverſalis completur per rationem, ſicuti hæcceitates per rationem vniverſalizantur, gratis, & ſine fundamẽto dicimus, quod ſemper hæccetatati, adhuc per rationem, repugnat vniverſalitas, quę ſic naturæ non repugnat. En difficultatem in altiori gradu poſitam. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, & paritatem. Diſparitas ſtat in hoc, quod inſtantia dicit, videlicet, quod natura per rationem compleatur in eſſe vniverſalis, dum talem completionem negem in individuis. Itaque dico, quod natura ita eſt vniverſalis, quod etſi per rationem fiat vniverſalis, attamen cum illa forma rationis, manet entitas realis naturæ, ita vt vniverſale ibi, ſit concretum ex ipſa natura reali, & forma rationis, dum enim fit illa vniverſalitas, abſtrahitur natura humana realis, & realis aptitudo naturæ, quæ omnes manent, cum ipſæ abſtrahantur, comparentur, & vniverſalizentur: vnde fit, quod etſi per vnionem intentionalem, ſed tamen natura, ſeu aliquid reale naturæ, communicetur omnibus &c; at autem dum ab omnibus individuis abſtrahitur vniverſalis ratio Individui, non abſtrahitur aliquid reale intrinſecum alicuius, ita vt Petrus, aut Paulus abſtrahantur, vt ex ipſis, & ex vnitate rationis formetur aliquod vnum concretum, dicens formam rationis, & Petreitatem, & Pauleitatem inſimul, aut vnum ex duobus; hoc enim modo repugnat ipſis vniverſalitas; & eo ipſo modo eſt intelligendus Scotus, & ſolvenda, quę ibi in contrarium ſunt adducta. Hæc nimis nota, & capies doctrinam Scoti, videlicet, quod datur vniverſalitas ex realitate ad realitatem, & quod in tantum non datur alia; quia prima eſt vniverſalitas ex realitate, & ratione; ſecunda veró puriſsimæ rationis eſt vniverſalitas. Itaque nunc cognoſces, quod ſupra dicebam, videlicet, quod inſpectis fundamentis vniverſalitatum, & vniverſalitatibus contrapoſitis, ſemper individuis contradicit vniverſalitas naturæ, reſpectu cuius, ſemper cognoſcuntur vt ſingularia.

78 Inſtabis, & non leviter, dicendo, quod ſi Vniverſalitas individuorum ſit puræ rationis, vt dicebamus, ſequeretur quid oppoſitum Scoto, & rationi, videlicet, quod poſſet dari ſecunda intentio ſine re, & forma rationis ſine ſubiecto; malé igitur diximus, penes hoc illas vniverſalitates diſtingui. Antequam directé inſtantiæ reſpondeam, noto ſemper, firmam eſſe doctrinam ſupra præfatam apud Scotum, qui in *qodlib.* 13. *art.* 2. *verſ. de prima relatione*, duplex genus relationum rationis diſtinguit. Primum tale, quod non ſit puræ rationis, ſed mixtum, v. g. dum cognoſcitur actus in ordine ad obiectum. Hinc relatio eſt mixta ex reali, & rationis, eo quod per cognitionem referatur actus ipſe, qui ſecundum ſe refertur. Secundum eſt tale, quod ſit puræ rationis, vt dum cognoſcitur vnum obiectum in ordine ad aliud, dum in ipſis ſolum ad relationem adeſt proportio. Sic pariter circa exhibitam doctrinam eſt diſcurrendum de vno, & altero vniverſali circa Scotum. Sed vt exactiùs reſpondeatur, in proprijs terminis ſolutionem adaptabo; tametſi nunc dicta poſſent ſufficere, vt patet in obiectis, quæ non referuntur in re, ſed in proportione, & huic ſufficit, quod inſit ſecunda intentio relationis, vt nunquam ſine re ſit.

79 Reſpondebis igitur cum Maſtrio, dicendo, quod illa realitas, quæ à parte rei dicitur hæcceitas, poteſt inadæquaté concipi, vt convenit cum alia hæcceitate in munere faciendi differre, & tunc induit modum contrahibilis: vnde per intellectum inadæquaté concipientem, eadem prorſus realitas à parte rei dividi poteſt, & partiri in duos conceptus, quorum vnus ſit communis, & contrahibilis, alter proprius, & contractivus. Sed contra; nunquam ex his diſſolvitur inſtantia; vel enim conceptus partitus habet aliquid Petri in re, vel non habet? Si habet: ergo ſicuti vnitas naturæ ſpecificæ eſt communicabilis, conflata ex realitate, & ratione, ſic & vnitas individuationis ex realitate, & ratione, communicabilis erit; ſicque omnem Scoti doctrinam evellimus. Si non habet; ſequitur, quod datur forma rationis ſine

re:

re; & deinde inſtat primum argumentum, videlicet, quod intellectus non poſsit partiri impartibile, neque dividere, quod de ſe eſt indiviſibile, quin ipſi adſit intentionalis contradictio.

80 Reſpondeo tamen pro Scotiſtis, in ſubſtantia doctrinæ nobiſcum conſentientibus, & dico, quod vt vnitas rationis adſit in individuis, ſolum requiritur, quod intellectus conferat individuorum proportionem, quibus ſic collatis, reſultat ſecunda intentio individui, ſeu forma rationis, fundata, vt in proximiori fundamento, in vnitate proportionis, quæ eſt vnitas in re. Vnde ad illud, quod ſecunda intentio foret ſine ſubiecto, dico, quod illa ſecunda intentio, quodcumque individuum pro ſubiecto haberet, cum cuicumque ineſſe poſſet, & vnumquodque in actu exercito ab ipſa denominari, cum eius ratio eſſet vniverſaliter participabilis. Si enim inſtantia intendat, quod eſſe communicabile eſt purè intentionale, & in hoc ſenſu formam cõmunicabilem ſine realitate percipiat; concedam; ſed nil contra Scotum, quia dum Scotus dicit, quod non poteſt eſſe ſecunda intentio ſine re, non loquitur de re, vt inſimul communicabili cum intentione, ſed de re, vt ſuſtentante, & exercente, quod ſecunda intentio pura ratione ſignat. Patet in ſecunda intentione generis, quæ rem non ſic petit, ſiquidem genus dicitur de animali, colore, &c. & tamen res non ſic omnibus generibus primò intentionalibus communicatur. Vnde noſces differentiam naturæ vniverſalis ab individua; ſiquidem in illa, res informata ratione eſt cõmunicabilis; at hæc, ſola ratio excitata à proportione, communicabilis redditur.

81 Inſtabis adhuc, & dices, quod ſaltim individuatio erit quid communicabile, ex vno in proportione, & ex intentione conflatum; ſed vnitas proportionis eſt vnitas in re ex Scoto *in q. 1. de genere*: ergo nunquam diſcriminantur vniverſalitas naturæ humanæ v.g. & vniverſalitas individuationis. Reſpondeo ad primum, in quo viget paritatis intentum, & breviter dico, nil inferri, quod propoſitum impediat. Signo rationem in hoc, quod vnitas proportionis non poſsit aliquid prodeſſe ad conflandum aliquid cum forma communicabili, eo quod dicere vnum in proportione, ſit formaliter, nil dicere vnitatis, imò eſt dicere plura, vt formaliter debent aliquam vnitatem importare; ſicque ſolum occaſionaliter conducit ad ſtrictam rationem vnitatis, vt *in q. 1. de genere* dicebam cum Scoto, & nulla forma cum occaſione facit vnum, ſed habet diſpoſitionem, vt agens, ſive intellectuale, ſive phyſicum, vnum erigat à proportione occaſionatum. Denique, quia ſi inquietus maneat inſtans, poterit clarè, & breviter dici ad primam inſtantiam, quod dũ ratio, ſeu eſſe intentionale individui intelligitur ſub modo ſpeciei, & vniverſalis, tunc iam eſt *quid*, & intentionale primum, cum ſic ſit in actu exercito communicabile; eſt tamen notandum, *quod eſt, quid ex reflexione mentis, & eſt quid in rationis linea*. Vide art. ſequentem.

82 His ita, reſtat nunc reſolvere, quid ſit dicendum circa inſtantiam primam factam contra Maſtrium, adhuc per puram rationem, naturam divinè individuam poſſe eſſe vniverſalem, negantem. Contra me etenim, illæ rationes nil habent, propter dicta *in lib. 3. vniverſ. q. vltimæ*. Sed tamen cum doctrina Maſtrij mihi ſemper foret gratiſsima, reſpondere intendam, dicendo, nil inconvenite, quod à perſonalitatibus, & hecceitatibus notionalibus abſtrahatur conceptus, qui ſit vniverſalis. Similiter dicerem ſine Maſtrij offenſa, quod ab eſſentia, ſeu hæcceitate incommunicabili, & alijs non minus penes multiplicitatem incommunicabilibus poſſet talis conceptus abſtrahi, & ſic concederem de reliquis. Ratio eſt; quia ex hoc nunquam ſequeretur, quod hæcceitas divina foret vniverſalis, quod ſolum renuere poterat Maſtrius, ſed ſolum, quod poterat eſſe terminus à quo, veluti ab alijs, poſſet abſtrahi vniverſalitas. Quod ex hoc non ſequatur eſſe vniverſalem, patet in Petreitate, à qua, & à reliquis poteſt abſtrahi conceptus vniverſalis, quin Petreitas, aut reliquæ ſint vniverſales: ergo &c. Hoc ſentio admittendum à Maſtrio, quia aliter, invencibilis, ni fallor, reſtabit paritas.

83 Alia argumenta prævidi, quæ conſulto ommitto, cum à perfectè intuente præfatam Scoti doctrinam, nullius ſint roboris, quod ſciam. Noto tamen hinc, quod etſi ab individuis abſtrahatur ratio individui, quæ ſub modo ſpeciei denominetur, nunquam ſequitur, quod abſint duæ ſpecies infimæ reſpectu eiuſdem lineæ. Deducitur ex eo, quod natura humana v. g. eſt ſpecies infima reſpectu Petri, & Pauli v.g; at autem ſpecies individuationis, ſeu individuatio ſub modo ſpeciei, erit infima reſpectu cuiuſcumque conceptus individuationis contractivi, & eam participantis. Vnde debes inferre, quod talis individuationis conceptus ſub modo ſpeciei reſpicere poteſt genera, & ſpecies, vt inferiora; quia ſi genus, vt dicitur de omnibus generibus, ſolum

ſum habeat inferiora numero diſtincta, v. g. hoc,& illud genus;& ſpecies ſubijcibilis,prout dicitur ſub modo ſpeciei de omnibus ſubijcibilibus, ſolum numero diſtincta ſubijcibilia habeat,& ſic de reliquis;ab omnibus illis hæcceitatibus ſub conceptu individuationis poterit ſimiliter prædictus individuationis conceptus concerni,& abſtahi.

ART. II.

EXPENDVNTVR, QVÆ DE INDIviduo pro nunc reſtant.

84 EX dictis facilé poteris modo inferre, qualiter individuum ſit definibile. Itaque individuum, vt eſt ens reale, & vltima determinatio eſſentiæ metaphyſicæ,non poteſt definiri, cum ſic non habeat eſſentialiter differre, nec eſſentialiter convenire; ſicque, cum nil ſit eſſentiæ in individuo præter eſſentiam ſpeciei, inde eſt,quod ſolum per definitionem eſſentiæ poſsit ipſum habere definitioнē. Et ſi intendas ſemper ſiſtere in hoc,quod individuum,quomodocumque acceptum, poſsit explicari;dicam, quod ſi explicationi duplicem conceptum attribuant, tunc iam explicabitur individuum, vt ſubeſt ſecundæ intentioni, de qua ſupra diſputavimus; ſin autem aliter explicationem dare cupiant, reſolvam, quod ſic, nullum ens poterit dari, quod explicationem repugnet, imò ens indefinibile, poterit ſimiliter explicationem habere. Videantur *in lib. 1. q. 1.* His ita

85 Maior confuſio ſtatat circa definitionem individui, tam prout ſubeſt ſecundæ intentioni ſubijcibilitatis, quã prout ſubeſt ſecũdę intentioni prędicabilitatis.Communiſsimũ enim eſt apud omnes, prædictã noſtrã opinionem tuentes,quod individuum ſecundó intentionaliter,vt eſt ſpeciei correlativum,dicitur, *id, quod ſpeciei immediatè ſubijcitur*; & ſic prout induit ſecundam intentionem aliter verſã,dicitur, *quod de vno ſolo prædicatur*. Nũc igitur excitatur difficultas penes hoc,quod ratio individui eſt vniverſalis;& vniverſale non eſt de vno tantum prędicabile:ergo malé dicitur, quod de vno tantũ ſit prædicabile individuum. Deinde,ſi individuũ ſit de vno tantum prædicabile,difficilé poterit definiri,cum hoc ſit vnicũ motivũ, vt individuũ primó intẽtionaliter non valeat definiri,ſed ſolũ aliqua notificatione explicari.Hæc eſt difficultas eiuſdẽ modi,ac illa de genere,ſub modo ſpeciei definito; nec non ac illa alia de ſpecie ſubijcibili ſub modo vniverſalis,& prædicabilis,pluribus inferioribus cõmunicabili ex definitione,cum verum ſit, quod ſpecies ſubijcibilis ſit definita per eſſe aliquid,nõ inferiora,ſed ſuperiora cõcernens;ſicuti individuũ eſt definitũ cõcernens vnũ,cũ verum ſit,quod ex definitione pluribus maneat cõmune. Videãtur dicta *in q. 1. de ſpecie*,in reſolutione circa ſecundum, vbi manet huic puncto præparatum exemplar.

86 Dicẽdũ eſt igitur iuxta doctrinã Scoti *in 12.& in 15. Vni.* quod individuum primó habet eſſe terminũ realẽ naturæ ſpecificæ, v.g. Petrus;quo pacto manifeſté cognoſcitur,quod Petrus v.g.nõ ſit vniverſalis, quia ſic potius eſt terminus infimioris vniverſalitatis, & terminus infimioris vniverſalitatis vniverſalis non eſt; aliàs vniverſalitas, cuius eſt terminus,non poſſet eſſe infimior vniverſalitas,vtpoté infima ſpecies. Deinde, Petrum, qui eſt à parte rei hic,conſiderat intellectus ſub natura ſpecifica à parte rei contentum, etſi negativé;quo modo relinquitur in Petro ſecunda intentio ſubijcibilitatis ad ſpeciem;etſi conſideret ipſum Petrũ in ordine ad ſuam propriã hæcceitatẽ de ipſo dicibilẽ, relinquitur in Petro ſecunda intentio prædicabilitatis de vno. Vbi debes notare,quod vſque adhuc,nulla datur vniverſalitas in individuatione. Ratio deducitur ex exacto exemplari ſpeciei ſubijcibilis,in qua invenies,quod non ſit per infallibilem illationem,eſſe vniverſale aliquid, ex eo quod ſubſit ſecundæ intentioni,ſi non intẽdatur reflexio,vt patet in ſpecie ſubijcibili,cuius natura realis, vt ſubeſt ſecundæ intẽtioni ſubijcibilitatis,nõ poteſt dici vniverſalis; ſicuti nec ipſa ſecunda intentio ſubijcibilitatis poteſt dici vniverſalis, prout habet eſſe ſecundã intentionẽ,& modũ,quouſque per reflexionẽ ad omnia ſubijcibilia tranſit ad eſſe rem,& quid,& ſic ſubeſt ſecundæ intentioni prædicabilitatis,quę remanet modus. Nunc ſic: in puncto vniverſalizandi non debet aptiùs diſcurri de ſecunda intentione individui,quam de ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis, imò ſi minus diſcurri poſsit de aliquo ex duobus, debebit eſſe de individuo, cum ſit vniverſalitati contrapoſitum; ſed de ſecunda intentione ſpeciei ſubijcibilis non potuimus ſine vlteriori reflexione diſcurrere vniverſalitatem: ergo monſtruoſum foret,ſic eam diſcurrere de ſecunda intentione individui.

87 Debes igitur ſic hoc percipere,quod ſicuti dum ſpecies ſubijcibilis definitur,tunc iam ſecunda intentio, quæ definitur, deperdit eſſe modum,& trãſit ad eſſe rei,& *quid*,ita vt tunc intelligatur ſub modo vniverſalis, & ſecunda intentione prędicabilis,cũ ſubijcibile, vt definitione expreſsũ,ſit ſub modo ſpeciei prędicabilis,cõmunicabile *quid* omnibus ſubijcibilibus,ſiquidẽ ille cõceptus definitionis,v.g.*quod eſt generi immediatè ſubiectum vt ad ſuperius*,eſt de omnibus ſuperioribus ſubiectis prę-

dicabile; ſic pariter, dum ſecunda intentio individui,quæ modificabat petreitatem v.g. definitur, tunc iam fit reflexio , & novus intentionum adeſt ſtatus, ita vt ſecunda intentio vt quo prædicabilis de vno,tranſeat ad eſſe *quid*, & res,ſub modo,& ſecunda intentione prædicabilitatis de pluribus : vnde, ſicuti conceptus reſpiciendi ſuperius tranſit ad eſſe *quid* plura habens inferiora , ſic conceptus individui , vt definiti per eſſe prædicabile de vno, tranſit ad eſſe *quid*, habens plura , de quibus prædicetur: & deinde, ſicuti ſpecies ſubijcibilis ſolum definitur,vt eſt *quid* commune ſub ſecunda intentione prædicabilis; ſic ſecunda intentio individui,dum definitur, eſt *quid* commune ſub ſecunda intentione ſpeciei,ita vt valeat tunc hęc prædicatio *Individuum eſt ſpecies*, ſicuti valuit, *genus eſt ſpecies, ſubijcibile eſt prædicabile*; in quibus prædicatum eſt modus , & intentio,& ſubiectum eſt quid,& res.

88 Deinde etiam, ſicuti dum genus concipitur ſub ſecunda intentione ſpeciei,& ſubijcibile ſub ſecunda intentione prædicabilis, tametſi quod eſt genus,vt res,& ſubijcibile, vt res,ſit exercitum communicabile omnibus generibus , & ſubijcibilibus , quia omnia ſunt ſubijcibilia , & genera; non autem eſt ſic dicibilis de illis , nec modus ſpeciei reſpectu generum,nec modus prędicabilitatis reſpectu ſubijcibilium,quia nullum genus ex inferioribus generis eſt ſpecies,nec vllum ſubijcibile ex inferioribus ſubijcibilis ſpeciei eſt prædicabile; quia ſpecies reſpectu generis ſolum eſt ratio, & forma in actu ſignato , vt genus dicatur vt res reſpectu omnium generum in actu exercito,& idem de ſubijcibili. Sic pariter,etſi ratio individui ſub ſecunda intentione ſpeciei ſit res exercitè dicibilis de omnibus individuationibus,quia omnes iuxta illum conceptũ individuationis ſunt individuationes;at autẽ ipſa ſecunda intentio ſpeciei, & vniverſalitatis , ſub qua conceptus obiectivus eſt quid cõmunicabile,non eſt de vlla ex individuationibus illius conceptus dicibilis,cũ nullũ individuũ ſit ſpecies,nec vniverſale.Ipſa enim ſolũ eſt id à quo, vt à ratione formali, conceptus obiectivus eſt exercitè omnibus cõmunis. Etſi deinceps ſupra ſecundã intentionẽ ſpeciei, cui ſubeſt cõceptus individuationis,qui eſt iam res,reflectere velis, bene poteris, ſed tunc iã illa reflexio,& cognitio ad ſcientiã individui non ſpectabit , ſed ad ſcientiã ſpeciei,quia tũc nil manet individuationis,nequè vt res,nequè vt modus, cũ res ſit iã ipſa ſecunda intentio ſpeciei ſub modo prędicabilitatis propriæ, vt de pluribus numero, &c. ſicque abolebitur individuationis conceptus,& eius ſpecialis habenda ſcientia,vt aboleretur conceptus generis ſub modo ſpeciei , ſi ipſum modũ ſpeciei vellet aliquis reflectendo definire. Noto hinc,quod quidquid diximus de notione individui, vt prædicabilis, debet dici de notione individui, vt ſubijcibilis.

89 Tandẽ,quod cõceptus individui debeat eſſe cõmunis,vt ſub modo ſpeciei,(loquor cum Auctoribus nobiſcũ conſentientibus)& non vt ſub modo ſecundæ intentionis individui,convincã efficaciter ex eo,quod ſi ſub ſecunda intentione individui,cõceptus aliquis individuationis foret res exercitè cõmunicabilis, ſequeretur , quod daretur aliquod prædicabile de pluribus,quod in quinario numero prędicabiliũ non imbiberetur:ergo ſi conceptus obiectivus individuationis eſt in actu exercito expedibilis,debebit talis eſſe,prout ſub ſecũda intẽtione ſpeciei fiat vniverſaliter intelligibilis. Vnde prædicatio individuationis de hac , & illa individuatione, erit prædicatio ſpeciei de numero differentibus. Itaq; noto in fine,quod dũ omnibus individuis damus conceptũ communicabilẽ, ipſũ damus ſub modo,& ſecunda notione ſpeciei, ita vt cõceptus individuationis,prout eſt cõmunis,ſit res,& *quid*, ſeu commune *quod*,& exercitè,& modus, quo eſt cõmunis, ſit ſecunda intentio vniverſalitatis, & ſpeciei,quę eſt ratio in actu ſignato, vt individuatio dicatur in actu exercito. Ita Scotus in 12. *Vniverſ. ad* 3. vbi ait, *dico, quod individuum eſt ſpecies reſpectu intentionis* ; valet enim dicere, quod individuũ vt ſic eſt ſpecies, quæ prædicatio eſt prędicatio modi de re,cum ſpecies ſit modus,& modus valet dici,de re,nõ autẽ modus de modo, vt in vniverſalibus paſſim docet Scotus. Hæc ſic ad longum explicui, quia non ignoro, quam magna ſit apud plures ex terminis confuſio;ad quam omnimode vincendã debes nimis ſtare in exemplari in ſpecie ſubijcibili poſito,recurrendo ad illius normã, ſi aliquid cõtradicta de individuo opponatur.

DISTINCTIO III.

De Differentia.

1 DE differentia quamplurimæ ſolent excitari difficultates , cum quamplurima ſub differentiæ voce confundãtur. Aliqui enim de differẽtia, vt primò intẽtionaliter intellecta,exactã hinc relinquere notitiã curant:in quibus ego, Scoti pro-

proſequens normam, de differentia primó In- tentionali ſolum attingam, quæ de alijs ſecun- darum notionum fundamentis, ad earum in- telligentiam attingere ſolebam.

2 Circa differentiam igitur, Doctor noſ- ter plura movet ſcitu digna à *q.* 23. *Vniverſ. vſque ad q.* 30. In primis, differentiam divi- dit in proprijſsimam, propriam, & commu- nem. Deinde varia differentiæ munera ſignat, iuxta quæ plures definitiones Porphyrij diffe- rentiæ applicat, & in earum explicatione, quę- nam debeat eſſe huius tertij prædicabilis conſ- titutiva, ſignat; de quibus omnibus, vt iam mo- ris eſt, quæſtiones expendam. Sed vt aliqua di- cendorum præcedat notitia, poteſt breviter adverti, quod differentia eſt in triplici diffe- rentia, videlicet, proprijſsima, propria, & communis. Proprijſsima dicitur, quia eſt for- ma, à qua quidditativa natura intelligitur prius diſtincta ab alijs, ſicuti & prius conſtitu- ta in ſe: v. g. rationale reſpectu hominis. Pro- pria dicitur, quia eſt quaſi forma, à qua quiddi- tas naturæ poteſt percipi diſtincta proprié, non autem in ſummo, ſeu ſuperlativo gradu, cum ipſa derivetur ex quidditate iam ſimplici- ter diſtincta: v. g. riſibile reſpectu hominis. Communis dicitur, quia eſt à forma, cuius po- ſitio, & privatio poſſunt eſſe communes, & in- differentes ſubiecto differenti per ipſam: v. g. albedo reſpectu Petri.

3 Eſt etiam præcavendum cum Doctore ſupra 10. *Metaph. text.* 12. magnam deberi meditari differentiam inter hoc concretum differens, & inter diverſum. Per id enim, quod eſt differens intelligimus, quod habet formam diviſivam ab alijs, cum quibus aliquem vnum gradum concernebat: v. g. homo, qui eſt divi- ſus eſſentialiter per formam rationalem à Leone, cum quo eumdem gradum viventis ſenſibilis concernit. Per id autem, quod eſt di- verſum intelligimus, quod non ſic habet in conſtituto alicuius eiuſdem gradus diviſivam formam, ſed ita ſecundum ſuum eſſe à quo- cumque alio extraneatur, quod ſe toto diverſi- ficetur, nullam relinquens profundę idempti- tatis, & conſortij radicem, quam radicitùs non evellat: v. g. duplex hæcceitas, vt à parte rei reſolventia.

4 Tandem præcaveri debet, quod dum nominamus *differentiam eſſentialem*, talę nomen ſecundó intentionale, non habet ex na- tura propria, ſed talis, ſcilicet differentia eſſen- tialis, dicitur ex natura fundamenti, ex quo ſumitur, & occaſionaliter cauſatur. Itaque, etſi in ſe differentia eſſentialis ſit accidens in- tentionale, vt eſt ſecunda intentio generis, &c. tamen ex applicatione ad fundamentum, dici- tur eſſentialis differentia, & omnibus eſſentiæ principijs formalibus commune, cum in actu ſignato non minus dicat rationale, quam irra- tionale, eo quod vtrique ſit æqué applicabile ob vnitatem proportionis: ſicuti enim rationa- le diſtinguit animal in homine, ſic irrationale illud diſtinguit in bruto: ergo ſecunda intentio differentiæ æqué eſt vtrique applicabilis, ac per conſequens vtriuſquę principia formalia per eūdē conceptū ſecundę intentionis vniver- ſaliter ſignans, quod omne ſupra vnitatē pro- portionis fundatur. Sic Scotus in *q.* 27. *Vni.* & in *q.* 3. *Prædicam.* Circa plura alia ad no- titiam differentiæ, vt intentionalis, ſpectantia, debet ſervari eadem generis, & aliorum nor- ma. His ita vniverſaliter ſuppoſitis, venit de differentia tertio prædicabili agendum, in cu- ius examine, illum ſcopum ſervabimus, quem in ſuis vniverſalibus ſervavit Scotus.

QUÆSTIO I.

De diviſione differentiæ in communem, pro- priam, & proprijſſimam.

5 EX præſenti quæſtione duplex exci- tatur difficultas, levis vna, moleſ- tiſsima alia. Prima ſtat in hoc, ſci- licet, an diviſio differentiæ in communem, propriam, & magis propriam ſit ſufficiens? Secunda vero rogat, an prædicta diviſio ſit vnivoca?

6 Reſolvit Scotus circa primum, partem affirmativam in *q.* 23. *Vniverſ.* quia tunc ali- qua diviſio eſt ſufficiens, quando membra di- videntia ſufficienter exhauriunt diviſum; ſed illud ſufficienter exhauriunt prædicta mem- bra, ergo. Minorem ſuadet ex eo, quod omnia membra dividentia reduci poſsint ad ſupra poſita; de quo ſtatim: ergo.

7 Dices, quod talis diviſio eſt trimembris: ergo non eſt ſufficienter data. Prob. quia vt diviſio ſufficiat, requiritur, quod habeat mem- bra oppoſita; ſed diviſio trimembris, oppoſita membra non poteſt habere. Minor, in qua eſt difficultas, probatur ab Scoto; quia tan- tum vnum vni opponitur: ergo in trimembri, aliquod ex duobus alteri non opponetur, ac per conſequens, trimembris diviſio, oppoſita membra non poterit habere. Reſpondet Sco- tus, argumentum diſſolvendo facilé; ait enim, quod diviſio differentiæ habet reduci ad bi- membrem, videlicet ſic, *differentiarū, quædam ſunt magis propriæ, quædam non magis pro- priæ*; quo pacto membra diviſionis ſunt bina, &

 oppo-

oppoſita. Deinde *non magis propria*, quod eſt vnum membrum dividens, poteſt ſubdividi in quædam proprié, & in quædam communiter. Vbi eſt notandum cum Scoto, quod membra poſita in prædicta diviſione differentiæ, ſunt membra ſubdiviſionis, quia vt vidimus, *non magis propria* ſubdiviſa fuerunt in quædam proprié, & in quædam communiter; fuerunt tamen in prima diviſione, poſita ſubdiviſionis membra loco ſubdiviſi propter brevitatem.

8 Circa ſecundum, ſummam ſentio in reſolvendo anxiam, quæ vt ab omnibus ſenſibiliter experiatur, vnam ex contrarijs rationibus ponderare intendam. In favorem igitur partis affirmativæ arguitur primó ſic: ſecunda intentio generis dicitur vnivocé de generibus ſubſtantiæ, & accidentis, non obſtanti quod accidens, phyſicé loquendo, ſit ens ſecundum quid: ergo non obſtanti, quod phyſicé loquendo, & primó intentionaliter, ſolum differentia proprijſsima ſit talis ſimpliciter, & reliquæ ſecundum quid, poterit ratio differentiæ vnivocé dici de illis.

9 Hoc argumentum vſque adhuc facilé diſſolvi poteſt; ſupponit enim, quod accidens, de quo dicitur ſecunda intentio ſubſtantiæ, ſit ens ſecundum quid; quod eſt falſum, quia prout de accidenti dicitur ſecunda intentio generis, accidens ſumitur, vt intrinſecé, & ſimpliciter habet eſſe, cum ſic accidens ſumatur, vt eſt *quid* reſpectu omnium accidentium; quo pacto, ſicuti intrinſecé ſe habet ſubſtantia ad omnes ſubſtantias, ſic intrinſecé ſe habet accidens ad omnia accidentia; quia vt circa hoc punctum in *q. 4. Prædicam.* dixit Scotus ex Ariſtot. 10. *de anima: in omni genere debet eſſe vnum primum, quod ſit menſura omnium poſteriorum.* Vnde dicit deinde Scotus, quod licet ſpecies inter ſe habeant ordinem ſecundum perfectius, & imperfectius, non tamen in participando rationem generis, quia hanc æqué primó participant omnes. Sic, ait, nulla eſt differentia in primitate inter iſtas prædicationes, *albedo eſt color, nigredo eſt color*; licet comparãdo albedinem, & nigredinem inter ſe, albedo ſit perfectior. Idem exemplificat in *q 3. Prædicam.* in circulo aureo, & æneo, qui non differunt in ſpecie.

10 Itaque, præocupando inſtantiam, & priſtina continuando, dico, quod difficultas ſic debet verſari de differentia accidentali, ac de accidenti, & é contra: vnde ſicuti accidens comparatum ad omnia accidentia eſt *quid*, & eſſentiam metaphyſicam ſimpliciter habens; ſic differentia accidentalis comparata ad omnes differentias accidentales erit *quid*, & eſſentialiter differens, ac rationale; ſed tunc deſtruitur ſuppoſitio tam in accidenti, quam in differentia accidentali. Deſtruitur in accidenti; quia accidens, vt comparatum ad ſubiectum, reſpectu cuius eſt ens ſecundum quid, non ſuſcipit denominationem, ſeu ſecundam intentionem generis, ſed ſecundam intentionem accidentis; & ſic non eſt eadem ſecunda intentio dicibilis æqué de accidenti, & de ſubſtantia; quia dũ eſt æqué dicibilis, eſt genus primũ ſicuti ſubſtãtia, derivãs vnitatem proportionis ad generis notionẽ. Sic pariter deſtruitur ſuppoſitio in differentia accidentali, quia hinc loquimur reſpectu cuius facit accidentaliter differre; quę videbis clarius in ſequẽti rationẽ.

11 Dices, quod homo albus, in quantum albus, ſic differt à nigro, ſicuti homo, in quantum homo, differt à bruto: ergo eſt dabilis ex proportione vnivocatio. Reſpondebitur concedendo antecedens, & ſic reliqua; quia dum dicitur homo albus, in quantum albus, iam non eſt homo, qui differt, ſed eſt albedo, reſpectu cuius iam non datur differentia accidentalis; ſicuti nec album eſt accidentaliter accidens, ſed eſſentialiter, in quantum tale; quia ſic de albo dicitur, quod eſt accidens, ac de homine, quod eſt vivens; non autem ſic de homine dicitur album, ſicuti vivens. Sicque hic non loquitur de differentijs ſecundum ſe, & prout habent peculiares rationes ad invicem; ita enim ceſſabat difficultas, cum omnes proprijſsimé differrent, & non abſtraheretur conceptus differentiæ, niſi à proprijſsimis, cum ſic proprijſsimé differat differentia accidentalis à proprijſsima, ac é contra; non autem abſtraheretur à proprijſsima, & ab accidentali: loquitur ergo reſpectu ſubiecti, ſeu prout ſpeciales conceptus accidentalis, & proprijſsimi ſervant.

12 Inſtabis tamen argumentum dicendo, quod quomodocumque ſecunda intentio generis ſumatur, nunquam poteſt negari, quod quidditas accidentis ſit diverſa à quidditate ſubſtantiæ, & tamen quia ſicuti ſe habet ſubſtantia ad ſpecies ſubſtantiæ, ſic ſe habet accidens ad ſpecies accidentis, eadem ſecunda intentione generis denominantur: ergo tametſi differentia eſſentialis, & accidentalis ſint alterius quidditatis, poterit etiam dari proportio, & ſic eadem ſecunda intentione differentiæ denominari. Sic enim loqui videtur Scotus in *q. 3. Prædicam. §. ad quæſtionem*, dum ait, quod aliquod intentionale vnivocum poteſt applicari rebus omnium generum, quia diverſitas in rebus primæ intentionis inter ſe, non impedit, ipſas ab intellectu poſſe concipi per eumdem modum concipiendi; & ideo reſolvit,

quod

quod intentiones eędem ſpecie poſſunt diverſis rebus attribui: ergo cum omnes prædictæ differentiæ ſint denominantes naturam, quam faciunt differre, tametſi diverſę ſint formę denominantes, poterit eadem in ſpecie intentio differentiæ omnibus attribui.

13 Neque hæc ratio vſque adhuc aliquid vrget. Reſpondebitur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Diſparitas ſtat in promptu; quia ſi ex ſecunda intentione generis ad ſubſtantiam, & accidens, intendunt deducere ſecundam vnam intentionem generis ad differentiam eſſentialem, & accidentalem, debent conſimiliter intendere, inter has differentias ponere proportionem poſitam inter illa genera; ſed talis proportio non ponitur: ergo nec conſimilis intentio. Minor convincitur claré; quia proportio adeſt inter ſubſtantiam, & accidens, dum vtraque quidditas intrinſecé comparatur ad ſpecies: ergo ſi vna ſe haberet intrinſecé ad illas, & ſolùm extrinſecé ſe haberet alia, non poſſent devenire ad illum ipſum gradum proportionis, ſupra quem vtraque intrinſecé ſe habendo, intentionem eamdem generis fundant; proportio enim etiam ſiſtit in indiviſibili, cum in re ſit vnitas. Nunc ſic; ſi omnes illæ tres differentiæ forent eſſentiales, etſi primó intentionaliter diverſæ, tunc ad ſummum haberent vnitatem proportionis, ſicuti prędicta genera; vt eadem ſecunda intentione generis denominata: ergo ſi aliqua ex illis differentijs non ſit eſſentialis, dabitur defectus ad proportionem ſecundæ intentionis differentiæ, cum ad ſummum talis intentio foret eadem reſpectu differentiarum, ſummam proportionem concernentium. Quo enim modo loquitur Scotus; quia etſi inter animal, & colorem v.g. videat primó intentionalem diverſitatem, non repugnat applicare ipſis eamdem generis intentionem; ſiquidem ſicuti intrinſecé reſpicit animal hominem, & leonem; ſic intrinſecé color reſpicit albedinem, & nigredinem; quæ proportio deficiet vbicumque intrinſeca cõcernentia deficiat, vt deficit in noſtro caſu; quia ſicuti rationale ſe habet ad hominem, ad ipſum non ſe habet albedo: ergo &c.

14 Dices, ex dictis videtur ſequi quoddam inconveniens non parum, communem omnium doctrinam increpans. Si enim ſecunda intentio ſpeciei denominet vniformiter primam intentionem humanã, & leonini v.g. ſequetur, quod inter has naturas primó intentionales adſit illa vnitas proportionis requiſita ad habendam vnam ſecundam intentionem ſpeciei, ita vt quæcumque ad talem ipſum gradum proportionis non perveniant, ſecunda ipſa intentione ſpeciei non poterunt denominari, quia proportio, vt dicebamus, ſiſtit in indiviſibili: modo ſic; ſed homo, & leo, qui vna intentione denominantur ſpecies, habent proportionem vlteriorem, vtpote eſſendi ſubſtantiæ, viventes, &c. ergo in quibuſcumque deficiat hæc omnis proportio, vt in ſpeciebus accidentis, & deficiet, illa eadem intentione ſpeciei humani, & leonini, poſſe denominari.

15 Neque adducta in prædictis vrgent adhuc. Ratio ſtat in hoc, quod fundamenta ſtrictè requiſita ad intentionalem vnivocationem debeant ſumi penes eſſe, & motivum intrinſecum; ſupra intrinſecam ſiquidem proportionem, nulla altior poteſt excitari combinatio, & præcipué in ſpecificis; quare dum intenſiùs vnitas proportionis inſpiciatur, erit extra eſſe formale, vt rectè prævidit Scotus *in 3. Prædicam.* dicens, quod differentia ſpecifica eſt differentia formalis; ſed intentio applicata rei vnius generis, & alterius, ſolum penes materiam habet differentiam: ergo intentio ſpeciei non variabitur ex hoc. Patet; quia quod non tollit vnitatem ſecundum ſpeciem, inquit Scotus, non tollit vnivocationem; ſed quod non tollit intrinſecum fundamentum ſpeciei, non tollit proportionem vnitatis ſecundum ſpeciem: ergo neque quoad intrinſecum tollet formale vnitatis intentionis ſpecificæ. Confirmat hoc Scotus in circulis aureis, & æneis, in quorum omnibus, quoad formale, & intrinſecum circuitionis, æqualis datur proportio, quin hæc augeatur in aureis præ ęneis: ergo cum quoad eſſe intrinſecum nulla poſsit intendi proportio inter leoninum, & humanum, quæ non adſit in lapideo, eodem ſecundæ intentionis ſpecificæ circulo æqué exambiri valebunt.

PROPONITVR ARGVMENTVM nimis moleſtum.

16 ARguitur ergo ſic: vniverſale eſt quid vnivocum ſub ſecunda intentione generis ad quinque prædicabilia: ergo & differre ſub ſecunda alia intentione, erit quid vnivocum ad tres differentias. Adaptatur paritas ex conſequenti; quia etſi in quinque prædicabilibus detur ratio prædicandi eſſentialiter, & ratio prædicandi accidentaliter, nil impedit, vt ratio vniverſalis ſit vnivoca omnibus quinque: ergo licet in tribus differentijs detur ratio differen-

rendi eſſentialiter, & ratio differendi accidentaliter, nil impediet, vt ratio differendi ſit vnivoca omnibus tribus.

17 Dicent ſtatim quam plures, diſparem valdé eſſe rationem, ex eo, quod omnia quinque vniverſalia ſint veré, & proprié vniverſalia, cum tam vniverſalia accidentium, quam quæ pertinent ad eſſentiam inferiorum, veré, & proprié ſint apta ad eſſendum in multis; at vero differentia propria, & communis non faciunt veré, & proprié differre. Eſt in tota vi ſua difficultas. Contra: licet omnia quinque prædicabilia non prædicent eſſentialiter, cōpatitur, quod omnia quinque veré, & proprié ſint vniverſalia, & apta ad eſſendum in inferioribus: ergo licet omnes tres differentię non faciant differre eſſentialiter, compatietur, quod omnes tres ſint veré, & proprié differentiæ, & aptæ ad eſſendum in multis. Contra deinde; quia differentia accidentalis veré facit differre: ergo. Prob. antecedens efficaciter; quia ſi veré non faceret differre, vnicé foret ex eo, quod ſolum veré faciat differre, quod differre facit eſſentialiter; ſed licet intentio accidentis non faciat convenire eſſentialiter, veré facit convenire: ergo licet intentio differentiæ accidentalis, non faciat differre eſſentialiter, veré faciet differre.

18 Dices, ſemper eſſe diſparē rationē, quia dū dicimus hominē differre, debemus pro veritate huius cōceptus, percipere id, quo ſimpliciter homo differt; eo quod in conceptibus differendi, ſolum debeat notificari, quod abſoluté eſt differre faciens; at autem vt cæteri omnes conceptus verificentur abſoluté, ſufficit, quod prædicatum inſit ſubiecto, quomodocumque inſit. Hæc ſolutio petit principium, eam tamen adhibui, vt clariùs pateat difficultas. Contra igitur; quia contrariorum eadem debet eſſe ratio: ergo ſic debemus philoſophare circa ea, quæ conveniendo conſtituunt ſubiectum, ac circa ea, quæ ipſum, diſconveniendo conſtituunt; ſed pro veritate adæquata prædicatorum convenientium, non intelligitur ſolum prædicatum, quod de ipſo eſſentialiter dicitur: ergo nequé pro veritate adæquata prædicatorum diſconvenientium, debet intelligi illud ſolum prædicatum, quo ipſum eſſentialiter differt. Confirmo, & explico rationem: etſi album ſit prædicatum dictum de homine, ita quod ſine hominis corruptione poſsit abeſſe, & adeſſe; nec non poſsit homo ſupponi conſtitutus quoad omnia, quæ per lineam intrinſecam conveniendi de ipſo dicuntur, hoc non impedit, vt album veré convenire homini dicatur: ergo licet differentia, quam homo habet per album, poſsit adeſſe, & abeſſe, &c. & ſupponat hominem intrinſecé differentem, hoc non impediet, vt de homine dicatur, quod per album veré differt.

19 Alij quam plures, etſi directé argumento non ſatisfaciant, dicunt intendentes ſolutionem, quod ratio differentiæ primó intentionaliter dicitur analogicé, ita vt ſimpliciter dicatur de proprijſsima, & ſecundum quid de alijs. Vnde, cum ſit impoſsibile, quod aliquid dicatur ſecundò intentionaliter differentia ſimpliciter, quin primó intentionaliter ſit ſimpliciter differentia; ſicuti nec proprium, nec ſpecies ſecundó intentionaliter denominatur, quod primó intentionaliter non eſt tale; inde eſt, quod ſi differentia primó intentionaliter ſit analoga, & erit analoga ſecundó intentionaliter. Sed contra; quia etſi prædicata, quæ de homine aſſeverantur, aliqua primó intentionaliter ipſi conveniant ſimpliciter, & aliqua ſecundum quid, hoc nil impedit, vt reſpectu prædicabilis vt ſic, omnia ſint ſimpliciter prædicata: ergo licet differentiæ primò intentionaliter comparentur analogicé reſpectu hominis, hoc non obſtabit, vt reſpectu differentiæ vt ſic, omnes ſint ſimpliciter differentiæ. Deinde, contra directé ex eo, quod bené componatur, quod ſicuti ſpecies primó intentionaliter eſt intrinſeca ſubiecto, & accidens primó intentionaliter extrinſecum, ſic, quod ſecunda intentio ſpeciei ſit ſignaté *quid*, & non ſit ſignate *quid* ſecunda intentio accidentis, ita vt nec ſecunda intentio ſpeciei poſsit applicari accidenti, nec é contra; & tamen vtrique concreto poteſt æqué applicari vniverſalitas vt ſic; ſic pariter, licet etiam ſecunda intentio differentiæ proprijſsimæ non poſsit applicari differentiæ accidentali, & é contra, ſed conſervent diverſitatem primó intentionalem, tamen vtriqué differentiæ concreto, æqué poterit applicari ratio differentiæ vt ſic. Hinc enim non diſputamus, quod adhuc ſecundó intentionaliter poſsint prædictæ differentiæ convenire, ita vt ſecunda intentio differentiæ eſſentialis poſsit applicari accidenti, hoc enim eſt impoſſibile; ſolum enim diſputatur, an conceptus differentiæ vt ſic ſit vnivocé applicabilis vtriqué. Pro hoc arguimus, & paritatem formamus ex quidditate vniverſalis vnivocé diviſi in quinque intentionalia, tametſi nulla primò intentionalis diviſio poſsit vnivocé dari in illa quinque, ſicuti intendebat ſolutio de primó intētionali diviſione in illa tria. Confirmantur; quia licet ſit impoſsibile, quod primó intentionaliter proprium habeat rationem ſpeciei, bené ſalvatur, quod ſecundó intentionaliter ſit ſpe-

ſpecies, vt patet reſpectu vniverſalis vt ſic; ſic etiam primó intentionaliter eſt indefinibile, & tamen ſecundó intentionaliter poteſt definiri: ergo illa ratio ſolutionis, ex qua inferebant, quod quia primò intentionaliter non dabatur vnivocatio in diviſione, quod nullo alio modo ſecundó intentionali debebat dari, ſi aliquid probat, multa ab illis ſolvenda probat.

20 Dicent alij, quod differentia vt ſic non habet rationem differentiæ, ſed ſolum nomen, & ſic non poteſt dari conceptus quidditativus diviſibilis vnivocé; at autem conceptus vniverſalis eſt *quid*, in illa quinque vnivocè diviſibile. Sed contra ex eo, quod nunquam poſſit dari ratio, ex qua vniverſalitas habeat nomen, & rationem, non autem differentialitas. (Noto hinc, quod ſi differentiæ non correſpondeat realitas, quia nulla datur entitas à parte rei, quæ ſolum ſit differens vt ſic; ſic nequé vniverſalitati realitas correſpondebit, cum nulla detur entitas, quæ ſolum ſit vniverſalis, eo quod debeat eſſe generica, ſpecifica, vel ſic alia determinata notione.) Dicunt aliqui ex noſtris, inferri rationem ex eo, quod vniverſalitati correſpondeat realitas in obiectis; at autem differentiæ vt ſic, non correſpondet aliqua realitas, in qua membra diviſa conveniant, ſed tantum datur idem modus ſe habendi per vnam vocem ſignificabilis, non quod in re ſit talis modus proportionalis, ſicuti pluries diximus, quia non ſic album diſtinguit hominem à leone, ſicuti illum diſtinguit rationale. Sed contra; quia nequé ſic homini, & leoni convenit album, ſicuti convenit animal; & tamen poteſt dari vniverſalitas ſecundum nomen, & rationem vtrique dicto cõveniens per correſpondentiam ad realitatem: ergo & idem poterit dari reſpectu differentiæ, etſi non ſic album diſtinguat hominem, ac rationale. Deinde, cupio ſcire, quænam ſit realitas, vniverſali vt ſic correſpondens? Hucuſque eam non inveni, aliter ac in differentia vt ſic inveniri poteſt. Si enim dicas, quod ſecundæ intentioni vniverſalis vt ſic correſpondent omnes naturæ pluribus communicabiles; ſimiliter dicam, quod differentiæ vt ſic correſpondent omnia principia realia ſubiectorum diſtinctiua. Si dicas, quod in omnibus differentijs non adeſt proportio; dicam, quod nequé in omnibus realitatibus vniverſalibus; quia ſicuti rationale ſolum habet proportionem ad ſecundam intentionem differentiæ cum irrationali, ſic nequé ad ſecundam intentionem vniverſalitatis habebit proportionem realitas hominis, niſi cum realitate leonis, & conſimilibus.

21 Nec valet hinc dicere, quæ ſupra in primo argumento, videlicet, quod adeſt proportio intrinſeca in prædicabilibus, quæ non adeſt in differentijs. Non enim valet; quia etſi accidens vt eſt genus reſpectu omnium accidentium habeat intrinſecam proportionem ad ſecundam intentionem generis dictam de animali, &c. non tamen reſpectu ſubiecti intrinſecam proportionem habet, vt ſicuti aliqua dicuntur de ſubijcibili, ſic & accidens dicatur; cum accidens dicatur extra eſſentiam, & illa aliqua intra illam: ergo vt ad eamdem intentionem *dicti* vniverſalis, ſeu prædicabilis, poſſit accidens comparari vnivocé, & ab ipſa denominari, non habebit proportionem intrinſecam; & nilominus tamen æqué participat conceptum vniverſalis: ergo & æqué poterit participare conceptum differentiæ, tametſi in eſſe intrinſeco proportionem non fundet.

22 Dicent alij, quod vniverſale eſt genus vnivocé reſpiciens quinque prædicabilia; ſed tamen dum vnivocum eſt illis, nullum eſt prædicabile, quod iam non conſideretur vt ſpecies, & conceptum vniverſalis per differentiam intrinſecam dividens; quo pacto accidens intelligitur ſub modo ſpeciei, & non ſub modo, ſeu ſecunda intẽtione accidentis; ſicque nil mirum, quod tunc æqué cum omnibus vnivocetur in vniverſali, quia prout vnivocatum intrinſecam habet eſſentiam, ſicuti quodvis aliud; at autem ſi differentia accidentalis ſuum eſſe conſervet, nunquam cum intrinſeca, & non accidentaliter tali poteſt fundare proportionem ad aliquem vnum conceptum. Sed contra; quia eadem reſtat componenda difficultas, quam ſic formo. Quomodocumque accidens participet conceptum vnivocum vniverſalitatis, debet rationem quinti prædicabilis conſervare; aliàs erit vniverſale, vt ſpecies, non veró vt accidens; ſed ſervando rationem quinti prędicabilis, debet eſſe prædicabile extra eſſentiam, & ſic extra eſſe intrinſecum habere proportionem ad vnivocationem vniverſalis: ergo & quomodocumque ſuum eſſe accidentale conſervet differentia, poterit eamdem relinquere paritatem ad vnivocationem conceptus differentialis. Itaque ſi accidens contingenter reſpiciens ſubiectum, poteſt adaptare modum ſpeciei verſus vniverſale vt ſic; ſimiliter differentia accidentaliter faciens ſubiectum differre, poterit adaptari modum ſpeciei reſpectu differentiæ vt ſic. Quomodo autem id fieri poteſt? omnium eſt difficultas eadem reſpectu aci-

cidentis,quod dum eſt prędicabile extra eſſentiam, intra eſſentiam eſt vniverſalis, vt ſic diviſivum.

23 Nec valet, ſi ſub alia expreſione inſiſtas in hoc,quod de ratione vniverſalis,nec eſt proprium prædicare immediatè, nec mediatè; nec intra eſſentiam,nec extra illam;ſed præcisè prædicari de pluribus ;quare, à quocumque de pluribus prædicabili participetur,æquè participabitur ; at de ratione differentiæ non eſt propria tanta indifferentia. Non valet, quia plura illa,de quibus aliquid eſt prædicabile,habent intrinſecum, & primum, & tamen ad dicere, ſeu prædicare aliquid accidit, quod intrinſecum, & primum dicatur : ergo dum aliquod habeat plura,per quę differat,accidet rationi differendi,quod à primo,vel à poſteriori differat.

24 Dicent alij,diſparem eſſe rationem(ſic Scotiſtarum veterum aliqui, vt videri poteſt apud Anglicum ſupra *q. 24. Prædicab.*) ex eo,quod pro differentia debeat abſolutè intelligi illa forma,qua conſtituitur ſpecies;quare, cum ſola proprijſsima ſpecies conſtituatur, inde eſt , quod ea ſola poſsit dici in re differentia. Hæc ſolutio recta videtur in ſe; ſed contrapoſita præſenti paritati ſemper infert moleſtiam. Ratio eſt in promptu; quia etſi accidens non conſtituat ſpeciem , nil obſtat, vt vnivocè dicatur de ipſo ratio illa vniverſalis , quæ dicitur de quocumque alio prædicabili conſtitutivo ſpeciei : ergo etſi differentia accidentalis non conſtituat ſpeciem , nil obſtabit vt de ipſa dicatur illa ratio, quæ dicitur de quacumque alia differentia , ſpeciei conſtitutiva.Si dicas,quod accidens iam conſtituit ſpeciem reſpectu vniverſalis, etſi eam non conſtituat reſpectu ſubiecti , inſtat ſuperior ratio;ſiquidem etſi differentia accidentalis ſpeciem non conſtituat reſpectu ſubiecti, eam tamen conſtituet reſpectu differentiæ.

EXPENDVNTVR RESOLVENDA, & probabilioribus favet reſolutio.

25 RElìquimus priſtinum argumentum,non leviter pluribus moleſtum ; reſtat nunc, vni, aut alteri dicto alicuius probabilitatis ratione favere; tametſi fatear , præſentem , & ſic conſimiles difficultates , ita ex nominum penuria ingenia confundere , quod vix poſsit aliquid reſolvi,in quod pro quacumque parte,vis noviter vincenda non inſtet. Hinc igitur aliquos reſolvendi modos proponam , quorum aliquibus probabilitatem ſignabo , vt vnuſquiſque ſuo captui accommodationem eligat.

26 Reſolvunt igitur aliqui , pondere argumenti propenſi, quod poteſt dari conceptus differentiæ , qui poſsit vnivocè dici de tribus prædictis differentijs. Sic plures,quos citat, & ſequitur Martinez Prado *lib. 1. q. 24.* Exiſtimo tamen præſentem reſolutionem non eſſe probabilem, niſi admittatur ſub modo ſtatim exponendo. Rationem formabo ex eo, quod apud iſtos Auctores,& Scotum,numerus prædicabilium ſit tantum quinarius ; ſed ſi differentiæ vnivocus daretur conceptus,quinarius numerus non ſufficeret prædicabilibus: ergo. Prob. minor ; quia ille conceptus, diſtinctum relinqueret prædicabile de pluribus : ergo. Nec valet reſponſio Martinez Prado : dicet enim , quod ex tali reſolutione nunquam ſequitur, quod numerus prædicabilium augeatur ; quia differentia propria reducitur , vel pertinet ad quartum prædicabile, & differentia communis conſtituit quintum ; ſicque, tametſi tres dentur differentiæ conceptus, dum tamen idem ſit proprium , quod differentia propria, & ſic de alijs, idem erit dicere, quod datur diſtinctum prædicabile *differentia à differentia proprijſsima*, ac dicere,quod datur prædicabile quartum , quod eſt *proprij*, diſtinctum à prædicabili tertio, quod eſt *differentiæ proprijſsima.*

27 Sed contra hæc eſt in promptu inſtantia ex his,quæ nõ ſolvit in ratione ſupra formata. Hinc enim non dubitatur , quod augeatur numerus prædicabilium ex eo , quod tres illæ differentiæ ponantur;quia ex trium poſitione , facilis eſt ſolius numeri quinarij poſitio,ſervando modum, quem pro trinitate differentiarum ſupra expoſui. Rationem ſigno ex eo,quod licet differentia propria dicatur,& exprimatur ſub nomine proprij,& ſub nomine differentiæ , iſta tamen poſſunt eſſe ſolum diſtincta numera penes concipi , quæ non ſemper ſunt diſtincti prædicabilis conſtitutiva , vt patet in rationali , concepto etiam ſub nomine principij eſſentiæ , & ſub differentiæ nomine. Dubitatio igitur ſtat in conceptu illo differentiæ vt ſic,qui eſt prædicabilis de illa trina differentia; ex quo deducitur, quod datur prædicabile differentiæ , quin ſit vllius differentiæ ex tribus prędicabile. Prob. quia differentia in communi eſt ſuperior, & prædicabilis reſpectu trium : deinde eſt inferior reſpectu conceptus vniverſalis, prædicabilis de quinque;aliàs ſi idem foret conceptus differentiæ , ac conceptus vniverſalis vt ſic,

om-

omnia quinque prædicabilia ſic poſſent dici differentiæ, ac illæ tres, & iſtæ tres non aliter poſſent dici differentiæ, ac reliqua habent dici vniverſalia: ergo datur prædicabile differentiæ, quod ſit medium inter tres differentias, & inter vniverſale: quod ſuadet Scotus *in quæſt. ſequenti* videndus.

28 Sed tamen quia iuxta Scotum aliqua poteſt interpretari probabilitas, vt adſit conceptus intentionalis, illi triplici differentiæ communis, ideo aliquam expoſitionem in huius reſolutionis favorem innuam. Poſſet igitur adaptari dicendo, quod tametſi aliquis conceptus intentionalis foret tribus communis, numerus prædicabilium non augeretur; quia ille conceptus intentionalis differentiæ foret ſub ſecunda intentione generis, illis tribus differentijs communis, ſicque ex conceptu quidditativo differentiæ vt ſic, & ex ſecunda notione generis conflaretur prędicabile genus, dicens de connotato conceptum metaphyſicum ſecundæ intentionis, à triplici differentia præciſum, & de formali ſecundam notionem generis, ſub qua de illa triplici differentia, veluti genus de ſpeciebus, prædicaretur. Itaque ſic quoad numerum maiorem prædicabilium debet hinc philoſophare quilibet, ac philoſophamus in *quæſt. 3. de ſpecie*, de conceptu individuationis; vbi diximus, quod tametſi daretur conceptus communis individuationis, nunquam ex eo ſequi, quod daretur prædicabile individui diſtinctum à quinque, eo quod conceptus intentionalis individui, ſub ſecunda notione ſpeciei, foret omnibus communis: ergo à ſimili, dum ab omnibus ſecundis intentionibus differentiarum, conceptum ſimilem intentionalem intellectus abſtraheret. Vidè illa, & conſimiliter philoſopha.

29 Comprobantur iſta ex eo, quod ille conceptus, ſpeciales denominationes videatur poſſe ſuſcipere verſus id, quod ſupra ſe habet, vel verſus id, quod infra; ſed neutro ex his modis, diſtincti prædicabilis denominationem poſſet ſuſcipere: ergo. Suaderi poteſt; quia ſupra ſe ſolum poſſet reſpicere vniverſale vt ſic, reſpectu cuius, ille conceptus intentionalis differentiæ denominaretur ſpecies: Deinde infra ſe ſolū poſſet reſpicere tres differentiæ ſpecies, reſpectu quarum ſolum denominaretur genus: ergo nullo ex illis modis diſtincti prædicabilis denominationem poſſet ſuſcipere. Deinde dixi, quod ille conceptus intentionalis differentiæ foret metaphyſicus, eo quod ille conceptus communis non debeat conſiderari vt alicui primæ intentioni applicatus, quia ſic diſtinctum prædicabile conſtitueret; ſed debet conſiderari vt eſt quid intentionale, metaphyſicum eſſe habens, ſicuti id habet conceptus ſecundæ intentionis vt ſic reſpectu omnium ſecundarum intentionum; quo pacto hic conſentire videtur Noſter Rothericus *q. 1. ar. 2. in fine*.

30 Dices tamen, nunquam poſſe vitari aliquod prædicabile diſtinctum, quia ille conceptus quidditativus intentionalis differentiæ eſt dicibilis de illa triplici differentia; v.g. *differentia propriiſſima eſt differentia*, & ſic de alijs; ſed in hac prædicatione, prædicatum eſt differentia, & ad tres differentias ſuperius: ergo datur aliquod aliud diſtinctum prædicabile. Reſponderi debet pro hæc opinantibus, diſtinguendo maiorem, dicendo, quod eſt dicibilis ſub ſecunda notione generis, ſicque eſſe veram; aliter eſſe falſam. Deinde debet dici ad minorem; prædicatum, metaphyſicé conſideratum, eſt differentia, tranſeat; logicé, negatur; & ſic reliqua percipienda ſunt. Itaque ille conceptus intentionalis differentiæ ſic debet conſiderari, ſicuti conceptus intentionalis prædicabilis vt ſic; ſicuti enim Vniverſale vt ſic eſt dicibile de omnibus vniverſalibus, ſic & conceptus differentiæ de omnibus differentijs; vnde ſicuti conceptus vniverſalis vt ſic, prout in ſuo eſſe metaphyſicé conſideratus, non eſt genus; quia genus non eſt ſuperius ad genus, & ille conceptus vniverſalis ad genus etiam eſt ſuperius, cum ſit ad quinque voces vniverſalis, & ſic hæc prædicatio, *genus eſt Vniverſale*, habet pro prædicato conceptum, qui metaphyſicé non eſt genus, ſed conceptus quidditativus vniverſalitatis; ſic pariter, ſi metaphyſicé conſideretur prædicatum in illa prædicatione differentiæ, id, quod ibi prædicatum conſideretur, non erit genus, ſed conceptus metaphyſicus ſecundæ intentionis differentiæ. Vndé, ſicuti nil infertur contra numerum prædicabilium ex eo, quod Vniverſale, metaphyſicé conſideratum, ſit quid ſuperius ad quinque voces, & ita nec genus, nec differentia, &c. Sic nil inferretur ex eo, quod conceptus differentiæ, metaphyſicé conſideratus, ſit quid ſuperius ad tres differentias, eſtò logicé debeat eſſe prædicabile ſub aliquo modo ex quinque; ſicuti & ſic eſt prædicabilis conceptus vniverſalis. Sed de his in *Diſtinct.* ſequenti.

31 Præfatam reſolutionem, aliqualem

probabilitatem exiſtimo poſſe habere apud Scotum in *q.3 Prædicam.* vbi de conceptibus intentionalibus puré denominatiuis concedere videtur, quod poſsint eſſe *vniuoca in ſe.* Deinde ex *q.1.* in qua apud Logicum vniuocationis conceptum ampliat, dum apud naturalem reſtringit, dicens, quod in genere plures latent æquiuocationes, quæ tamen à Logico non conceduntur. Tandem poteſt habere probabilitatem, ſi ſupra prædicti conceptus vniverſalitatem diſcurratur, ſicuti de conceptu vniverſali indiuiduationis, qui ſolum eſt modalis, & denominatiuus, quin aliqua realitas cum ipſo abſtrahatur, vt detur res vniverſalis, eo modo, quo vniverſalis datur natura humana. Et ſi dicas, quod neque conceptui vniverſalitatis aliqua realitas correſpondebit; poteris forté id concedere, quia conceptus vniverſalitatis, nil aliud videtur eſſe, quam eſſe quidditatiuum ſecundæ intentionis, ab omnibus ſecundis intentionibus abſtractum, ita vt illa quidditas ſit puræ rationis etiam. Quo enim modo poteris ſolvere, quæ contra iſta militabant ſupra.

32 Reſolvunt tamen ſolidiùs Scotum intelligentes, quod illa diviſio differentiæ eſt vocis æquivocæ penes ſecundum modum æquivocationis. Hæc reſolutio eſt apud Scoti mentem ſecurior, vt videri poteſt in *q.23. Vniverſ.* vbi etiam innuit, qualiter intelligantur æquivoca penes ſecundum modum æquivocationis. Itaque, vt iuxta verba Scoti hanc diviſionem capias, debes notare, quod vox ſic equivoca (vt inquit Scotus, iuxta phraſim Philoſophi in *1. Elench.*) ſignificat, vnum proprié, & ex impoſitione, a liud veró tranſumptivé, & ex vſu: v. g. hæc vox *ridere* ſignificat proprié riſum hominis, & tranſumptivé riſum prati, & viſui delectabilem floritionem; quare ſi riſus, in illa dividatur, erit vocis æquivocæ penes ſecundum modum, de quo in ſuo loco. Vnde infer, quod ſicuti de riſu, ſic de hac voce *differentia* debes philoſophare, quæ proprié ſignificat differentiam magis proprié dictam, & tranſumptivé, & ex vſu alias, quæ proprié loquendo, non debent dici differentiæ, ſed accidentia, cum differentiæ abſoluta ſecunda intentio non poſsit in eis claré, & abſoluté fundari. In quibus debes notare, quod illa vox, quæ eſt in differendo æquivoca, non definitur, quia nullum æquivocum valet definiri, niſi vox ſumatur pro vno ſignificato determinaté, quia tunc iam eſt vnivoca: v. g. *canis*, quæ vox ſi ſumatur pro latrabili eſt vnivoca, & valet definiri; ſic pariter, ſi differentia definitur eſt, quia vox ſumitur pro vno ſignificato, v. g. *pro differre eſſentiali*; quo pacto recté infert Scotus, quod ex conceptu definito differentiæ non augetur numerus prædicabilium, cum ſumpta pro vno determinato ſignificato, definiatur, & tale ſignificatum ſit vnum determinatum prædicabile ex quinque.

33 Argumento igitur poteſt dupliciter reſponderi. Primo modo adaptando vnam ex præcedentibus rationibus, eo quod eam, etſi ad aliud intentum, innuat Scotus in *quæſt. 15. Vniverſ.* vbi ait, quod de ratione vniverſalis ſolum eſt prædicari de pluribus, & de ratione differētiæ (ait in *quæſt. 27. Vniverſ.*) ſit proprium facere differre *in quid.* Itaque hanc primam rationem adapte intendas, dicendo, non tenere paritatem argumenti, quia propriiſsima ratio vniverſalis ſolum ſiſtit in hoc, quod ſit vnum in multis cum ſui multiplicitate: ergo quodcumque ſit vnum ſic in multis, erit propriiſſimé vniverſale: ergo habebit rationem *Vniverſalis propriiſsimi*: ergo compatietur, quod etſi accidat prædicatum ſubiecto, non tamen accidat vniverſalitas prædicato; hoc eſt, quod prædicatum dictum accidentaliter de ſubiecto habeat rationem propriiſsimi, & eſſentialis vniverſalis, vt ipſi iam concedunt; ſed de illa triplici differentia non poteſt ſic philoſophari reſpectu differentiæ vt ſic, ſicuti de prædicabilibus reſpectu vniverſalis vt ſic: ergo quia ſolum ex æquivoco viget paritas. Difficultas, & vis præcecedentium ſiſtit in minori, quam ſuadebis ex eo, quod differentia accidentalis non poſſit habere rationem differentiæ eſſentialis, & propriiſsimæ, aliàs ceſſaret difficultas: ergo de illa triplici differentia non poteſt philoſophari reſpectu differentiæ vt ſic, ſicuti de prædicabilibus reſpectu vniverſalis vt ſic.

34 Dicent ſtatim, magnum dari diſcrimen penes hoc, quod eſt, differentiam habere rationem differentiæ propriiſsimæ, & eſſentialis; & penes hoc, quod eſt, habere propriiſsimé, & eſſentialiter rationem differentiæ vt ſic. Verum enim eſt, quod differentia accidentalis non habet primo modo rationem differentiæ, quia ſic intelligitur ratio communis differentiæ contracta cum vna ipſius ſpecie, videlicet, cum propriiſsima; at autem ſecundo modo non implicat, participari conceptum differentiæ vt ſic à differentia accidentali; quia dicere, quod

quod differentia accidentalis proprijſsimé participat conceptum differentiæ, ſolum eſt dicere, quod proprijſsimé participat conceptum differentiæ non proprijſsimæ, hoc eſt, à proprijſsima præſcindentis. Itaque aliud eſt habere eſſentialiter rationem differentiæ, & aliud eſt habere eſſentialiter rationem differentiæ eſſentialis.

35 Non eſt debilis præfata inſtantia; contra quam tamen aliquas adducam rationes, vt præpoſita ſolutio habilis maneat. Nec forte valebit adducere, quod ſaltim ſalvatur de omnibus prædicabilibus, quod habent eſſentialiter eſſe vniverſalia: ergo eſſentialiter prædicant; ſed licet differentiæ eſſentialiter habeant rationem differentiæ, nunquam valent eſſentialiter facere differre: ergo quia non eſt omnibus eadem ratio. Dices enim, eamdem eſſe, quia ſicuti etſi differentiæ participent eſſentialiter rationem differentiæ, non ſequitur, quod faciant intra eſſentiam differre; ſic etſi omnia prædicabilia participent eſſentialiter rationem prædicabilis, non ſequetur, quod omnia intra eſſentiam faciant prædicare. Crede mihi, quod pluries hoc punctum examinavi, & quod contra plura excogitata, ſemper inſtantias inveni. Exiſtimo enim rationem Scoti aliter eſſe adaptandam; non quia prædicta non debeant vt ſolida teneri, ſed quia ex modo, vel ex æquivoco, nunquam poſſunt vitare inſtantiam.

36 Primo enim modo poteſt adaptari ratio Scoti dicendo, quod ex eo de ratione differentiæ debet eſſe facere differre eſſentialiter, ita vt quomodocumque intelligatur ratio eſſentialis differentiæ, debeat intelligi ratio differentiæ eſſentialis; quia ratio, & ſecunda intentio differentiæ non poteſt intelligi, quin ſit correlata ſpeciei, & id, quod vt correlatum ſpeciei intelligitur in linea differendi, à fortiori debet eſſe eſſentialis differentia; at autem ratio Vniverſalis ſecundum ſe, non eſt alicuius ſecundæ intentionis correlata, cum ſit ſecundum ſe ab omnibus prædicabilibus præciſa, ſuam eſſentiam intelligibilem redens extra eſſentiam cuiuslibet prædicabilis, cum in priori ad contractionem, Vniverſalis ratio ſalvetur. Fundamentum deſumo ex eo, quod in determinativis non detur abſolutus modus eſſendi, ſicuti in habentibus eſſentiam per ſe ſtantem, vt vniverſalis eſſentia; differentia enim eſt per modum alteri adiacentis: ergo debet intelligi per correſpondentiam ad genus; ſed differentia, quæ eſt generis correlata, eſt eſſentialis: ergo differentia ſecundum ſe dicit, quidditatem conſtituere.

37 Dices, quod ſi differentia capiatur, vt correlata ſpeciei, verum erit, quod hæc vox differentia ſolum ſignificet differentiam, quæ eſt eſſentialis; ſed tamen gratis dicitur, quod differentia ſic debeat ſumi; quia differentia accidentalis non eſt correlata ſpeciei, ſed ſubiecto: ergo de ratione differentiæ vt ſic, non eſt eſſe correlatam ſpeciei, ſed ſolum de ratione differentiæ ſpecialis. En in vltima vi contrarium argumentum. Contra quod dico, quod ratio differentiæ vt ſic debet ſumi vt correlata ſpeciei propter plura. Propter primum; quia hæc vox genus debet habere vocem per modum actus, & informantis, æqué correſpondentem, ſicuti hæc vox differentia debet habere materiam, quam informet; ſed generi vt ſic ſolum correſpondet differentia vt ſic, in qua intelligitur ſola eſſentialis: ergo differentiæ vt ſic ſolum correſpondebit genus vt ſic. Propter ſecundum, & principale; quia non poteſt negari, quod differentia, quæ ſecundum ſe ſit correlata ſpeciei, ſit differentia eſſentialis; ſed differentia vt ſic eſt ſpeciei correlata: ergo. Prob. minor; quia datur ſecunda intentio ſpeciei vt ſic; ſed ſpecies vt ſic ſolum poteſt exprimere differentiam vt ſic: ergo differentia vt ſic eſt ſpeciei correlata. Prob minor; quia cuicumque conſtituto correſpondent partes in proportione, ſic toto phyſico vt ſic, correſpondent materia, & forma vt ſic, & enti de per ſe vt ſic, potentia, & actus de per ſe vt ſic: ergo ſpecies vt ſic ſolum poteſt exprimere differentiam vt ſic. Suadetur etiam ex alia comparte, nempé, ex genere; ſpecies enim vt ſic ſolum exprimit genus vt ſic: ergo & ſolum exprimit differentiam vt ſic; aliàs foret totum monſtruoſum, cum peteret vnam partem extra proportionem alterius. Modo ſic: differentia, quæ eſt diviſiva generis, & correlata ſpeciei, vtpote, vt ipſius conſtitutiva, eſt proprijſsima, & eſſentialis; ſed differentia vt ſic, talis eſt: ergo.

38 Ex quibus reſpondebis, negando directé paritaté argumenti principalis; quia de ratione differentiæ, abſoluté, & ſecundum ſe intellectæ, eſt dividere genus, & conſtituere ſpeciem, & ſic eſt imperceptibile, quod nõ ſit eſſentialis differentia, ac per conſequẽs, quod ſit non eſſentialibus communis; differre enim vt ſic, aliquod conveniens vt ſic debet reſpicere, quia differre, cõvenire ſupponit; ſed conveniẽtia vt ſic eſt genus ad differens vt ſic:

Digitized by Google

ergo à fortiori differentia vt ſic erit differentia reſpectu generis; ſed differentiæ conceptus, qui ſic eſt generis, debet de inferioribus, vt conceptus differentiæ eſſentialis dici: ergo eſt imperceptibilis vnivocatio in differentia vt ſic. At autem vniverſale vt ſic, nec dicit genus, nec differentiam, nec ſpeciem; aliàs, quæ intra eſſentiam prædicarent, non forent vniverſalia: ex quo oritur, quod licet habeant oppoſitionem quinque prædicabilia, vt vnum participet rationem ſpecialem alterius vniverſalis, non autem vt participet rationem vniverſalis vt ſic. Itaque, ratio vniverſalis vt ſic erit communis ad vniverſale, intra, & extra eſſentiam prædicabile; non autem ratio differentiæ vt ſic erit ſic communis ad intra, & extra eſſentiam differens.

39 Prædicta ſunt conformia menti Scoti in *q. 27. vniverſ. verſ. Dicitur autem in ſpeciali*, vbi ſubtiliter deducit, quod differentia, ſecundum quod diviſiva, dicitur ad genus, & ſecundum quod conſtitutiva, dicitur ad ſpeciem. Deinde debes ſcire, quod Scotus probaverat in *q. 15. Vniverſ.* quod omnis ratio diviſiva generis ſit conſtitutiva inferioris ſpecifici: ex quibus fuit formata ratio ſic: differentia non poteſt vnquam præſcindi à conceptu, vel diviſivo generis, vel conſtitutivo ſpeciei; quia differre, eſt ſecundum ſe, aliquod vnũ dividere: vnde Scotus *in 24. q. Vniverſ.* ſpeciem multitudinis derivat à differentia, ſiquidem ex eodem manent diviſione differentiæ multa; ſed conceptus differendi non poteſt percipi ſine diviſione alicuius eiuſdem; aliàs potius diceretur diverſificans, quam differens: ergo conceptus differendi debet ſecundum ſe dici ad eſſentiam, vel quia ſuperioris diviſivus, vel quia æqualis ſpecifici conſtitutivus.

40 Si contra dicta Scoti velis perſiſtere in hoc, quod datur conceptus differendi, qui nec eſt generis diviſivus, nec ſpeciei conſtitutivus, vt liquet in differentia accidentalis ergo quia ex puro conceptu differentiæ non ſequitur illatio diviſi, & conſtituti: Dicam, hoc eſſe vocum æquivocationibus vti; ſimiliter enim poſſemus nos dicere, quod in conceptu hominis vt ſic non intelligebatur conceptus quidditatis, cum homo pictus veré ſit homo pictus, nec non faciens ſic imago hominem differre à bruto non depicto: ergo quia datur reſpectu vtriuſque conceptus humanitatis, aut differendi? Non ſequitur, tameſi reſpectu tertij vt ſic, ſeu hominis in communi, vtramque vocem conſideres; ſolus enim homo verus dicetur homo, ita vt idem ſit dicere homo, ac verus homo; & é contra, homo pictus nunquam ſine addito dicetur homo: ergo à ſimili, etſi reſpectu tertij vertantur differentiæ. Rationes extant ſuperius.

41 Dices tandem, & attinges maius robur præcedentium impugnationum. Dices igitur, quod ſic dicitur differre, ſicuti & convenire: ergo ſi poſsit dari convenientia ab eſſentiali præciſa, etiam ſic differentia præciſa poterit dari. Ex quibus ad Scoti rationem dices, quod conceptus differendi, etſi non poſſit à diviſioné eiuſdem entitatis præſcindi, poterit tamen præſcindi à diviſione eiuſdem entitatis genericæ, eo quod talis conceptus differentiæ ſolum exprimat dividere conſimilem conceptum, vtpote, ab eſſentiali convenientia præciſum. Hæc ratio iam nil vrget, imó ex ipſa formatam reſolutionis doctrinam roboramus. Vel enim illa convenientia eſt vnivocé dicibilis, vel non? Si non: ergo neque differentia vt ſic, ei correſpondens, erit de omnibus dicibilis vnivocé. Si ſi: ergo poterit ſupra illum conceptum convenientiæ fundari ſecunda intentio generis: ergo & ſupra conceptum differentiæ, ei correſpondens, poterit fundari ſecunda intentio differentiæ, ſed conceptus convenientiæ genericæ debet eſſe in *quid*, & intra eſſentiam: ergo & conceptus diſconvenientiæ differentialis debebit eſſe ſic in *quid*, & intra eſſentiam. Deinde, ſi ille conceptus convenientiæ vt ſic non ſit generis, nec conceptus diſconveniẽtiæ vt ſic ſit differentiæ eſſentialis; ſequitur ingens inconveniens, videlicet, quod conceptus diſconvenientiæ vt ſic debeat illam convenientiam dividere, & cum ipſa aliquod vnum ex convenientia, & diſconvenientia intentionalizare; ex quo ſequeretur, quod eſſet ſpecies, & non eſſet ſpecies. Eſſet ſpecies, quia talis debet eſſe vnum ex convenientia, & diſconvenientia conſtitutum. Non eſſet ſpecies, quia conceptus convenientiæ non foret generis, ſicuti nec conceptus differentiæ foret *quale*, & in *quid*.

42 Relinquimus ſic, hanc moleſtiſsimam quæſtionem, aliquantulum ſolutam, & pro ipſius eviſceratione, diffuſam dare notitiam, non deſpeximus, cum ab huius quæſtionis deciſione, omnia differentiæ quæſita pendere intueamur. Duplicem intendi adaptare viam; prima eſt facilior, & præter iam expoſita, aliqualem pro ipſa noto in Scoto probabilitatem; ſic in *q. 24. Vniverſ.* vbi in ſolutione cõſimilis intenti ait, quod differre poteſt ſumi in communi; quo pacto de accidenti poteſt dici, quod faciat differre, prout facere differ-

ré

re eſt tollere omnem idemptitatem; non autem erit verum, quod faciat differre, prout differre ſumitur magis propriè, & non vt omnis idemptitatis impeditivum. Nilominus tamen noto, quod ſecunda via, etſi difficilior, eſt ſolidiſsima, & abſque dubio apud literam, & mentem Scoti ſecurior. Sin autem ego, iuxta meum animum, reſolutionem formare valerem, reſolverem, quod ſi æquivocus erat conceptus differentiæ, æquivocus debebat eſſe conceptus vniverſalis, in quam reſolutionem prorumpere innuit Scotus, intuens difficultatem *in q. 7. Vniverſ.* & in *q. 27.*

QUÆSTIO II.

De conſtitutive differentia, ad tertium prædicabile pertinentis.

43 CUM à conceptu differentiæ moleſtam æquivocationem abſtulerimus, claré conceptus differentiæ, vt tertij prædicabilis conſtitutivus, offertur explicandus. Porphyrius *in capite 4.* plures reliquit differentiæ definitiones, quas Doctor Subtilis recitat, & exponit, vt videbitur hinc, & in quæſt. ſequenti. Porphyrius ergo, inter alias, hanc adduxit differentiæ definitionem: *Quæ de pluribus differentibus ſpecie, in eo quod quale ſit, prædicatur.* Quam definitionem, prout tertij prædicabilis conſtitutivam, modificat Scotus in *q. 27.* reſolvendo, quod demptis illis particulis, *differentibus ſpecie*, erit propria definitio differentiæ, in quantum hic de illa agitur.

44 Reſolvendum eſt igitur, quod differẽtia prout ad hoc prædicabile ſpectat, dicitur, *quæ prædicatur de pluribus in quale quid.* Eſt literalis apud Scotum, tam in *q. 27.* quam in 28. Vbi in primò intentionalibus diſtinguit duplicem actum; primum, videlicet, & ſecundum. Dicitur primus, qui facit ens ſimpliciter in actu, v. g. omnis forma, quæ eſt intra eamdem lineam ſubſtantiæ cum potentia, quam eſſentialiter informat, & qualificat. Dicitur ſecundus actus, qui præſupponit ens in actu, & tantum facit ens in actu tali, eo quod abſolutè, & ſine addito nil actuet, aut qualificet, vt de differentijs accidentalibus dicebamus ſupra. Sic igitur à paritate iſtius duplicis actus realis, duplex datur modus intentionalis, ſeu qualitas duplex, quibus formæ intentionales explicantur. Differentia enim ſumitur à primo actu, qui eſt forma ſpecifica, quæ eſſentialiter qualificat, & informat; quare explicatur per prædicare *in quale eſſentiale*, à diſtinctione duorum aliorum vniverſalium *in quali ſecundo*, ſeu accidentali prædicantium. Deinde, tam in *q. 27.* quam *in 26.* ſuadet Scotus præfatæ definitionis rectitudinem. Primò id ſuadet ex eo, quod pro genere ponatur vniverſale, quod per aliquam per ſe differentiam deſcendit in ipſam: ergo. Secundò; quia ille conceptus qualis quidditativi eſt immediatè, & de per ſe diviſivus vniverſalitatis: ergo alicuius inferioris in ſpecie diſtincti conſtitutivus. Tertiò ex eo, quod cum differentia vniverſaliter intellecta convertatur, & ita vt vltimæ, & non vltimæ, nempe, intermediæ, ſit communis: ergo quia vndequaque in rectitudine abundat.

45 Contra prædictam definitionem, plura movet ſubtiliter Scotus, quorum difficilia, in ſecunda obiectione proponemus. Obijcit primò dicendo, quod differentię non eſt differentia; aliàs differendo infinitè procederemus; ſed id, cuius non eſt differentia, eſt indefinibile: ergo contradictoriè differentiam definivimus. Reſpondet Scotus diſtinguendo maiorem; differentiæ non eſt differentia, reſpectu cuius differentia habet rationem differentiæ, eſt verum; non eſt differentia, reſpectu cuius habet rationem ſpeciei, eſt falſum; & ſic reliqua percipienda ſunt; de quo ſtatim. Inſtabis: tunc ſequeretur, quod differentia reſpectu alicuius non eſſet differentia, cum Scotus dicat, quod reſpectu alicuius habet rationem ſpeciei; ſed quod hoc ſequatur contradicit, cum differentia neceſſariò, & de per ſe ſit differentia: ergo. Reſpondet Scotus diſtinguendo maiorem: ſequeretur quod reſpectu alicuius, differentia in ſe non foret differentia, vt *quid*, ſeu primò intentionaliter, & metaphyſicè, eſt falſum; quod non foret differentia, vt *modus*, ſeu ſub ſecunda intentione differentiæ, eſt verum.

46 Itaque ad primum dixit Scotus, quod reſpectu cuius differentia habebat rationem differentiæ, ipſius non erat differentia; quia ſic differentia ſolum habet eſſe partem illius, de quo ſolum, ſicuti eſt verum dicere, quod habet partem, ſic ſolum erit verum dicere, quod habet differentiam. Sicque differentia, prout eſt forma faciens differre aliquod ſubiectum, non habet differentiam, ſed potius eſt ratio, vt tale ſubiectum differentiam habeat; habebit verò differentiam reſpectu cuius ipſa ſit ſpecies, vt reſpectu vniverſalis, quia tũc fit iam transformatio in differentia, eo quod differentia, quæ erat ſecunda intentio reſpectu primæ intentionis, reſpectu cuius erat

dif-

Digitized by Google

differentia, tranſeat ad eſſe *quid* reſpectu alterius, nempe vniverſalis, reſpectu cuius, ipſa eſt ſpecies, dum definitur. Vnde recté dixit Scotus, quod reſpectu alicuius, differentia non erat differentia vt *modus*; quia reflexé conſiderata ſecunda intentio differentiæ, transformatur in eſſe quidditativæ differentiæ; quod eſſe quidditativum differentiæ intelligitur tũc ſub modo, ſeu ſecunda intentione ſpeciei; quo pacto differentia non habet ſemper rationem differentiæ notionalem, cum habere poſsit rationem, ſeu modum ſpeciei. Videantur dicta in *q. q. de genere*, vbi ex proffeſſo declarantur iſta.

47 Obijcit ſecundo: Si differentia definita ſuperius, ſit tertij prædicabilis conſtitutiva, ſequeretur, quod differentia intermedia, & vltima forent duo diſtincta vniverſalia, vt ſunt genus, & ſpecies: ergo præfata definitio non eſt differentiæ tertij prædicabilis. Prob. antecedens; quia ratio differentiæ definitæ dividitur per differentiam intermediam, & vltimam, ſicuti ratio prædicandi in *quid* dividitur per genus, & differentiam: ergo ſi ratio differentiæ definitę ſit tertium prædicabile, ſequeretur, quod differentia intermedia, & vltima ſint duo diſtincta vniverſalia, vt genus, & differentia. Prob. antecedens, & intentum: ex eo genus, & differentia ſunt duo diſtincta vniverſalia, rationem prædicandi dividentia, quia vnum prædicat de differentibus numero, & aliud de differentibus ſpecie; ſed vna ex illis differentijs prædicat de pluribus ſpecie, & alia de pluribus numero: ergo ſicuti ratio prædicandi in *quid* dividitur per genus, & differentiam, & conſequenter in duo vniverſalia diſtincta; ſic & ratio differentiæ definitæ dividetur per intermediam, & vltimam, ac ſimiliter in alia duo vniverſalia diſtincta. Confirmat intentum Scotus (videatur in *1. ſent. diſt. 23. in fine*); quia quandocumque aliqua duo ſic ſe habent, quod vtrumque prædicatur de pluribus, & non habent vnam definitionem communem, illa ſunt duo vniverſalia ſpecificé diſtincta; ſed differentia intermedia, & vltima ſic ſe habent: ergo. Prob. min. quia prædicari de pluribus differẽtibus numero tantum convenit differentiæ vltimæ: deinde prædicari in *quale eſſentiali* de pluribus in ſpecie, tantum convenit intermediæ; & deinceps non eſt dabilis definitio vt ſic, vtrique communis, propter dicenda, & dicta: ergo.

48 Reſpondebis, quod ſuppoſita definitio vniverſalis differentiæ, ſcilicet, *prædicari de pluribus in quale quid*, eſt vnivocé communis intermediæ, & vltimæ; quæ definitio differentiæ in communi erit ſolummodo tertij prædicabilis conſtitutiva. Audi nervoſas Scoti inſtantias. Inſtat primó dicendo, quod talis definitio differentiæ in communi debet eſſe æquivoca: ergo habebit duo ſignificata diſtincta, & æqué nomen differentiæ terminantia: ergo erunt duo vniverſalia. Prob. illationes; quia quando duo aliqua non habent vnam vnivocam definitionem, tunc vnumquodque debet definiri iuxta proprium, & ſpeciale ſignificatum; ſed differentia intermedia, & infima, non habent vnicam definitionem: ergo. Sed iuxta ſpeciale ſignificatum, vnaquæque differentia eſt diſtincta: ergo duplex conſtituet vniverſale diſtinctum. Deinde, quod talis definitio communis debeat eſſe æquivoca, ſuadet Scotus; quia prædicari de pluribus eſt ęquivocum ad prædicari de pluribus in ſpecie, & in numero: ergo. Prob. anteced. quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur & aliud; ſed vnum, & plura ſunt oppoſita; & vnum ęquivocé dicitur ad vnum in ſpecie, & ad vnum in numero, vt patet ex *5. Metaph. c. de vno*: ergo & plura, ſeu prædicari de pluribus, æquivocé dicetur ad plura numero, & ad plura ſpecie. Deinde, invicta manet ſemper vrgentior ratio Scoti; quia etſi genus, & ſpecies habeant vnam rationem vnivocé communem vtrique, vtpote *prædicari de pluribus in quid*, nilominus tamen, quia vnum prædicat *in quid* de ſpeciebus, & aliud de numeris, conſtituunt duo diſtincta vniverſalia: ergo etſi differentia intermedia, & infima habeant vnam rationem, vtrique communem, vtpote prædicari de pluribus *in quale quid*, nil impediet duorum vniverſalium diſtinctionem, dum vnum prædicet *in quale* de ſpeciebus, & aliud *in quale* de individuis. Alias rationes excitat Scotus, quarum memorabor in dicendis de numero, & vnitate prædicabilium.

49 Reſpondeo igitur in forma argumento, cum ipſa genuina doctrina Scoti; & in primis nego antecedens. Ad probationem antecedentis reſpondeo negando vim paritatis in antecedenti. Ad probationem antecedentis, & intentæ paritatis reſpondeo negando cauſalem maioris. Ad confirmationem reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem, & etiam inconveniens illationis, vtpote, quod non ſit dabilis communis definitio vtrique differentiæ Deinde ad primam rationem inſtantiæ reſpondeo negando antecedens. Ad eius directam probationem reſpondeo negando antecedens, videlicet, quod prædicari de pluribus *in quale quid* ſit æquivocum vtrique differentiæ. Ad probationem antecedentis reſ-

pon-

Digitized by Google

pondeo, maiorem eſſe veram, quando oppoſita ſunt ſimilis conditionis: vnde neganda eſt conſequentia. Denique ex his reſpondebimus ad vltimam Scoti rationem. Itaque, omnem formalem reſponſionem explicando, dicimus iuxta literam Scoti, quod tametſi genus, & ſpecies, duo diſtincta in ſpecie vniverſalia conſtituant, non tamen illa ſic conſtituent differentia intermedia, & vltima. Fundamentalis Scoti ratio ſumitur ex eo, quod genus, & ſpecies non conſtituant duo in ſpecie vniverſalia, quia vnum prædicet de pluribus numero, & aliud de pluribus ſpecie; ſed ex eo, quod intra ipſam primam rationem, & intrinſecum modum prædicandi detur eximia diverſitas, cum genus prædicet *quid* per modum partis, & ſpecies prædicet *quid* per modum totius, ita vt ex modo prędicandi, totam quidditatem inferiorum exambiat. Differentia veró intermedia non dividit conceptum prædicandi de pluribus per diſtinctam modi quidditatem, ac illud dividit differentia vltima; vtraq; ſiquidem modum partis, formalis, & quidditativæ, in ſuis pluribus conſervat: ergo cum idem modus prędicandi, qui in pluribus ſpecie diſtinctis, conſervetur in pluribus numero differentibus, recté intulit Scotus, quod illa pluritatum diſtinctio, ſolum erat extenſiva, & materialis; non autem intenſiva, & de per ſe.

50 Ex quibus, vlterius procedendo, negavit Scotus, quod æquivocé ſe habeat conceptus differentiæ eſſentialis, eo quod vtrique conveniat vt pars, vt forma, vt quidditas, & vt denominativa perfectio; & ſic poterit vt vnivocum definiri, cum tali conceptui communi, communis, æqualis, & determinatus conceptus correſpondeat, per illud nomen eodem modo ſignificatus. Vnde tranſit ad ſolutionem illius dicti ex 5. *Metaph.* dicendo, quod non omnibus illis modis, quibus dicitur vnum oppoſitorum, dicitur reliquum, ſi vtrumque oppoſitorum non ſit ſimilis conditionis, & naturæ, ſicuti ipſe notat in 1. *ſenten. d.* 23. prope finem, vbi ait, quod aliquando vnum oppoſitorum eſt relatio realis, & reliquum eſt relatio rationis. Ad rem igitur Scotus in *q.* 27. *Vniverſ.* dicit, quod bene poteſt aliquando vnum oppoſitorum dici vnivocé de pluribus, & tamen aliud oppoſitorum non dici vnivocé de alijs; ſed notat, quod neque æquivocé, ſed conveniet illis in quantum dicitur ſimpliciter, & ſecundum quid: v.g. homo, & non homo ſunt oppoſita, & tamen ly *non homo* eſt vnivocum ad mortuum, & non mortuum, eo quod ly *non homo* eodem modo dicatur de Petro mortuo, ac de lapide, qui non eſt mortuus, quia vterque eſt non homo; ly autem *homo* non dicitur ſic vnivocé de illis, ſed dicitur, vt ſimpliciter, & ſecundum quid, quia Petrus mortuus eſt homo ſecundum quid, & Paulus vivus, ſeu non mortuus eſt homo ſimpliciter: ergo à ſimili, ait Scotus, dicendum eſt de quocumque oppoſitorum, dum detur determinatio diſtrahens, vt datur inter plura ſpecie, & numero; & vnũ ſpecie, & numero: etſi enim vnum, & plura ſint oppoſita, dum tamen pluralitas determinetur amplius, diſtrahitur ab oppoſito ipſa determinatione vlteriori: de quibus adhuc infra.

51 Confirmat deinde ſolutionem Scotus, inſtando contra arguentes ex ipſa ratione vniverſalis, apud ipſos vnivoca quinque vocibus vniverſalibus: Inſtat ergo in hunc modum; ſi conceptus differentiæ vt ſic ſit indefinibilis, quia æquivocus ad plura in ſpecie, & ad plura in numero, ſequeretur ſimiliter, quod conceptus vniverſalis vt ſic ſit indefinibilis: ergo illa pluralitas præcisé, non dat æquivocationem, ac per conſequens nec diſtinguit intra differentiam vniverſalitatem. Prob. antecedens Scotus; quia dum vniverſale definitur per eſſe aptum ad plura, etiam illa pluralitas vertitur ad plura ſpecie, & ad plura numero: ergo ſi conceptus differentiæ, vtpote de pluribus *inæquale*, ſit ęquivocus, quia verſus ad plura ſpecie, & plura numero, ac per conſequens indefinibilis; eadem ratione conceptus vniverſalis erit æquivocus, & indefinibilis.

52 Quare reſpondendo ad vltimum, & dicta corroborando, dico, quod meritó Scotus reſolvit, quod plura in ſpecie, & plura numero, non invertunt in differentia, vniverſalitatis conceptum. Signo congruentias, ſupra Scotum in *q.* 7. *Vniverſ.* fundatas. Primo; quia pluralitas in inferioribus, & dividentibus, ſæpe eſt ſubordinata, vt patet in ipſo genere, quod idem eſt prædicabile de pluribus in ſpecie, & de pluribus in numero; nunquam tamen vnitas modi generici ſic ſubordinatur vnitati modi ſpecifici, quia tametſi genus poſsit prædicari de pluribus, de quibus prædicatur ſpecies, non vero ſub vnitate modi ſpecifici poterit genus prædicari vt genus, cum non poſsit adæquata quidditate, & eſſentia prædicari. Vnde, etſi genus, quod eſt prædicabile de pluribus in ſpecie, & ſpecies, quæ eſt prædicabilis de pluribus in numero, ſint diſtincta vniverſalia; non tamen, ait Scotus, erunt propter præcisé prædicari de talibus pluribus, ſed propter diſtinctionẽ in quidditatis modo, vt patet in differentia interiecta, & infima. Secundó id ſuadetur ex Scoto, qui conſiderans pluralitatem generis,

&

Digitized by Google

& minorē pluralitatem ſpeciei, dubitat, an genus ſit magis vniverſale, quam ſpecies? Cui dubitationi deberet affirmative reſpōdere, ſi reſpōderet iuxta intētū hinc contrarié arguentiū, vtpote, ſicuti ſe habet vnū ad vnum numero, & ſpecie, ſic plura ad plura numero, & ſpecie: ergo ſicuti vnum ſignificans ſpeciem eſt vniverſale, & excedens intrinſecé vnum ſignificans numerum; ſic, quod ſit ad plura ſpecie, erit intrinſecé vniverſalius, & ſic ſuperans vnum aptum ad plura numero; & tamen Subtilis, & prudens reſolvit Scotus, quod genus non eſt magis vniverſale, ſed poteſt dici quodam modo maius vniverſale; quemadmodum quaternarius poteſt dici maior numerus binario, non magis. Tertio id ſuadetur ex Scoto in ipſa ratione numeri, quæ eſt multitudo ex vnitatibus aggregata, & tamen vnivocé dicitur de binario, & trinario, licet ex pluribus vnitatibus ſit trinarius. Et tandem id ſuadet in ſecunda intentione ſpeciei ſpecialiſsimæ, etſi vna ſpecies ſpecialiſsima plura habeat ſub ſe contenta.

53 Qua propter, mentem Scoti vltimó eviſcerando, reſolvimus pro ſolutione ad vltimam Scoti rationem, quod etſi detur definitio communis in *quale quid* differentiæ vtrique, non autem ſic ſit dabilis definitio communis in *quid* generi, & ſpeciei; ex hoc enim videbatur ab Scoto probari aliud diſtinctum prædicabile à quinque communiter ſignatis. Ratio apparet; quia ſi daretur ratio prædicabilis de pluribus in *quid* communis vnivocé generi, & ſpeciei, daretur quoddam vniverſale, quod foret inferius vniverſali dicto de quinque, cum hoc ſolum ſit prædicabile de pluribus, non autem in *quid*; & deinde foret ſuperius generis, & ſpeciei vniverſalibus, vt ſupponitur ipſis vnivocum, & commune: ergo datetur diſtinctum prædicabile à quinque communiter ſignatis.

54 Dices: ergo cum nos ponamus prædicare in *quale* eſſentiali, qood ſit inferius vniverſali vt ſic, & ſuperius differentia intermedia, & infima, ſequetur ſimiliter, quod aliud diſtinctum vniverſale conſtruamus. Reſpondeo, id ex noſtra poſitione noo ſequi. Ratio eſt Scoti, ſcilicet, quod poſito quali eſſentiali, non dividitur deinceps in diſtinctos quidditatis modos à differentijs, cum vtrique ſit pars, & per modum denominantis; ſicque, cum maior, aut minor communitas, ſecundum ſe præcisé, non faciat æquivocationem, niſi ex diverſitate modi derivetur, inde eſt, quod tametſi vtrique differentiæ ſit communis, qualitatis intrinſecę ratio, non adſtruatur diſtincta vniverſalitas; at autem cum genus, & ſpecies, adhuc ſecundum quidditatis modum, diverſimodé, & inæqualiter ſe habeant, quia *quid* generis non dicit totam quidditatem ſpeciei, ſin autem ſpecies dicit totam quidditatem inferiorum, ita vt inæqualitas non ſit ſecundum pluralitatem, ſed ſecūdum priores vtriuſque rationes, ideo in illis ſequeretur vna alia diſtincta vniverſalitas, quæ tamen, vt patet, non ſequitur in differentijs. Vnde concludit Scotus, quod prædicabile de pluribus in *quid* non datur vnivocé reſpectu generis, & ſpeciei, ſicque *in quid* non habere vnum communem vniverſalitatis conceptum, eo quod nullum æquivocum ſit ſine contradictione definibile.

55 Dices, ſequi ex doctrina Scoti, quod ſi prædicari in *quid* ſit æquivocum generi, & ſpeciei, quod etiam præcisé prædicari de pluribus ſit omnibus vniverſalibus æquivocum: ergo aut prædicari de pluribus non eſt vnivocum alijs, aut vnivocum eſt generi, & ſpeciei prædicari in *quid*. Reſpondeo negando antecedens pro nunc. Diſparitas ſtat in hoc, quod iam ipſe Scotus innuit, videlicet, quod conceptus vniverſalitatis ſit in ſe abſolutiſsimus, ita vt pluribus ſine aliqua determinatione conveniat; quare nullum eſt prædicabile de pluribus, quod maiorem, aut excellentiorem quidditatem vniverſalitatis habeat, vniverſale ſiquidem, nullam in prędicando dicit quidditatem; ſicque omnis eius ratio prædicandi, quæ eſt in ſpecie, eſt in genere; at autem eſſe quidditativum, cum ſit, & dicat eſſe eſſentiæ, ita vt ſit ratio modum eſſendi exprimens, de ſe cognoſcitur, quod ſimpliciter ſolum habeat quidditatem, quod habet eſſentiam, cum eſſentia ſit primum, & ſimpliciter obiectum reſpectu ſcientiæ quidditativæ: ergo illa vox *quid* erit æquivoca, cum ſimpliciter ſupponat pro eſſentiæ quidditate, & minus ſimpliciter pro parte ipſius quidditatis; ſicque, licet *dici*, æqué convenire poſsit eſſentiæ, & parti; non autem *eſſe*, eſſentiæ, & parti æqué conveniet. Sed debes notare, quod etſi quidditas ſimpliciter ſignificet eſſentiam; non autem eam ſignificat ſic, prædicari vniverſaliter; quia quidditati non accidit ſimpliciter *quid*, ſeu eſſe; ſin autem prædicari accidit quodcumque *quid*; quare, etſi genus ſit inæqualiter *quid*, nō autem inæqualiter vniverſale; ita vt licet ſpecies in quidditate ſuperet genus, cum omnem quidditatem habeat, minimé tamen in vniverſalitate genus ſuperabit. Nec hinc valet dicere, quod prædicari ſequitur eſſe: non enim hinc valet, quia vt ait Scotus paſsim in *Prædicam.* quæ Metaphy-

ſicus

Digitized by Google

ſicus conſiderat de per ſe, Logicus de per accidens. Vnde ad rem ait Scotus in *q.* 3. *Prædicament.* quod licet accidens reale tantum habeat vnum pro proximo ſubiecto quoad eſſe, ita vt nulli alij inſit, niſi mediante illo primo ſubiecto; at accidens intentionaliter poteſt æqué primó ineſſe rebus omnium generum, & nulli per aliud. Sed de his inferius: ſiſtes ergo in dicendis *Diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. *& in q.* 2. prope initium.

QUÆSTIO III.

De differentia tripliciter comparata.

56 Differentia, cum tria munera principaliter exerceat, poteſt iuxta illa comparari, plures reſpectus rationis deducendo. Poteſt enim conſiderari in ordine ad genus, prout ipſum contrahit, & ad illud comparari, v.g. rationale ad animal. Secundo poteſt conſiderari comparata ad ſpeciem, prout illam conſtituit, v.g. rationale ad hominem. Tertio poteſt conſiderari, vt comparata ad inferiora, de illis prædicando, v. g. rationale ad Petrum. In præſenti enim de differentia iuxta vnamquamque comparationem eſt agendum.

DE DIFFERENTIA IN ORDINE ad genus.

57 Differentia in ordine ad genus definitur, *quod aptum natum eſt dividere ea, quæ ſub eodem genere ſunt.* Quæ definitio proprijſsimé ſignat illud primum munus differentiæ; quia vt pluries aiebamus cum Scoto, omne principium determinaté dividens, conſtituit inferius: ergo cum inferius genere, à differentia conſtitutum, ſit ſpecies, requiritur, quod differentia ex munere proprio dividat genus. Deinde requiritur, quod dividat ea, quæ ſub eodem genere ſunt, quia quæ ſunt generum diverſorum, nulla, vt dividantur, indigent differentia: ergo ſolum poteſt eſſe proprium differentiæ munus, dividere ea, quæ ſub eodem genere ſunt. Rectè igitur Scotus in ordine ad genus, ſic munus differentiæ iuxta Porphyrium recitat.

58 Circa prædictum munus ſolum bine exagitari ſolet, an differentia, vt ex munere primario, dicat ordinem ad genus? Affirmant plures, quorum noviſsimus eſt noſter Groſſo, qui in *Differt.* 13. *Elucid.* 1. aſſerit, id reſolvi à celebrioribus interpretibus. Sed revera non videtur ſic certum, vt cum tot interpretibus Groſſo aſſerit, cum nullus ſit Scoto, ſaltim nobis, celebrior interpres, & in *quæſt.* 27. *Vniverſ. verſ. Dicitur autem in ſpeciali*, aſſerit, quod differentia, ſecundum quod diviſiva, dicitur ad genus, non quod genus ſit primum eius correlativum, quia primò eſt ſpeciei; ſed ratione diviſi, ita, quod primó dicitur ad diviſum; ſecundum autem quod eſt conſtitutiva, dicitur ad ſpeciem &c. in quibus verbis, etſi manifeſté aſſerat Scotus, quod differentia ſecundum aliquam comparationem dicatur ad genus, tamen quod id munus, vt comparatum ad alia ex ſpeciei muneribus, ſit primum in differentia, non ſic manifeſté aſſerere videtur.

59 Sentio igitur, prædictam, & conſimiles difficultates potius eſſe moleſtas, quam vtiles. Pluries enim differentiæ munera conſideravi, & toties inveni, nullum eſſe munus, quod in primo differentiæ conceptu non poſſit conſiderari. Qui enim metaphyſicé conſideret differentiam, eam æqué iuxta quodcumque munus comparare poterit, tametſi ex noſtræ mentis debilitate, non poſsit differentiæ quidditas inſimul ad omnia munera verti; ex quo oritur, quod circa vnum munus, prius quam circa aliud, menti proponatur. A primo enim intuitu, primum nobis proponitur munus dividendi genus, quam conſtituendi ſpeciem; quia concipimus, quod vt conſtituatur ſpecies, debet contrahi genus; & tamen ſi ſolidé ſiſtamus, inveniemus, quod incipere contrahere genus, eſt incipere inſimul conſtituere ſpeciem, ita vt in nullo præciſionis apice poſsit eſſe genus contractum, in quo ſpecies non ſit conſtituta. Similiter apparet, quod prius ſit in differentia reſpicere genus, quam ſpeciem, eo quod differentia ſit pars, & prius videatur, partem reſpicere compartem, ex quibus eſt totum, quam reſpicere totum ipſum; & tamen ſi ſolidé ſiſtatur, invenietur, quod differentia idem ſit ac principium conſtituens, ita quod primum eius correlatum videatur eſſe conſtitutum; quo pacto, ait Scotus vbi ſupra, quod licet differentia non dicatur ad ſpeciem, in quantum ſpecies, ſin autem dicetur ad ſpeciem, vt ad conſtitutam per differentiam.

60 Exiſtimo tamen, poſſe dici, quod iuxta communem Phyloſophorum phraſim, poteſt differentia percipi, via generationis, in aliquo priori ad ſpeciem. Sic capio Scotum ſupra cõciliatũ cum his, quæ tradit in *q.* 15. *Prad.* §. *ad quæſt. verſ. ad probationem*, vbi inquiẽdo, an

ſubſtantia ſit primum ens, permittere videtur, quod ſi loquantur de ſubſtantia principiata, non videtur concipi vt primum ens, cum vt ſimpliciter principiata, debeant talis ſubſtantię principia eſſe illa priora: ergo à ſimili philoſophandum eſt hinc de ſpecie; ſiquidem etſi metaphyſicum ens ſit, non impediat, quod principia, à quibus ſit, percipiamus: ergo & quod percipiamus, quod iuxta hanc phraſim, principia ſint prima, cum nullo modo aliquid, ex quo ſint, præintelliganr, ſicuti eſſe ex ipſis intelligitur ſpecies.

61 Sed tamen ordine, & via perfectionis, primó debet intelligi quidditas ſpeciei, quam cuiuſvis principij; ſicuti iuxta hanc viam, ait Scotus, quod primum perfectione eſt ſubſtantia. Ratio ſtat in hoc, quod ſumma perfectionis ſolum incipiat ab illo, in quo primò intelligitur eſſe; ſed ſolum intelligitur eſſe ſummé in ſpecie, cum ſummum perfectionis ſit *totum perfectum*; & totum non intelligatur, niſi vbi intelligitur ſpecies: ergo iuxta hanc viam, primum omnium eſt ſpecies ſpecialiſsima. Sic ergo poteſt cum Scoto conciliari difficultas; dum igitur dicitur, an differentia primó ſit in ordine ad ſpeciem, quam ad genus; poteſt reſponderi, quod via generationis, primó poteſt concipi in ordine ad genus, cum ſic primó percipiantur principia, in quo perceptibili ſigno poteſt intellectus vnum ad aliud comparari, & ſic differentiam in ordine ad genus concipere. Via tamen perfectionis, primó percipietur in ordine ad ſpeciem, cum hæc ſit primum, & omnis formalitatis, attributionis, ſeu principalitatis ſubiectum. Sin autem inter hos duos ordines, ſtrictiorem reſpectum velis deducere, inclinabor pro dicentibus, quod primó refertur ad ſpeciem, quam ad genus. Congruentiam deduco ex eo, quod licet genus, & differentia ſint principia, & ſpecies principiata, tamen non debet inde ſequi, quod principium primó debeat verti ad principium, quam ad principiatum. Deinde, quia non ſemper appetuntur primó, quæ in linea generationis ſunt prima, in quo Groſſo ſiſtere videbatur; quia licet diſpoſitiones ad formam ſint iuxta hanc viam forma priores, tamen vt dicam in *Diſtinc. de natura*, ens naturale primó, & de per ſe inclinatur ad formam, quam ad diſpoſitiones: ergo à ſimili.

***

DE DIFFERENTIA IN ORDINE *ad ſpeciem.*

62 Differentia in ordine ad ſpeciem exercetur in vno ex principalibus muneribus; quam, vt ſub hac expreſione, ex Porphirio definivit Scotus ſic: differentia eſt, *qua abundat ſpecies à genere*. Sic in *q. 27. Vniverſ.* vbi ſupra, notante ibi Scoto, ſenſum huius definitionis debere intelligi de differentia, vt ſpeciei conſtitutiva. Et meritó ſecundum præfatum ſenſum exponitur ſic conceptus differentiæ; quia prout differentia dicitur conſtitutiva ſpeciei, eſt principium formale à quo ſpecies habet ſuperare genus in quidditate; ſiquidem genus ſolum dicit partis quidditatem, & ſupra hanc habet ſpecies à differentia dicere partem vlteriorem, vtpote formalem, ſicque habet quidditatis totum: ergo differentia eſt id, à quo ſpecies abundat genere, ſeu id, à quo habet in quidditate ſuperare, ſeu excedere genus.

63 Dices, præfatam expoſitionem ſapere vitium; quia etiam genus poterat definiri dicendo, eſſe id, quo abundat ſpecies à differentia, ſiquidem etiam à genere habet ſpecies differentiam ſuperare: ergo. Reſpondeo, quod ſi proprié ſit loquendum, improprié applicabitur generi talis deſcriptio. Ratio eſt; quia genus ſecundum ſe, eſt in potentia, tam æquali, quam indiferenti ad omnes ſpecies, ita vt genus ſit omnibus indiviſus conceptus, ſicque ſpecialem exceſſum non poteſt ſtricté habere ſpecies à genere. Deinde, genus eſt conceptus abſolutus, & à differentia ſecundum ſe præciſus, ita vt differentia debeat ipſum contrahere, vt quid ſpeciei dicatur, ſicque ab ipſo ſpecies non poterit abundare. At differentia rationem generis contrahit, determinat, *ſpecicat*, ſicque ſolum à differentia poterit dici, quod abundat ſpecies. Vlterius, & notius; quia differentia, cum ſit actus generis, potentiam reſolvens, debet percipi vt quid genere poſterius in ſpecie: ergo cum abundantia, & exceſſus ſumantur ab his, quæ vltimó ponuntur, (vt poteſt in ſtatera dari exemplar) proprié, & ſpecialiter loquendo, recté dicitur, differentiam eſſe, *qua ſpecies abundat à genere*.

64 Circa expoſitum differentiæ munus, difficultas, quæ vtiliter moveri ſolet, eſt, an differẽtia in ordine ad ſpeciem ſit vniverſalis? Affirmant aliqui cum Alberto M. Caietano, Soro, Toleto, & Maſio, quos citat, & propé ſequitur Martinez Prado *lib. 1. q. 15.* Ne-

Negant plures alij, quorum noviſsimi ſunt Dvoniſ. Blaſco *lib.* 3. *Diſt.* 8. *queſt.* 3. *art.* 2. Peinado *Tract.* 3. *Dp.* 3. *Sec.* 1. Noſter Antonius Groſſo *Diſſert.* 13. *Elucid.* 3. & ex Thomiſtis Magiſter Lince *lib.* 2. *q.* 3. *art.* 3.

65 Reſolvo, differentiam in ordine ad ſpeciem non eſſe vniverſalem. Ita expreſſa illatione Doctor noſter in *q.* 30. *Vniverſ.* vbi de proprio quarto prædicabili dicit erga vniverſalitatem, quidquid dici poteſt erga differentiam. Prob. ratione Scoti ibi;quia in ordine ad illud debet dici differentia vniverſalis, in ordine ad quod ſit commune; ſed in ordine ad ſpeciem non eſt communis:ergo. Prob. Scotus min. quia commune eſt reſpectu individuorum,& plurium;ſed ſpecies vt reſpicitur à differentia, neque eſt individua, nec plura: ergo in ordine ad ſpeciem non eſt communis. Deinde id corroborari poteſt ex ratione alia Scoti in 1. *d.* 8. *q.* 3. quia vniverſalis conſtituitur natura in ordine ad illud, in ordine ad quod poſsit apté multiplicari; ſed in ſpecie repugnat differentiæ multiplicitas: ergo & vniverſalitas.

66 Dices ad primum, quod licet ſpecies non ſit individua, nec plura, habet tamen ſub ſe plura, & individua: vnde ſi differentia eſt prædicabile de pluribus,oritur ex eo,quod ad ſpeciem dicat ordinem. Contra, & inſero, quod licet ſpecies aliquomodo ſit inſtrumentum, vt dentur inferiora, tamen ſi differentia non deperdat vniverſalitatem, reſpiciendo ſpeciem,erit ex eo,quod ſub ſpecie dentur inferiora: ergo ſemper ſalvatur, quod inferiorum reſpectus eſt à priori motivum vniverſalitatis in differentia. Contra 2. licet abſtractioni ſit immediata comparatio, & proxima prædicabilitas,ita vt abſtractio ſit medium,vt natura ſit comparata, & proximé prædicabilis,tamen communiter dicitur, quod natura formalizetur in vniverſalitate,vt comparata, non autem vt abſtracta: ergo licet, concernentiæ ad ſpeciem ſit immediatum habere inferiora, ita vt ſpecies ſit medium, vt inferiora habeat differentia, tamen differentia, vt formalizata in vniverſalitate, dicetur verſus inferiora, non autem verſus ſpeciem. Contra 3. ex eo, quod ſic etiam poſſet aliquis dicere, quod per reſpectum ad cauſam vniverſalem, plura ſub ſe continentem, poterat aliquod ens conſtitui vniverſale,cum talis cauſa contineat omnia,de quibus dicitur ſpecies; nec non ſi talis cauſa inferiora extra ſe non derivet, actu non exiſtet prædicabilitas.

67 Dices, & etiam ad ſecundam rationem Scoti ſub hac maiori expreſsione,videlicet, quod quando differentia prædicatur de ſpecie, prædicabitur de pluribus in radice,ſeu virtualiter, quia prædicatur de ſpecie multiplicabili in individuis. Sed contra hęc inſtant etiam prædicta. Contra deinde; quia certiſsimum eſt, quod inferius vt inferius non poteſt eſſe vniverſale; ſed inferius vt inferius poteſt ſic in radice multiplicari:ergo. Prob. minor; quia etiam inferius vt inferius reſpicit ſuperius, in quo radicaliter, vel virtualiter ſunt plura:deinde,etſi inferius non poſsit immediaté multiplicari, dicit tamen reſpectum ad ſuperius,in alijs multiplicabile: ergo inferius vt inferius poterit ſic in radice multiplicari. Contra ſub maiori expreſione ex eo, quod ſpecies non ſolum reſpiciatur à differentia, ſed etiam ab ipſius ſpeciei individuis, & tamen ex ordine puro ad ſpeciem non ſunt individua vniverſalia: ergo ſi differentia, vniverſalis conſtituatur, non erit ex præciſo reſpectu ad ſpeciem.

68 Nec valet,ſi dicas, quod ſpecies eſt æqualis differentiæ, & dicitur ad convertentiam; at autem reſpectu individuorum eſt ſuperius, & inconvertibiliter dicitur. Non enim valet; quia tam impoſsibile eſt, quod æquale dicatur de æquali, vt vniverſale, ac quod, vt vniverſale, dicatur de ſuperiori: ergo ſi differentia ſit vniverſalis, non erit de per ſe ex ordine ad æquale, ſed ex alio ab æquali, vt à materialiter influente, derivato. Contra deinde;quia ſi ex convertentia ad ſpeciem, differentia dicatur vniverſalis, etiam indefectibiliter deducetur, quod ex convertentia ad differentiam dicatur vniverſalis ſpecies, vel vigor converſionis erit imperfectus, cum abſque æqualitate procedat: ergo. Contra aliter ex eo, quod ſi cauſalem habendi inferiora, tali vniverſalitati propria, multum intendamus, eam inveniemus in ipſa differentia ſpecifica, à qua ſpeciei vniverſalitas ſuſcipit hæc numero inferiora: ergo quia inferiora valent deduci ex ipſa differentiæ formalitate.

69 Sed dicta, ſic denique confirmo: quando aliquod intentionale æqué eſt medium, vt ex ipſo ſic deducatur ſingularitas, ac vniverſalitas, tali intentionali in congrué probabitur vniverſalitas de aliquo principio; ſed ad probandam vniverſalitatem de principio formali, quod eſt differentia, ſic ſe habet ſpecies, vt medium: ergo. Maior, ſaltim apud plures, debet eſſe

communis; quia ſi ex animali, ſicuti poteſt deduci homo, poſsit deduci Leo, incongruè per animal, humanitas probabitur. Sic ſimiliter, ſi eadem ſpecies intelligibilis foret indeterminata ad repreſentandum Petrum, & Paulum, indirectum medium foret ad Petrum determinatè cognoſcendum. Minorem convincere intendam ex eo, quod ſpecies ſit ſecundum ſe centrum oppoſitarum linearum, diſparatos excitans reſpectus; quia ſi ſpecies dicat reſpectum ad inferiora, etiam dicit reſpectum ad ſuperius, & ad æquale. Deinde, cognita ratione ſpeciei, poteſt quis non minus vertere mentem ad cognitionē generis, individui, &c. quam ad cognitionem eorum, quæ ſint differentiæ proficua: ergo ex pura cognitione differentiæ, vel alicuius in ordine ad ſpeciem, non probatur vniverſalitas; quia ſicuti conceptam ſpeciem poteſt vertere in ordine ad genus, & ſic eam facere ſubijcibilem, ſic & conceptam differentiam in ordine ad ſpeciem poterit vertere in ordine ad idem, & ſic differentiam non minus ſubijcibilem facere.

70 Obijcies 1. dicendo, quod reliqua vniverſalia conſtituuntur in eſſe talium per ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicantur, vt patet in genere, & ſpecie: ergo cum differentia immediatè prædicetur de ſpecie, & media ſpecie de individuis, potius conſtituetur vniverſalis in ordine ad ſpeciem, quam in ordine ad individua. Reſpondeo concedendo antecedens, (vel ſi malueris, illud poteris diſtinguere aptè ex ſtatim dicendis) & negando conſequentiam. Diſparitas ſtat in hoc, quod genus, & ſpecies immediatè prædicantur de illis, quæ ſimpliciter ſunt ipſis inferiora; ſicque nil mirum, quod ſint vniverſalia per ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicantur; ita tamen, quod non ſint præcisè vniverſalia, quia immediatè predicentur præcisè, ſed quia poſſunt prædicari de inferioribus; quod patet in ipſa ſpecie, dum prædicat de differentia, v. g. *rationale eſt homo*; vbi licet homo immediatè comparetur ad rationale, ita vt ſpecies ſit immediatè prædicans, tamen non ſequitur, quod ex illa immediatione ſit ſpecies vniverſalis: ergo. At autem, cum reliqua vniverſalia poſſint dicere ordinem ad ea, quæ tametſi immediata, non ſint inferiora, inde eſt, quod poſſint immediatè comparari ad ea, reſpectu quorum non intelligantur vniverſalia.

71 Vnde debes notare, quod ex eo differentia poteſt dicere ordinem ad ea, de quibus immediatè prædicet, quin ſit vniverſalis, non autem genus; quia ſecundum entitatem ſuam, genus eſt in recta linea, & differentia in laterali; ſed licet differentia, vt prædicetur, requirat mediam cognitionem ſpeciei, non tamen quia differentia ab ſpecie habeat formaliter vniverſalitatem; quia conceptui differentiæ, proprius, & immediatiſsimus eſt vniverſalitatis conceptus, quem ſic explico: concipit intellectus differentiam, v. g. rationale, & deinde vt rationale prædicet de inferioribus, v. g. de Petro, & de Paulo, percurrit ad hominem cum rationalis primo conceptu; tunc concipit, & intuetur rationale eſſe de plutibus prædicabile; in quibus debes notare nimis, quod etſi percurrente differentia ad latus ſpeciei, differentia foret vniverſalis, formaliter tamen non eſt vniverſalis, quia tetendit ad ſpeciem, ſed *quia etſi ad latus ſpeciei, tetendit ipſa differentia ad individua*. Itaque, vſque dum differentia fuit verſa ad individua, non fuit vniverſalis; quare dum erat tendens ad ſpeciem, adhuc erat abſque vniverſalitate, quæ differentiæ abſolutè applicatur ſecundum ſe, etſi ex ordine phyſico prærequireret conſortium aliquod ad ſpeciem. Plura poſſem adaptare exemplaria; ſufficiat potentia intellectiva, quæ vitalitatem non producit ab ſpecie, etſi requirat prius tendere ad ſpeciem, quam ad vitalitatem. Sic bonum ſecundum ſe movet voluntatem, licet bonum, vt debeat movere voluntatem, debeat prius moveri à cognitione. Vnde, licet bonum, vt ſit obiectum voluntatis, debeat prius concernere, & ſociare cognitionem, non tamen eſt obiectum voluntatis vt cognitum, ſed vt bonum, ita, vt licet ex ordine phyſico potentiarum non poſsit eſſe obiectum voluntatis, niſi ad latus cognitionis, tamen compatitur, quod intentionaliter ſic attingatur bonum vt obiectum, ac ſi abſque cognitionis conſortio attingeretur. Hoc exemplar poteſt applicari vſque ad infima prædicatorum.

72 Obijcies 2. differentia, vt vnum ſpeciale vniverſale, conſtituitur per ordinem ad ſpeciem, eo quod differentia, vt talis, directè reſpiciat ſpeciem; ſed vt talis eſt ſpecies vniverſalis: ergo per ordinem ad ſpeciem conſtituitur in eſſe vniverſalis. Minorem ſupponunt, cum ſit actus proprius, & cōſtitutivus ſpeciei. Maiorem probant; nam differentia non prædicatur de genere, niſi per modum accidentis, vel proprij: deinde de ſuis individuis, videlicet, de hac, & de illa differentia, ſolum prædicatur vt ſpecies, ſicuti de genere diximus; de ſpecie verò prædicatur vt differentia; quia hæc eſt prædicatio differentiæ, *homo eſt rationalis*: ergo per ordinem ad ſpeciem differentia eſt vniverſalis. Plura movet hoc argumentum, quibus omnibus exactam ſolutionem reliquit

Scotus

Digitized by Google

Scotus. Reſpondeo in primis ex Scoto, negãdo maiorem; & antequam ad reliqua procedam, Scoti expendam ſolutionem. Scotus enim *in q. 37. Vniverſal.* vim pręfati argumenti, à Martinez Prado, & ab alijs citatis formati, prævidens, in *verſ. Dicitur autem in ſpeciali*, docuit, differentiam dici ad ſpeciem, non in quãtum ſpecies, ſed in quantum ſpecies eſt *conſtituta per differentiam*: vnde ait, quod in illa definitione differentiæ, nempe, differentia eſt, *qua ſpecies abundat à genere*, ponitur ibi ſpecies, vt correlativum differentiæ, in quantum ſpecies eſt conſtituta, & differentia conſtitutiva. Itaque, vt Scotus ipſe notavit, etiam differentiæ munera ſunt plurima, & feré imperceptibili tranſitui ſubiecta, taliter, quod facilimé confundatur vnus munus cum alio; ſed re bene inſpecta, quodlibet munus ſufficit, vt differentia ſub diverſis denominationibus exerceatur. Vnde differentia vt eſt ſpeciei correlativum, dicitur ad ſpeciem, non vt ad ſpeciem abſoluté, ſed ſub munere conſtituendi ſpeciem, ſub quo munere, nulla percipitur ſecunda intentio vniverſalitatis; quia vt præcisé ſpecies reſpicitur vt conſtituta, præcisé vertitur ad conſtitutivum, ſiquidem correlatum conſtituti, non ſunt individua, neque de pluribus prædicari; aliàs hæc forent differentiæ, cum forent de conſtitutivo ſpeciei. Quare ſpecies, vt conſtituta, reticet vniverſalitatem, etſi conſtitutum à differentia, in quantum ſecunda intentione ſpeciei vt ſpeciei induitur, ſit vniverſale, ſed tunc iam non eſt correlatum differentia, ſed individua, vt eſt prædicabilis, & genus, vt eſt ſubijcibilis.

73 Confirmat Scotus ſuam doctrinam; quia Porphyrius, quam plurimas definitiones differentiæ adduxit, & tamen non foret illa pluralitas rationalis, ſi omnes exprimerent differentiã ſecundum ſe, vel prout differentia hoc tertium prædicabile conſtituit, qua vniverſalis eſt; ergo quia percepit Porphyrius, quod aliud erat, definire differentiam per eſſe prædicabile de pluribus, quo pacto eſt vniverſalis; & aliud erat, eam definire per eſſe id, *qua abundat ſpecies à genere*, quo pacto differentia eſt in ordine ad ſpeciem, vt ad præcisé conſtitutum per illam. Vbi nimis notabis, quod verſus omnia ſua munera habet differentia rationem differentię, ita vt *quale eſſentiale* ſit ſemper, quod circa quodlibet munus exerceatur; & tamen licet differentiæ, & qualis eſſentialis ſit quodlibet differentiæ exercicium, non eſt imaginabile, quod contrarij intendant ex eo, quod verſus quodlibet munus ſit exercita vt vniverſalis; ſupra quale enim eſſentiale poteſt fundari relatio ſubijcibilis, ita vt poſsit dici, quod illa ſubijcibilitas ſit qualis eſſentialis: ergo licet illa prædicatio, *homo eſt rationalis*, foret qualis eſſentialis, vt intendebant, non inferet vniverſalitatem in differentia, ſi vlterius non ſuperaddatur relatio rationis ad plura, eo quod ſub diſtincto munere differentia comparetur. Sic Scotus, qui verſus omnia munera ponit in differentia relationes rationis, ſeu reſpectus intentionis differentiæ; non autem verſus omnia munera ponit relationes vniverſalitatis; ſicque, dum comparatur ad ſpeciem vt conſtitutam, relinquit relationem rationis; non autem relationem vniverſalis; quare, etſi prædicta illa prædicatio foret differentialis, non autem vniverſalitatis erit ſic prædicatum.

74 Prædicta confirmari poſſunt breviter, attingendo vltimam ex rationibus concluſionis; quia differentia ex pręciſo munere conſtituendi, ita reſpicit ſpeciem, quod ſive ſpecies ſumatur vt prædicabilis, ſive vt ſubijcibilis, ſtricté dicetur ſpecies conſtituta per differentiam: ergo quia differentiæ, ex hoc munere præcisé, accidit vniverſalitas, ſeu prædicabilitas ſpeciei. Hoc ſuadetur; quia dum exercetur munus conſtituendi, non exercetur munus ſubiacendi, aut prædicandi; ſufficienter enim munus conſtituendi conceptum præcisé ſpecificum poteſt exerceri, tametſi à ſubijcibili, & prædicabili abſtractum: ergo dum incipit exercitium eſſendi ſubijcibilem, aut prædicabilem, iam poteſt eſſe expletum exercitium conſtituendi, quod prædicari valeat. In quibus debes notare, quod tametſi differentia, conceptum differentiæ in omnia exercitia derivet, non debet ſequi, quod ſemper ſit vniverſalis. Ratio eſt; quia omnia exercitia debent ſervare notam illius ſpecialis entitatis, cuius ſunt exercitia, ita vt omnia debeant dici exercitia, differentiæ eſſentialis, & tertij prædicabilis conſtitutivæ; quia quidditas cuiuſvis prædicabilis eſt veluti maſſa communis, in quocumque exercitio illam retinens, etſi ſub diverſa figuratione: vnde dicitur, *ſpecies eſt ſubijcibilis*, *ſpecies eſt prædicabilis*, *ſpecies eſt convertibilis &c.* ad quod ſufficit, quod quidditas prædicabilis ſpecificativé intelligatur; reduplicativé enim, ſolum exprimetur id, quod ſignat ſub ſpeciali munere, v. g. poterit dici, quod differentia, quæ eſt tertium prædicabile, dicit ordinem ad ſpeciem; at autem vt reduplicativé habet ſecundam intentionem prædicabilitatis, dicet ordinem ad inferiora, connotans primam intentionem differentiæ vt puram materiam.

De-

DE DIFFERENTIA IN ORDINE *ad individua.*

75 De differentia in ordine ad Individua, parum iam dicenda reſtant; dicemus tamen, quæ pro dictorum complemento ſufficiant. Differentia igitur in ordine ad individua, fuit ab Scoto definita *prædicabile de pluribus numero differentibus in quale*, ſumpto *quali* pro quidditativo. Vbi noto, quæ Scotus, videlicet, quod *plura numero* non faciunt diſtinctum prædicabile differentiam tertium prædicabile, quæ fuit definita per *prædicari de pluribus in quale quid*; de quo abunndé ſupra. In præſenti ergo ſolum reſtat exponere, qualiter differentia prædicetur de individuis ſpeciei in quale, ita vt prædicetur de ipſis vt differentia. Ratio dubitandi excitatur ex eo, quod differentia ſolum videatur eſſe quale reſpectu ſpeciei, cum ſit eius actus formalis, qualificans, & denominans ſpeciem: ergo reſpectu individuorum non videtur facilis qualitatis prædicabilis combinatio. Cui dubitationi reſpondeo ex doctrina Scoti in *q.* 12. *Vniverſ.* vbi notat, quod in individuis nil eſt intrinſecum, & eſſentiale præter eſſentiam ipſam ſpecifici, ita vt ſi in ſpecie ſit forma eſſentialiter qualificans, non debeat ipſa deficere individuis; aliàs ſi aliam eſſentiam haberent individua, forent ſecundum ſe definibilia, & per diſtinctam definitionem à definitione ſpeciei, quod implicare propter plura, probat Scotus.

76 Ex quibus debes inferre, quod quidquid ſpeciei convenit intrinſecé, poteſt & id ipſum in individua derivari, iuxta illud Logicorum axioma, *quidquid dicitur de ſuperiori, dicitur, & prædicatur de inferiori, excepta tamen ipſa ratio notionalis ſuperioritatis.* Itaque, cum quidquid prædicetur ſic de ſuperiori, prædicari valeat de inferiori in eodem genere prædicationis, quia ſi *homo eſt animal* ſit prædicatio generis, etiam *Petrus eſt animal* erit generis prædicatio: inde ſimiliter eſt, quod ſi *homo eſt rationalis* ſit prædicatio qualis eſſentialis, ac per conſequens differentiæ, etiam *Petrus eſt rationalis* ſit differentiæ prædicatio. Suadetur; quia rationale dicitur in quale de homine ſuperiori ad Petrum: ergo de Petro, de quo homo dicitur, dicitur etiam in quale rationale.

77 Sed tamen in expoſitione huius doctrinæ eſt præcavendum, quod licet quale eſſentiale reſpiciat ſpeciem, & individua, ſed ſub diverſis notionibus reſpicit ea. Itaque, dum differentia, v.g. rationale, prædicatur de homine, qui eſt ſpecies, etſi rationale vt eſt *quale* concernat hominem, & ſic in quale dicatur; ſed tamen reſpectu hominis ſolum habet ſecundam intentionem prædicati, in quali eſſentiali fundatam, ita vt differentia ſic immediaté reſpiciens ſpeciem, non reſpiciat eam, vtquid ſuperius, ſed eam reſpicit, tanquam prædicatum reſpiciens ſubiectum ſuũ adæquatum, quod eſt ſpecies, ſeu homo exercité. At autem *quale eſſentiale*, vt concernit individua, non ſolum ea concernit, præciſé habẽdo rationem prædicati, cum inter æqualia poſſit dari prædicatum de ſubiecto, ſed etiam ſub expreſſa ratione vniverſalis prædicabilis, quam rationem ſolum habet in ordine ad individua. Vnde inferes, quod ipſum *quale*, quod ſub pura ratione prædicati reſpicit ſpeciem vt ſubiectum, eſt etiam *quale*, quod ſub ratione vniverſalitatis reſpicit individuum. Hæc innui videntur ab Scoto in *q.* 30. *Vniverſ.* Sicque nota hinc, quod *quale* poteſt intra rationem qualitatis, prædictos reſpectus, & concernentias habere diſtinctè, ſicuti eſt commune, quod plura munera diſtinctè habeat.

78 Manet iam differentia, quoad ſua munera principalia, ſufficienter explicata. Licet enim aliqua alia munera ex differentia deducantur, exiſtimo tamen, quod ad ſuperius explicata reducuntur. Hinc igitur aliæ difficultates ſolent circa differentiam ab aliquibus excitari, quarum pro nunc non curo, quia earum reſolutio potius ad Metaphyſicum, quam ad Logicum ſpectat. Solum hinc pro logicalium complemento reſtabat reſolvere, an præfata differentiæ munera ſint realia? Negant plures, & plures affirmant. Ego autem ab hac controverſia breviter expediar; quia vel pro differentiæ muneribus, v. g. pro contrahere genus, facere differre conſtitutum, &c. intelligunt, quod intrinſecum eſt, vtpote generis intrinſeca convenientia, & intrinſeca diſconvenientia differentiæ; vel per illa munera differentiæ percipiunt exercitia illa, quæ à formis ſecundo intentionalibus derivantur? Si primum intelligant; reſolvo ſtatim, prædicta munera eſſe realia; quia animal v.g. ex ſe eſt indifferens ad rationale, & irrationale, ita vt à parte rei habeat convenire, & eſſe commune: ergo & à parte rei debet dari in differentia realitas proportionaté correſpondens; ac per conſequens dabitur à parte rei forma faciens diſconvenire, &c. Quæ omnia manent diffuſé expoſita, & propugnata in *lib.* 3. loquendo de

Digitized by Google

de negativa naturæ communitate. Sin autem ſecundum intelligant; ſimiliter reſolvendum eſt, prædicta munera eſſe rationis, quæ manent non minus diffusé propugnata *in lib.* 3. *&* 1. in quibus laté expoſuimus, quod poſitivus conceptus convenientiæ non dabatur; quo etiam modo dicendum eſt, quod à parte rei non datur conceptus proportionatus differendi, contrahendi, &c.

DISTINCTIO IV.

De proprio, & accidenti ſecundò intentionaliter ſumptis.

1 SI de proprio primó intentionaliter foret loquẽdum, plures quæſtiones conſumere deberemus in eius examinanda notitia. Verum enim veró cum Doctor Subtilis in *qq.* 30. *&* 31. *Vniverſal.* de proprio ſolum inquirat, quæ logici muneris ſunt propria, ideo de proprio ſolum examinabimus, quæ ſecundæ intentionis ſint ſpecialia, attingendo de primo intentionali, quæ ad perfectum exameo videantur requiſita.

QVÆSTIO I.

Quid ſit proprium exponens.

2 ANte concluſionis reſolutionem advertendum eſt, quod aliqui Philoſophi nimis controvertere intendunt, quodnam ſit materiale proprij, vt eſt quartum prædicabile. Controverſia movetur ex eo, quod proprium ſub quadruplici acceptione foret traditum à Porphyrio. Dubitatur ergo, an ſecunda intentio proprij ſit vnivocé denominans omne proprium materiale, ſeu ſubiectivum, iuxta quatuor ſolitas acceptiones conſideratum? Circa quod exiſtimo, illud ipſum hinc fore de ſecunda intentione proprij reſolvendum, quod de ſecunda intentione differentiæ, circa tres differentiæ acceptiones fuit reſolutum. Quare, ſine vlteriori controverſia, propé ſupponendum exiſtimo, quod proprium hinc definiendum, vt quarti prædicabilis conſtitutivum, debet eſſe ſecunda intentio, dicens pro materiali formas inſeparabiliter ab eſſentijs dimanantes, & cum ipſis immediatiſsimé convertibiles. Sic habet locum Porphyrius, & communiſsimus numerus quinque prædicabilium. His ita.

3 Reſolvo, proprium, vt huius quarti prædicabilis conſtitutivum, convenienter fuiſſe ſic definitum: *quod ſoli accidit, & omni, & ſemper.* Ita literaliter, & genuiné Scotus *in q.* 31. *Vniverſ.* vbi, & in *qq.* 30. *&* 32. plura ſubtiliter diſcurrit, vt Porphyrij definitionem veram faciat; de quo ſtatim in ſolutione oppoſitorum. Explicatur ab Scoto definitio ſic. Per primam particulam, ſcilicet, *accidit*, intelligitur habere rationem prędicati, & modum prædicari, nempé, in quale accidentale. Per *omni, & ſoli, & ſemper*, intelligitur habere *prædicatum*, & *quale accidentale, convertibiliter*, per quas differentias deſcendit vniverſale in proprium, vt dicetur in diviſione conceptus vniverſalis, & dictum fuit ab Scoto *in q.* 12. *Vniverſ.* Quæ definitio, ſic expoſita, eſt eadem illi, quæ ponitur ab Ariſtotile in 1. *Top. cap.* 4. ſcilicet proprium eſt *prædicatum non prædicans eſſentiam convertibiliter*: ideſt, vt in *q.* 32. ait Scotus, proprium eſt *prædicatum, non eſſentiale converſim.* Sed hæc in doctrine argumẽtorum exactiús explicabuntur.

4 Obijcit 1. Scotus: vt alicuius prædicabilis definitio ſit convenienter data, debet pro genere poni vniverſale, vel aliqua ratio loco eius; ſed in data definitione proprij, nec ponitur vniverſale, nec aliquid loco eius, pro genere: ergo non eſt convenienter data. Minor prob. quia ibi non ponitur prædicabile de pluribus; non enim plura apparent in ſuperiori definitione; ſolum ſiquidem ponitur *accidens*, cuius ratio non eſt conceptus vniverſalis, neque pro genere illius definitionis apta: ergo. Pro perfecta huius, & ſubſequentium argumentorum ſolutione, notat Scotus, quod accidens, aliud eſt primó intentionale, & aliud ſecundó intentionale. Accidens primó intentionale dicitur illud, quod iuxta Ariſtotil. 5. *Metaphyſic.* inſimul cum ſubſtantia dividit ens extra animam, ſeu reale; de quo accidenti, ait Scotus, non loquitur Logicus niſi per accidens, eo quod de per ſe, ſolum eſſe intentionale conſideret vt rectum, in concreto ex ente reali, & forma rationis, ſeu intentionis conflatum. Accidens ſecundó intentionale, adhuc æquivocé percipitur; quia

vno

Digitized by Google

vno modo nil aliud exprimit quam *prædicatum non eſſentiale*; quo pacto ſecunda intentio accidentis ponitur hinc in definitione proprij. Alio modo ſumitur accidens ſecundò intentionale à proprietate accidentis in re, ſub quo, & eius oppoſito, poteſt ſine repugnantia, illius ſubiectum intelligi; quæ ratio accidentis eſt determinatè conſtitutiva quinti prædicabilis.

5 Reſpondet Scotus argumento, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem minoris reſpondet, quod ibi ſufficienter exprimitur vniverſalitas, & plurium prædicabilitas; quia per ly *accidit* intelligitur *prædicari*; per ly *omni* intelligitur *de pluribus*. Deinde intelligitur, quod illa plura ſint ſub ſpecie contenta, ita vt ſenſus ſit, *prædicari de pluribus ſub ſpecie contentis*. Rationem ſignat Scotus ex eo, quod dum ponuntur illæ particulæ *omni*, *& ſoli*, *& ſemper*, exprimitur convertibilitas proprij cum ſpecie, dicens ſic proprium, vniverſalitatem conſequenter; quia ex quo proprium habet convertibilitatem cum ſpecie, dicit vniverſitatem ad omnia, quibus ineſt ſpecies, cuius eſt propriũ; in quibus eſt diſcurrendum ſicuti de differentia, ad latus ſpeciei tendente, in *Diſtinct. anteced.* loquendo de eius vniverſalitate, diſcurrebamus; ne ex his intendant inferre, quod proprium in ordine ad ſpeciem eſt formaliter, & logicè commune.

6 Sed contra Scoti ſolutionem inſurges dicendo, quod *prædicatum non eſſentiale*, quod eſt expoſitum in ly *accidit*, ſequitur quod ſit genus in definitione proprij; ſed hoc non facilè combinari poterit: ergo. Suadetur minor; quia genus in definitione proprij non videtur debere eſſe ſolum commune proprio, & accidenti quinto prædicabili; ſed ly accidit, ſumpto pro *prædicato non eſſentiali*, ſolum eſt proprio, & accidenti commune: ergo. Maior videtur deduci ex aliquibus locis Scoti, in quibus aſſerere videtur, quod genus in definitione cuiuſvis prædicabilis debet eſſe conceptus vniverſalis vt ſic, vel aliquis alius, eius locum tenens: ſic in præſenti quæſtione proprij relinquere videtur, quod vniverſale deſcendit ad proprium, vt deſcendit ad alia per propriam eorum differentiam: ergo quia vniverſale eſt genus in eius definitione.

7 Reſpondebis dicendo ad hęc, poſſe vniverſale eſſe genus interiectum in definitione proprij, & *prædicatum non eſſentiale* eſſe genus infimum, quod non minuit eſſentiæ rigorẽ, vt patet in definitione hominis, in qua nil refert, quod viuens ſit interiectum genus: ergo à ſimili. Fateor, quod talis reſponſio eſt infra in *Diſt. 5. q. 1.* rationibus exponenda, prout ipſa ſolidiorem Scoti doctrinam conciliat; & firmat. Sed tamen id confitendo, debebatur etiam cum Scoto admitti, quod ratio præciſa prædicabilis de pluribus erat genus interiectum ad genus, & ſpeciem, & quod ratio prædicabilis de pluribus *in quid* erat genus infimum, quod reſpuere videbatur Scotus ſupra in *quæſt. 2.* de differentia. Unde Anglicus, celeberrimus Scoti expoſitor, ſupra *quæſt. 24. Prædicabil.* Reſolvit in verſione ipſa Scoti, quod ſi in conceptu *qualis non eſſentialis* detur vnivocatio reſpectu proprij, & accidentis, etiam dabitur vnivocatio in conceptu *quidditatis* reſpectu quidditatis generis, & ſpeciei, quod reprobatum eſſe ab Scoto, retulimus ſupra in *q. 2. de differentia*.

8 His omnibus intendam ex profeſſo ſatisfacere infra in *Diſt. 5. q. 1.* vbi videbitur, quod iuxta literam Scoti, & eius ſolidam mentem, ly *accidit*, poſitum in definitione proprij, ſignificet *prædicatum non eſſentiale*, proprio, & accidenti commune. Vide illa. Sed tamen, tam aliquorum Scotiſtarum, quam arguendi gratia, aliqualem probabilitatem, circa alteram ly *accidit* intelligentiam, relinquam. Permittitur ergo, quod genus in definitione proprij ſit ly *accidit*, prout ſignificat *prædicatum*, cum prędictis pluribus coadunatum. Vnde, & ſi ly *prædicatum non eſſentiale*, ſit accidenti, & proprio æquivocum, poteſt tamen poni in explicatione proprij definiti, iuxta regulam expoſitam in *q. 2. Differentiæ*, iuxta quam diximus, quod dum aliquis conceptus erat æquivocus, poterat definiri, ſi conceptus ſumeretur, vt vnum determinatum ſignificans: v. g. canis eſt definibilis, prout ſignificat vnum determinatum, vtpote latrabile; quia ſic iam redditur ad omnia illa ſignificata vnivocus. Sic pariter ly *non eſſentiale* eſt modus qualis prædicabilis, ſeu prædicabilis non eſſentialis; eſt tamen æquivocus proprio, & accidenti, ſicuti de conceptu differentiæ diximus, reſpectu trium differentiarum; at vero dum definitur, ſumitur reſpectu proprij, pro vno determinato ſignificato, quo pacto eſt vnivocum. De hoc vide Scotum in *q. 29. Vniverſ. verſ. ad aliud de ratione æquivocorũ*. Itaque ly *accidit* erit genus, vt indicit prædicari ſignatum per ly *non eſſentiale*, vt determinatè ſignificans ly *converſim*; quæ diſtinctio particularum videtur reliqui huic Scoti definitioni conformis: proprium eſt *prædicatum non eſſentiale converſim*.

Sed

9 Sed contra hanc expoſitionem dices, ſemper manere oppoſitam; quia Scotus poſuit in definitione ly *accidit*, quod ſi non ſignificet idem, ac *prædicatum non eſſentiale*, liberé dicetur, quod genus proprij, *accidens* ſit, eo quod *accidens*, vt ſignat prædicari, ſic poſsit dici de omnibus alijs prędicabilibus, ac de proprio Proprio: ergo vel ly *accidit* liberé ponitur pro genere, vel ſi nõ, debet ſignificare *prædicatũ non eſſentiale*, quod ſit genus, & vnivocé ſe habens. Hæc ſumma huius puncti ponderatio, ex qua melius dignoſcetur ſoliditas alterius expoſitionis iuxta Scotum.

10 Permitto tamen reſponſionem ſequentem, videlicet, quod ex prædicta verſione nil liberum, nec oppoſitum videtur ſequi, tametſi *ly accidit* ſignificet *prædicatum non eſſentiale*, quin hoc ſit indiviſibilis, & vnivocus conceptus. Habilitas deducitur ex eo, quod in definiendis ſemper intendatur poni ille conceptus pro genere, qui percipiatur differentiæ intimior, vt ſic pateat melius apud nos major, aut minor eſſentiarum combinatio. Vnde, ſi in aliquibus, etſi æquivocé, detur combinatio, dum dentur deinceps differentiæ, quibus vnumquodque diſtinctum in eſſentia cognoſcatur, poterit propter ſimilitudinem eorũ, & definitionum pulchritudinem, poni pro genere conceptus, qui, etſi æquivocus, ſit tamen intimus reſpectu differentiæ notioris. Quare videtur non referre, quod ly *non eſſentiale* repreſentetur per idem nomen, per quod exprimitur ly *prædicatum*, cum deinceps ſufficiens diſtinctio inter accidens, & propriũ, ex notioribus differẽtijs eluceſcat.

11 Deinde poteſt habilitas deduci ex eo, quod conceptus generici debeant conſuli cum differentialibus, vtpote ſpecificantibus; quare, cum in conceptibus ſpecificis ſignetur ſubiectum, *cui omni, ſoli, & ſemper* adeſt propriũ, videtur iuxta rectam conſonantiam ponere, *quod accidit*, videlicet *omni, ſoli, & ſemper*. Nec valere videtur, ſi dicas, poſſe differentiam proprij aliter poni, nempé, per *prædicari de &c.* & ſic ponere aliud genus; quia eſſe *de*, ſeu *dicere de*, denotat iuxta Philoſophum, prædicatum eſſentiale; non autem id ſignificat eſſe *in*, quod ſignificat ly *accidit*. En ly *accidit* aliter expoſitum, quod permitto, vt via ſequendi Scotum abundet, vel forté, vt ex aſperitate vnius, alterius planities melius agnoſcatur, ſicque à puris Scotiſtis, alteram eſſe ſecurius deambulandam decerno, propter dicenda infra in *Diſt. 5. q. 1.* ſolum noto, neque hinc intendiſſe, quod ly *accidit* non ſignificet *prædicatum non eſſentiale*, quia Scotus firmiter admittit, quod proprium ſit accidens, vt eſſe accidens, *eſſe non eſſentiale* dicit; ſed ſolum intendiſſe, quod talis conceptus prædicati non eſſentialis ſit vnivocus proprio, & accidẽti, propter dicta ſupra de differẽtia in *q. 2*

12 Objicit 2. Scotus: præfata definitio convenit differentiæ vltimæ, & completivæ ſpeciei; ſed illa non eſt proprium: ergo. Prob. maiorem; quia illa differentia converſim dicitur de definito: ergo. Reſpondet Scotus negando maiorem, & breviter reliquis ſatisfacit dicendo, quod prædicatum non accidit differentibus ex differentiæ ratione, quia hæc prędicat eſſentiam, licet non per modum eſſentiæ, cum prædicent *quid* per modum qualis, ſeu denominantis; de quo plura diximus in *qq. de genere.*

13 Objicit 3. Scotus: per poſitam definitionem etiã definitur proprietas, quæ eſt quid primó intentionale: ergo convenit alijs à proprio definito. Quod proprietas primò intentionalis definiri non poſsit per præfatam definitionem, paſsim docet Scotus ex eo, quod dũ ſecunda intentio definitur, ſolum de per accidens definiatur prima; de quo plura diximus in *1. & 2. q. generis.* Reſpondet Scotus negando antecedens; quia quæ hinc definiunt, ſunt ſecundum intellectũ, hoc eſt, inquit ipſe, quæ ſunt in definitione, ſunt intentiones ſecũdæ, quæ rem primæ intentionis non poſſunt definire. Dat rationem; quia intentiones ſunt naturalirer poſteriores rebus primó intentionalibus; & definientes termini ſunt priores definito: ergo termini ſecundó intentionales non poterunt res primæ intentionis definire.

14 Sed quia forté aliquis nollet ſiſtere in illis, reſponderi poteſt amplius ex doctrina ipſius Scoti in pluribus *qq. de genere* expoſita, dicendo, quod nũquam poteſt inferri, quod proprium primò intentionaliter definiatur. Ratio eſt in promptu; quia hinc definitur conceptus vnivocus proprij vniversé accepti, qui primó intentionalis eſſe non poteſt. Omnia enim propria, vt definiri valeant, debent derivare vnum communem conceptum dicibilem de omnibus, qui conceptus non poteſt eſſe niſi intentionalis, quia à parte rei tale proprium non datur; ſicuti nec à parte rei poteſt dari ſpecies primó intentionalis, quæ ſic vnivocé definiri valeãt; ſolum enim datur homo, leo, &c. qui aliter, ac ſpecies, in communi definiũtur. Idem dico de riſibili, flebili, &c. Et ne in his ſuperflué detineamus, ſignent tale próprium primò intentionale, omnibus ſic commune.

15 Objicies 4. Potentia locomotiva, nutritiva, & ſic aliæ, ſunt potẽtię ab homine inſeparabiles; ſed reſpectu illius nõ ſũt propriũ: ergo

Digitized by Google

dabitur aliquid inſeparabiliter accidens, quod proprium non ſit. Suadetur minor; quia conuerſim non prædicantur de homine: ergo. Deinde augetur difficultas ex eo, quod neque ſint accidens, ſicque dabitur prædicabile, quod neque ſit proprij, neque accidentis. Quod non ſint accidens, probat inſeparabilitas; ſicuti quod non ſint proprium, probat inconverſio; ſolis ſiquidem hominibus non conveniunt, etſi omnibus hominibus ſemper conveniant. Reſponderi poteſt dicendo, prædictas, & conſimiles potentias poſſe comparari ad totam eſſentiam hominis, vel ad aliquam partem eius; ſicque, illæ potentiæ, vt comparatæ ad hominem, non ſunt proprium in quarta acceptione, quia ab eius eſſentia ſpecifica non dimanant, imó eſſentiæ ſpecificæ accidere videntur. (Nota hinc, quod paſsio debet eſſe á tota eſſentia ſubiecti, cuius eſt paſsio; quod docet Scotus *in q.* 33. *Vniverſ.* aiens: *proprium egreditur ex principijs ſubiecti, & maximè à forma*, & meritó, quia ſi à forma maximé non ſit, non poterit de ſubiecto converſim prædicari.) At autem, vt comparatæ ad animal, erunt proprium in quarta acceptione, cum ſolis, & omnibus animalibus conveniant: vnde, cum à viventi, & ſentienti dimanent, iam dimanant ab omnibus alicuius eſſentiæ principijs. Itaque, de quacumque alia potentia debes notare aſcenſum, ita vt non quieſcas, quouſque pervenias ad gradum, intra quem, omnibus, & ſolis potentiam convenire relinquas.

16 Sed dices, vſqueadhuc non manere ſatisfactum argumentum, quia ſemper infertur, quod tales potentiæ locomotivæ ſint inſeparabiles ab homine; inſeparabiles ſiquidem ſunt ab animali: ergo datur in homine, ſine proprio, inſeparabilitas. Reſponderi debet iuxta diverſam comparationem, & ſphæram illarum potentiarum. Si enim illæ potentiæ conſiderentur ſecundum eſſe metaphyſicum ad hominem contrahibile, poterit dici, quód prædicatum *mobile* reducetur ad ſphæram generis reſpectu hominis. Sin autem illæ aptitudines conſiderentur extra eſſentiam metaphyſicam viventis ſentientis, conſtituent quartum prædicabile reſpectu animalis, cum extra eſſentiam eius ſe habeant convertibiliter. Et ad illud de inſeparabilitate dicitur pro nunc, quod reſpectu hominis ſe habebit vt accidens quinti prædicabilis; quia licet inſeparabile, eſt tamen talis potentia accidens commune, ſicque eſſentiam accidentis habens ſimpliciter, etſi ſecundum quid aliter diſcurratur, vt diſcurritur de nigredine reſpectu Corvi, Ethiopis, & ſimilium, tametſi abſque ſeparatione eam habeant. Formalitas enim proprij ſtat in habere prædicatum converſim; ſicuti é contra ſtat formalitas accidentis. Nec valet, ſi dicas, quod riſus convertitur cum homine; quia etſi valeat, eſt ridens: ergo homo; non autem valet eſt homo: ergo ridens. In his ergo ſiſte pro argumenti ſolutione. Vide dicenda infra *q.* 3. *art.* 1. *argum.* 3.

QUÆSTIO II.

De proprij vniverſalitate.

17 DUplex hinc offertur reſolvenda difficultas. Prima, an proprium ſit vniverſale? Secunda, an tale ſit circa ſpeciei individua? Circa primum inquiritur, quod in quæſtione antecedenti, veluti ſuppoſitum relinquebatur, ſiquidem proprium, vt quartum prædicabile fuit definitum, iuxta quæ hinc venit formanda reſolutio.

18 Reſolvo 1. proprium eſſe vniverſale, Ita Scotus ad literam in *quæſt.* 30. *Vniverſ.* Prob. 1. ex Philoſopho 1. Topicor. definiente proprium per eſſe *prædicatum non prædicans eſſentiam convertibiliter*: ergo eſt vniverſale, habet ſiquidem formalitatem prædicati. Vt conſequentia rectè illata, iuxta regulam Philoſophi, videatur, debes ſcire, quod prædicatum eſt ſecunda intentio æquivoca ad duo, ſcilicet, ad prædicatum generaliſsimé ſumptum, quod poteſt fundari in ſecundo extremo cuiuſcumque propoſitionis imaginabilis, ſequente copulam: & ſic non loquimur hinc de prædicato. Alio modo ſumitur, prout Philoſoph. in 1. *Topicorum* quatuor ponit prædicata, ſeu logica problemata, ex quibus, veluti ex primis principijs, vniverſalia derivat, inter quæ ponit proprium: ergó quia ex ratione prædicati deducitur ex proprio vniverſalitas.

19 Prob. ab Scoto; quia illud eſt vniverſale, quod poteſt eſſe demonſtrationis ſubiectum; ſed proprium poteſt demonſtrationis eſſe ſubiectum: ergó. Maiorem ſuadet Scotus ex Ariſtot. 1. *Poſter.* aſſerente, quod vniverſalium eſt demonſtratio. Min. prob. quia omne proprium poteſt demonſtrari de eo, cuius eſt proprium, per ipſius definitionem, vt patet: ergo. Deinde, id rectè ſuadet Scotus ex eo, quod proprium ſit etiam prædicabile de pluribus, quod optimé infert Scotus, quia quãdo ſubiectum prædicatur de pluribus, & ſuum

con-

convertibile debet prædicari de pluribus;aliàs defectibilis foret converſio,cum plura habere vtrumque, non impediat extra eſſentiam vtrumque converti; ſed ſubiectum prædicatur de pluribus:ergo & proprium, eius convertibile,de pluribus poterit prædicari.

20 Obijcit 1. Scotus:oppoſitum non prędicatur de oppoſito;ſed ſi proprium foret vniverſale, ſeu commune, oppoſitum prædicaretur de oppoſito:ergo de proprio oppoſité dicitur quod ſit commune,ſeu vniverſale. Minor. prob. quia eſſe commune, & eſſe proprium ſunt oppoſita: ergo ſi proprium ſit commune,oppoſitum prædicaretur de oppoſito. Reſpondet Scotus negando minorem, & ad eius probationem dicit,quod eſſe commune,& eſſe proprium,ſub diverſis terminorum comparationibus, non ſunt oppoſita:vnde ad rem ait,quod id,quod eſt proprium in reſpectu ad ſpeciem, eſt commune in reſpectu ad individua,de quibus, veluti de pluribus, dicitur; non verò ſic dicitur de ſpecie, cuius eſt proprium,cum ſic ſolum,veluti de vno dicatur. Itaque reſolvit Scotus, quod proprium opponitur communi, vt proprium eſt primó intentionaliter intellectum; ſic enim proprium,nec eſt vniverſale,nec definibile, vt de differentia primó intentionaliter intellecta diximus.At vero,inquit ipſe, proprium,vt eſt ſecunda intentio, non opponitur cum communi, ſicuti etiam de ipſius differentiæ vniverſalitate retulimus. Aliqua hinc imminere videntur;vide ergo dicta de differentia in ordine ad ſpeciem.

21 Obijcit 2. Scotus,principalem rationem opponens. Ex Ariſtot. *in 4. Topicor. cap. 9.* tenetur, quod ſi genus ſit ad aliquid, & ad aliquid debeat dicere ordinem ſpecies; ſed vniverſale, quod poterat eſſe genus in definitione proprij, eſt ad aliquid, quin proprium ad aliquid eſſe poſſit:ergo quia proprium non poteſt eſſe ſpecies vniverſalis; ad aliquid ſiquidem dicitur vniverſale, & ad aliquid non dicitur proprium. Minorem quoad primam partem probat Scotus; quia prædicabile dicitur ad illud, de quo eſt prædicabile; ſed vniverſale eſſentialiter eſt prædicabile; ergo dicitur ad illud, de quo &c. ac per conſequens ad aliquid. Deinde, quoad ſecundam partem probat eam Scotus; quia proprium, ſi deberet referri ad aliquid, maximé ad illud, quod eſt ipſius ſubiectum; ſed ad illud non, cum illud ſit ſpecies; ergo. Prob. min. & principaliter ſic: relativum eſt ſimul natura cum correlativo; ſpecies, proprij ſubiectum, eſt prior naturaliter proprio; quia in aliquo priori eſt ad paſſiones: ergo proprium non refertur ad illud, quod eſt ipſius ſubiectum.

22 Hoc argumentum, equidem ſubtile, ſubtiliter etiam diſſolvitur ab Scoto. Reſpondet igitur, concedendo maiorem, & negando minorem quoad ſecundam partem. Ad probat. ſecundæ partis minoris, permiſſa ſic maiori,negat minorem propter ſtatim dicenda,ex quibus pendet ſolutio ad primam probationem minoris. Denique, ad ſecundam probationem reſpondet, concedendo maiorem,& negando minorem;de quibus ſtatim. Itaque ad primum ait Scotus,quod proprium etiam eſt ad aliquid, dum ad aliquid ſit vniverſale; cum hac tamen diſtinctione, quod licet ſit de per ſe ad aliquid, quia ſecundum genus ſuum habet eſſe ſuperius; ſed non eſt ad aliquid per ſe primò,cum prius requirat verti ad principia ſui eſſe, quam referri ad aliquid, nempé ad inferiora; quod referri, habet, poſtquam eſt à ſuis principijs conſtitutum. Expoſitionem ad intelligendam hanc doctrinam, invenies iuxta Philoſoph. ſuprà in *q. 1. de ſpecie*, in ſolutione ſecundi argumenti. Deinde notat Scotus, quod ſubiectum proprium proprij, de quo ſecundó intentionaliter loquimur, non eſt ſpecies, ſed res aliqua primæ intentionis. Vt hæc claré intelligas, debes advertere, quod proprium eſt concretum ex prima intentione, & ex ſecunda intentione conflatum; ita, vt ſicuti in quovis concreto intentionali res eſt ſubiectum, & ſecunda intentio eſt forma denominans illam; ſic huius ſecundæ intentionis *proprium*, res eſt proprij proprium ſubiectum. Unde ait Scotus, quod proprium ſubiectum proprij non eſt ſpecies, ſed res illa, cuius modum, & normam ſequitur ſecunda intentio; quæ res non poteſt eſſe ſpecies, ſed riſibile, aut ſic aliud, quod erit ſubiectum talis proprij ſecundó intentionalis, cum illo ſiquidem, & ſic alijs, ſervat intentio proprij proportionem in proprietate.

23 His ita, reſpondet Scotus ad principalem rationem argumenti, ipſam negando; quia ſpecies ſecundum ſe non eſt proprium ſubiectum proprij ſecundó intentionaliter accepti; ſicque, ſi referatur ad ſpeciem, referetur, quia ſubiectum, in quo primo ineſt ſecunda intentio proprij, ineſt in ipſa ſpecie, vt in ſubiecto. Hoc ſic intellige, quod ſecunda intentio proprij ineſt in riſibili v.g.vt in ſubiecto, quod riſibile ineſt in ſpecie v. g. in ho-

homine: vnde intentio proprij ineſt in ſpecie, quia ineſt in ſubiecto inhærente ſpeciei, ſicque ex hoc motivo poſſemus negare ſuppoſitum minoris; ſupponit enim, quod ad proprium ſubiectum non refertur, quia non refertur ad ſpeciem; cum revera proprium ſubiectum non ſit ſpecies: ſed his ſic permiſsis

24 Exacté, & clarius reſpondetur in forma ad illam vltimam minorem, in qua tota difficultas ſiſtebat, videlicet; ſed illud, quod eſt proprij ſubiectum, eſt prius naturaliter proprio, cum illud ſit ſpecies, diſtinguitur; cum illud ſit ſpecies, in quantum ſpecies, negatur; in quantum habens proprium, conceditur. Itaque ſpecies poteſt conſiderari vt ſpecies, & poteſt conſiderari vt habens prædictum propriũ. Si ſpecies conſideretur ſecundum ſe, prior eſt proprio, quia ſecundum ſe ſolum dicit genus, & differentiam, quæ rationes, cum ſint de prima ſpeciei conſtitutione, ita vt prius debeat ſpecies intelligi conſtituta ex illis, quam proprium ſit dimanatum ab ſpecie, ſpecies erit prior proprio; quo pacto, ait Scotus, verum eſt, quod proprium non refertur vllo modo ad ſpeciem, quia ſic ſpecies non poteſt eſſe correlativa eius, cum non ſit ſimul; ſed tamen, vt ſpecies eſt correlativa proprij, inſimul eſt cum illa, quia non eſt correlativa, vt ſpecies, ſed vt *eſt ſubiectum habens proprium*; quo pacto, proprium habet ſubiectum ad quod inſimul natura referatur; ita tamen, quod dum dicimus, quod ſit ſubiectum habens proprium, non intelligatur eſſe proprium ſubiectum ſecundæ intentionis; ſed ita, quod intelligatur ſubiectum habens proprium, vel quia habet concretum intentionale proprij, vel quia habet proprium, quod eſt ipſum à ſecunda intentione denominatum.

25 Circa ſecundum, circa quod inquirebatur, an proprium foret vniverſale circa ſpeciei individua, pars affirmativa eſt apud Scotum literalis, & apud plurimos ſolita; quæ eſt propugnanda, & deffendenda omnibus illis, quibus ſupra in *quæſt. 3. de differentia* expoſuimus, differentiam eſſe vniverſalem, non verſus ſpeciem, ſed verſus ſpeciei individua. Sed licet de modo intelligendi proprium, ex æquivocatione primæ, & ſecundæ intentionis, tam in *Diſt. de differentia*, quam de alijs prædicabilibus, conſimilem reliquiſſemus ſcopum, tamen cum in his, quæ ſecundæ intentionis ſunt, in vnoquoque prædicabili nova appareat difficultas, ideo in fine huius queſtionis aliqua annotare conſulimus.

26 Vt igitur iuxta communem Scoti doctrinam, plenam proprij habeas notitiam, debes notare, quod proprium eſt concretum intentionale, vt ſupra expoſuimus, cuius ſubiectum, vt eſt ſecunda intentio, non eſt ſpecies; quia ſecunda intentio proprij reſpectu ſpeciei non eſt paſsio, vt de ſe patet; reſpicit tamen ſpeciem, quia ſecunda intentio proprij eſt modus formatus ab intellectu, iuxta conditionem paſsionis intentionalis, quæ erat ſpeciei paſſio: vnde ſecunda intentio proprij, reſpectu individuorum talis ſpeciei, retinet ſemper vt proprium prædicari, cum verſus illa debeat ſervare in modo, conditionem proprij realis, & ſpecifici, concernendo ſpeciem propter phyſicam paſsionis dependentiam, vt deinceps, veluti paſsio ſpeciei, ipſius concernat individua. Hoc enim notato, ſcies, quomodo proprium ſit vniverſale, & tamen proprij rationem retineat. Deinde debes conſimiliter inferre, quod proprium intentionale non eſt paſsio alicuius ſecundæ intentionis; quia nec eſt paſsio ſecundæ intentionis vniverſalis, nec ſpeciei. Non eſt propria paſsio vniverſalis vt ſic; quia reſpectu illius, potius habet proprium dici ſpecies, quam paſsio, ſiquidem ex vniverſali vt ſic, & ex formali ratione proprij, conſtituitur quidditas proprij, ſub modo ſpeciei formata. Deinde non eſt paſsio ſecundę intentionis ſpeciei; quia ipſæ paſsiones ſecundæ intentionis ſpeciei, tam deſinunt eſſe ſecundæ intentiones, iuxta illud Scoti axioma, *quodlibet in ſuo genere eſt quid*; quare ſecunda intentio ſpeciei quidditativas, & non intentionales habebit paſsiones. Vnde Scotus, in ſolutione ſecundi argumenti, ſubtiliter notavit, quod ſpecies non erat proprij proprium ſubiectum.

27 Proprium igitur vt eſt vniverſale ſub ſecunda intentione proprij, nullius ſubiecti eſt paſsio, ſed ſolum eſt modus, ſub quo aliqua, ſeu omnis res, quæ eſt paſsio, intelligitur. Talis igitur ſecunda intentio vniverſalis proprij, dividens per propriam rationem vniverſale vt ſic, poteſt habere propriam paſsionem, quæ paſsio erit res primó intentionalis, denominabilis à ſecunda intentione proprij, cuius eſt paſsio, ſicuti & quælibet alia paſsio cuiuſcumque ſubiecti; omnes ſiquidem huiuſmodi paſſiones erunt individua ſecundæ intentionis proprij vt ſic, quæ reſpectu eorum ſe habebit vt ſpecies, ſicuti de alijs prædicabilibus ſupra expoſuimus. Ex omnibus igitur debes præcipué inferre, quod proprium, vt eſt quartum prædicabile, nullius eſt propria paſsio, ſed ſolum habet proprias paſsiones denominare, ſive ſint reales, ſive intentionales, ſive ſuæ, ſive extraneæ, ſive ſint ſuperiores, ſive ſint æquales; ita vt eius proprium ſubiectum valeat eſſe quæcum-

que

que res primæ intentionis, tametſi diverſa, dum ex realitate paſsionis proportionem habeat. Hæc ſic notare non reſpui, quia omnia intentionum puncta difficilibus fallacijs ſunt plena.

QUÆSTIO III.

De Accidenti.

NOTABILE PRÆAMBULUM.

28 TAmetſi in *q. 9.* de Proprio aliquam reliquerimus notitiam de multiplici accidentis acceptione; tamen, cum ſub multipliciori, & maiori expreſsione eam hinc tradat Scotus, omnem vtilem accidentis diſtinctionem, pro eius perfecta intelligentia, nunc recitare decernimus.

29 Accidens ergo diversé cõſideratur, vt eſt nomen primę intentionis, & vt eſt nomẽ ſecũdæ. Vt eſt nomen primę intentionis, adhuc eſt æquivocum ad duo. Vno enim modo dicitur idem, (inquit Scotus in *q. 34. Vniverſ.*) *quod contingens in paucioribus*; ſub quo comprehenduntur caſualia, fortuita, & ſic quæ ad vtrumque ſunt contingentia: quo enim modo loquitur Philoſophus 2. *Pphyſicorum*, & in fine 5. *Metaph. cap. de Acciden.* Vbi loquitur tãtum de duplici ſignificatione accidentis. Alio modo ſumitur accidens pro eo, quod advenit enti in actu, poſt eius eſſe completum; quo modo loquitur Metaphyſicus, dividens ens in ſubſtantiam, & accidens; & iſtud accidens, ſic ſumptum, eſt æquivocum ad novem prædicamenta accidentium realium; quæ omnia ſunt fundamenta accidentis, quod eſt quintum prędicabile, cum ſupra ipſa poſsit cadere ſecunda intentio accidentis prædicabilis. Deinde, vt accidens eſt nomen ſecundæ intentionis, plura habet ſignificata. Vno enim modo ſignificat idem, quod extraneum; quomdo ſumitur in elenchis, in fallacia accidentis. Alio modo ſignificat idem, quod ſecunda intentio, ſcilicet, omne illud, quod cauſatur à conſideratione intellectus; quo modo omne eſſe intentionale eſt accidens: vnde hoc ipſo modo omnia quinque vniverſalia ſunt accidentia, cum omnia ſint intentionalia. Alio modo ſignificat idem, quod prædicatum non eſſentiale, & ſic diſtinguitur contra prædicatum eſſentiale; quo modo vnum conceptum communem videtur habere reſpectu proprij, & accidentis. Alio modo dicitur idem, quod prædicatum non eſſentiale, nec per ſe, nec convertibile, & ſic eſt quintum vniverſale.

30 Denique eſt hinc etiam advertendum, ſecundum notam Scoti in 3. *ſenten d. 7. q. 1.* quod licet hæc intentio ſecunda accidentis, de qua logicé hinc loquimur, regulariter non fundetur niſi in accidenti, quod realiter dicit intentionem primam; ſed tamen non eſſe de ratione talis ſecundæ intentionis accidentis, quod fundetur tãtũ in illa intẽtione prima, quę in ſuo eſſe metaphyſico eſt accidens. Fundamẽtum deſumitur ex eo, quod plura dentur prędicata, quorum eſſe accidit ſubiectis, tametſi illorum eſſe ſit in ſe ſubſtantia, v.g. hinc, *album eſt lignum*, vbi lignum prędicat intentionem accidentis, logicé loquendo, ſiquidem lignum poſſet advènire albo exiſtenti in actu, quin prædicatum eſſet de eſſentia ſubiecti, aut convertibile cum illo, in quibus, logicé loquendo, videtur perfecté ſalvari eſſentia accidentis Deinde hæc confirmari poſſunt à paritate aliarum ſecundarum intentionum; quia ſecunda intentio generis, vel ſpeciei, non tantum habent fundari in re, ſive in prædicamento ſubſtantiæ, etſi dicant *quid*: ergo nequé aliæ ſecundæ intentiones habebunt tantum fundari in modo, ſeu in prædicamento accidentis, etſi dicant *quale*.

31 Sed vt præcaveantur aliqua, præſenti doctrinæ imminentia, etiam ex Scoto in *quodlib. 3.* vbi videtur affirmare, nil eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, quod poſsit fundare accidens; quia ſecundum Philoſoph. 1. *Phyſ.* quod veré eſt, nulli accidit; debes notare, quod dum dicimus, etiam ſupra ſubſtantiam poſſè accidens prædicabile fundari, debet ſic intelligi, quod accidens non habeat pro fundamento ſubſtantiam, vt abſoluté conſideratam in ſe, & ſecundum ſuam entitatem pręciſam; quia hoc modo, repugnat ſubſtantiæ quælibet accidentis denominatio; ſed debet intelligi ſubſtantia reſpectivé ad ſubiectum aliquod, & prout eſt in aliquo complexo, v. g. album ligneum; quo pacto ligneum non fundat ſecundum ſe aliquid accidentis, ſed ratione puræ cõplexionis, quæ eſt modi accidentalis. Vnde poteſt notare valde, quod dum ſubſtantia fundat accidens intentionale, ipſa eſt fundamentum, non ſolum ſecundum ſuam entitatem, vt accidens phyſicum, ſed prout ſua entitas modificatur à ratione accidentis realis, vtpote advenientis enti in actu, de quo ſupra loquuti fuimus. Itaque poſſunt plura conſiderari. Poteſt primò conſiderari ſubſtantia ſecundum ſe: deinde vt advenienti enti in actu, ſeu vt *advenibili*, quæ advenibilitas eſt modus immediatus ad fundandam ſecundam intentionem accidentis quinti prędicabilis, ſub quo modo illud fundat

ſubſ-

Digitized by Google

ſubſtantia; ſic que ſemper ſalvatur, quod propriè loquendo, quintum prædicabile, potius ſupra accidens, quam ſupra ſubſtantiam fundatur, cum fundetur ſupra ſubſtantiam, ſub modo realis accidentis conceptam.

32 His ita, iuxta literam Scoti in *q.* 34. notanter expoſitis, tria principaliter inquirenda veniunt. Primum, quid ſit accidens quinti prædicabilis conſtitutivum? ſecundum, an ſit de numero quinque vniverſalium? Tertium, in ordine ad quæ inferiora, & ſubijcibilia ſit prædicabile? Quæ omnia ſequentibus articulis reſolventur.

ART. I.

QVID SIT ACCIDEN SECVNDO INtentionale exponitur.

33 RESolvo, definitionem Porphyrij eſſe ſufficientem, videlicet, *quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem.* Ita Scotus ad literam in *q.* 35. *Vniverſ.* Vbi pro explicatione definitionis notat, quod *adeſt, & abeſt, ineſt, & non ineſt,* ſunt nomina æquivoca primæ intentionis, & ſecundæ. Vt ſunt nomina primæ intentionis dicitur 7. *Metaphy.* quod accidens eſſe, eſt ineſſe; quo pacto de eodem accidenti reali dicitur 8 *Phyſic.* impoſsibile eſſe, idem ſimul adeſſe eidem ſubiecto, & abeſſe ab eodem; quod non ſic impoſsibile dicetur infra de accidenti intentionali. Vt autem adeſſe, vel ineſſe eſt nomen ſecundæ intentionis, ſignificat prædicationem eorum, quæ ſunt extra eſſentiam ſubiecti, vel alterius generis à ſubiecto; in quo ſenſu etiam Ariſtot. 1. *Topicor.* conſimilem porphyrianæ reliquit definitionem, dicens, accidens eſt *quod contigit eidem ineſſe, & non ineſſe.* His ita, in ſolutione oppoſitorum habilitatem prędictę definitionis poſsibili claritate ſignabo. Noto tamen, quod ſi hinc dicenda ſcire cupias, debes nimis acuere mentem, quia plura ſubtiliſsimé movet Scotus.

34 Obijcit 1. Scotus: præfata definitio datur per copulationem; ſed definitio data per copulationem eſt increpanda ex Ariſtot. 6. *Topic.* relato ab Scoto *in* 31. *Vniverſ.* ergo. Reſpondet Scotus concedendo maiorem, & interpretando minorem, dicendo, copulationem eſſe increpandam in definitione, quando definire per copulationem eſt denotando diſtinctas partes definitionis copulari, quia ſic non ſimplices, ſed diverſi ſignarentur conceptus à definitione, cum hæc circa vnum ſimplicem conceptum tendat; at autem definire per copulationem circumlocutivé non eſt increpandum. Quod vt intelligas, debes ſcire, quod multoties ſignificata definitionum non poſſunt quoad nos vno nomine exacté exprimi, in quo caſu, idem ſignificatum pluribus nominibus exprimitur, quod dicitur per circumlocutionem expreſſum. Adapto exemplar in ipſa definitione proprij, in qua ponitur, *quod accidat omni, & ſoli, & ſemper,* vbi ly *omni, ſoli, & ſemper,* ponuntur circumloquutivé, pro ſignificato *convertibiliter;* quare, etſi talis definitio ſit per copulationem, non debet increpari, quia per omnia illa copulata, *omni, ſoli, & ſemper,* ſolum debet intelligi vnum circumlocutum, videlicet *convertibiliter;* foret tamen increpanda, ſi plura copulata intelligerentur circumlocuta, propter ſupradicta.

35 Sic pariter, ait Doctor noſter, dum Porphyrius explicuit accidens per copulationem, non eſt increpandus, quia loquitur per circumlocutionem, ita vt talis copulatio per circumlocutionem ſit ſolum nominum circumloquentium copulatio. Vnde debes ſtare in hoc, quod per illa verba *adeſt, & abeſt,* circumloquitur à Porphyrio *prædicatum accidentale non convertibile.* Ex quo conceptu circumlocuto colligit Scotus hanc definitionem: *prædicatum ineſſentiale, non per ſe, aut non neceſſarió inhærens ſubiecto;* de quo infra. Reddendo igitur ad punctum, poteris præcavere aliam obiectionem Scoti, videlicet, quod non datur genus, nec differentia in definitione Porphyrij; ad quod ex nunc dictis eſt etiam reſpondendum, quod totum illud copulatum eſt etiam aliud circumlocutum, ſicque in ly *abeſt, & adeſt præter ſubiecti corruptionem &c.* circumloquitur, & ratio prædicati non eſſentialis, & ratio inconvertibilitatis; quę circumloquutivé ſunt genus, & differentia. Et etiam, quia infra ly *abeſt,* & *adeſt,* ita exponetur ſecundum aliquem intellectum, quod poſsit concipi convenire cum proprio, & ab illo differre per ly *ſubiecti corruptionem.*

36 Dicet veró aliquis: ſi Scotus colligit illam definitionem, videlicet, *prædicatum non eſſentiale inconvertibile,* videtur non recté approbare definitionem Porphyrij. Deinde Scotus exponit, quod id, quod ipſe colligit, fuit idem circumlocutum à Porphyrio, quod videtur inconſequenter expoſitum; quia in tali caſu debuiſſet Porphyrius definire accidens non circumloquendo, ſed per id, quod Scotus exponit; ſiquidem non poterat Porphyrius ignorare, illud eſſe clarius. Reſpondeo ad primum dicendo, vtrumque compati; quia licet illam definitionem, vt in claritate abundantem,

tem, collegiſſet Scotus, potuit tamen definitionem Porphyrij approbare vt ſufficientem, & quod ſufficit, à cenſura ſalvatur. Sic credo Scotum fuiſſe loquutum; ait enim in *q. 35. §. ad quæſtionem: ſi definitio congruè intelligatur, ſatis convenienter eſt aſſignata.* Ad aliud reſpondeo, quod vtrumque etiam potuit compati; quia Porphyrius conſuluit in definitione accidentis verba robuſtius eius conditionem ſignantia, v. g. *adeſſe, & non adeſſe*, & hoc, abſque ſubiecti defectu, quibus, & non alijs, explicatur perfectiſsimé qualis ſit conditio eorum, quæ ſubiectis accidunt. Vnde, licet quoad punctum definiendi, vt iam moris eſt, non ſervent, vi verborum, expreſsionem generis, & differentiæ, vt reliqua prædicabilia, habentia pro genere *prædicabile de pluribus &c.* ſed tamen, cum quoad rem ſignificandi præcipuam conditionem definiti, omnibus alijs vocibus ſuperent, ideo rectè Porphyrius dedit definitionem, circumloquendo per illa verba conceptus illos generis, & differentiæ ab Scoto formatos. Deinde, ſi nos alias definitiones, vt ſuaviores, colligimus, oritur ex eo, quod conditionem accidentis cognoſcamus, quia definitionem Porphyrij præ oculis habemus; ſi enim eam non habuiſſemus, ſed noſtras, exiſtimo, quod ad eam explicandam, & circumloquendam, verba Porphyrij inquireremus.

37 Obijcit 2. Scotus: per conceptus primæ intentionis non poteſt aliqua ſecunda intentio definiri; ſed *adeſſe, & abeſſe* ſunt termini conceptus primæ intentionis: ergo per illos ſecunda intentio accidentis malé poterit definiri. Maior fuit pluries iuxta Scotum expoſita. Minorem probat; quia *adeſſe*, eſt illius entis, cuius eſt eſſe; ſed eſſe eſt rei extra animã, cum eſſe ſit ipſius accidentis: ergo & *adeſſe* erit rei extra animam, ac per conſequens primum intentionale. Deinde hoc intentum alio conſimili medio ſuadet Scotus ex eo, quod hæc intentio *accidens* poſsit vnivocé competere rebus diverſorum generum, v. g. quantitati, qualitati, &c. ſicuti de intentione generis diximus reſpectu coloris, animalis, &c; ſed *adeſſe*, & *abeſſe* non poteſt vnivocé rebus diverſorum generum competere: ergo quia hæc intentio *accidens* non poteſt definiri per *adeſſe*, & *abeſſe*; quia cui vnivocé convenit definitum, & ſic conveniet definitio. Minorem prob. Scotus; quia quibus eſſe non eſt vnivocum, nec erit *adeſſe*, quia *adeſſe* eſt cuius eſt eſſe; ſed certiſsimum eſt, quod eſſe non ſit vnivocum diverſis prædicamentis, vt ſuo loco dicemus, & in quæſtionibus generis diximus reſpectu coloris, & animalis: ergo.

38 Reſpondet Scotus dicendo, quod ibi *adeſt ſumitur, vt eſt nomen intentionis.* Itaque ex his reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem in ſenſu Porphyrij. Ad probationem minoris reſpondeo ex Scoto concedendo maiorem, & negando minorem, ſi vniverſaliter intelligatur, quia datur eſſe intentionale, quod eſt eſſe ſecundæ intentionis accidentis. Dico igitur, quod *adeſſe*, & *abeſſe* poteſt eſſe nomen primæ intentionis, & ſecundæ; ſicuti hoc nomen *eſſe* per correſpondentiã ad *adeſſe*, & *abeſſe*. Si enim *adeſſe*, & *abeſſe* ſecundó intentionaliter ſumantur, ſunt cuicumque accidenti vnivoca; quia ex eo quod quantitas adſit, qualitas adſit, &c. formatur ſecunda intentio adhæſionis, occaſionata ex adhæſione primó intentionali, cuius non datur vnicus conceptus à parte rei; ſed ſolum datur à parte rei vnitas proportionis, videlicet, *quod omnia adſunt ſubiectis*, à quibus, vnum in proportione fundantibus, abſtrahit intellectus conceptum intentionalem adhærendi, qui rebus diverſorum generum eſt applicabilis, ſicuti eſt applicabilis conceptus generis animali, & colori, quia ſicut color ſe habet ad album, & nigrum, ſic animal ad hominem, & brutum. Vndé accidentis intentionalis eſſe definitur per *adeſſe* nunc explicatum; quo modó hæc prædicatio, *hac albedo eſt accidens*, erit falſa, quia accidens intentionale non convenit huic albedini; accidens enim intentionale circumlocutivé eſt prædicatum, & vniverſale, quod hæc albedo non eſt. Sic ergo verba Porphyrij debes intelligere, & ſic intellecta, prædictis, & conſimilibus facilé reſpondebis.

39 Dices, non poſſe negari, quod ſi præfata expoſitione ſit definitio accidentis coniuncta, ſit de accidenti intentionali intellecta; ſed ſimiliter non poſſe negari, quod ſi abſque conſortio expoſitionis intelligatur, ſic æquè conveniat accidenti reali, ac accidenti rationis, ſeu intentionali: ergo ex vi definitionis non exprimitur illud potius, quam iſtud. Reſpondeo, ſimiliter non poſſe negari, quod ſi non ſolum vocibus, ſed etiam intelligibilibus conceptibus alloquamur, definitionem Porphyrij diſtinctè de accidenti intentionali intelligi, ita vt apud mentem perfectam ſe vertentem ad verba, ſit cum diſtinctione intelligibilis: Porphyrius ergo cum rectè intelligentibus, & conceptus percipientibus fuit alloquutus. Deinde fateor, nil inconvenire, quod eiſdem vocibus duplex diſtinctum ens indifferenter percipiatur; eſtó voces ſint tales, quod ex mentis determinatione, & intento, ſic dicant vnum, quod non poſſint dicere aliud; ſicuti non inconvenit in exter-

ter-

terno cultu genuflexionis, quod Deus, & creatura æquivocentur, dum adſit mentis receſſus. Dices, potuiſſe poni à Porphyrio *prædicari*. Verum eſt, ſed tamen dum ipſe explicuit, quod de accidenti quinto prædicabili loquebatur, per verba definitionis, ly *prædicari* circumloquebatur. Ex quibus debes inferre, quod *adeſſe*, & *abeſſe*, quod fuit poſitum in definitione Porphyrij, convenit rebus diverſorum generum; ſicuti de ſecunda intentione convenientię genericæ diximus.

40 Obijcit 3. & principalius difficultatis eviſcerando. Argumentum movetur ab Scoto de accidentibus inſeparabilibus, & de multis alijs, quæ neceſſarió inſunt, & tamen non ſunt proprium, quia deficit converſio: ergo de omni accidenti non poteſt verificari, quod poſsit *adeſſe*, & *abeſſe* ſine ſubiecti corruptione. Proponit Scotus primam reſponſionem dicendo, quod dictum *abeſt*, & *adeſt* de omnibus illis accidentibus poteſt verificari, quia ſicuti ſubſtantia præcedit accidens tempore, & ex hoc infertur, quod accidens, & eius oppoſitum poſſunt *adeſſe*, & *abeſſe* ſine corruptione ſubſtantiæ; ſic quodcumque accidens commune, cum non habeat per ſe cauſam eſſendi in ſubiecto, ſaltim quãtum eſt ex parte ſubiecti, poterit quantum eſt exparte ſubiecti non adeſſe neceſſarió, nec per ſe, & ſic ad ipſum accidens præcedere ſubiectum, quantum ſufficiat ad illud dictum Porphyrij verificandum.

41 Sed contra, inſtat Scotus; quia ſi illud dictum *abeſſe* verificetur de accidenti inſeparabili, quia illud præcedit ſubſtantia, ſicuti & præcedit quodcumque accidens, etiam poterit illud dictum *abeſt* verificari de proprio, quia proprium ſic etiam præcedit ſubſtantia; proprium enim non habet cauſam per ſe in ſubſtantia, quatenus eſt ex parte ſubſtantiæ; de quo ſtatim: ergo vel nil reſpondetur, vel etiam proprium erit accidens. Si dicas, quod dum dicitur, quod accidens de per ſe non habet cauſam adhæſionis in ſubſtantia, debet intelligi ly *per ſe*, quantum eſt ex parte accidentis. Contra, ait Scotus; quia licet non habeat per ſe cauſam in ſubiecto, tamen accidens, quamtumvis commune, habet cauſam neceſſariam, cum repugnet ipſi, quantum eſt ex ſe, non ineſſe in ſubiecto ob talem cauſam neceſſariam; ergo ly *per ſe*, nec expoſitum ex parte ſubiecti, nec exparte accidentis, intelligitur congrué ad reſponſionem. (Nota, hinc dixiſſe, quod licet accidens non habeat cauſam per ſe, habere tamen cauſam neceſſariam; quia aliud eſt habere cauſam per ſe, & aliud habere cauſam neceſſariam. Materia enim prima dicitur cauſa neceſſaria quantitatis, non autem cauſa per ſe. Dicitur cauſa neceſſaria materia, neceſsitate conditionata, & conſequentiæ; quia poſita materia in quocumque, de neceſsitate ponitur quantitas in eodem; & ideo ſi materia eſt, neceſſarió eſt quantitas; ſed tamen in hac neceſſitate nulla eſt perſeitas; quia licet quantitas habear cauſalitatem materialem in ipſa materia; non tamen formalem, & quidditativam aut eſſentialem, eo quod non pulluler à principijs eſſentialibus ipſius materiæ. Vnde proprium non ſolum habet cauſam neceſſariam, ſed & cauſam per ſe in ſubſtantia, cùm ab ipſis quidditativis ſubſtantię principijs eviſceretur. En cur Scotus ſub illa conditione, & diſtinctione fuit ſupra loquutus.)

42 Reſpondendum eſt aliter, inquit Doctor, ideo exponitur aliter illud dictum *abeſt* ſic: *abeſt ſecundum intellectum, præter ſubiecti corruptionẽ*; id eſt, intelligi poteſt abeſſe accidens, quin intelligatur deſtructio eorum prædicatorum, quæ ſunt in primo, & eſſentiali intellectu ſubiecti; quo modo poterit abeſſe accidens quantumvis in ſeparabile, quin eſſentiæ ſubiecti intelligatur corruptio. Sed adhuc non quietatur Scotus, tametſi ipſius ſubtilitatem ſapiat expoſitio. Inſtat dicendo, quod ſic etiam de proprio poterit dici quod abeſt: ergo expoſitio ruit. Prob. anteced. quia ſpecies eſt prior natura proprio, in illo priori habens tantum, quæ ſunt de primo, & eſſentiali eius intellectu: ergo tunc intelligibiliter abeſt proprium: ergo ſine eſſentiali ſubiecti ſpecifici corruptione, poterit ſicuti accidens abeſſe proprium: ergo &c. Reſpondet igitur argumento ſubtiliſsimé dicendo, quod poteſt de quocumque accidenti verificari dictum *abeſt*, quin ſic verificetur de proprio. Accidens enim poteſt abeſſe ſecundum intellectum, non ſolum dum ſubiectum intelligitur in illo priori ad accidens, ſed etiam verificabitur abeſſe, etſi intelligatur ſubiectum comparatum, & verſum ad accidens, ita vt accidens poſsit abeſſe etiam per poſitionem ſui oppoſiti, quin ſequatur ſubiecti deſtructio; non autem ſic poterit abeſſe proprium, quia licet ſine proprio poſsit intelligi ſubiectum ſpecificum, quia proprium eſt prædicatum non eſſentiale, & ſic poteſt dici accidens ex tali præciſiva abſentia; dicetur tamen accidens ſuperius ad accidens quintum prædicabile, prout in *quæſt. de Proprio, prædicatum non eſſentiale*, accidens eſſe expoſuimus; ſed tamen nunquã de proprio dicetur, quod abeſt, vt quinti prædicabilis *accidens* dicitur, ſiquidem proprium non poteſt ita accidere ſubiecto, quod poſsit ſub eius oppoſito intelligi

ſub-

ſubiectum ſine deſtructione; certe enim poſſum intelligere hominem ſine riſibili, quin homo deſtruatur; non autem poſſum intelligere hominem cum oppoſito riſibilis, nempe cum rugibili v.g. quin deſtruatur homo: ergo eo modo, quo *abeſt* verificatur de accidenti, non poteſt verificari de proprio.

43 Manet ſolutum argumentum ex proprij paritate. Reſtat nunc explicare, qualiter poſsit ſine repugnantia ſubiecti, dari intellectus de abſentia accidentis, & de poſitione eius oppoſiti. Ratio difficultandi movetur ab Scoto ex eo, quod nec intellectus poſsit eſſe niſi verorum; ſed non eſt verum, ſubiectum eſſe ſub accidenti, & eius oppoſito: ergo de abſentia accidentis, & de eius oppoſiti poſitione, nec poteſt ſine contradictione dari intellectus. Minor. probat Scotus; quia veritas eſt adæquatio rei ad intellectum; ſed non eſt ita in rei ergo non poteſt eſſe verum, quod adhuc per intellectum, ſubiectum ſit ſub accidenti, & eius oppoſito.

44 Reſpondet Scotus, verum eſſe, ſubiectum non poſſe intelligi veré ſub oppoſito accidentis inſeparabilis; ſed tamen verum eſſe, poſſe veré ſic intelligi ſine repugnantia intellectuū. Circa hæc verba poteſt adaptari Scotus nimis claré iuxta doctrinam, iuxta quam ſine mentis, & naturæ ſpecificæ repugnantia, ereximus ipſius univerſalitatem; ita vt licet non poſſet intellectus affirmare, quod vna natura erat in omnibus, tamen inſpecta natura, cui adeſt Petreitas v.g. ſecundum ſe, poſſet dari intellectus verus de eius aptitudine ad omnes. Si vis, illa vide, quia eſt æqualiſsimæ normæ exemplar. Sic in *lib. 1. q. 2.* ſpecialiter in reſolutione. Et *in lib. 3. Univerſ.* paſsim *in Diſtinct. 1.* Iuxta quæ dici poteſt, quod poteſt ſecundum intellectum aliquem, relucere ſubiectum ſub accidenti inſeparabili, & eius oppoſito, quin detur contradictio ex parte intellectus ſobiecti. Poteſt igitur intellectus percipere ſubiectum ſub vtroque accidenti, & dicere, ſeu cognoſcere, quod inſpecta conditione ſubiecti non deſtruitur per intellectum, ex quo abeſſet, quod in ſubiecto adeſt, & adeſſet eius oppoſitum, quod in ſubiecto abeſt. Hoc enim modo non affirmat intellectus abſoluté, quod accidens inſeparabile abſit, & quod eius ponatur oppoſitum; ſed ſolum id affirmat conſiderando perſeitatem ſubiecti, ſecundum quam ſub vtroque accidenti adhuc incorruptum conſiderat ſubiectum.

45 Talis expoſitio mihi videtur congruētiſsima ſecundum Scotum, quia illa abſentia eſt interpretanda in ſubiectis pro conditione eſſentiali eorum, ex qua non ſolum cognoſcatur, quod accidens abeſt, vt *prædicatum non eſſentiale*; quia hoc modo etiam à ſubiectis abeſt proprium; ſed etiam ex qua cognoſcatur, quod abeſt ita, quod inconvertibiliter debeat dici de ſubiecto; quomodo cognoſcetur diſtincté abeſſe ac proprium; ſed dum accidens intelligatur abeſſe modo ſupradicto, ſic abeſt; quod converſim non poſsit dici de ſubiecto, ac proinde ſit prædicatum non eſſentiale aliter ac proprium: ergo illa abſentia ſufficit interpretationi; ex ipſa ſiquidem, quod ſit accidens cognoſcitur. Minor prob. quia vt aliquid inconverſim dicatur de ſubiecto, ſufficit, quod ſecundum aliquem intellectum poſsit ſubiectum ſine ſui deſtructione concipi cum illius oppoſito; quia in tali caſu imperceptibilis eſt ordo & via convertendi, ſiquidem habet oppoſitum illi, quod erat convertendum, ex quo impoſsibilitaretur converſio, vt impoſsibilitaretur in animali rationali, ſi homo eſſet ſub alia oppoſita ſpecie: ergo dum accidens intelligatur abeſſe modo ſupradicto, ſic abeſt, quod cōverſim non dicatur: & deinde ſic abeſt, quod ſit prædicatum non eſſentiale aliter ac proprium; quia proprium nunquam poteſt intelligi ſic, adhuc inſpecta conditione ſubiecti, quod poſſit dari intellectus, ex quo habeat ſubiectum intelligi ſub proprio, & eius oppoſito, quin deſtruatur ſubiectum, vt patet. Hæc doctrina fundatur in ſupra notato de cauſa per ſe, quā habet proprium; oritur enim ab ipſo ſubiecto, & præcipué ab ſpecifica forma; quare nullatenus poteſt abeſſe per eius oppoſitum ſecundum aliquem intellectum, quia debebat in ſubiecto poni altera forma ſpecifica, ex qua eius oppoſitum dimanaret, ſicque iam deſtrueretur illo intellectu ſubiectum; quod tamē non deſtrueretur ſub oppoſito accidentis, quia non egreditur à forma ſubiecti, ſicque nec habet cauſam per ſe in illo: vnde ille intellectus eſſet compatibilis, etſi foret conditionatus. Sic eſſe intelligendum Scotum erga proprium, & accidens, infertur genuiné ex doctrina ipſius in *q. 36. Univerſ.* in ſolutione ad primum.

46 Nec ſentio, preſentem doctrinam aliquo increpandam, niſi illo ſingularitatum, videlicet, quod inſpecta cōditione naturæ ſpecificæ etiam poſsit ſecundū aliquē intellectū eſſe ſub Petreitate, & eius oppoſito: ergo heccitates habent modū accidentiū. Fateor talē illationē non debere renui, & etiā nunc intelligere, qualiter iuxta Scotum graviſsimi Scotiſtæ deffendant, ſingularitates eſſe accidētia naturæ, ſeu habere modum accidētiū. Combinatur intentū; quia non habēt modū paſsionis, ſiquidē à forma ſubiecti non dimanant; aliàs poſſet ſingulare dici ad cōvertentiā: Deinde nō poſſet

dari poſitiva abſtractio , quia ſemper aliquid remaneret naturæ ſpecificæ , vt manet in riſibili ſemper inducente humanitatem , & ſpeciem:ergo. Idem poteſt philoſophari de conſimilibus ſubiectis,v.g. hinc, *animal eſt homo*, quæ etiam eſt prædicatio accidẽtis de ſubiecto.

47 Vlterius reſpondet Scotus , dicendo ad illam difficultatis rationem; quod licet intellectus intelligens,ſubiectum eſſe ſub oppoſito accidentis inſeparabilis,foret falſus;non tamen foret falſus intellectus intelligens ſub oppoſito illius; intellectus inquam, (inquit Scotus) qui foret ſimplex,non componens, neque dividens , quia tantum circa compoſitionem, vel diviſionem eſt veritas,aut falſitas.

48 Obijcit 4.aliud principale attingendo, eo quod intẽdatur probari,quod accidens neceſſarió habeat ineſſe. Arguit ſic : ineſſe eſt de eſſentia accidentis; ſed omne accidens neceſſarió eſt accidens:ergo omne accidens neceſſario ineſt. Minor patet; quia hæc ineſt neceſſarió, ſeu eſt vera neceſsitatis modo , nempe , *omne accidens eſt accidens*;prędicatur enim idẽ de eſſe.Conſimiliter formatur ſic argumentũ:prędicta accidentis definitio eſt convenienter data: ergo ineſt per ſe definito: ergo accidẽs per ſe adeſt:ergo non poterit abeſſe. Intenditur,& explicatur argumentum , probando vltimam conſequentiam;quia quando alicui per ſe perſeitate primi modi convenit vnum duorũ prędicatorum oppoſitorum , omnino removetur ab eo alterum,ita vt ei nunquam poſsit convenire ; ſed *adeſſe* convenit per ſe accidenti , & per ſe perſeitate primi modi,vt intẽdebat Scoti argumentum:ergo *abeſſe*,quod eſt illius oppoſitum,non poterit convenire accidenti Reſpondebitur negando primam conſequentiam; in qua viget illatio ; non enim ſequitur per ſe adeſt,& abeſt:ergo per ſe adeſt;quia datur fallacia ad dictum ſecundum quid ad dictum ſimpliciter , ſicuti hinc , contingens neceſſarió eſt contingens:ergo contingens neceſſarió eſt;non tenet ob ſupra dictam fallaciam. Contra inſtat Scotus:à genere poſito ſub differentia tenet illatio ad genus ſimpliciter; ſequitur enim,eſt animal rationale:ergo eſt animal;ſed illud totum,nempe *abeſt*,&c.ponitur loco differentię reſpectu prædicti *adeſt*:ergo ſi verum ſit,quod accidens de per ſe adſit ſub adhærendi differẽtia, & erit verum dicere,quod de per ſe adſit.

49 Ad reſponſionem argumenti , plura moveri ſolent à RR. exiſtimo tamen nullo melius diſſolvi, quam ipſa Scoti doctrina Itaque ait Scotus , quod ille primus diſcurſus argumenti poteſt eſſe verus, & poteſt eſſe falſus; quare notat,quod ly *per ſe adeſt* eſt diſtinguẽdum ſecundum compoſitionem,& diviſionem diverſorum ſubiectorum , & conceptuum. Vt hæc intelligas debes ſcire,quod ly *per ſe*,poteſt determinare inhærentiã huius prædicati *adeſt* reſpectu accidentis,vt ſubiecti;& poteſt ly *per ſe* determinare ipsũ accidens inhærens reſpectu ſubiecti,quod eſt ipſius accidentis ſubiectũ. Si ly *per ſe* determinet inhærentiam huius prędicati *adeſt*,verum eſt,quod accidens de per ſe adeſt ; ſed tunc fit ſenſus diviſus, quia ly *per ſe* ſeparatur ab inhærente, ſcilicet, à prædicato, quod erat tale reſpectu ſubſtantiæ ; & componitur,ſeu coniungitur ſolummodo ipſi inhærentiæ,illam ſolum determinãdo, non ad ſubiectum inhærentis, quod eſt ſubſtantia, ſed ad ipſum accidens , quod eſt ſic ſubiectum inhærentiæ;quo pacto,ait Scotus,illud prędicatum *adeſt* &c. per ſe ineſt huic ſubiecto *accidens*; quia tunc ly *per ſe* ſolũ determinat modũ inhærendi , quo tale prædicatũ inhæret tali ſubiecto,qui modus inhærẽdi eſt in ſe quidditativus,iuxta illud proloquiũ Scoti, *quodlibet in ſuo genere eſt quid*.Sed hoc modo idẽ eſt dicere , quod accidens intrinſecé habet de per ſe adeſſe, ac dicere , quod accidenti eſt intrinſecum, & neceſſarium accidere.

50 Obijcit 5. corruptio non adeſt præter ſubiecti corruptionẽ;ſed corruptio eſt accidẽs: ergo adeſſe , & non adeſſe præter ſubiecti corruptionem non eſt propriũ accidentis. Maiorẽ probat;quia ſi corruptio adeſſet pręter ſubiecti corruptionẽ, opponeretur ſibi, vt opponitur ſine corruptione corruptio. Reſpondet Scotus negãdo maiorẽ;quia corruptio eſt in eo,quod manet in tranſmutatione,vt in ſubiecto,quod nõ corrũpitur.Sed contra; quia ſi in illo,quod in trãſmutatione manet,ſit vt in ſubiecto, ſequitur,quod tunc ſit corruptio illius ſubiecti:ergo non erit præter corruptionem ſubiecti. Reſpondet Scotus,quod ſi corruptio adſit illi ſubiecto,tunc erit formale accidens eius,quod poterit eſſe,quin talis ſubiecti ſit corruptio,cum illius dicatur corruptio , quod denominatur ab ea,quod non eſt eius ſubiectum. Vnde ait Scotus, quod prædictus effectus , vniverſaliter experitur in accidentibus pluribus , quæ non denominant ſubiectum,cui inhęrent,vel informant , ſed denominant alia à ſubiecto. Hoc exemplicat in loco,& actione,quorum vtrumque aliud denominat,& aliud informat.Locus enim denominat corpus locatum,& non corpus locãs;& tamẽ informat corpus locãs,& nõ corpus locatum; quia ſuperficies nõ eſt corporis locati, ſed locantis.E contra actio,quæ eſt accidens patientis,aut paſsi;nõ tamẽ denominat illud, ſed agens; & non agens , ſed paſſum informat.Deinde poteſt reſponderi: quod nõ opponitur corruptio ſine corruptione ſubiecti;

quia

quia incompatibilitas aliquorum accidentium non ſtat ex parte ſubiecti, ſed ex parte terminorum ad quos, & præcipué quando ſubiecta sũt in majori dilatatione, ac quilibet terminus; tunc enim terminus exercet in ſubiecto, quod ſignat, quin exercitium expellat ſubiectum, ſed terminum. Sic privatio ineſt materiæ, & ex hoc non materia, ſed forma, quæ eſt terminus, manet privationi contraria. Dum enim alicui principio correſpondet vnus effectus adæquatus, implicat ipſi alterius denominatio; quare cum privatio in materia ſit expulſio formæ, repugnat, quod ſit materiæ: ergo ſimiliter dum corruptio, quæ materiæ ineſt, ſit formæ corruptio, repugnabit, quod ſit corruptio materiæ.

51 Obiicitur communiter: mors accidentaliter cõvenit viventi, calor aquæ, combuſtio ligno &c. ſed hæc non poſſunt adeſſe ſine ſubiecti corruptione: ergo. Reſponderi poteſt argumento advertendo prius, quod vivens poteſt conſiderari, & pro ſubiecto habente vitam, & pro ipſa vita, quæ eſt actualiter in ſubiecto, vivens vt quo. Si vivens pro ſubiecto habente vitam intelligatur, tunc non ſolum mors eſt accidens reſpectu ſubiecti, ſed & eſſe vivens, & vita eſt accidens reſpectu ſubiecti vitæ; quia ſubiectum habens vitam, & mortem, idem perſeverat; in quo ſenſu mors deſtruit vitam, quod eſt aliud accidens contrarium, non autem deſtruit illud, quod eſt vtriuſque accidentis ſubiectum. Quod debeat dari tale idem ſubiectum vtrique accidenti commune, patet; quia ſi detur accidens vitæ, & mortis, & non detur ſubiectum vitæ, & morti commune, darentur accidentia, quæ abſque ſubiecto ſe expellerent ad invicem. Similiter dico ad reliqua, quod ſubiectum habens actù frigiditatem non deſtruitur, ſed ſolum deſtruitur frigus, quod, & calor, accidunt ſubiecto vtrumque habenti, quin ipſum deſtruatur, ſed in ipſo vnum eſt deſtructivum alterius. Frigidum enim, non intellectum vt vivens ſupra, non eſt ſubiectum; quia ſubiectum non eſt totum concretum, ſed pars; & frigidum eſt totum concretum: vnde ſi dicant, quod frigidum deſtruitur, debet intelligi ſic, quod deſtruatur concretum. Sic album, etſi deſtruatur dum deſtruitur albedo, non deſtruetur ſubiectum, quod erat habens albedinem; quia album, quod deſtruitur, eſt concretum, cuius ſubiectum eſt paries v. g. Idem phyloſopha circa vivens, &c.

ART. II.
DE VNIVERSALITATE accidentis.

52 CIrca præſentem articulum inquiritur, an accidens ſit vniverſale, & in ordine ad quæ inferiora tale ſit? Circa primum reſolvendum eſt, accidens eſſe de numero quinque vniverſalium. Ita Scotus literaliter in 34. *Vniverſ. §. ad quæſtionem.* Suadet illam Scotus ex eo, quod habeat modum prędicandi diſtinctum ab alijs: ergo. Antecedens ſatis claré deducit; quia prędicabile variatur à modo eſſendi in re; ſed præter materiam, & formam, quæ ſunt de eſſentia rei, & præter formas non eſſentiales (vtpote proprium) egredientes per ſe ex illis principijs eſſentiæ, reperitur aliud, nec pér ſe, nec convertibiliter conſequens eſſentiam: ergo dabitur aliud, quod ex modo eſſendi, & modũ prædicandi habeat diſtinctum ab alijs. Confirmãtur iſta; quia non poteſt negari, quod poſsit dici, & prędicari de ſubiecto quidquid ſubiectũ habet; ſed non poteſt negari, quod etſi accidentaliter, accidens inſit ſubiecto: ergo nec poterit negari, quod etſi accidentaliter, poſsit accidens prædicari de illo; ſed ad prædicabile accidentis, plus vltra non requirimus: ergo.

53 Hoc vltimum dixi, quia ſcio aliquos aſſerentes, non poſſe dici prædicatum de ſubiecto, dum inter entitates primó intentionales ſubiecti, & prædicati, non percipiatur idemptitas. Hic enim diſcurſus, ſine diſcurſu procedit; quia intellectus poteſt affirmare, quæcumque eſſe vera poteſt cognoſcere; ſed abſque falſitate iudicij poteſt cognoſcere, quod paries ſit albus: ergo & album poterit per vnionem intẽtionalem affirmare. Suadetur à paritate falſi, & negativi; quia tam falſum eſt, quod Petrus ſit albus, non habens albedinẽ, quam quod Petrus ſit lapis, non habens lapidem; & tam firmiter poteſt negari de Petro albedo, non habens albedinem, quam non habendo lapidem, poſsit negari lapis. Nunc ſcilicet vna propoſitio derivet prædicatum per negationem idemptitatis, & altera per negationẽ inhærentiæ, tamen ex vtraque firmiter relucet falſitas, & negatio: ergo licet in propoſitionibus illis contrarijs, vna derivet veritatem per idemptitatem, & altera per inhærentiam, in vtraque firmiter relucet veritas, & affirmatio. Vide dicta circa hoc in *lib.* 1 *diſt.* 1. *q.* 4. prope finem.

54 Obijcit 1. Scotus: quod eſt in ſingulari eſt ſingulare, quia receptum eſt in recipiente, ad modum recipientis; ſed vt habetur *in* 5. *Metaph. c. de eodem*, accidens eſt in ſingulari: ergo

Digitized by Google

ergo eſt ſingulare; ſicque malè reſolvi vniverſalitatem de accidenti. Reſpondet Scotus dicendo ad minorem, quod accidens, quod eſt ſecunda intentio, eſt in ſubiecto communi, vt in albo, vel in aliquo conſimili; ſicuti & ſecunda intentio ſpeciei eſt in hoc communi ſubiecto *homo*: (argumentum poteſt formari contra quodcumque prędicabile, cum nulla detur ſecunda intentio, quæ accidens non ſit) vnde dictum illud Ariſtotel. non eſt intelligendum de accidenti, quod eſt ſecunda intentio, ſed de illo accidenti, cui, ſeu in quo applicatur hæc ſecunda intentio accidens; illud enim accidens reale, in quo applicatur intentio accidentis, primò ineſt in ſingulari; quia illud, cum non poſsit conſequi principia ſpeciei ſecundum ſe, debet illa conſequi per ſingulare, ipſi primò inhærens.

55 Inſtat Scotus advertendo, nil dici, quod argumentum diſſolvat; quia ſi illud, in quo applicatur intentio, ſit primò in ſingulari, infertur, quod illud ſit etiam ſingulare, ſiquidem eſt in ſingulari illud, in quo eſt intentio: ergo & intentio, quæ eſt in illo, quod eſt in ſingulari, erit ſingularis; ac per conſequens ſequitur idem quod prius. Reſpondet Scotus, dicendo ad inſtantiam, quod illud, cui applicatur talis intentio, v.g. album, eſt in ſingulari primò ſecundum eſſe materiale; ſed tamen non eſt ſic ſubiectum intentionis, ſed ſecundum quod conſideratur ab intellectu; quo pacto eſt ei extraneum eſſe in ſingulari. Itaque, prout intellectus applicat albo v.g. ſecundam intentionem accidentis, percipit præciſam rationem albi, cum id ſufficiat ad applicandum ſecundam intentionem accidentis, quæ ſolum petit ſubiectum accidentale, quin ſit hoc, vel illud; quare extraneatur illi ſingularitas, prout ab eſſe ſecundæ intentionis expoſcitur.

56 Obijcit 2. Scotus: accidens non eſt aliquid ſecundæ intentionis: ergo neque erit ſpecies vniverſalis. Prob. anteced. quia ens 5. *Metaph.* dividitur in ſubſtantiam, & accidens; quæ diviſio vt ſit valida, debet eſſe per oppoſita: nunc ſic; res primæ intentionis non opponitur rei ſecundæ intentionis, vt pluries diximus; ſed ſubſtantia, quæ eſt vnum membrum diviſionis, eſt res primę intentionis: ergo vt accidens ſit alterum membrum oppoſitum, accidens non erit aliquid ſecundæ intentionis. Conſimiliter arguit Scotus in hunc modum: nulla ſpecies ipſius vniverſalis verè ineſt in ſingulari, vt patet inductivè, v. g. hoc animal eſt genus, hic homo eſt ſpecies, &c; ſed hæc eſt vera, *hæc albedo eſt accidens*, quia definitio accidentis, ſcilicet, *quod abeſt, & adeſt &c.* dici poteſt de hac albedine: ergo quia accidens hinc definitum non eſt ſpecies vniverſalis.

57 His omnibus breviter reſpondet Scotus, manifeſtando diſtinctionem vtriuſque accidentis, nempe primò intentionalis, & ſecundò intentionalis; qua diſtinctione percepta, clariſsima manet vnicuique ſolutio. Solum dico, quod præfatæ æquivocationes ſolum vigent in hoc quinto prædicabili, eo quod id, quod vox ſecundę intentionis ſignat, exerceatur in re, idem nomen habente, v. g. albedo eſt *accidens*, quod non experitur in alijs propter diſtincta nomina, vt patet in ſecunda intentione ſpeciei, quæ exercitè non dicitur de aliquo, ſed dicitur *homo*. Itaque hæc prædicatio, *hæc albedo eſt accidens*, eſt falſa, prout hinc ſumitur accidens; eſt tamen vera, prout accidens eſt res primæ intentionis. Deinde ad cauſalem probantem, quod hæc albedo eſt accidens, quia *adeſt, & abeſt &c*; quæ eſt definitio accidentis, reſpondet Scotus dicendo, quod per illa verba *adeſt, & abeſt &c.* circumloquitur Porphyrius *prædicatum accidentale non convertibile*, quæ verba circumloquuta ſunt definitio accidentis intentionalis quinti prædicabilis: vbi nota nimis, quod huius accidentis definitio non convenit huic albedini, quia hæc albedo non eſt *prædicatum &c.* ſed album vt ſupra expoſitum.

RESOLVTIO CIRCA SEcundum.

58 Circa ſecundum inquirebatur, in ordine ad quæ inferiora accidens ſuperius eſſet? Circa quod eſt advertendum, quod licet accidens prædicetur de ſubiectis propter formam accidentalem, quam habent; ſed tamen non prædicatur de ipſa forma in abſtracto, ſed de forma concreta; album enim non prædicatur de albedine, quia albedo non eſt album; prædicatur verò de ſubiecto propter albedinem; ſicque concretum prædicat de ſubiecto. Rationem ad non prædicandum de forma in abſtracto ſignavit Scotus ſupra in explicatione proprij, ex eo, quod prædicata debeant eſſe applicabili modo, vt de ſubiectis dicantur; & abſtractum ita manet per ſuum eſſe in ordine ad ſe, quod modum ſe alteri applicandi non relinquat; ſicque ipſum dicere, foret contra modum, quem in ſe dicebat. Advertendum eſt deinde, quod accidens poteſt ſub diverſis reſpectibus, prædicari vt genus, prædicari vt ſpecies, & prædicari vt accidens. Poterit prædicari vt genus, quia etiam intra lineam accidentis dantur plures acci-

accidentium ſpecies, reſpectu quarum ſic eſſentialiter poteſt comparari, ſicuti ſubſtantia: quia vt dicebat Scotus, *quodlibet in ſuo genere eſt quid*. Unde, ſic ſe habet color ad albedinem, & nigredinem, ſicut animal ad hominem, & brutum; & ſic ſe habet albedo reſpectu huius, & illius albedinis, ſicuti natura ſpecifica hominis reſpectu huius, & illius naturæ humanæ; ac per conſequens poterit prædicari *in quid*, vt genus, & *vt tota eſſentia*, vt ſpecies. Poteſt etiam prædicari vt accidens, iuxta quem modum prædicandi habet vt inferiora, individua completa ſubiecti, cuius eſt accidens, v.g. lac, & nix, & ſic alia reſpectu albi, quia reſpectu illorum prædicatur extra eſſentiam contingenter, vel inconvertibiliter, vt notat Scotus pro conditione ſpecificante accidens. His ita

59 Reſolvendum venit, quod accidens, vt prædicabile, eſt diſtinctum ab alijs, ſic habens vt inferiora, individua completa ſubiecti, cuius eſt accidens. Eſt expreſſa in Scoti doctrina præſens reſolutio, eſtque ſatis cõmunis. Poteſt breviter ſuaderi ex eo, quod ſi homo ſit prædicabilis de Petro, & Paulo, ſit ex eo, quod Petrus, & Paulus homines ſint; & ſi homo ſit prædicabilis intra eſſentiam de illis, ex eo ſit, quod vterque intrinſecé ſit homo: ergo ſi paries, & homo, aut lac, & nix, alba ſint, album erit prædicabile de illis; & ſi ita ſint alba, quod albedo ſit extra eſſentiam eorum; & extra eorum eſſentiam album erit prædicabile de illis: ergo, &c.

60 Dices, vniverſali eſſe eſſentiale eſſe in multis; ſed accidenti eſt contingens: ergo accidens non eſt vniverſale. Reſpondetur ab aliquibus, accidenti eſſe contingens, eſſe in multis phyſicé; eſſe veró illi eſſentiale poſſe eſſe in multis intentionaliter. Dices, quod quomolibet diſtinguatur, non poteſt vitari, quod accidens ſit prædicabile de multis extra eſſentiã contingenter: ergo & quod contingenter ſit prædicabile; ac per conſequens, quod contingenter ſit vniverſale; aliàs non dabitur ſecundó intentionaliter prædicabile accidens. Reſponderi debet, verum eſſe, accidens tam intentionaliter, quam phyſicé dicere contingenciam; quia nõ ſolum accidens, quod exercetur, contingenter convenit ſubiecto, ſed etiam accidens ſignatum, quia hoc debet ſignare illud ipſum, quod phyſicé exercetur; quod de ſe patet, & etiam convincitur in genere ſignato, quod etiam ſignat quidditatem: ergo & conſimiliter ſignatum accidens debet indicere contingens. Sed hæc non obſtant, vt non ſit contingenter vniverſale.

61 Itaque aliud eſt prędicare contingenter, & aliud eſt eſſe contingenter vniverſale. Illud enim, quod contingenter eſt prædicabile de multis, poteſt eſſentialiter habere rationem vniverſalitatis; quia licet accidenti contingat eſſe in multis, tamen vniverſalitatis rationi contingit, quod id, quod eſt in multis, contingenter ſit in illis; ſicuti accidit vniverſalis rationi eſſentiali, quod id, quod eſt in multis, ſit eſſentialiter in illis. Quare, cum quidquid ſit vnum in multis, habeat eſſentiam vniverſalis; & ſi accidens ſit vnum in multis contingenter, habebit tamen eſſentiam vniverſalitatis. Itaque aliud eſt, quod accidens ſit contingenter in multis, & aliud eſt, quod ratio vniverſalis ſit contingenter in accidentis dum enim accidens eſt in illis contingenter, vniverſale deſcendit ad accidens eſſentialiter; quia accidens accidendo ſubiectis, *habet neceſſariſſimè contrahere per ipſam accidentiam, immediatam rationem vniverſalitatis; eſt enim impoſsibile, quod dum accidens ſit vnum in multis contingenter, quod contingentia addatur contingenter ſupra rationem vniverſalis.* Nequé ignoro te ſemper inſtantem, quod accidens eſt in multis contingenter: ergo contingenter eſt vniverſale. Eſt ex terminis fallacia, quam vitabis per diſtinctam ſignificationem nominis, dicendo, quod accidens non eſt vniverſale contingenter, etſi ſit vniverſale *contingendo*; accidens enim eſt in multis contingenter: vnde habet eſſe, *contingendo*, eſſentialiter vniverſale. In illo enim termino *contingenter*, datur tranſitus, quia dum dicitur, accidens eſt vnum in multis contingenter, ly *contingenter* applicatur accidenti per reſpectum ad ſubiecta; dum verò dicitur eſt contingenter vniverſale, applicatur vniverſali per reſpectum ad accidens, & é contra.

62 Dubitab. 1. an accidens prius debeat dici de ſpeciebus, quam de earum individuis? Reſpondetur negativé ſecundum Scotum ſupra citatum, ibique rationem innuentem. Ratio poteſt eſſe pro nunc; quia de illo debet aliquid dici prius, in quo eſſe prius videtur; ſed accidentia prius quam in ſpeciebus, videntur eſſe in individuis: ergo. Minor ſuaderi poteſt ex eo, quod in omni linea debeat dari perfectus ordo, & gradus: vnde prædicata eſſentialia incipiunt à prima radice eſſentiæ, v.g. animal, & rationale ab homine. Deinde ingrediuntur paſsiones ſpecificæ; quia cum pro priores, & nobiliores ſint paſsionibus individuantibus, debent intelligi eſſentiæ, ſeu radici immediatiores; quare paſsiones ſpecificæ ponun-

Digitized by Google

nuntur in ſecundo ſigno ; & individuales in tertio:ergo cum accidentia ſint impropriora, & ignobiliora paſsionibus individualibus, ingrediuntur poſt eas: ergo ab ignobilioribus incipiendo,erunt priora , quæ vltima, vtpote accidentia. Deinde,quia conſimiles denominationes poſſunt dici ſingularium , ſicuti & conſimiles actiones ſuppoſitorum.

63 Dubitab. 2. an ſi vnum accidens poneretur divinitus in pluribus ſubiectis, foret vniverſaliter prædicabile?Reſpondetur negativè;quia tunc non daretur formæ vniverſalis multiplicitas. Nec valet, quod concreta multiplicarentur;quia concretum æquè dicit formam, & materiam, ſicque non videtur ſufficere ,quod ſubiecta multiplicentur , vt concreta multiplicata dicantur : quod poteſt ſuaderi in concreto ſpiratoris divini , quod eſt vnum,etſi Pater,& Filius ſint diſtincta ſubiecta; & hoc non aliunde, niſi quia virtus ſpirandi,quæ eſt forma concreti,multiplex non manet. Aliqua,& non levia huic dubitationi imminere video, quæ omitto , quia mecum non pugnant iuxta dicta in *quaſt. vltim. lib. Vniverſ.*

DISTINCTIO V.

De Prædicabilium vnitate, & multiplicitate.

1 POST QUAM actum fuit de conſtitutivo cuiuſcumque vniverſalis in particulari,agere de eorum numero,& vnitate verſus vniverſale vt ſic , decernimus ; & hoc,ni fallor,rectè procedendo,cum cognitis eorum ſpecialibus conſtitutivis , facilius inde de eorum numero, & vnitate phyloſophetur. Duplex igitur reſtat reſolvenda difficultas: de vnitate vna ; de multiplicitate altera. Circa multiplicitatem inquiritur , an prædicabilia ſint quinque, ita vt nec ſint plura , nec pauciora? Circa vnitatem verò inquiritur, an conveniant vnivocè in ratione vniverſalis vt ſic,ita vt hoc ſe habeat vt genus ad illa ? Quæ omnia duplici quæſtione ſequenti manebunt reſoluta.

QUÆSTIO I.

De Prædicabilium multiplicitate.

2 RESolvit Scotus : *dicendum, quod ſunt tantum quinque vniverſalia*. Ita in *q. 12. Vniverſ.* vbi ſic reſolutionem format: vniverſale,vel ſignificat ſubſtantiam,vel accidens? Si ſubſtantiam , vel totam, vel partem? Si ſignificet totam ſubſtantiam,erit ſpecies. Vbi notar,quod ſpecies dicit totum eſſe individuorum;quia ſi præter eſſentiam ſpeciei aliquid eſſet in eſſentia individui, duo individua eſſentialiter differrent : ex quo infert Scotus, quod illud eſſe,quod in hoc , & in illo vltra haberet eſſe,poſſet vt ſpecies formaliter dividi , ac per conſequens individuum definiri. Deinde,ſi vniverſale ſignificet partem ſubſtantiæ ; vel materialem , & ſic erit genus, vel formalem , & ſic erit differentia. Si ſignificet accidens ; vel convertibile, & ſic erit proprium , vel non convertibile , & ſic erit accidens quintum prędicabile:ergo(inquit Scotus) cum non ſit poſsibile ſignificari aliquid dicibile de pluribus , niſi aliquo iſtorum modorum , non erunt niſi quinque modis vniverſalia.

3 Notat deinde Scotus,quod licet in re illis quinque modis multiplicitas vniverſalis exambiatur,ſed tamen,ſi vt logici alloqui debeamus,debet vniverſalium ſufficientia accipi penes prædicari. En breviter ; prædicari enim dividitur in prædicari *in quid* , & *in quale*, tanquam in per ſe differentias , & in primos prædicandi modos. Prædicari *in quid*,eſt prædicare eſſentiam ſubiecti per modum eſſentiæ, id eſt, per modum ſubſiſtentis , non autem per modum denominantis:& hoc,vel totum,& ſic ſpecies; vel partem , & ſic genus. Prædicari *in quale* eſt prædicare per modum denominantis : & hoc , vel prædicando quidditatem per modum denominantis, & ſic erit quale eſſentiale,quod eſt differentia;vel prædicando quale non eſſentiale,& ſic,ſi egrediens à principijs ſubiecti , erit proprium ; ſi non , erit accidens. Cum igitur prædicari de pluribus , (inquit Scotus) ſolum aliquo ex his modis contingat, ſequitur , quod prædicari de pluribus , quæ eſt ratio vniverſalis , dividatur in hæc quinque tantum,veluti genus in per ſe differentias.

4 Obijcies 1. hæc prædicatio , Petrus eſt animal riſibile, eſt prædicatio vniverſalis; ſed hæc in quinque non clauditur:ergo. Maior eſt certa;quia animal riſibile eſt quid ſuperius ad Petrum. Minor ſuadetur; quia non eſt prædicatio

catio

Digitized by Google

catio generis, cum addat proprium; nec proprij, cum addat genus; nec ſpeciei, cum generi non addat differentiam; nec eſt accidentis, nec differentiæ, vt patet: ergo. Reſpondetur, negando poſſe fieri vnum prędicatum ex genere, & proprio, tametſi detur vnum prędicatum ex duplici parte, vtpote ex genere, & differentia. Non igitur implicat fieri vnum prędicabile ex genere, & differentia, quia vtrumque prædicat intra eſſentiam, vt pars materialis vnum, vt formalis aliud, quod ad compoſitionem alicuius tertij requiritur; at ex genere, & proprio, implicat fieri vnum prædicabile, cum ſint diſparata; vnum ſiquidem intra, & aliud extra eſſentiam prædicat, ex quibus tertium non poteſt adaptari.

5 Fateor, ſolidam eſſe doctrinam, ſed tamen intenſiùs exprimendam. Dicent igitur, quod non ſunt diſparata ad eſſe: ergo nec erunt ad prædicari. Suadetur antecedens, quia licet animal ſit intra eſſentiam, & riſibile extra, id non impedit, vt animal, & riſibile fiant ad eſſe in Petro realiter idem: ergo neque impediet ad prædicari de ipſo. Infero ergo, quod ſicuti hoc idemptificatum, vtpote animal riſibile, datur in Petro diſtinctum ab alio, vtpote animal rationale; poterit ſimiliter dari *animal riſibile* prædicabile de Petro, diſtinctum ab hoc de ipſo prædicabili, *animal rationale*.

6 Reſponderi debet ſiſtendo in hoc, quod vt animal riſibile foret diſtinctum prædicabile, debebat eſſe tale per modum totius; & animal riſibile, propriè loquendo, non eſt totum, ſicuti & impropriè eſt vnum. Eſt impropriè vnum, quia vnum eſt ex rebus eiuſdem ordinis, & animal eſt in ordine primo eſſendi, dum riſibile eſt in ſecundo: & deinde riſibile eſt impropriè actus, ſicque debile ad rationem totius. Vnde reſolvo, prædictam prædicationem, vel eſſe generis tantum, vel eſſe generis, & proprij diviſim. Dixi, talem prædicationem eſſe generis tantum; quia quando in prædicato concurrunt duæ formalitates, & aliàs ambæ ſunt diverſæ ſphæræ, ſolum ab vna debet deſumi denominatio, vtpote ab eſſentialiori; quia ab hac, veluti abſorbetur alia. Sicque cum animal ſit eſſentiale Petro dumtaxat, dum animal affirmetur de Petro, debet poni animal in linea illa, quæ ſolum directè tendit ad id, quod eſt eſſentiale ſubiecto: vnde hæc prædicatio, Petrus eſt animal riſibile, habet hunc ſenſum, nempe, Petrus eſt animal habens, ſeu dimanans riſibilitatem; riſibilitas enim, cum impar ſit animali, non poteſt inſimul in recto eſſe prędicatum cum illo. Dixi necne, poſſe eſſe generis, vel proprij diviſim; quia cum propriè animal, & riſibile, aliquod vnum non componant, de animali, & riſibili prædicatio vnius, ſeu ad modum totius, dabilis non eſt. Sicque hæc prædicatio, Petrus eſt animal riſibile, habet hunc ſenſum, Petrus eſt animal, & eſt riſibilis; quo pacto etiam riſibile, ſicuti habet eſſe, habet & prædicari. Ratio ſiſtit in eo, quod cum animal ſit idem intra eſſentiam, & riſibile ſit idem extra illam, non poteſt per eamdem vnionem intentionalem, per quam attingitur animal, attingi & riſibile. Hinc revoca in memoriam, quæ diximus in *lib. 1. d. 1. q. 4.* prope finem, vbi dicitur, quod vniones intentionales ſequuntur, conditionem idemptificatorum.

7 Obijci ſolet 2. quod modus prædicandi ſequitur modos eſſendi, qui ſunt decem ſecundum decem prædicamenta: ergo prædicabilia non poſſunt eſſe ſolum quinque. Deinde objici ſolet Phyloſophus, qui in *1. Topicor. cap. 3. & 4.* ſolum aſsignat quatuor communia prædicata, videlicet, genus, definitionem, proprium, & accidens: ergo prædicabilia non poſſunt eſſe quinque. Ad primum reſpondeo ex Scoto, ſupra pro vniverſalitate accidentis citato, & in *q. 1. generis* expoſito, dicendo, quod modus prędicandi non ſequitur modum eſſendi præciſé, etſi ſequatur modum eſſendi præciſum. Modus enim prædicandi ſequitur modum eſſendi, vt proportione informatum, quia ſecunda intentio generis fundatur ſuper ſubſtantiam, & accidens v.g. vt ſunt in proportione vnum; ita vt licet eſſe materiale ſubſtantiæ ſit diſtinctum ab eſſe materiali accidentis, ſed tamen vt fundant modum prædicandi, eorum eſſe præſcinditur ab intellectu proportionante; quo pacto habent idem eſſe, quia ſicuti ſubſtantia ſe habet ad plures ſubſtantias, ſic accidens ad plura accidentia; ex quo eorum eſſe materiale præciſé, non fundat prædicandi modum. Ad ſecundum reſponderi poteſt dicendo, quod Phyloſophus ſolum intendit diviſionem vniverſalium penes prædicari convertibiliter, vel non convertibiliter; quæ ſic formatur: vel prædicat eſſentiam, vel non prædicat eſſentiam? Si prædicat eſſentiam; vel non convertibiliter, & ſic eſt genus; vel convertibiliter & ſic eſt definitio. Si non prædicat eſſentiã; vel convertibiliter, vel non convertibiliter; quo modo erit proprium, & accidens. Diviſit ergo Phyloſophus vniverſale per eſſe convertibile, & non convertibile, quia ibi conſulebat converſionem, & non converſionem prædicatorum propoſitionum, ex quibus argumenta topica poſſent conſtrui; quare cum ad eorum conſtructionem æqualiter poſsit poni diffe-

ren-

rentia,quæ eſt convertibilis cum ſpecie,ac ſpecies ipſa,ideo poſita definitione,in qua includitur defferentia ,differentiam non nominat, quia ad munus converſionis eſt idem.His conſentire videtur Doctiſſ. Anglicus ſupra Scotum hinc.

8 Quam plurima alia omitto argumenta; tum quia levi cura ad vnum ex prędictis quinque modis ſunt reducibilia; tum quia eorum ſolutiones in quam pluribus RR.abundant. Si eorum eſſe conſcius cupias, vide noviſsimé Dyonifium Blaſco,& Ignatium Peinado hinc. Solum proponam vnicum Scoti argumentum vt videam ſi ſine prædicabilium maiori multitudine ſalvam poſsim relinquere plurium Scotiſtarum doctrinam.

9 Argumentum igitur eſt illud , ex quo probatur , quod dati debeat vnum vniverſale quod ſit medium inter vniverſale vt ſic, & inter genus,& ſpeciem;v.g. *prædicabile de pluribus in quid* , quod prædicabile eſt ſuperius genere, & ſpecie,quia nec dicit *quid* per modum totius,nec partis;& deinde eſt ioferius ratione vniverſalis vt ſic, cum de iſtius ratione non ſit prædicari *in quid* , aliàs accidens non foret vniverſale. Similiter ſuadetur aliud vniverſale inter vniverſale vt ſic, & inter propriũ,& accidens;quia accidens vt dicit *prædicatũ nõ eſſentiale* eſt quid ſuperius ad propriũ, & accidẽs quintũ prædicabile,cũ accidẽs ſũptũ pro prædicato nõ eſſentiali,nec dicat ſecũdum ſe eſſe convertibile, nec eſſe non convertibile. Deinde eſt quid inferius vniverſali vt ſic;quia vniverſale vt ſic non dicit prædicatum non eſſentiale; aliàs nec genus,nec ſpecies poſſent participare rationem vniverſalis vt ſic: ergo dantur duo alia diſtincta vniverſalia.

10 Huic argumenro præbui reſpoſionem in *quæſt.2. Differentia*,vbi dixi in expoſitione Scoti, quod prædicari de pluribus *in quid* non erat diſtinctũ vniverſale;quia ly *in quid* , erat quid æquivocum generi, & ſpeciei. Videantur illa,quia ibi intẽditor difficultas. Deinde dixi conſimiliter,quod nec prædicari *in quale accidentale* erar aliud vnum diſtinctum vniverſale , eo quod etiam *quale accidentale* debebat eſſe æquivocum ad proprium, & accidens; quia ſi prædicari extra eſſenriam concedatur vnivocum accidenti, & proprio ; & prædicari intra illam debebatur concedi generi , & ſpeciei;ſicuti enim convertibile,& non convertibile conveniunt in hoc,quod eſt,non eſſe intra eſſentiam ſubiecti,ſic genus, & ſpecies conveniunt in hoc, quod eſt , non eſſe extra illam: qua propter permiſsi in *quæſt. 1. de Proprio*, quod non dabatur prædicatum non eſſentiale vnivocum proprio , & accidenti , & in hunc ſenſum expoſui Scotum ibi ; cui expoſitioni directé favebat ſapientiſsimus Anglicus in *ex. poſit. quæſt. 24. Vniverſalium* , vbi reſolvit, quod ſi æquivocum ſit *quid* generi , & ſpeciei iuxta Scotum , & æquivocum debet eſſe *quale* proprio,& accidenti.

11 Verum cum celebres Scotiſtæ deffendant,quod quale accidentale,ſeo *prædicatum non eſſentiale* ſit quid commune Proprio , & accidenti , & invenerim nimis literalem pro ipſis Scotum;hinc aliqua exponere decerno, vt detur tale quale commune,quin numerus prędicabilium augeatur. In primis , tale quale commune,quod ponatur ab Scoto,invenietur in *q. 31. Vniverſ.* in explicatione definitionis proprij,ſi literali ſenſui ſit ſtandum. Videatur etiam in *q. 34* Vbi ait,quod accidens ſumi poteſt vt ſignificat prædicatum non eſſentiale , prout ſic eſt diſtinctum contra prædicatum eſſentiale , *& eſt commune duobus vltimis vniverſalibus,& ſic ponitur in definitione proprij.* Videatur etiam in *q. 35* vbi admitit , quod *prædicatum non eſſentiale ſit genus intermedium inter vniverſale, & accidens* , aiens , quod ſic ponitur in definitione proprij. His omnibus reliqui expoſitas rationes, interpretantes literas iſtas Scoti iuxta maius robur rationum,& conſequentium illationum ipſius, quibus ſiſtere poterit aliquis Scotiſta; ſed in dicendis ſtatim pro hac altera parte firmius quieſcat. His ita

12 Circa primum poteſt admitti , quod detur in *quali* prædicatum cõmune proprio, & accidenti, quin numerus prædicabilium augeatur;quia illud quale erit quoddam vniverſale intermedium,intelligendum,vel ſob modo generis reſpectu proprij,& accidentis; vel intelligẽdum ſub modo ſpeciei reſpectu vniverſalis vt ſic,cui ſubijceretur vt ſpecies;adderet ſiquidem ſupra rationem prædicati vt ſic vnam ſpecialem differentiam, nempe,non eſſentiale. Vnde ſolum ſequeretur,quod daretur quoddam genus interiectum,ex quo prædicabilia non habent augeri , ſicuti in *q. 9.* generis diximus,etſi darentur genera ſuprema,infima, & interiecta , quia omnia iſta non habebant eſſe pluſquam quoddam individuum generis vt ſic , quod ipſa reſpiceret ſub ſecunda intentione ſpeciei. Vide dicta in *q. 1. de Differentia*,in reſolutione prima, vbi diximus probabiliter , qualiter non augeretur numerus prædicabilium, etſi daretur conceptus differentiæ communis tribus illis differentijs. Vide ſimiliter,quæ diximus in *q. 3. de ſpecie Sub. art. 2. §. vltimo.* Sed exacté vide dicta in toto

art.

art. 2. vbi phyloſophatur de intentione individui, ſicuti debet hinc phyloſophari de hac intentione accidentis, vt pluribus communis.

13 Dices, verum videri, quod conceptus ille intentionalis prædicati non eſſentialis ſit quid ſub modo generis, vel ſpeciei intelligibilis, quo pacto licet augeantur quidditates, & primó intentionalia, vt de decem predicamentis dicebamus, non veró ſequetur augeri modos, ſub quibus intelligibiles poſsint eſſe; ſed tamen ex hoc ſequitur, quod ſimiliter ex proprio intentionali non augeatur diſtinctum prædicabile. Suadetur ex eo, quod etiam proprij intentio poſsit conſiderari, vt reſpicit plura propria, vel ſpecie, vel numero diſtincta; quo pacto ſecunda intentio proprij tranſiet ad eſſe *quid* ſub modo generis, vel ſpeciei, reſpiciens inferiora, & ſub modo ſpeciei ſubijcibilis, dum reſpiciat ſuum ſuperius, vtpote vniverſale vt ſic.

14 Huic rationi omnem difficultatem opponenti, reſpondeo dicendo, eſſe diſparem. Diſparitas, ni fallor, convincitur ex eo, quod conceptus intentionalis prædicati non eſſentialis eſt quid in recta linea, ſicque ſolum derivat reſpectum vniverſalis ad inferiora, etiam in recta linea poſita, prout ſunt inferiora reſpectu ipſius, qualia ſunt accidens, & proprium: vnde cum accidens, & proprium, quæ ſolum ſunt eius inferiora, ſint in ſpecie diſtincta, nil mirum quod conceptus ille quidditativus rationis ſolum ſit ſub modo generis intelligibilis; at autem conceptus proprij poteſt concipi vt poſitus in recta linea, & vt poſitus in laterali, quia proprium poteſt concernere ſpeciem, & ſic habere per eius latus ſpeciei individua; & poteſt concernere directé ſua propria individua, vtpote hoc, & illud proprium. Si enim proprium conſideretur vt in latere concernens ſpeciem, ſic eſt prædicabile ſub ſecunda intentione proprij, quo pacto non erit in recta linea; vnde ſolum erit prædicabile de individuis ſpeciei. Sin autem conſideretur vt immediaté, & directé concernens individua, vtpote *propria*, tunc verum eſt, quod ſic ea reſpiciat ſub modo ſpeciei, ac conceptus ille intermedius habet reſpicere ſua inferiora, vtpote proprium, & accidens. Quod enim conceptus ille intermedius, vtpote *prædicatum non eſſentiale*, non poſsit eſſe ad latus, & ſicuti proprium, patet; quia non reſpicit aliquam ſpeciem, cum qua ſit convertibile; aliàs genus proprij foret proprium, quia ille cõceptus ponitur vt genus in definitione proprij, & ſic eſt convertibile: ergo non habet aliquid ad latus concernere, vt proprium, ſed ſolum concernet illa, vt ſpecies, & genera concernere ſolent.

15 Manet igitur expoſitum, qualiter poſſit diſſolvi argumentum, & exponi Scotus circa poſitionem vniverſalis intermedij, cuius expoſitio poteſt ſimiliter applicari illi alteri vniverſali intermedio, poſito inter genus, & ſpeciem, & inter vniverſale vt ſic, videlicet prædicari de pluribus in quid. Unde Scotiſtæ, quibus potius placuerint hinc tradita, & tradenda, quam tradita in *quæſt* 2 *de Differentia*, & in *quæſt.* 1. *de Proprio*, poterunt dicere, literæ Scoti conformes, quod in definitione proprij, nempe, *quod accidit omni, & ſoli, & ſemper*, ly *accidit* ponitur loco generis, ſignificans *prædicatum non eſſentiale*, quod eſt quid vnivocum, & commune proprio, & accidenti.

16 Sed reſtat adhuc maiori difficultati ſatisfacere, vt hæc, qui iuxta Scotum maluerint, poſsint ſuſtinere. Maior igitur difficultas ſtat in hoc, quod Scotus reſolvit, quod prædicari de pluribus in quid non erat vnivocum generi, & ſpeciei. Quare, licet victam relinquamus Scotiſtis difficultatem addendi vniverſalia, tametſi daretur prædicabile in quid, quod foret vniverſale intermedium inter genus, & ſpeciem, & inter vniverſale vt ſic; ſed tamen nimis difficile eſt, vincere paritatem æquivocationis, videlicet, quod non ſit æquivocus conceptus qualitatis ad proprium, & accidens, dum æquivocus ſit conceptus quidditatis ad genus, & ſpeciem. Nec valet, ſi dicas, quod genus, & ſpecies non habent ſic eſſe æqué intra eſſentiam, ac proprium, & accidens habent æqué eſſe extra illam. Signabis rationem ex eo, quod genus ſolum intra eſſentiam habet partem, & ſpecies habet totum; at tam proprium, quam accidens habent extra eſſentiam eſſe totum: quæ ratio poterat in ſumma eſſe congruentiæ; & hæc non videtur valere, ſi bene paritas intueatur; quia etiam proprium ſic habet eſſe extra eſſentiam, vt habeat aliquod principium intra illam; & hoc apud Scotum in *quæſt. de Proprio* citatum, diſtinguentem proprium ab accidenti ex eo, quod proprium habeat in eſſentia cauſam per ſe. Deinde, quia proprium non eſt ſic extra eſſentiam, quod non maneat ſic convertibile, ac ſi foret intra illam: ergo hoc, quod eſt eſſe extra eſſentiam, non videtur aliter convenire proprio, & accidenti, ac eſſe intra illam convenit generi, & ſpeciei. Quapropter, hæc non parum conſiderando, inſpexi, difficilimé

poſſe combinationem adaptari, ſi præſumatur diſtinctio, vt conceptus in quid ſit æquivocus generi, & ſpeciei, non autem conceptus qualis, accidenti, & proprio, in quo firmiſsimus adeſt Joannes Anglicus citatus ſupra. Itaque fateor, quod hanc viam probabilizando, & Scotum componendo, ſolum vnicus mihi occurrit diſcurrendi modus.

17 Scotus igitur, ſupra in *q. 2. Differentia videndus*, reſolvit, quod differentia, vt conſtitutiva tertij prædicabilis, conſtituebatur per eſſe *prædicabile de pluribus in quale quid*, ita vt hic conceptus ſit differentiæ intermediæ, & vltimæ communis. Deinde oppoſuit ſibimet, quod ex hoc ſequeretur, plura dari prædicabilia, quia differentia intermedia erat prædicabile de pluribus in ſpecie in quale, & differentia infima de pluribus numero; & plura in ſpecie, & plura in numero debent conſtituere duo vniverſalia, ſicuti genus, & ſpecies duo conſtituunt, quia pluralitas generis eſt de pluribus in ſpecie, & pluralitas ſpeciei eſt de pluribus in numero: cui oppoſito ſatisfecit Scotus dicendo, non ex eo genus, & ſpecies conſtituere duo vniverſalia, quia in vno datur plura habere in ſpecie, & in alio datur plura habere in numero; ſed quia in vno datur *quid* in parte, & in alio datur in toto. Vnde currendo diſparitatem ait, quod cum *quid* ſit equivocum ad genus, & ſpeciem, conſtruunt duo diſtincta vniverſalia, quia in ipſo quidditatis modo habent adhuc diſtinctos modos prædicandi, vtpote de pluribus vt totum, & de pluribus vt pars; at autem cum *qualequid* ſit vnivocum ad plura ſpecie, & ad plura numero, non conſtituunt duo vniverſalia; quia idem modus qualitatis in vtraque differentia invenitur, nempe quale vt pars, quale vt forma, & quale in quid determinans.

18 Nunc igitur videndum eſt attente, qualiter *quale* ſit vnivocum vtrique illi differentiæ; quo viſo inferretur, qualiter *quid* debeat eſſe, & intelligi iuxta Scotum, æquivocum generi, & ſpeciei. Dum igitur *quale* ex modo ſuæ vnivocationis non relinquat duo diſtincta vniverſalia, pro intento Scoti ſufficiet, quod *quid* non aliter habeat eſſe æquivocum, niſi ita, quod non habeat omnem modum vnivocationis, quem habet quale, cum defectu alicuius vnivocationis ſequatur, quod non conſtituat duo vniverſalia. Sic igitur quale eſt vnivocum illi duplici differentiæ, quod non ſolum ipſis communicetur nomen, & ratio qualitatis, ſed ita, quod vtrique communicetur omnis, & completa ratio qualitatis; taliter, quod conceptui qualitatis communicato nulla addatur differentia ab aliqua ex illis duabus differentijs ſic, quod additum ſit in linea qualitatis; ſed ſic, quod additum ſit in linea interiecti, & infimi, nempe, plura in ſpecie, & plura numero; quod additum etiam convenit alijs à differentia, cum generi, & ſpeciei poſsit convenire, eo quod ab illo addito dicatur genus interiectum, & Infimum; & ſimiliter ſpecies valet dici interiecta, & infima. Nunc ſic; etſi *quid* poſsit eſſe quid vnivocum generi, & ſpeciei, quia ſi genus habet dici in *quid*, & ſpecies etiam; tamen poteſt dici æquivocum, ſeu non vnivocum, prout non eſſe vnivocum dicit non habere omnem, & completam formam vnivocationis, ſicuti eam habet *quale quid*. Qua propter, etſi *quid* ſit vnivocum generi & ſpeciei, ſed tamen additur ab inferioribus aliqua differentia ipſum *quid* contrahens in linea quidditatis, nempe *quid* per totam quidditatem, & *quid* per partem quidditatis: vnde ſequitur, quod *quid* non ſit ſic vnivocum, quod vnum ſolum vniverſale conſtituat in *quid*, ſicuti differentia in *quale*; ac per conſequẽs, ſicuti *quale* habet eſſe vnivocũ differentię interiectæ, & infimæ, dicit Scotus, quod *quid* penes talem modum habet eſſe æquivocum generi, & ſpeciei.

19 Nec alicui videatur, præfatam expoſitionem me liberé applicaſſe Scoto; eſt enim eviſcerata ex ipſius doctrina in *q. 7. Prædicam.* præterquam quod ex oppoſito difficultatum, & deinde ex ipſarum concilio, ipſius ipſa doctrina ſe faciat propriam. Ad rem igitur inveni Scotum ſupra *q. 7. Prædicam.* Vbi ait, quod non ſecundum omnẽ vnivocum ſit comparatio, ſed ſecundum ſpeciem athomam. In quibus debes notare, quod licet ſpecies athoma, illa vtpote, nullam addens differentiam intra rationem vnivocam, ſit conformior vnivocatorum comparationi; non tamen inferri, eam ſolam eſſe vnivocam; quod patet ex illis verbis, *non ſecundum omne vnivocum ſit comparatio*. Sed expreſsius invenitur Scotus ſic proſequendo: *vel aliter, quod vnivocum apud Logicum dicitur omne illud, quod per vnam rationem devenit apud intellectum, ſecundum quam dicitur de multis. Sed apud naturale non eſt omne tale vnivocum, ſed tantum quod eſt vnum ſecundum vltimam formam completivam. Vnde dicitur 7. Metaphyſica, in genere multa latent æquivocationes, quod tamen Logicus non concedit.* Quid clarius!

20 Inferendum eſt ergo, quod ly in *quid* poſsit apud Logicum eſſe commune generi, & ſpeciei, ita vt poſsit dari conceptus intentio-

tionalis interiectus, qui vnivocé poſsit dici de genere, & de ſpecie; quia poteſt abſtrahi ab om̃ibus quidditativis aliqua ratio, quæ vna deveniat apud intellectum, vtpote *conceptus quidditatis*, in quo nec advenit conceptus partis, nec conceptus totius; quo pacto poterit prædicabile de pluribus *in quid* concipi ſub modo generis, & ſic definiri poterit apud logicum. Non tamen poterit eſſe vnivocum omnibus modis, & completé, cum ſic petat, quod quidquid in illa linea poſsit haberi, habeat ratio vnivoca, v. g. *qualequid* reſpectu differentiarum, in quarum qualibet non invenitur vlterior ratio qualitatis, quam inveniebatur in ipſa ratione qualis, vt communis; quo pacto non eſt vnivocum ly *quid*, quia tota ratio quidditatis, quæ datur in ſpecie, non dabatur in conceptu communi quidditatis ſpeciei, & generi; ſicque non eſt vnivocum apud naturalem, quia apud hunc latent in illo genere æquivocationes reſpectu quidditantium. Ex quibus ad rem infert ibi Scotus, quod maior ſit vnitas in re, à qua ſumitur vnivocatio ſpeciei, quam à qua generis; quia ibi eſt vnitas formæ completivæ, hic tantum alicuius materialis, & incompleti.

21 Ex quibus omnibus debes nunc inferre, quod ſi *quid* apud naturalem ſit æquivocum generi, & ſpeciei, quia non dicit, & exprimit rationem quidditatis vſque ad vltimam, & omnem formalem rationem; etiam *quale accidentale*, ſeu prædicatum non eſſentiale, erit apud naturalem æquivocum proprio, & accidenti, quia non exambit, quidquid extra eſſentiam eſt formaliter, ſiquidem proprium addit differentiam illi conceptui, quæ differentia eſt etiam intra lineam non eſſentialium; & ſimiliter invenietur additus in accidenti. Sic pariter debes inferre, quod ſi *quale accidentale* poſsit eſſe quid vnivocum apud logicum, quod tale etiam poſsit eſſe *quid*; quia ſicuti poteſt pervenire ad intellectum nomen, & ratio *prædicati non eſſentialis*, in quo ſit præciſus conceptus non eſſentialis convertibilis, & non cõvertibilis; ſic etiam poterit pervenire ad intellectum nomen, & ratio vnius *prædicati eſſentialis*, in quo ſit præciſus conceptus eſſentialis partis, & eſſentialis totius. Sic enim poteſt conciliari ſapientiſsimus Anglicus cum cæteris, aliter circa hoc punctum ſcotizantibus. Elige quod apud Scotum malueris; rogo tamen, quod hoc ſecundum eligere mavis.

Vide dicenda in *quæſt.* ſequenti propé initium.

QUÆSTIO II.

De prædicabilium vnitate.

22 Quod inquiritur in præſenti eſt, an conceptus vniverſalitatis vt ſic ſit vnivocus ad quinque prædicabilia; & an talis vnivocatio in re, ſit ſub modo generis ſignata?

23 Reſolvo circa primum, prædictum conceptum eſſe quinque vniverſalibus vnivocum. Ita expreſsé Scotus in *q.* 8. *Vnivers.* §. *ad primam quæſtionem*. Suadetur; quia id eſt vnivocum aliquibus, cuius idem nomen, & cuius nominis eadem ratio habetur ab ipſis; ſed quinque vniverſalia habent idem nomen, & eamdem rationem vniverſalitatis; ergo cõceptus vniverſalitatis eſt illis vnivocus. Maior eſt certa. Minor exponitur ab Scoto ex ipſa definitione vniverſalis, quæ eſt mediũ ad probandũ de quolibet prædicabilitatem de pluribus.

24 Neque contra ſtabilitam reſolutionem ſentio vllum roboris argumentum, quod ex dictis non poſsit facilé diſſolvi. Vide tamen dicta in *q.* 3 *de Accidenti art.* 2. *reſolutione circa ſecundum*. Pro nunc igitur ſolum poteſt contra reſolutionem excitari, quod vniverſale non ſit completé vnivocum iuxta dicta ſupra in *quæſt.* 1. eo quod vniverſale compleatur in eſſe vniverſalis per rationes ipſum contrahentes. Sic ergo formatur argumentum: ex eo *prædicabile de pluribus in quid* erat apud Scotũ completé æquivocum reſpectu generis, & ſpeciei, quia intra rationem ipſam quidditatis additur quidditatis conceptus ab ſpecie; ſed intra rationem ipſam vniverſalis additur vniverſalitatis conceptus à quocumque ex quinque vniverſalibus: ergo ſicuti conceptus quidditatis vt ſic non eſt completé vnivocus generis, & ſpeciei quidditatibus; nec conceptus vniverſalis vt ſic erit completé vnivocus quinqué prædicabilium rationibus.

25 Vt tam vis argumenti, quam eius ſolutio perfecté videantur, revoca in memoriam, quæ in antecedenti quæſtione expoſuimus, & propugnavimus. Quibus ibi reſponderi poteſt dicendo in primis, quod tametſi prædicta paritas concluderet, ſemper poſſet ſalvari intentum, ſiquidem ſemper foret verum, quod vniverſalitatis conceptus eſſet vnivocus apud logicum, etſi talis non eſſet apud naturalem. Huic expoſitioni multum conſentire videtur Scotus in *quæſt.* 8. *Vnivers. verſ. contra hoc*, vbi etiam dicit, quod apud naturalem, in genere latent æquivocationes 7. *phyſic.*

Sed Logicus ponit genus vnivocum propter vnitatem rationis:igitur logicé loquendo,vniverſale poterit eſſe genus iſtorum quinque. Reſpondeo deinde dicendo, poſſe negari paritatem ; quia *quid* , non dicit omnem conceptum quidditatis , & *vniverſale* dicit omnem vniverſalitatis conceptum. *Quid* igitur non dicit omnem conceptum quidditatis,quia ſpecies addit ei quidditatem , ita vt differentia addita ad *quid* ſit intra rationem formaliſsimam quidditatis,cum ſpecies extra illum conceptum *quid* , habeat alium conceptum quidditatis, vtpote *quid* à forma quidditativa; ſicque nil mirum , quod conceptus prædicati de pluribus *in quid* non ſit in completa , & ſumma vnivocatione , generi , & ſpeciei vnivocus.

26 *Vniverſale* autem dicit omnem vniverſalitatis conceptum,quia in nullo ex quinque prædicabilibus additur vniverſalitatis conceptus;imó minui videtur, cum vniverſale ſecundum ſe ſit quinque prædicabilibus ſuperius , & contractum in aliquo ex illis , talem ſuperioritatem deperdat,ſiquidem nec genus, nec ſpecies &c. poſſunt dici quinque prædicabilibus ſuperiora.Deinde vniverſale dicit omnem vniverſalitatis conceptum,quia ex nulla differentia additur aliquid intra rationem vniverſalitatis. Explicatur ſic , vniverſale ſecundum ſe dicit prædicari de pluribus,cui rationi non additur aliquid , quod ſit prædicari de pluribus; ſed ſolum additur modus , ita vt aptitudo ad prædicandum de pluribus non intendatur,ſed precisé modificetur,habens hunc, vel illum modum. Qua propter id ſubtiliſsimé attingentes Scotus, expoſuit in *q.*21.*& in* 27. *Vniverſal.*quod ſpecies,& differentia ſolum ratione ſui generis habebant hoc quod eſt habere, & reſpicere inferiora; ex eo enim habent dici de pluribus , quia earum genus eſt vniverſale , cuius ratio eſt dicere de pluribus. Videantur dicta in *q.* 1. *de ſpecie*,in ſolutione ad ſecundum. Itaque debes ſtare in hoc, quod vnumquodque vniverſale habet hanc rationem , *prædicabile de pluribus cum ſui multiplicitate*; quæ ratio non ſuſcipit vniverſalitatis additum , ſed ſolum ipſi adduntur modi,nempe,*quid*,*quale*,&c. ex quibus,& ex omni ratione vniverſalitatis conſtruitur quoddam vnum ex vniverſali,& ex modo. Deinde illud vltimum Scoti , & noſtræ expoſitionis ſuadetur in habentibus quidditatem,omnem, ſeu totam quidditatem, nec non paſsiones , vt patet,ſaltim in Deo ,& tamen ex his modis nil vniverſalitatis convincitur.Similiter differentia individua qualificat , & ex eo non derivat vniverſalitatem:ergo quia vniverſale dat omnem excogitabilem rationem vniverſalitatis quinque alijs,ita vt nil addatur ei intra rationem vniverſalis , ſed præciſe addantur modi, qui ſolum habeant diverſimodé eſſe cum vniverſalitate compatibiles.

27 Circa ſecundum communiter ſolet etiam reſolvi , quod conceptus vniverſalitatis eſt ſignabilis à ſecunda intentione generis. Ita expreſſe Scotus in *q.* 21. *& in* 27. *Vniverſ.*in quibus ait,quod ſpecies, & differentia habent ex genere ſuo dicere reſpectum ad inferiora; ſed earum genus ex ipſo Scoto eſt vniverſale: ergo.Et etiam in *q.* 8 .*Vniverſ.*vbi ait;*ad primum dico, quod intentio generis ſibi applicatur reſpectu iſtorum quinque.* Deinde facilimé exponi poteſt reſolutio ; quia illud ſe habet vt genus reſpectu alicuius , quod ab iſtius propria differentia eſt immediaté diviſibilis,& ſic determinabilis , quod ex ipſo, & ex differentia aliquod inferius ſpecificum maneat conſtitutum; ſed vniverſale eſt immediaté, & de per ſe diviſibile à quocumque ex quinque prædicabilibus, & deinde eſt ſic determinabile à propria cuiuſcumque differentia , quod ex hac,& ex eo aliquod ſpecificum inferius conſtitutum maneat:ergo vniverſale reſpectu omnium quinque ſe habet vt genus. Maior eſt certa,& expoſita iuxta Scotum in *q.* 1 .*Generis*, & alibi. Minor certa videtur, quia conceptus vniverſalis, qui in prædicabilitate de pluribus ſecundum ſe eſt indiviſus, dividitur per prædicari de pluribus *in quid*,*in quale*,&c.cum ſic fiat multiplex ille vnus conceptus. Deinde ex *quid* , & ex prædicabilitate de pluribus manet metaphyſicé aliquod vnum ſpecificum, & ipſo vniverſali inferius,cum prædicabile *in quid* ſit indiviſibile in ſpecies , & diviſibile in individua: ergo.

28 Obijci ſolet primó:genus,quod eſt primum prædicabile , non poteſt non eſſe genus; ſed ſi vniverſale vt ſic ſe haberet vt genus ad primū prædicabile,debebat hoc, amittere eſſe genus : ergo. Breviter reſpondendo diſtinguitur maior : primum prædicabile non poteſt non eſſe genus, informatum comparatione ad vniverſale vt ſic, negatur ; informatum comparatione ad ſua propria inferiora , conceditur; & ſic reliqua diſtinguuntur. Itaque, cum tam ſecunda intentio generis , quam quævis alia ſit forma ex comparatione ad rem derivata,toties variabitur,quoties cõparatio. Neque ignoro aliquas RR. inſtantias anxioſas; prævidi tamen eas in *q.* 1 . *&* 2. *Generis.*

29 Obijci ſolet 2. vniverſale eſt commune quinque prædicabilibus ; ſed ſi vniverſale

eſſet

eſſet genus, non poſſet eſſe illis commune, quia ratio generis non eſt c[illegible]munis ſpeciei, differentiæ &c: ergo. Hoc argumentum, his temporibus commune, fuit tempore Scoti ab ipſo ſolutum, & ſpecialiter iam formatum. Vide ipſum in *q. 8. 10. & 11. Vniverſ.* Reſpondetur ex Scoto, dicendo ad minorem, quod ſi vniverſale eſſet genus eſſentialiter, non poſſet ratio vniverſalis eſſe communis, quin communis foret ratio generis; ſed ratio generis extraneatur ipſi rationi vniverſalis, quia ratio vniverſalis eſt tunc res primæ intentionis, & ratio generis eſt res ſecundæ; & eſt impoſsibile, inquit Scotus, quod res ſecundæ intentionis poſsit per ſe, & eſſentialiter convenire rei primæ intentionis, ſiquidem tunc aliqua res ſecundum ſuam eſſentiam partim eſſet à natura, & partim ab intellectu, & ſic adiverſis non ordinatis; quare non poſſet eſſe vnum eſſentialiter. Itaque id ſolum erit ſuperioris, commune inferioribus, quod ipſi ſuperiori, ita eſſentiale ſit, quod ſuperior non poſsit eſſentiam communicare, quin inſimul, quidquid eſſentiale ſit in ea, communicet. Non autem communicabit, ſuam communicando eſſentiam, quod ipſi iam accidit; quod bene notavit Scotus dicendo, *quod ratio generis extraneatur vniverſalis*; ex quo infert, quod vniverſale non habebit robur ad communicandum alijs id, quod iam extraneabatur ſibi, ſiquidem in plus erit iam extraneum alijs à ſe, & parum plus ſufficit, vt veré de alijs non poſsit iam dici, quod adhuc veré dicitur de ſe. Et ſi dicas, quod aliquod accidens conveniens ſuperiori, poteſt & inferiori convenire; prompté ſatisfacit Scotus dicendo, quod illud, etſi poſſet eſſe verum de accidenti reali, non autem de his accidentibus intentionalibus, quæ ſequuntur rem, & intellectum; illa veró ſequuntur ſolam rem, & ſic plus vltra poterunt eam ſequi.

30 Dices vice verſa, quod vniverſali accidet ſimiliter eſſe prædicabile. Suadebis illationem ex eo, quod vniverſali accidat eſſe genus, & generi eſſentiale ſit eſſe prædicabile. Deducitur, quia ſi ſic conveniat alicui ſubiecto vnum prædicatum, ſicuti convenit ei, quod eſt eſſentiale tali prædicato, ſic conveniet vniverſali eſſe prædicabile, ſicuti vniverſali convenit eſſe genus, cui eſt eſſentiale eſſe prædicabile. Reſpondetur, illationem inconſequenter deduci; ſicque licet vniverſali accidat eſſe genus, & generi ſit eſſentiale eſſe prędicabile, non propter id, ſubiecto, cui accidat genus, accidet & id, quod generi non accidit. Ratio à priori ſtat in hoc, quod arguatur ab inferiori ad ſuperius, cuius argumentationis illatio eſt indirecta. Sed quidquid ſit de hoc, alijs terminis exponitur ratio ex eo, quod ſolum alicui ſubiecto accidet quoddam prædicatum, quod ſit intrinſecum alteri prædicato etiam accidenti ſubiecto, quando prædicatum ex connexione accidens, non ſit commune, & propter aliud diſtinctum medium conveniens ſubiecto, v. g. ſi albedo accidat Petro, & diſgregare viſum, quod eſt intrinſecum albedini, accidet Petro, quia diſgregare viſum ſolum per albedinem convenit Petro; albedo enim non eſt prædicatum commune. At autem licet albedo accidat Petro, non autem accidet Petro ratio entis, quæ eſt eſſentialis albedini; quia ratio entis eſt formalitas communis, & Petro aliunde ab albedine convenibilis. Sic pariter, licet genus accidat vniverſali, & generi eſſe prædicabile non accidat, eſſe prædicabile non accidit vniverſali; quia eſſe prædicabile eſt quid commune, & aliunde à ratione generis vniverſali convenibile.

31 Obijci ſolet 3. conſimilitee ad primum, dicendo, quod ſi vniverſale foret genus ad quinque prædicabilia, genus eſſet inferius ſua ſpecie: ergo. Suadetur; quia ſi vniverſale foret genus, genus in communi, quod eſt primum prędicabile, debebat ſub ſe continere genereitatem vniverſalis; aliàs illud non foret genus in communi: ergo cum non poſsit genus in communi continere rationem particularem generis vniverſalis, quin ſit ratione contenta ſuperius, dum genus in communi ſit ſpecies vniverſalis, genus erit inferius ſua ſpecie. Alias quam plurimas deducunt conſequentias, omnes tamen à præmiſſa ratione pendentes. Huic argumento variæ parantur ſolutiones, quibus, potius habet confundi, quam diſſolvi. Exiſtimo ergo illi Scotum reliquiſſe ſolutiones, expoſitas in *q. 9. Generis*, & alibi in *q. 9.* aliorum prædicabilium.

32 Reſpondendum eſt iuxta doctrinam Scoti in *q. 8. Vniverſ.* diſtinguendo duplex genus prædicationis, videlicet denominativam, & eſſentialem. Prædicatio denominativa dicitur illa, quæ licet habeat prædicatum, quod vnivocé applicari videatur ſubiectis, tamen non prædicat *in quid* de illis. Prædicatio eſſentialis dicitur illa, in qua prædicatum, præter vnivocationis modum, habet dicere ſubiectorum quidditatem. Vnde iſta prædicatio, *genus eſt vniverſale*, eſt prędicatio eſſentialis, quia vniverſale, præterquam quod vnivocé dicitur de genere, generis quidditatem dicit, ſiquidem vt laté expoſuimus in *q. 1. & 2. Generis*, conceptus quidditativus vniverſalis eſt genus in definitione generis, ſicque pars quidditava-

ditativa eius. Hæc autem prædicatio, *vniverſale eſt genus*, eſt prædicatio denominativa, ſicuti hæc, *Petrus eſt albus*, quia ſic genus accidit quidditati vniverſali, ſicuti album accidit quidditati Petri. In prima enim, inquit Scotus, prædicat *quid* de re; in ſecunda veró, de re prædicat modus; quia notio generis eſt modus, cum quo intelligitur quidditas intrinſeca vniverſalis.

33 Ergo iuxta Scotum recté debet deduci, quod vniverſale non poſsit aliter intelligi quinque prædicabilibus ſuperius, quam ſub illa ratione, ſub qua poſsit reſpectu quinque intelligi ſuperius prædicatum; ſed ſolum conceptus vniverſalis, vt quidditativé, & primó intentionaliter intellectus, poteſt reſpectu quinque habere rationem prædicati ſuperioris: ergo ſolum in hac ratione quidditativa, & eſſentiali vniverſalis, quæ eſt generis quidditativi, & primó intentionalis, vniverſale reſpiciet quinque prædicabilia, vt ſuperius. Vnde exponitur, quod vniverſale, ſi intelligatur eſſentialiter, erit quid ſuperius genere, cũ genus in definitione generis ſit ratio eſſentialiſsima vniverſalitatis, v. g. *genus eſt vniverſale*, vbi ly *vniverſale* eſt genus exercitum, prout quidditativé dicitur de genere ſignato. Sin autem ratio generis ſummatur, vt prædicatum denominativum vniverſalis, v. g. *vniverſale eſt genus*, tunc ly *genus*, quod eſt modus intentionalis denominans quidditatem vniverſalis, poterit eſſe ſuperius ad vniverſale; ita vt ſic dicatur intentio generis de natura vniverſali, ſicuti dicitur de quacumque alia natura generica; quia non aliter ſecunda intentio generis dicitur de vniverſali, dicendo *vniverſale eſt genus*, quam de animali, dicendo *animal eſt genus*; ſecunda enim intentio generis poteſt eis ęqué applicari, vt habent proportionis vnitatem; vtpote, quod ſic ſe habeat natura animalis ad quinque ſpecies animalis, ac natura vniverſalis ad quinque ſpecies vniverſalis. Sicque, ſicuti animal, vt denominativé eſt genus, habet quamdam intentionem individuam generis reſpectu intentionis generis vt ſic, ſic & eam habebit ſimiliter vniverſale reſpectu eiuſdem. Et ſicut quidditas animalis eſt ſuperior quinque animalium ſpeciebus, etſi non ſit ſuperior genere denominativo; ſic & quidditas vniverſalis erit quinque vniverſalium ſpeciebus ſuperior, etſi ſub alia denominatione, infra melius exponenda in fine, ſuperior non ſit genere denominante. Sic Scotus ſupra *verſ. ad primum argumentum dico.*

34 Sed quia ſcio, quod vocibus anxié inſtent, & plures RR. confundantur, id radicitus iuxta Scotum amplius exponere intendam. In primis ergo debes conſiderare ſecundam intentionem vniverſalis vt ſic, & hanc cuicumque rei intrinſecé vniverſali applicabilem; quo pacto ſecunda intentio vniverſalis, ſolum denominativé de omni excogitabili natura dicetur æqué, v. g. *animal eſt vniverſale*, *homo eſt vniverſalis*, & ſic de quacumque realitate pluribus à parte rei communicabili. Circa quod debes nimis notare, quæ Scotus in *q. 34.* & alibi, (ſic enim præcavetur vnum difficile, videlicet, quod ſecunda intentio vniverſalis eſt dicibilis de pluribus; ſed eſt dicibilis ſecundum rationem nudam ſecundæ intentionis vniverſalis vt ſic, vtpote abſtrahens á genere, ſpecie &c: ergo iam dabitur prædicatum ſecundò intentionale, quod extra quinque ſit de pluribus dicibile. Neganda eſt minor; de quo in ipſa annotatione) videlicet, quod ſecunda intentio vniverſalis reſpectu eorum omnium ſubiectorum eſt dicibilis, vt accidens quintum prædicabile conſtituens; quia non aliter accidens illud intentionale concernit, & inhæret in illis omnibus ſubiectis, ac album, & ſic quodcumqne aliud accidens phyſicum concernit, & inhæret in alijs. Idem notanter phyloſopha de ſecunda intentione generis, vt concernente purum eſſe materiale ſubiectorum, nempe animalis, coloris, &c. Vnde hæc prædicatio *animal eſt genus*, non eſt prædicatio generis, ſed accidentis; quia ſecunda intentio generis, quæ eſt modus animalis, coloris, &c. ſe habet vt accidens, prout animali, & colori inhæret, vt in ſubiectis, & in materijs huius concreti *genus*, cuius forma non reſpicit animal, nec colorem, vt ſpecies, quod eſt proprium generis; ſed ea reſpicit vt ſubiecta, quod eſt proprium accidentis.

35 Ex quibus (iuxta dicta in *§.* antecedenti, vbi dixi, quod ſi ratio generis ſumatur vt prædicatum denominativum vniverſalis; tunc ratio generis poterit eſſe ſuperior vniverſali) debes notare, quod poterit eſſe ſuperior vt accidens, quia ratio generis, vt denominativum prædicatum, reſpicit vniverſale vt ſubiectum, ſicuti vt ſubiectum reſpicit animal, vt ſupra dixi: ſicque ratio generis, vt accidens, erit ſuperius vniverſali, vt ſubiecto, cum accidens ſit ſuperius omnibus ſubiectis, & vniverſale ſit ſic vnum ex ſubiectis illius prædicati denominativi generis. At veró ſi vniverſale ſumatur, non vt ſubiectum, & conſequenter, nec vt ſubeſt conceptui generico vt ſecundæ intentioni accidentis; ſed ſumatur vt quidditas ſuperior, ſignata conceptu generis; tunc erit ſuperior quinque vniverſalibus, ac per conſequens ipſo acciden-

cidenti; quod reſpiciet, non vt accidens, ſed vt ſpeciem. Idem eſt ergo philoſophandum, ac in fine philoſophabitur de genere. Itaque notio generis, vt reſpicit vniuerſale vt ſubiectum, eſt accidens, vt reſpicit inferiora vniuerſalis, tale accidens in vniuerſali genus ſignatum dicitur.

36 Deinde debes conſiderare, quod ſecunda intentio vniuerſalis, quæ in comparatione ad omnia illa ſubiecta erat ſecunda intentio, & accidens, ſi deinceps conſideretur in ſuo eſſe metaphyſico ſecundæ intẽtionis, tranſiet ad eſſe quid, habens ſic definita, prædicata primò intẽtionalia intrinſecé cum ipſius quidditate connexa, ſicuti dicebamus de accidenti in ſuo eſſe metaphyſico accidentis conſiderato, & ſimiliter diximus de notione generis, ſpeciei ſubijcibilis, & aliorum, iuxta illud proloquium Scoti, *quodlibet in ſuo genere eſt quid*. Unde omnis modus in ſuo modo eſſendi conſideratus, non manebit modus, & ſic conſiderabitur vt res reſpectu omnium modorum, reſpectu quorum non eſt iam modus. Itaque ſicuti accidens in ſuo eſſe conſiderato habet quidditatem exercité communicabilem omnibus accidentibus, & ſecunda intentio generis in ſuo eſſe conſiderata habet quidditatem etiam intrinſecé cõmunicabilem omnibus generibus, ita vt ſecunda intentio generis, quæ erat ſecunda intentio, & accidens reſpectu animalis, tranſeat ad eſſe quid reſpectu omnium ſecundarum intentionum generis; ſicuti & albedo, quæ erat accidens reſpectu ſubiectorum, tranſit ad eſſe quid intrinſecum reſpectu omnium albedinum in ſuo eſſe albedinis communicantium: ſic pariter, vniuerſalitas, quæ erat in primo paſſu ſecunda intentio reſpectu omnium ſubiectorum materialiter vniuerſalium, & accidens eorum, in ſuo eſſe metaphyſico conſiderata tranſit ad eſſe rei intrinſecæ, ita vt reſpectu diſtinctorum ſubijcibilium, vtpote omnium vniuerſalitatum, reddatur conceptus quidditatiuus, primò intentionaliter communicabilis, & illis omnibus eſſentialiter ſuperius, vtpote prout in eius quidditatiua ratione æqué communicantibus.

37 Deinde, ſicuti conceptus quidditatiuus generis, omnibus generibus intrinſecé communis, poteſt denominatiué dici ſpecies, & ſub ſecunda intentione ſpeciei conſiderari, quin hoc repugnet ex eo, quod ille modus ſpeciei ſit inferior quolibet genere indiuiduo, cum quodlibet genus, ſecundum generis rationem, exiſtimat eſſe quacumque ſpecie ſuperius: ſic pariter, conceptus ille quidditatiuus vniuerſalis poterit denominatiué dici genus, & ſub ſecunda intentione generis conſiderari, quin hoc repugnet ex eo, quod ille modus generis ſit inferior, comparatum vt indiuiduum genus ad ſuum genus in communi, quod vt ſpecies debet eſſe ſuperiùs quocumque ſuo indiuiduo.

38 Dices, quod hucvſque dictis non manet radicitus euiſcerata difficultas; quia repugnare videtur, quod dum vniuerſale ſit ſuperius ad quinque prædicabilia, poſsit illi ſuperioritati applicari modus, qui ſit inferior aliquo ex prædicabilibus. En omnem anxiam in vltimo diſcurſus pondere. Reſpondeo, vtrumque compati, ſi exhibita doctrina plené capiatur. Itaque dico, quod dum dicitur, vniuerſale eſt genus, ly genus, quod eſt prædicatum, poteſt dupliciter conſiderari reſpectũ vniuerſalis. Poteſt enim conſiderari vt eſt modus vniuerſalis, & poteſt conſiderari, vt in ipſo modo eſſendi modus, eſt indiuiduum aliquod modi generici vt ſic. Si enim ſecunda intentio generis conſideretur, vt ipſa eſt modus reſpiciens vt quo inferiora, quæ vt quod, & exercité reſpicit vniuerſale; tunc penes hunc reſpectum, vniuerſali applicatur modus, qui ſic ſit etiam ſuperior; quia ſic ſicuti exercité vniuerſale eſt ſuperius, & ſignaté ſuperior erit ſecunda intentio applicata, cum ſolum habeat per illam, reſpectum ad inferiora ſignare, quod prima intentio vniuerſalis exercet; ſed prima intentio vniuerſalis exercet ſuperioritatem: ergo ſecunda illa intentio ſic ſumpta eam ſignabit. Vnde habebit eſſe ſignaté ſuperiorem, prout hoc ſolum exprimit eſſe ſignum ſuperioris exerciti, & hoc modo non eſt inferior primó prædicabili, quia vt in actu ſignato eſt ſuperior, non ſignat primum prædicabile vt genus, ſed vt ſpeciem, quia vt ait Scotus paſsim, generis correlatiuum ſolum poteſt eſſe ſpecies, & illa intentio eſt genus ſignaté; quare genus primum prædicabile erit illius correlatiuum vt ſpecies, ſicque non erit ſuperius.

39 Sin autem illud genus ſignatum conſideretur, prout in ſuo particulari modo ſignandi quidditatem pluribus ſpeciebus communicabilem dicit reſpectum ad genus ſignatum vt ſic; tunc illa ſecunda intentio generis eſt inferior; eſt tamen inferior per alium, ſeu ſub alio diſtincto modo, cum ſit inferior ſub ſecunda intentione indiuidui. Itaque eximius tunc efficitur tranſitus; quia genus, quod erat modus, & ſecunda intentio reſpectu vniuerſalis, dum intelligitur dicens reſpectum ad genus vt ſic, tranſit ad eſſe rei, & primæ intentionis entitatis genericæ, ſub modo, & ſecunda

inten-

Digitized by Google

intentione ſubijcibilitatis, ſeu individuationis. Ratio eſt; quia generis vt ſic conceptus quidditativus, & primó intētionalis eſt exercité dicibilis de quolibet genere individuo, v.g. genus vniverſale eſt genus, & ſic hoc genus eſt genus, &c. ergo illa ſecunda intētio generis vniverſalis trāſit a 1 eſſe quidditatis, & primæ intentionis. Suadetur ſecundó; quia per illum reſpectum ad genus vt ſic, illa ſecunda intentio generis vniverſalis eſt ſub ſecunda intētione individuationis, quia genus vt ſic omnia genera ſecundó intentionalia reſpicit vt individua; ſed per reſpectum ad idem, nullum ens poteſt conſervare duplicem ſecundam intentionem, ita vt ſit ſecunda intentio generis, & individui; aliàs ſecunda intētio poſſet prædicari de ſecunda: ergo ſi genus illud ſignatum verſus genus vt ſic habeat eſſe ſub ſecunda intentione individuationis, certiſſimé infertur, non conſervare eſſe ſecundó intentionale generis, & ſuperioritatis, quod habeat vt modus vniverſalitatis. His eſt genuinus Scotus in *q. 16. Vniverſ.*

40 Suffi:iāt dicta pro expoſitione harum difficilium intelligentiarum, quæ ſine anxietate nunquam perceptibiles occurrunt; quod oritur ex facilíſſimo ſecundarum intentionū tranſitu; ſiquidem poſſunt cum quam pluribus compatari, & deinceps cum eodem intentionis manente nomine, & quoad nos ipſo conceptu, aliud diſtinctum eſſe intentionale per imperceptibiles reſpectus ſuſcipere, & ad componenda inde tot oppoſitionum exercitia, obſcuratur ratio, & cruciatur ingenium. Videantur inter alia, quæ reliquimus in *quæſt. 1. de ſpecie, reſolutione 2. in ſolutione primi argum.*

DISTINCTIO VI.

De principalibus Vniverſalium prædicationibus.

1 EGimus in præcedentibus *Diſtinc.* de quinque vniverſalium intentionum ſpecialibus quidditatibus, pro quarum notitioſo complemento reſtabat agere de ſervanda praxi in eorum exercitijs, & prædicationibus; quare, etſi paſſim in *lib. 1.* plura circa intentionum exercitium conſumpſerimus, hinc aliqua ex principalioribus, ſecundum Scotum exponere decernimus.

QVÆSTIO I.

Præcipuas acceptiones prædicationis, & concretionis, iuxta communiorem noſtratum phraſim, recitans.

2 ANtequam ad principalem difficultaté præſentis *Diſtinc.* deveniamus, conſultó hanc quæſtionem præambulam iuxta magis ſolitum Scotiſtarum ſcopum proponimus, vt in reſolvendis tam de prædicatione, quam de concretione, aliqua multiplicis acceptionis notitia prius informemur. Prædicatio igitur nil aliud exprimit, quam determinationem alicuius prædicati ad aliquod ſubiectum, ſive per affirmationem, ſive per negationem intellectus. Dixi etiam vel per negationem, quia vt propugnatum manet in *Diſtinc. 7. Compend. quæſt. 3.* etiam propoſitio negativa veram retinet propoſitionis eſſentiam. An veró prædicatum prius debeat eſſe intentionaliter in ſubiecto, quam dicatur de illo, reſolutum manet in *lib. 1. Diſtinc. 2. quæſt. 3.*

3 Dividitur prædicatio in identicam, & formalem. Prædicatio identica dicitur illa, per quam ſubiecto attribuitur prædicatum eiuſdem nominis ac rationis cum ſubiecto, v. g. Petrus eſt Petrus, &c. Alij id ipſum ſub alijs vocibus explicant. Aliqui enim dicunt, propoſitionem identicam eſſe illam, in qua prædicatum, & ſubiectum tam vniformiter ſignificantur, quod ſi propoſitio in duos terminos reſolveretur, vterq; imperceptibili indiſtinctionis modo ſignificaretur. Alij veró identicam propoſitionem exprimunt eſſe illam, per quam vnum prędicatur de alio, quin per modum formæ includatur in illo. Exiſtimo eſſe identicas has omnes identicæ propoſitionis explicationes. Deinde propoſitio identica ſubdividitur in identicam omnimodé, & ſimpliciter, & in identicam inadæquaté, & ſecundum quid. Per identicam ſimpliciter intelligunt illam propoſitionem, in qua prædicatum non ſolum ex parte obiecti habet cum ſubiecto eūdem modum eſſendi, ſed & ex parte actus habet eundem modum ſignificandi, v. g. homo eſt homo. Per identicam ſecundum quid intelligunt illam, in qua, etſi modus ſit in eſſendo idem ex parte obiecti, non autem in repreſentando ex parte actus, v.g. homo eſt animal rationale: Petrus eſt quid ex natura humana,

&

& ſingularitate conſtitutum.

4 Prædicatio veró formalis dicitur illa, per quam dum prædicatum veriſsimé habet dici de ſubiecto, non habet exprimere, quidquid veriſsimé eſt in illo, v. g. homo eſt animal, &c. Id ipſum ſub alijs vocibus explicatur ab alijs. Aliqui enim dicunt, tunc dari prædicationem formalem, quando ex diverſa ſignificatione ſubiecti, & prędicati valet propoſitio in duos terminos diſsimiles reſolvi, v.g. homo, & animal. Alij veró dicunt, tunc dari propoſitionem formalem, quando per modum formæ vnum prædicatur de alio, v.g. Petrus eſt homo, Petrus eſt albus, &c. Vbi debes notare in favorem huius vltimæ expoſitionis, Ariſtot. 5. *Metaphy.* dicere, omnes partes definitionis eſſe ſicuti formas; quod dictum exponit Scotus 7. *Metaphyſ. ſua q.* 7. dicens, quod partes definitionis, vt ad invicem comparatæ, non ſunt formæ, quia forma non informat niſi illud, quod eſt materiale reſpectu ipſius, & vna forma non poteſt eſſe materiale reſpectu alterius, quia tunc forma eſſet materia, & mutaret naturam ſuam. Debet igitur intelligi, quod ſint formæ, vt comparatæ reſpectu definiti, quod ſe habet veluti ſubiectum cuiuſvis partis, ſicque quælibet pars formaliter prædicatur de illo.

5 Deinde prædicatio formalis ſubdividitur conſimiliter in ſimpliciter, & ſecundum quid. Per prædicationem ſimpliciter formalem intelligitur illa, cuius extrema ex parte obiecti differunt formaliter, dùm clarius explicatur ſubiectum per prædicatum, quam per ſe ipſum, v.g. homo eſt animal. Per formalem ſecundum quid intelligitur illa, per quam prędicatum, & ſubiectum omnimodé ſunt indiſtincta in eſſe, non autem in claritate, v.g. homo eſt animal rationale. Vbi poteſt notare, quod prædicatio, quæ eſt ſimpliciter formalis, non eſt ſimpliciter identica, nec é contra; ſin autem eſſe ſecundum quid identicam, quæ ſecundum quid eſt formalis, & é contra; vtraque enim in aliquo ſecundum quid convenit, & vtraque, ſive ex parte actus, vel obiecti, in aliquo ſecundum quid differt. Deinceps prædicatio formalis, alia dicitur directa, & indirecta alia. Prædicatio directa vt ſic, dicit ex hac ratione, quod prædicatũ ſit ſuperius ſubiecto, v.g. homo eſt animal, &c. Dicitur indirecta écontra, v. g. animal eſt homo. Directa ſubdividitur inde in eſſentialem, & in ineſſentialem. Eſſentialis, & directa dicitur illa, in qua prædicatum, pręter eſſe ſubiecto ſuperius, habet etiam eſſe de quidditate illius, v. g. homo eſt animal. Directa ineſſentialis dicitur illa, in qua prædicatum eſt ſuperius ſubiecto, non autem habet quidditatẽ in illo, v.g. Petrus eſt riſibilis, Petrus eſt albus, &c. Sub alijs nominibus, & vocibus prædictæ prædicationes tradi ſolent; exiſtimo tamen, nil diſtinctum, niſi ſub nomine tradi.

6 Circa concretionem, quod eſt ſecundum in titulo petitum, advertendum eſt, iuxta literam Scoti *in q. 16. Univ. ver. Ad primum cum dicitur, & verſ ſequenti*, quod hoc nomen concretũ eſt quid derivatum ab hoc verbo concerno, quod ſignificat reſpicere: vnde quælibet formalitas concreta habet reſpicere, ſeu concernere aliam, cum qua conſtituat aliquod vnum concretivum, ſeu concretum, vt moris eſt. Concretum igitur importat formam concernentem aliquod ſubiectum, vel ſuppoſitũ; vnde habet eſſe in duplici differẽtia, videlicet, ſubſtantivum, & accidentale. Concretum ſubſtantivum dicitur illud, quod concernit ſuppoſitum, ſeu ſingulare, quod non eſt alterius naturæ ab ipſa forma cõcernente, v.g. homo, qui dicit formam humanam cõcernendo omne ſingulare habens ipſam. Concretum accidentale dicitur illud, cuius eſſe formale concernit ſubiectum, quod eſt alterius rationis à forma ſignificata per illud, v.g. album, dũ dicit albedinẽ concernẽdo parietem, qui eſt alterius quidditatis à forma per illud eſſe ſignificata.

7 Aliud concretum datur, quod licet in re non ſit accidentale, quia forma, præterquã quod eſt entitativé ſubſtantia, habet cõcernere ſuppoſitum; ſed tamen ex vniformitate in cõditionibus cum accidenti, & ex difformitate earum cum ſubſtantivo, dici valet accidentale, tametſi ſub nomine concreti adiectivi exprimatur. Concretum igitur adiectivum dicitur illud, cuius ſignificatum multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſitorum, in quibus forma ſignificata adiacet, v.g. hoc concretum ſpirans dicitur adiectivum, quia eſſe ſpirantis multiplicatur, dum plura ſint ſubiecta, etſi vna ſit eorum forma. Vnde licet in Patre, & Filio virtus ſpirandi, quæ eſt forma, ſit vna, quia tamen duo ſunt ſuppoſita, duo dicuntur divina ſpirantia.

8 Ex Scoto ſimiliter, ad duplicem differentiam concreti, duplex etiam ſignatur differentia abſtracti. Abſtractum enim, ex correſpondentia ad concretum ſubſtantiale, dicitur illud, cuius eſſe, ſicuti concretum concernebat ſuppoſitum, ſic habet per receſſum dici abſtractum ab illo, vtpote à ſuppoſito. Aliud verò, ſic pariter habebit dici, non eſſe abſtractum à ſuppoſito, ſed à ſubiecto; in quibus ſignatur hoc diſcrimen, videlicet, quod abſtractum à ſubiecto non ſit abſtractum vltimatum, & quod licet reſpectu ſubiecti ſit abſtracta

Digitized by Google

forma, non tamen reſpectu ſuppoſiti, reſpectu cuius adhuc manet concreta, cum poſsit concernere ſpecialia, tametſi iam non concernat non propria, v.g. albedo, quæ dum iam non reſpicit parietem, poteſt tamen ſingulares albedines reſpicere. Abſtractum autem à ſuppoſitis dicitur vltimum, & ex hoc vlteriorem concretionem repugnans; aliàs non foret vltimatè abſtractum, cum adhuc ex vlteriori cõcreto poſſet abſtrahi forma: Vnde dicitur vltimatè abſtractum; & meritò, quia non poſſunt remanere ſubiecta, à quibus ſemper ſit aliquid abſtrahendum; ſicuti nec dantur formæ, quæ ſine fine contrahant; quapropter, ſicuti datur ſuppoſitum, quod eſt vltimatè complens, & ſingularizans; ſic pariter debet dari ſuppoſitum, à quo abſtracta forma ſit vltimatè, & completè abſtracta: En ergo diſcrimen, vtpote, quod abſtractum à ſuppoſitis eſt vltimatè abſtractum, non autem à ſubiectis. Signa congruentiam in eo, quod ſuppoſita ſint formarum propriora, & ſpecialiora ſubiecta; & cõgruere videtur, quod dum aliquid à proprioribus ſit recedens, & abſtrahens, non poſsit inde plus vltra concernere; ſecus autem illa, quæ ſolum intelliguntur abſtracta ab extraneis, & alterius naturæ ſubiectis: vnde noſces, quod licet poſsit dici de aliquo ſingulari albedo, quæ de nullo ſubiecto iam poteſt; humanitas tamen abſtracta à ſuppoſito, & ſingulari, de nullo vltra dici valet.

9 His ita ſuppoſitis, examinanda, & reſolvenda venit principalis huius Diſtinct. difficultas, cuius reſolutione plura alia circa concretorum, & abſtractorum notitiam ſecundum mentem Scoti dignoſcentur. Difficultas igitur, quæ in prædicationum praxi principalius examinari petitur, excitatur ab Scoto in *quæſt. 16. Vniverſ.* vbi plenè examinat, qualiter ſuperius poſsit verè de inferioribus prædicari, v. g. genus, dum de ſpeciebus prædicatur; ſicque, quæ de genere dicamus, alijs applicare poterimus.

QVÆSTIO II.

Qualiter ſuperius de inferiori prædicetur.

10 IN præſenti quæſtione, quod de per ſe inquiritur eſt, qualiter ſuperius, cum non habeat in ſe totum, quod habet inferius, poſsit de illo verè affirmari: v. g. genus, quod ſolum habet eſſe partem ſpeciei, difficilè habet de ipſa, quæ eſt totum eſſe, prædicari. Difficultas igitur in ſua maiori vi formatur ab Scoto in *quæſt. 16. Vniverſ.* ex eo, quod ex vna parte videatur, quod animal v.g. repugnet prędicari vt totum de homine, quia in re animal non poteſt prædicari niſi ſecundum illud eſſe, quod ſignificat; ſed animalis eſſe ſignificatum, eſt eſſe partis in homine: ergo ſolum vt pars poterit prędicari de illo. Maior videtur certa; quia non apparet, quod in illo priori, in quo intelligitur animal ad hominem, poſsit animal eſſe aptum ad eſſendum in illo, aliter ac animal ſignificat ſuum eſſe, ſicuti deinceps eſt in illo; aliàs daretur aptitudo contraria actui, & conſimiliter ſequeretur, quod eſſet actus, quin ad illum præceſiſſet aptitudo: ergo ſi animal in homine ſit, & ſignificet eſſe partem, ſolum per modum partis præceſit aptum ad prædicandum de illo; modus enim prædicandi ſequitur modum eſſendi: vnde ſolum variabitur, vt pars actu, & vt pars in potentia, ſicuti de eſſe actuali, & poſsibili eſt ſolitum philoſophari. Minor deinde, non minus certa apparet, quia ſpecies ſuperat genus in quidditate, & ideo Scotus admiſsit illam Porphyrij definitionem, videlicet, differentia eſt, *qua ſpecies abundat à genere*: ergo.

11 Confirmat Scotus repugnantiam intenti ex eo, quod ſi tam genus, quam differentia in ſuo modo importarent primò, & adæquatè vnum, & idem, ſcilicet totum eſſe ſpeciei, ſequeretur, quod in definitione ſpeciei non poſſet vitari nugatio; ſed hæc non ſuſtinetur: ergo. Manifeſtè ſuadet ſequelam maioris ex eo, quod *poſitis definitionibus pro nominibus, quod eſſet de intellectu vtriuſque, illud idem bis diceretur.* Si poſitis definitionibus pro nominibus, hoc eſt, ſi loco nominis generis, & loco nominis differentiæ, nempè, nominis animalis, & nominis rationalis, poneretur definitio animalis, & definitio rationalis, illud ipſum, quod eſſet de intellectu, id eſt, de intrinſeca quidditate, & eſſẽtia vtriuſque, illud ipſum bis poneretur, quia quodlibet illorum nominum, totum eſſe ſignificaret in ſpecie, ac proinde idẽ diceret genus, quod differentia, & idem vtrumque, quod ſpecies: ergo licet genus, & differentia exiſtimarentur à primo intuitu diverſa propter diverſitatẽ nominũ ſignificativorum, ſi loco nominũ ponerentur definitiones, nunquam poſſet vitari nugatio.

12 Deinde ex altera parte Scotus, tam in his, quæ notat in ſolutione ad primum, quam alibi, videtur repugnare, quod genus prędicetur per modũ partis; *quia ſi* (inquit ipſe) *alterũ ſignificatũ ſuum haberet per modum partis, prædicatio eius de toto eſſet falſa propter modũ repugnantem.* Repugnãtia modi ſuadetur

cla-

claré; quia prædicatum debet eſſe ad modum illius, de quo dicitur, quia ſi id, quod dicitur, & illud, de quo dicitur, habeant modos ſignificandi oppoſitos, non poterit veré vnum dici de alio, ſicuti nec vnum oppoſitum de ſuo oppoſito; ſed modus partis, & modus totius ſunt oppoſiti: ergo nunquam pars vt pars poterit prædicari ſine oppoſitione de aliquo ſumpto per modum totius; aliàs idem eſſet totum, & pars; vel totum non eſſet aliud, quam ſua pars. En difficultatém in robuſtiori eius vi ab Scoto formatam, & niſi fallor, vnam ex maioribus vniverſæ materiæ prædicabilium, vt conſtabit ex duobus alijs argumentis Scoti infra formandis.

13 Ut igitur huic celebri difficultati ſolutionem tribuamus, notandum, & explicandum eſt prius, quæ ipſe Scotus ſupra citatus notat, & inſimul eleganter explicat. Advertendum eſt ergo, quod concretio, & abſtractio non ſunt prima, & pura rerum ſignificata; ſed ſunt modi, ſub quibus res habent ſua ſignificata, hoc eſt, ſpeciales ſuas quidditates ſignificare, & indicere. Quare dum inquirimus, qualiter animal, v.g. prædicetur de homine, debet exponi, aliud eſſe inquiri de illo, quod prædicatur, & aliud de modo, ſub quo prædicatur. Animal enim ſecundum illud, quod prædicatur, debet eſſe à fortiori vivens ſentiens, & pars materialis hominis, cum illud, quod prædicatur, ſit quidditas, & deinde, nec formaliter perficiens, nec totaliter ſubiectum conſtituens; ſed tamen ipſum animal, quod eſt id, quod prædicatur, poteſt intelligi, vel ſub modo concreti, vel ſub modo abſtracti; qui modi non ſunt, vt dixi, eſſe ſignificatum animalis, ſeu illius quod prædicatur, ſed ſunt ipſi modi ſignificandi illud idem eſſe animalis, vtpote viventis ſentientis, &c. ita vt illud ſignificatum lineæ propriæ animalis, nunc ſignificetur ſub vno modo, vtpote concretionis, & nunc ſub alio modo, vtpote abſtractionis. Unde licet ipſum ſignificatum ſit pars, poteſt tamen intelligi, & ſignificari per modum totius: Hiſque conformiter Scotus *verſ. Dici igitur poteſt*, reſolvit diſtincté, *quod materia, vel pars intellecta per modum partis non prædicatur de toto verè intellecta, tamen per modum totius poteſt verè prædicari.*

14 Id ipſum exemplificat ibi Scotus, & alibi in qq generis paſſim citatus. Alibi enim exemplificat id in ipſa ſecũda intẽtione differentiæ, in qua aliud eſt quod prędicat, & aliud modus, ſub quo prædicat. Differentia enim in re prædicat *quid*, cum prædicet realitatem quidditativam eſſentiæ; prædicat tamen *quid* ſub modo qualitatis, ſub quo puro, & præciſo modo prædicant alia, quæ non prædicant *quid*. Vnde recté expoſuit Scotus, differẽtiam prędicare *quid*, ſed non per modũ *quid*, aliàs non haberet modum generi oppoſitum: ergo ſicuti non contradicit, quod prædicabile *quid* non prædicet per modum *quid*, ſed per modũ *qualis*, nec contradicet, quod prædicatum pars, non prædicet per modum partis, ſed per modum totius; ſicque, quod ſicuti prædicatum *quid* poteſt eſſe conceptus determinaté ſignificans quidditatem, & etiam partialem, & tamẽ eſſe aptus ad id ſignificandum ſub modo *quid*, vel ſub modo *qualis*; ſic etiam poterit dari cõceptus animalis, primò ſignificans ipſius quidditatem, & partem metaphyſicé materialem; & tamen eſſe aptus ad id ſignificandum ſub modo concretionis, vel abſtractionis.

15 Ibi verò id exemplificat Scotus, ſicuti in manuato, & capitato exemplificat Avicena. Manuatum enim, & capitatum diverſa ſignificant primò, ſcilicét, manum, & caput, quæ formaliſsimé, & iuxta ſuum primum eſſe diſtincta ſignificata indicunt, ſicque non poſſunt non ſignificare partem, cum non poſsint iuxta ſuum ſpeciale eſſe non ſignificare manum, & caput; in horum enim notitiam ex ſignificato veré devenimus, quæ ſic, & veré ſunt partes; ſignificant veró manum, & caput per modum totius: vnde manuatum exponitùr per habens manum, capitatum per habens caput, &c. Vbi directé comprobat Scotus, quod licét ſignificetur manus, quæ eſt pars, ſignificetur tamen per modum totius, ita vt aliud ſit ſignificatum, & aliud modus ſignificandi; quia dum manuatum exponitur per *habens manum*, ly *habens* non eſt de ſignificato manuati, ſed de modo ſignificandi, vtpoté per modum totius. Suadet ex eo, quod nõ ſit partis habere manũ, ſed totius: ergo ly *habens* non eſt de ſignificato manuati, ſed de modo ſignificandi. Suadetur etiam; quia ſi ly *habens* eſſet de primo ſignificato, idem exprimeret manuatum, & capitatum, cum idem ſit *habens*; quod veré repugnat: ergo quia in his, quæ ſunt de ſignificato, proprietatem, & diſtinctionem in eſſe partis habẽt, ad indiſtinctum habendi modum vniformia. Ergo ſimiliter, reſolvit Scotus, venit exponendum de animali, & rationali, ita vt licet animal primó ſignificet partem materialem, & rationale formalem, poſsint tamen ex modo ſignificandi exponì per habens ſenſum, & per habens intellectũ. His ita

16 Reſolvendum eſt genus v.g. & ſic conſimile ſuperius, de ſuo primo intellectu, & ſignificato, importare aliquid, quod eſt materiale in ſpeciebus; importare tamen illud per modum totius. Vnde hæc propoſitio, *genus prædicat totum*, intelligenda eſt, *materiale per modum totius*. Ita literaliter Scotus, tam ſupra citatus, quam in *q. 7. Prædicam.* videtur ſatis manifeſta ex dictis; quia ſi genus v. g. repugnaret prædicari de ſpecie, maximé ex eo, quod ex ſuo primo ſignificato non dicit totum, & totum eſt ſpecies de qua prædicatur; ſed licet genus, & ſic quodlibet aliud prædicatum, ex ſuo primo ſignificato non dicat totum, deſtruit repugnantiam, ſi modus prædicandi, & ſignificandi ſit totius: ergo. Suadetur, & exemplificatur minor in divinis predicationibus, in quibus admittitur, quod Deus generet, dum hæreticum ſit, quod generet Deitas, vt habetur per Eccleſiam extra de *ſumma trinitate, & fide catholica cap. Damnamus* apud noſtrum ſapientiſsimum Anglicum ſupra *q.* 13. *Prædicab. &c.* Sed in his propoſitionibus nulla alia eſt differentia quam modi ſignificandi, vtpote concretionis, & abſtractionis, quia in quantum ad primo ſignificatum idem ſunt Deus, & Deitas: ergo ſimiliter, licet quantum ad primo ſignificatum idem ſint animal, & animalitas, poterit tamen ex modo ſignificandi vna prædicatio deſtruere repugnantiam, quam ad dici de ſubiecto inducat altera.

17 Ex quibus ad rationes ſuperius in cõtrarium formatas facilé poteris ſatisfacere dicendo, quod animal, dum prædicatur de homine, non ſolum importat id, quod primo ſignificat, ſed etiam modum ſignificandi illud; qui modus, cum ſit totius, ſufficiet ad veritatem prædicationis, tametſi totius non ſit ſignificatum. Et ad illud, quod prædicari ſequitur eſſe, & animal non eſt totum, ſed aliquid materiale totius, reſpondetur ſimiliter dicendo, quod id quod prædicat, eſt id quod ſequitur eſſe, quod libenter admittit Scotus contra expoſitionem Boetij *lib. Diviſion.* ſed tamen cum in prædicatione non ſolum detur id quod prædicat, ſed modus ſub quo prædicat, deducitur, quod id quod prædicat, & modus ſub quo prædicat, ſequuntur non ſolum eſſe prædicati, ſeu ſignificati, ſed & modum eſſendi, & modum ſignificandi; quo modo prædicatio verum ſenſum habet, quia hæc prædicatio *homo eſt animal*, eſt ſub modo iſtius, *homo eſt habens animalitatem*; vel ſi mavis ſub alia expreſione ſic; *habens humanitatem eſt animalitatem habens*, ita vt animal, & homo ſint idem in ratione habentis.

18 Obijcit Scotus: non ſufficit concretio, vt aliquod prædicatum veré dicatur de ſubiecto: ergo improbé reſolvimus, quod animal, & ſic quodvis materiale, ex concretione poterat veré prædicari de ſubiecto. Probat Scotus antecedens; quia hæc propoſitio eſt falſa, *arca eſt lignum*, & tamen datur ſub concretione prædicatum, non minus ac animal; quia ſicut animal ſignificat materiam hominis in concreto, ſic & lignum ſignificat materiam arcæ in concreto: ergo non ſufficit concretio, vt aliquod prædicatum veré dicatur de ſubiecto. Quod ſic ſit concretum lignum, ſicuti animal, exponit; nam ſicuti animal eſt concretum reſpectu animalitatis, ſic & lignum reſpectu ligneitatis: ergo.

19 Reſpondet Scotus negando antecedens. Ad probationem reſpondet negando ſimilitudinis paritatem. Signat rationem recté, & compendiosé, dicendo, non eſſe ſimile in concreto ligni ad arcam, & in concreto animalis ad hominem; quia in concreto animalis ad hominem ſignificatur materia in concreto, quod eſt concretum materiati; at autem in concreto ligni ad arcam ſignificatur lignum in concreto, quod non eſt concretum ligni; quia arca eſt concretum artificiale, ſicque de principali ſignificans aliam formam diſtinctam á forma ligni, quæ eſt ligneitas, cum ſignificet artifitialem. Itaque lignum poteſt conſiderari reſpectu huius, & illius ligni, & poteſt conſiderari reſpectu huius, & illius artefacti, v. g. arcæ, menſæ, &c. Lignum enim primo modo conſideratum eſt concretum reſpectu ligneitatis, ſeu in linea formaliſsima ligni, quo pacto poteſt de hoc, & de illo ligno prædicari; quia ſic ſignificatur materia in concreto, quod eſt concretum ipſius materiati. Sin autem lignum ſecundo modo conſideretur, tunc lignum non poterit prædicari de arca, &c. quia etſi lignum, quod eſt in arca, ſit concretum; eſt tamen concretum in eſſe ſuo, nempe reſpectu ligneitatis, quæ eſt forma naturalis; ſicque lignum eſt concretum habens pro ſubiecto ſuppoſitum, & ſingulare in ſubſtantia, non autem arcam, cuius non eſt concretum lignum, quia arcæ concretum ratione formæ, quam principaliter ſignificat eſt artifitiale. Sic pariter animal eſt concretum reſpectu ipſius hominis, ita vt animal in concreto concernat ipſum hominem vt ſuppoſitum, ſic vt ex ipſo ſuppoſito humano, & ex animalitate ſit animal concretum: vnde valet hæc prædicatio, homo eſt animal. Vide annotata in fine *quæſt.* 1. vbi diſtinximus albedinem, vt erga

ſub-

ſubiecta, & vt erga propria ipſius individua, ſeu ſuppoſita.

20 Obijcit 2. Scotus, duplici difficilimo medio deſtruens prædicationem ſuperioris, & inferioris. Primo medio arguit in hunc modum: quando ſuperius prædicatur de inferiori, v. g. quando animal prædicatur de homine, aut de homine prædicatur animal, quod eſt idem homini, aut de homine prædicatur animal, quod eſt aliud ab eo; ſed quomodolibet prædicetur inducitur contradictio: ergo. Prob. Scotus min. quia ſi de homine prædicatur animal, quod eſt idem homini, ſequitur, quod idem prædicetur de ſe ipſo. Deinde, ſi de homine prædicetur animal, quod non eſt idem, ſed aliud ab eo quod eſt in illo, ſequitur, quod animal non poſsit prædicari de homine; ſed ex vtroque inducitur contradictio, vt ſatis patet, quia vna prædicatio in tantum eſt vera, quod maneat identica, & altera in tantum eſt falſa, quod maneat repugnans: ergo. Secundo medio arguit Scotus in hunc altum modum: ſi homo eſſet animal, tunc tota natura animalis eſſet in homine; aliter enim non eſſet homo animal niſi ſecundum quid; ſed ex Ariſtot. 3. *Phyſic. contex.* 63. totum eſt, extra quod nil eſt: ergo ſi homo eſſet animal, extra hominem nil eſſet naturæ animalis; ac per conſequens aſinus non erit animal. En duo media à Doctore noſtro ſic formata, in quibus debes notare eximij roboris difficultatem, pluries à me in mente habitam, & numquam à me, nec ab alijs altioris ingenij ſolutam.

21 Adhibuit ipſe Scotus ſolutionem, & reſpondet ad primum dicendo, quod prædicatur de homine animal, quod eſt indifferens ad idem homini, & ad aliud ab homine; verificatur tamen pro animali, quod eſt idem homini. Inſtat Scotus: animal prædicatur de homine, vt eſt indifferens ad multa: ergo quodlibet aliorum de illo prædicari poteſt. Reſpondet Scotus dicendo, non tenere illationem, quia illa indifferentia eſt per modum disjunctionis; ad aliquid autem ſe habens disiunctivé ad multa, non ſequitur aliquod illorum, quia pro quocumque poterit verificari. Sic in propoſito. Vide Scotum in q. 22. *Univerſ.* vbi ad rem plura ſubtiliter movet. Reſpondet deinde Scotus ad ſecundum dicendo, quod definitio totius ſic eſt intelligenda: cuius nil eſt extra: id eſt, cui nil deeſt, requiſitum ad ipſum. Sic naturæ animalis nil deeſt in homine de natura animalis; non tamen eſt præcisé illa natura in homine.

QUÆSTIO III.

De praxi habenda in prædicatione concreti de concreto, abſtracti de concreto, & abſtracti de abſtracto.

22 Antequam circa prædictorũ praxim aliquid reſolvamus, advertendum eſt nimis id, quod aperté deducitur ex Doctore noſtro *in lib. 7. Metaphy. ſua q. 8. In quodlib. q. 5.* & in *Univerſalibus q. 16.* Advertendum eſt igitur, quod vt aliqua formalitas veré poſsit dici de aliquo ſubiecto, requiritur, quod aliquam vnitatem, & vnionem habeat cum illo, quia intellectus, adhuc puré intentionaliter, non poterit aliquid affirmari de alio, ſi eius cum ſubiecto non prævideat aliquem nexum. Sed tamen, vt ſine intellectus contradictione poſsit aliquid intentionaliter applicari ſubiecto, non requiritur, quod nexus illius ſit cum ſubiecto ſtrictior; ſat enim eſt, quod aliqualiter ſit in ſubiecto, vt affirmatio veré fiat ex conformitate ad illud; imo affirmatio foret difformis, ſi foret in ſubiecto intenſius, quam affirmatur. De his plura expoſuimus in *lib.* 1. ſupra Scotum *quodlib.* 3. & alibi.

23 Ex quibus venit conſiderandum, quod tanto eſſentialius dicetur aliquid de aliquo, quanto in ſuo eſſe ſit vnificatum cum illo, ita vt maior activitas prædicationum, metiri debeat cum idempritate habita ab extremis, in eorum maiori eſſendi puritate intellectis. Sic dum dicitur, quod album eſt muſicum, vel quod rubeum eſt dulce, adeſt veritas in prædicationibus, non tamen adeſt veritas ſic elevata, ac cum dicitur homo eſt animal, aut albedo eſt color; quia dum dicitur album eſt muſicum, datur veritas propter ſolam habitudinem vtriuſque concreti ad ſubiectum, quod denominatur ab vtroque concreto, & ab vtroque concernitur; non autem adeſt veritas propter eſſentias, aut quidditates talium concretorum, ita vt ſuppoſitum neceſſarió debeat vtrumque concernere, quia ſic hæc prædicatio, rubeum eſt dulce, foret de per ſe, ſiquidem omne ſuppoſitum rubeum deberet eſſe neceſſarió, & quidditativé dulce, quod eſt falſum, cum ſubiectum rubeum poſsit habere amaritudinem. At autem in illa prædicatione, homo eſt animal, adeſt veritas ſtrictior, vtpote de per ſe, quia quidditas animalis, & quidditas hominis, non conſtituunt veritatem ex præciſa habitudine ad aliquod contingens ſubiectum; ſed conſtituunt veritatem propter ipſas quidditates vtri-

vtriuſqué concreti, neceſſarió, & primò per ſe determinatas, & incluſas in aliquo ſpeciali ſuppoſito.

24 Vnde conſimiliter phyloſophando venit inferendum, quod ſi poſsibilis ſit veritas in prædicatione quidditatis abſtractę de abſtracta quidditate, v.g. humanitas eſt animalitas, tunc dabitur elevatior veritas, & vnitas inter prædicationis extrema, quam dabatur inter extrema concretorum ſubſtantiæ, & ſuppoſiti, vt v.g. quæ dabatur inter animal, & hominem, dicendo de homine animal. Nunc enim vigoroſior apparebit veritas, ita, vt ſicuti concretum quidditativum prædicans de quidditativo ſuperabat in intimitate concretum puré denominativum prædicans de puré denominativo, ſic, ſervatis lervandis, quidditas abſtracta (ſi poſsibile foret, quod de abſtracta prædicaretur) ſuperabit quidditatem concretam de concreta prædicantem. Ratio eſt, quia vbi purius, & clarius reperiantur tales eſſentiæ, ſtrictius, & elevatius earum veritas, & vniformitas apparebunt; ſed nullibi purius, & clarius apparent quidditates, quam in conceptibus abſtractis: ergo nec alicubi verius, & vniformius. Suadetur; quia eſſentiæ, ſeu quidditates in conceptibus abſtractis intuentur ſeparatæ, & denudatæ ab omni habitudine ad aliquid, ſeu ab omni incluſione in aliquo; quomodo ſic depurantur, ſegregantur, atque abſtrahuntur ab omni, quod non pertinet ad earum liquidas, & formales rationes, quod nudiſsimas, & puriſsimas eſſentias relinquant: vnde, ſic non valebit aliquid dici de aliquo, quin aliquis vnus purus conceptus eſſentiæ poſsit dici de alio eſſentiæ puro conceptu; quod difficilimé exerceri poteſt, cū adhuc in realiter idemptificatis, v.g. in homine, & in animali, adſit diſtinctus formalitatum conceptus, eſtó formalitates ſint omnino depuratæ, & ſic ab omni ſuppoſiti incluſione denudatæ; ſic enim, vt daretur veritas, debebat formaliſsima eſſentia humanitatis, ſic eſſe formaliſsima eſſentia animalitatis, quod formaliſsima eſſentia rationalitatis poſſet etiam eſſe formaliſsima animalitatis eſſentia; quod eſſe falſum probat Scotus.

25 Sed tamen pro plena præcedentium doctrinarum intelligentia, debes præcavere, quod dum diximus, quod vt vnum abſtractum dici poſsit de alio, erat neceſſarium, quod vna nuda, & pura eſſentia eſſet omnino alia, ac per conſequens vniformes in omni eſſendi primitate, & perſeitate, debet illud intelligi in creatis; & in creatis, non in omnibus, ſed in terminis non tranſcendentibus; quia ſi adſit tranſcendentia, vt in creatis, vel infinitas mutua, aut non mutua in divinis, tunc valebit abſtractorum prædicatio. Si enim adſit tranſcendentia valebit prædicatio, vt valet hinc: entitas eſt veritas, humanitas eſt entitas. Valebit etiam, ſi adſit mutua infinitas in extremis: v.g. Deitas eſt Juſtitia &c. Valebit tandem, ſi adſit infinitas non mutua: v.g. Deitas eſt Paternitas, in qua prædicatione non datur infinitas in vtroque extremo, quia Paternitas, & ſic reliquæ divinæ relationes, in conceptibus formaliſsimis non ſunt infinitæ, ſicque nec perfectæ.

26 Itaqué in prædictis debes notare valde, quod tametſi abſtractorum fuerint in illis exercitæ prædicationes, inde tamen non debet inferri, quod præcedens Scotiſtarum doctrina non ſit vera; quia ſuperius fecimus examen de prædicatione abſtractorum ſummé depuratorum, & deinde vt non habentium infinitatem mutuam, non mutuam, & permiſivam, ſeu tranſcendentiam. Ratio infertur ex eo, quod habentia infinitatem, vel tranſcendentiam non poſſunt vnquam dici ſtricté, & omnimodé abſtracta, ſiquidem cum aliqua concernentia, vel per tranſcendentiam, vel per infinitatem conſervant quidditates, ſicque non omnino puras, & denudatas; nos autem de abſtractis in porioribus relictis loquebamur ſupra. Nec ignoro te dicentem, quod ſic, erit impoſsibile, quod aliquid abſtractum valeat prędicari de abſtracto; quia prædicatio requirit idemptitatem in extremis, & eſtò aliqua idemptitas adſit, iam non poterit dici abſtractum, ſiquidem non abſtrahit omnimodé, pront omnimodé abſtrahere, eſt nullatenus concernere. Reſpondebo id concedendo libentiſsime; nec aliunde Scotus abſtractorum vltimorum negavit prædicationes. Dixi vltimorum, quia bene poteſt aliquid eſſe abſtractum reſpectu vnius conſiderationis, quod non erit reſpectu alterius, ſi reſpectu talis adhuc concernat; quod patet in albedine, quæ eſt abſtractum reſpectu ſubiecti, non autem reſpectu individui; quare de ſingulari poteſt adhuc prædicari, quia licet albedo reſpectu ſubiecti foret abſtractum; non tamen vltimaté abſtractum; quia ſi vltimaté abſtractum foret, non poſſet amplius prædicari, cum vltimaté abſtractum, nil vltra concernere poſsit, ſicque ſolum idem de ſe ipſo poterit adhuc prædicari.

(***)

HA-

Digitized by Google

ART. VN.

HABENDÆ RESOLVTIONES formantur.

27 CUm in ſupradictis difficiliora in doctrina Scoti præveneri-mus, quin circa præſentem materiam plura conſumamus, nunc dicenda facile reſolvemus.

28 Reſolvo 1. Vniverſaliter eſſe veram prædicationem concreti de concreto, dum extrema prædicationis aliquod tertium concernant, ſive prædicatio ſit in ſubſtantijs, ſive in accidentibus. Eſt communiſsima, & facilé ſuaderi poteſt iuxta præfixas regulas; quia vt aliquid vere dicatur de alio, ſufficit, quod vel amba extrema ſint aliquomodo vna interſe, vel aliquomodo vna vni tertio; ſed vt ſic ſint vna, non requiritur ſtrictior omnium vnitas: ergo neque vt aliquod ex quibuſcumque concretis poſsit veré prædicari de alio, plus vltra requiretur, ac per conſequens poterit eſſe vera prædicatio concreti de concreto, dum extrema prædicationis aliquod tertium concernant. Notandum tamen eſt, quod dum dicitur, non poſſe prædicationem eſſe veram, quin concreta dicant habitudinem ad aliquod tertium, debet eſſe tertium tale, quod non ſit commune, & ſuperius vtrique extremo, ſed debet eſſe ſingulare, v. g. in hac prædicatione, *album eſt dulce*, quæ eſt vera, qnia album, & dulce coadunantur in ſubiecto particulari, vtpote in lacte. Qua propter, ſi tertium ſit commune, & ſuperius ad extrema, falſificabitur prædicatio, v.g. leo eſt homo, in qua prædicatione extrema habent pro tertio animal, quod eſt commune, & ſuperius ad ipſa. Similiter hæc prædicatio *Pater eſt Filius* non valet, etſi coadunentur in eſſentia divina, quia eſt tertium ſub maiori conſideratione commune. Ratio eſt; quia tertium debet eſſe medium vniendi illa, quæ niſi in illo, manerent diviſa; ſicque tertium debet habere vim contractivam illorum; quare, ſi tertium ſit ita commune, & ſuperins, quod poſsit præſcindi ab illis, potius requiret vim contractivam ſui, quam poſsit exquiri ab ipſo vis contractiva aliorum. Vide dicta in *q.* 2.

29 Reſolvo 2. Vniverſaliter eſſe falſam prædicationem abſtracti de concreto à quo abſtrahit, & é contra. Etiam eſt communis, & ſatis claré deducitur ex annotatis. Suadetur tamen quoad primum; quia prædicatione ponitur vnum in alio; ſed abſtractione ponitur tale vnum in ſe: ergo repugnat poni in prædicatione abſtractum. Comprobatur ex eo, quod exercitium intentionale non poſsit ſignare aliud ab eo, quod in rebus exercetur; ſed ſi abſtractum diceretur de concreto, foret in intentione aliud à re: ergo. Maior eſt certa apud omnes cum fundamento ratiocinantes. Minor ſuadetur; quia res in rei veritate eſt abſtracta à ſubiecto; ſed intellectus eam non abſtrahit à prædicatione de illo, quia non poſſet dari prædicatio, ſi etiam prædicando abſtraheret: ergo. Suadetur aliter ex eo, quod intellectus non poſsit affirmare quod non ſit abſtracta; ſed formam intentionaliter vniendo ſubiecto, id affirmat: ergo. Poteſt etiam ſuaderi minor ex eo, quod ſi non foret abſtracta, non poſſet talis forma intenſius affirmari: ergo dum eam ſic abſtractam affirmat, ac affirmaret ſi concreta, quod ſit abſtracta affirmat. Confirmantur omnia à paritate cuiuſvis alterius abſtrahentis: impoſsibile enim eſt, quod adhuc agens infinitæ vis exercitivę poſsit ponere in ſubiecto phyſico formam, quam abſtraxit ab illo, ita vt ſit poſita eam relinquendo ſeiunctam, & abſtractam: ergo non minus impoſsibile erit reſpectu agentis intellectivi, poſſe ponere in ſubiecto intentionaliter formam, quam ab illo intentionaliter abſtraxit. Similibus medijs poteſt id ſuaderi in prædicatione concreti de abſtracto.

30 Dixi notanter in reſolutione, nec poſſe aliquod concretum prædicari de ſuo abſtracto; quia quod de alieno abſtracto poſſit prædicari, non ſic difficile exiſtimatur. Ratio à priori diſparitatem inducens, poteſt deſumi ex eo, quod dum dicitur aliqua formalitas abſtracta ab aliquo, directé, & vltimaté intelligitur iam ab illo ſeiuncta, ſicque reſpectu illius, cum ſit idem terminus abſtractionis, non poteſt extremum oppoſitum ſine contradictione componi, v. g. idem reſpectu eiuſdem eſſe abſtractum, & non eſſe abſtractum, ſed concretum; at autem licet aliquid ſit abſtractum reſpectu alicuius termini, poterit reſpectu alterius ſic non intelligi; quia reſpectu alterius non dicitur, quod talis formalitas abſtraheretur, vtpote reſpectu extranei, & quouſque non dicatur, quod aliquid fuit abſtractum, ſeu quod abſtrahit ab iſto, abſtractio vſque tunc, non poterit eſſe inconveniens, vt dicatur de ipſo. Vnde inferes, poſſe dici, quod licet concreta de ſuis abſtractis non poſsint veré dici, v.g. humanitas eſt humana, ſin autem de alienis, v.g. humanitas eſt divinizata, ſanctificata, aſſumpta, bona, &c. Et ratio huius reſolutionis firmatur in doctrina expoſita ſuperius, videlicet, quod tunc non manent abſtracta reſ-

pectu

Digitized by Google

pectu illorum prędicatorum;ſicque licet ſanctum v.g.prędicetur de humanitate,quę eſt abſtractum reſpectu ſuppoſiti; at non poteſt dici, quod ſanctum prædicetur de abſtacto,quia humanitas reſpectu ſancti non eſt abſtracta. Sic licet color prædicetur de albedine, quæ eſt abſtractum reſpectu ſubiecti; non autem reſpectu prædicati quidditativi: vnde color prædicans de albedine,non prædicat de abſtracto. Itaque ſanctum v.g. poteſt dici de humanitate abſtracta à ſuppoſito ſuo, quia ſanctum non conveniebat humanitati à ſuppoſito, cum huiuſmodi accidentia non ſint ſuppoſitorum, ſicuti nec vllæ actiones; quare huiuſmodi accidẽtia poterunt cõpetere humanitati ſine illo, ſiquidem non intelligitur abſtrahere ab illis abſtrahens à ſuppoſito. Sic phyloſopha de pluribus alijs concretis, & abſtractis.

32 Reſolvo 3. prædicationem abſtracti de abſtracto in prædicatis,nec habentibus mutuam,nec non mutuam,nec permiſsivam infinitatem, eſſe etiam vniverſaliter falſam. Ita Scotus *in 1. d. 5. q. 1. & d. 8. q. 4.* nec non in ſuis *Vniverſ. quæſt.* 16. Scotum ſequuntur eius celebriores expoſitores, inter quos præclariſsimus Antonius Andreas, & Franciſcus de Mayronis Doctor illuminatus,quos citat,& ſequitur fideliſsimus,& eruditiſsimus Scotiſta Joannes Anglicus in expoſitione *quæſt.* 13, *Prædicabi.* Eſt facta reſolutio cõtra noſtrum Ocham,Nominalium Principem,apud Anglicum citatum hinc,& etiam contra Bachonium Doctorem Reſolutum apud M.Dionyſ.Blaſco *lib.3. quæſt.6. art.3.* Suadetur ratione Scoti noſtra reſolutio:ſi de humanitate abſtracta, & ſecundum ſe, poſſet prædicari animalitas, etiam poſſet animalitas prædicari de rationalitate;ſed hæc prædicatio, rationalitas eſt animalitas,non eſt vera:ergo. Suadeo primó minorem ex Scoto;quia iuxta dicta ſuperius omnis prædicatio vera eſt in abſtracto vera per ſe primo modo, vt colligitur ex Ariſtot. *7. Metaphy. contex.* 43. Sed hæc non eſt per ſe ſic, rationalitas eſt animalitas, quia non prædicatur per ſe de differentia ex Ariſtot. *6. Topic.* apud Scotum ſupra in *quæſt.* 16: ergo quia non habet veritatem prædicationis in abſtracto. Suadetur nunc maior ex Scoto formando in tertia figura hunc ſyllogiſmum: humanitas eſt animalitas; ſed étiam ſecundum ſe humanitas eſt rationalitas: ergo & rationalitas eſt animalitas. Exponit Scotus veritatem formali diſcurſus; quia ſi humanitas ſit ſecundum ſe animalitas, etiam pari ratione humanitas erit rationalitas; nam æque per ſe prædicatur rationale de homine, ac animal. Deinde, quod ex his duobus ſequatur in tertia figura, quod rationalitas ſit animalitas, ſuadetur ex eo, quod in conceptibus abſtractis non fiat affirmatio propter habitudinem ad aliquod idem;aliàs non forent abſtractę quidditates: vnde dum in abſtracto affirmatur aliquid de aliquo, ſolum ſunt extrema affirmationis puræ eſſentiæ, ita vt vna pura eſſentia dicatur de altera pura eſſentia; ex quo recte infert Scotus, quod ſi humanitas ſecũdum ſuam puram eſſentiam ſit animalitas, quod etiam rationalitas, quæ ſecundum ſuam puram eſſentiam eſt pura eſſentia humanitatis, debebit eſſe animalitas. Neque hoc eget maiori corroboratione, quia eſt mihi evidentiſsimum, præfatam illationem illaturam vim cuicumque perfecté capienti,qualiter quidditates ſignificatæ per conceptus abſtractos depurentur, & abſtrahantur ab omni illo, quod non pertineat ad puras earum rationes formales, ac nudas eſſentias;præciſa enim eſt ſic animalitas à modo totius, & à modo habitudinis ad idẽ, ſicuti & præciſa eſt humanitas à modo continendi,& vinculandi in tertio.

33 Prob. aliter reſolutio, & doctrina Scoti confirmatur. Si animalitas poſſet prædicari de humanitate, eſſet præcipué, quia animal, ſeu genus prædicatur in *quid* de ſpecie; ſed hoc non prodeſt ſatis: ergo. Prob. min. quia non minus ſpecies prædicatur in *quid* de individuis, quam genus prædicetur in *quid* de ſpecie; ſed licet ſpecies prædicetur in *quid* de individuis, id non prodeſt ſatis, vt quidditas ſpeciei poſsit vt abſtracta prædicari de individuis: ergo licet genus prædicet in *quid* de ſpecie, non proderit ſatis, vt quidditas generis poſsit prout abſtracta prædicari de ſpecie. Maior etiam eſt communis. Minor non minus communis videtur; quia licet natura requirat abſtractionem, vt prædicetur, non tamen quia vt abſtracta ſit expedité prædicabilis; ſed quia erat à parte rei malé, & inexpedité concreta; quare abſtrahitur, vt poſsit per vlteriorem concernentiam in concretione, & aſpectu ad inferiora meliorari. Hoc faciunt vulnera practicantes, quia ea denuo infringunt, vt aptiora reddantur ad curationem; & tamen, non quia infringendo curent, cum adhuc infractum vulnus curatione indigeat. Sic pariter requiritur, quod natura præſcindatur, vt ſciſſa melius comparetur, & comparata vniatur. Deinde eadem minor exponitur ipſo exemplari; quia non poteſt dici, quod Petreitas ſit humanitas: ergo neque quod humanitas ſit animalitas. Prob. antecedens; quia ſi Petreitas poſſet eſſe humanitas, ſequeretur,

quod

Google

quod ſingularitas ſecundum purum conceptum ſingularitatis poſſet pluſquam numero differre ab omnibus alijs ſingularitatibus. Deinde ſequeretur, quod natura humana nunquam poſſet abſtrahi à ſingularitatibus, ſiquidem hinc adhuc abſtracta eſt in illis; & ſic quamplurima, quæ reliqui in *Diſt. 1. lib. 3. Univerſ.* ergo. Dices, diſparem eſſe rationem, quia animalitas nunquam poterit ita abſtrahi ab humanitate, quod eius quidditas in ea non permaneat; ſecus autem eſt de humanitate, cum abſque Petro ſalva fiat hominis eſſentialitas.

34 Sed contra ex ſemper valida ratione Scoti; quia ex eo animalitas poteſt quamtũvis abſtracta prædicari de humanitate, quia animal quidditativè convenit homini, ſicque hæc prædicatio, homo eſt animal, eſt de per ſe; ſed non minus eſt de per ſe hæc prædicatio, Petrus eſt homo: ergo. Prob. quia non minus intrinſecè convenit Petro habere quidditatem hominis, quam competat homini habere quidditatem animalis: Deinde non minus quidditas animalis poteſt in ſuo eſſe ſalvari abſque homine, quam quidditas hominis abſque Petro: quod omne patet, primum in Leone, qui eſt animal; ſecundum in Paulo, qui eſt homo: ergo ſi valet, quod humanitas ſit animalitas, quia valet, homo eſt per ſe animal; valebit etiam, quod Petreitas ſit humanitas, cum valeat, quod Petrus ſit per ſe homo.

35 Prob. 3. reſolutio, & iterum dicta confirmantur ex eo, quod dum animal in concreto prædicatur de homine, adhuc extet Logicis eximia difficultas in compoſitione prædicati cum ſubiecto; quia prædicatum eſt pars, & ſubiectum eſt totum, & prædicatum ſaltim in modo debet in prædicando expedire æqualitatem habitionis; quæ difficultas evincitur ex eo, quod animal, etſi in realitate ſubiecti ſit pars, attamen in ſerie prædicabilis habet ex concretione modum totius: vnde à prudenter id examinantibus, hæc prædicatio, homo eſt animal, vertitur in hunc ſenſum, nempe, habens humanitatem eſt idem habens animalitatem, ſicque ſunt idem ſub habentis modo: ergo dum animal ſit in re pars, & deinde ex defectu concretionis non poſsit ſubeſſe modo totius, erit imperceptibilis modus, iuxta quem animal in abſtracto poſsit ſub ſerie prædicationis circa humanitatem expediri. Omnia enim cuiuſvis prædicationis extrema, certis, & determinatis modis commenſurantur ad prædicationem; ita vt ſi ſuperent, vel deficiant in modis, falſificetur prædicatio; ſic extrema, quæ ſub modo accidentali ſunt in prædicatione vera, erunt falſa, ſi ſub eſſentialiori modo collocentur; & è contra erunt falſa ſub modo accidentali, quę ſub modo quidditativo ſunt vera, vt patet diſcurrendo per ſingula: ergo ſi conceptus ſignificans animalitatem, veram conſtruat prædicationem cum conceptu ſignificante humanitatem ſub modo concretionis, dum *eadem ſignificata* ſub modo elevatiori ponantur, debebunt eſſe falſa. Et hoc eſt conforme iuxta praxim eſſentiarum, quæ ſunt invariabiles, & in veritate permanentes: ergo & veritas earum debet eſſe invariabilis; ſicque, quæ vera ſunt in ſenſu reali, non poterunt eſſe talia in ſenſu formali; neque quæ in ſenſu formali, poterunt in ſenſu identico; neque quæ in ſenſu concretivo, poterunt in abſtracto, eſtó vtriuſque extremi ſignificata, eadem remaneant.

36 Dicent aliqui, ad principalem rationem argumenti reſpondentes, quod animalitas dum prædicatur de humanitate, non prædicatur vt totum, ſed tamen, neque prædicatur vt pars, ſed prædicatur vt purum ſignificatum animalis, vtpote, vivens ſentiens de humanitate, ſicque poſſe animalitatē prędicari de humanitate, quin detur falſitas ex oppoſitione modorum in extremis prædicationis. Sed contra; quia ex eo apud ipſos prædicatur animalitas de humanitate, quia nunquam poteſt dari abſtractio in eo ſtatu, in quo humanitas non includat animalitatem; ſed neque ſic poteſt dari ſtatus, in quo humanitas vltra animalitatem includat aliam formalitatem, nempe rationalitatem: ergo nec vnquam poterit dari ſtatus, in quo humanitas non debeat percipi vt totum includens, & ſic animalitas pars incluſa.

37 Dicent alij, quod animal nunquam poteſt ita conſiderari abſtractum ab humanitate, quod poſsit conſiderari abſque idemptitate reali cum illa; quare dum dicunt, quod animalitas eſt verè prædicabilis de humanitate, & ſic quodlibet abſtractum, ſuperius de ſuo inferiori, debet veritas prædicationis intelligi in ſenſu reali, non autem in ſenſu formali, quia in ſenſu formali erunt falſa, quę in ſenſu reali poterunt eſſe vera. Sed contra; quia etiam in realiter idemptificatis poteſt dari abſtractio, imó omnis perfecta abſtractio petit relinquere inexiſtentiam realis idemptitatis; aliás difficilé conſtruerent vniverſalitatem in naturis, vtpote, realiter cum inferioribus idemptificatis: ergo. Deinde, quia ſi animal, vt concretum dicebat realem idemptitatem, & eam ſimiliter, vt abſtractum conſervat, difficilimé ſalvabunt, quod animal non maneat concretũ: ſignent ergo diſtinctionē inter animal concretũ, & abſtractũ, dum animal nil cōcernat niſi per idemptitatē realē, & ab hac nunquã abſtrahat.

38 Dicent alij, animal, quomodocumque inſpiciatur, poſſe prædicari de humanitate, tametſi ſub omni modo habeat eſſe partem, eſtò eſſe partis ſit metaphyſicum, quia partes metaphyſicæ non poſſunt non habere realem idemptitatem, & eo ipſo quod aliqua ſint realiter idem, ſufficit, vt veré poſsint per prædicationem habere vnitatem intentionalem. Sed contra in primis ex immediaté dictis. Contra deinde ex Doctore noſtro in *q. 16. Vniverſi* verſ. *Aliter dicitur, quod licet materia, vel pars, &c.* quia ſic ſe habent partes phyſicæ ad totum phyſicum, ſicuti metaphyſicæ ad metaphyſicum: ergo ſicuti pars phyſica, nec phyſicé dici poteſt ſub modo partis de toto phyſico, nec pars metaphyſica ſub modo partis poterit dici de toto metaphyſico. Exponitur antecedens; quia non minus repugnat, quod pars metaphyſica in ſuo eſſe habeat totum, quod in ſuo eſſe habet totum metaphyſicum, quam quod id habeat pars phyſica in ſuo eſſe; aliàs, nec metaphyſicé daretur totum, nec ſic daretur pars. Deinde, (hoc eſt principaliter in reſponſionem inſtans) quia vt aliqua extrema poſsint per prædicationem habere veritatem intentionalem non requiritur idemptitas realis, ſed ſufficit phyſica, & accidentalis, vt patet in hac prædicatione, album eſt dulce, & in pluribus alijs: ergo dum pars phyſica v.g. anima habeat vnionem phyſicam cum materia, ad veritatem extremorum phyſicé ſolum talium, ſic ſufficiet vnio phyſica, ac ad veritatem extremorum metaphyſicé taltum ſufficit vnio metaphyſica. Suadetur; quia ſi in aliqua prædicatione extremorum phyſicé tantum vnitorum, intenderet intellectus ponere vnionem intentionalem in virtute motiva idempteitatis realis, falſa foret prædicatio, v.g. hæc, Petrus eſt albus, &c. ergo quia eadem proportio adeſt in vnione phyſica ad phyſicũ, ac in metaphyſica ad metaphyſicum. Nunc ſic; ſed licét pars phyſica, v.g. anima, poſsit in ſuo eſſe habere vnionẽ phyſicam cum materia, adhuc phyſicé non habet ſufficiens, vt intellectus veré ponat vnionem intentionalẽ, v.g. materia eſt anima phyſicé, ſed requiritur quod eam ponat ſub modo concretionis: v.g materia eſt animata: ergo licet pars metaphyſica poſsit in ſuo eſſe habere vnionẽ metaphyſicam cũ extremo metaphyſico, non habebit ſufficiens, vt intellectus veré ponat vnionẽ intẽtionalẽ, v.g. humanitas eſt animalitas, ſed requiretur, quod ſub modo concretionis eam ponat, v.g. homo eſt animal.

39 Ex quibus debes notare, inutiliter aliquos inſudare examinantes, ex quo motivo non poſsit homo dici caput, ſumplo homine phyſicé, vel integraliter, dũ homo poſsit dici animal, ſumpto homine metaphyſicé? Qui malé deinceps reſpondent, id provenire ex eo, quod caput ſolum habeat vnionem integralem, dum animal habet metaphyſicam. Exiſtimo ergo iuxta expoſita ſupra in doctrina Scoti, tales recté non philoſophare; quia reſpectu ſubiecti ſolum integraliter intellecti, tantum vim habet vnio integralis prædicati, ac reſpectu ſubiecti metaphyſice intellecti eam habeat vnio metaphyſica; quia etſi vnio integralis ſit debilior vnione metaphyſica ſecundum ſe, attamen etiam ſubiectum integrale eſt debilius ſubiecto metaphyſico; ſicque non eget vt plené vniatur, quanto eget metaphyſicum, vt vniatur plené; vt enim vinculetur formica, ſic ſufficit capillus, ac ſufficiat groſſa chorda vt vinculetur taurus. Qua propter aliter difficultati reſpondendo. Iſtandum eſt ſemper in hoc, quod vt aliquid poſsit per prædicationem affirmari de alio, requiritur, quod entitas prædicati ſit ſubiecto vnita iuxta conditionem illius, de quo verificatur: vnde ſi ſubiectum ſit totum, & prædicatum ſit pars, difficiliter percipitur verificatio prędicati de ſubiecto, cum ſimpliciter ſit falſum, quod *totum ſit pars.* Quare requiritur, quod prædicatum concretivé intelligatur, ſub quo concretionis modo, intentionalizatur iuxta modum, ſeu conditionem totius; & ſic, non minus eſt caput prædicabile de homine, ac animal; & aliter, nõ magis repugnat caput prædicari de homine, quam repugnat animal. Vide pro quæſtionis complemento dicta in *q. 2.* ſolum nota hinc pro ſolutione aliquorum, hanc eſſe differentiam inter concreta eſſentialia, & inter nõ eſſentialia, videlicet, quod concreta eſſentialiter dicentia habitudinem, ſeu concernentiam ad ſuppoſitum, ſeu ſingulare, ſi ab ipſo abſtrahantur, manent iam vltimó abſtracta, v. g. humanitas; at autem concreta ſic ex quidditate non concernentia ſubiectum, ſeu tertium, quod eſt etiam vnum ſingulare, etſi maneant reſpectu ipſius abſtracta, poſſunt tamen reſpectu tertij in propria linea ſingularis manere concreta, v. g. albedo comparata ad parietem, & comparata ad hanc, & illam. Et hoc oritur ex eo, quod entitas concreta ex ſpeciali quidditate concernens tertium ſuppoſitum, eſt in concreto illo prædicabilis primó, & per ſe, qui modus prædicandi, cum ſit elevatior, ſi ab illo abſtrahatur, manere debet ab vlteriori prædicatione abſtracta. Secus autem eſt de alijs concretis propter contrarium.

40 Contra noſtram reſolutionem ſolum vnicũ ſentio roboris argumentũ. Dices igitur,

quod

quod animalitas eſt prædicatum vniverſale,& habens inferiora completa , à quibus præſcindatur , & ad quæ contrahatur; ſed non apparent alia, niſi humanitas, æquinitas,&c. ergo. Deinde ſic,humanitas eſt definibilis metaphyſicè, nec poteſt aliter, niſi ſic: eſt animalitas rationalis; ſed genus prædicatur de definito: ergo Reſpondeo dicendo ad primum,quod animalitas non eſt prædicatum vniverſale,ſi cum rigore abſtractionis conſideretur;quia vniverſalitatis propriæ eſt intrinſecum verti ad inferiora , & cuiuſvis quidditatis abſtractæ eſt intrinſecum ab inferiobus averti. Quare , ſi conceptus animalitatis abſtractæ ſit vniverſalis, dicam eſſe Vniverſale metaphyſicum , ſeu abſtractivum,quod non ſufficit ad prædicationem, vt dixi ſatis in *lib.* 3. loquendo de vnitate abſtractionis. Deinde, dum dicitur in argumento, (à P. M. Diony. Blaſco renovatur in 3. *D.* 8. *q.* 6. *ar.* 3.) quod animalitas habet inferiora,à quibus præſcindatur, & ad quæ contrahatur &c. non videtur dictum realitati abſtracti conforme;quia animalitas non præſcinditur ab humanitate,& ab alijs inferioribus abſtractis , ſed præſcindit , vt connotans abſtractionem, ab animali:animal enim præſcinditur ab inferioribus, & ab ipſis abſtrahitur; & ſic animalitas abſtrahitur à concretis animalibus;non autem ab inferioribus abſtractis, quia ab his non eſt dabilis abſtractio,cum non poſſit abſtrahi,niſi quod eſt concretum , & adhuc non eſt abſtractum ; quod clare percipitur. Et deinde , quia eſt ſemper firmiter negandum, quod animalitas habeat inferiora,ad quæ contrahatur;quia ſi animalitas diceret contractionem,diceret & concernentiam;& ſi hanc diceret,falſo ſupponeretur eſſe abſtractũ, cum cõcernere , ſolum ſit concreti proprium. Vnde, vel debent concedere , quod animalitas poteſt eſſe abſtracta,vel quod non poteſt? Si primum: ergo ſic non concernit,nec habet vt abſtracta, dicere expedibilem contractionem , quia non minus repugnat , quod abſtractum ab aliquo, vt abſtractum,ſit contractum ad ipſum , quam repugnet,quod abſtractum, vt abſtractum , ſit concretum. Si dicant ſecundum:ergo quomodocumque animal,ſeu animalitas prædicetur de humanitate, nunquam ſequitur ,quod abſtractum poſſit prædicari de abſtracto. Et etiam hinc dico,quod ſi animalitas ſit abſtracta, non poterit eſſe abſtracta in minus , quam animal , dum abſtrahitur ; & tamen animal, vt reduplicativè ſiſtit ſub ſecunda intentione abſtractionis, prædicabile non poteſt eſſe, nec contrahibile, vt in *lib. Vniverſ.* laté expoſuimus; ergo.

41 Circa ſecundum difficilior apparet reſponſio; exhibenda tamen eſt, tametſi exiſtimem in queſtionem nominis eſſe incidendum. In primis ergo exiſtimo,dari feré imperceptibilem tranſitum in argumento; dicitur enim, quod datur animal in abſtracto,& dicitur deinde,quod ſi eſſe intrinſecum humanitatis conſideretur, non poteſt abſque animalitate conſiderari: En tranſitum, & illum percipe in terminis communiſsimis exemplificatum. Commune enim eſt,quod animal poſsit abſtrahi ab homine , nec non homo à Petro ; & tamen ſi conſideres hominem, animal invenies, ſicuti ſi conſideres Petrum,invenies humanitatem: vnde inferes , quod talia prædicata ſecundum vnam conſiderationem non poterant inveniri , quia quæ fuerunt per abſtractionem ablata ab aliquibus , videtur impoſsibile , quod durante abſtractione poſsint in illis inveniri: ergo ſi animal fuit, vt abſtractum , ablatum ab ſpecie , & ſpecies ab individuo , difficilimé componetur , quod durante illa conſideratione cum talibus quidditatibus , poſsint in ſubiectis abſtractionis inveniri. Deinde ſi conſideres humanitatem , præſumis invenire animalitatem; ſed ſimiliter ſi conſideres Petrum, invenies naturam humanam , quia tunc iam humana natura tranſit de modo abſtracti ad modum concreti , ſicuti & ſimiliter tranſit animalitas reſpectu humanitatis ; vbi debet notari , quod etſi dicatur,animalitatem dari in humanitate , tunc entitas animalis non debet dici abſtractum niſi in puro nomine, vtpote vivens ſentiens ſub nomine animalitatis. Quare poſſet dicere quilibet , quod in humanitate dantur etiam principia intrinſeca vivendi , & ſentiendi , ſicque quod dabatur animal , quod ſimiliter poſſet de humanitate prædicari ; quod contrarij non ſuſtinent.

42 Qua propter,dum dicitur,quod humanitas eſt definibilis , & non per aliud , quam per animalitatem rationalem , ſicque animalitatem eſſe prædicabilem , firmiter eſt ſemper ſiſtendum in hoc,quod ſi humanitas ſit animalitas , nunquam tamen poterit eſſe animalitas abſtracta , ſed animalitas in nomine abſtracti incluſa , & concreta in ipſa humanitate; ſi enim conſideretur animalitas , vt prædicabilis de humanitate , tunc iam ab animalitate abeſt modus intentionalis abſtractionis ; & ponitur ſub modo concretionis , videlicet, vt quid definiens , ſicque veluti conſtituens humanitatem , ipſamque concernens.

Itaque debes eſſe fixus in expoſita doctrina Scoti, videlicet, aliud eſſe loqui de intrinſeco ſignificato cuiuſvis quidditatis, & aliud loqui de modo habendi ſignificatum. Significatum enim, ſecundum ſe conſideratum, ſemper manet, ſive ſit concretum, ſive ſit abſtractum; ſignificatum ergo animalis, quod dicit lineam vitalem, & ſenſitivam, nunquam variatur, ſive animal ſit indifferens, ſive ſit contractum; ſive ſit in re, ſive in intellectu; ſive ſit abſtractum, ſive non; quia quod intrinſecé eſt tale, ſemper eſt tale; quod enim variatur, eſt modus ſignificandi, quia linea vivendi, & ſentiendi, iam poteſt ſignificari ſub modo reali, iam ſub modo rationis; iam ſub modo partis, iam ſub modo totius, &c. Vnde licet humanitas non poſſet concipi ſine ſignificato animalis, dum autem tale ſignificatum poſſet concipi ſine modo ſignificandi totum, vel ſub modo concretionis &c. tunc erit impoſsibile, quod quidditas ſignificata poſſet dici de humanitate, cum modus ſignificādi poſsit falſificare modum dicendi; & modus ſignificandi, qui non ſit totius, falſificabit modum dicendi, qui talis debeat eſſe, v. g. *humanitas eſt animalitas*, quod prædicatum ſine modo concretionis verta hunc ſenſum: *totum metaphyſitum eſt pars metaphyſica.*

43 Neque auffugio quod a te eſt ſemper dicendum, videlicet, ſemper ſequi, quod humanitas non poſsit eſſe ſaltim ſine ſignificato animalis: ergo hoc nunquam poterit abſtrahi. Si vera dicis, reſponde huic inſtantiæ: Petrus non poteſt eſſe ſine ſignificato naturæ humanæ; aliàs eſſet Petrus, quin Petrus eſſet, ſicuti vos præſumitis, quod ſine ſignificato animalis, eſſet humanitas, quin humanitas eſſet: ergo nunquam poterit abſtrahi à Petro natura humana, ac ſimiliter à nullo individuo; ſicque nullius vniverſalitatis erit poſsibilis conſtructio. Dico deinde in primis, aliud eſſe animalis ſignificatum abſtrahi ab humanitate, & aliud eſſe facere abſtractionem, abſtrahendo humanitatem ab animalis ſignificato; abſtractio enim, ſi fieri poſsit, debet fieri abſtrahendo ſuperius ab inferiori, non autem é contra: hominem ergo poſſum abſtrahere à Petro, Petrum autem ab hominis quidditate abſtrahi poſſe, neſcio modum. Dicitur veró Petrus terminativé abſtractus, quia licet per ipſius conſiderationem non poſsim expendere abſtractionem, dum tamen natura hominis abſtrahitur ab ipſo, in vi huius conſiderationis confunditur Petrus abſtractus, quia natura hominis concipitur abſtracta à Petro. Vnde vt deinceps natura humana prædicetur de Petro, non concipitur natura, quam Petrum ſemper habere concipimus; ſed illam naturam intelligimus prædicari de Petro, quam abſtraximus; illam aliter vniendo intentionaliter cum ipſo. Ex quibus debes noſcere, quod licet Petrus nunquam poſsit concipi ſine ſignificato humanitatis ſecundum ſe, ſin autem poterit concipi ſine ſignificato humanitatis informato hoc, vel illo modo, nempe modo abſtractionis, vel aliter; *quia ſicuti non poteſt concipi, quod purum ſignificatum humanitatis reddat ad Petrum; quia ſolum concipiendo ſignificatum, nunquam à Petro diſceſſiſſe concipietur; ſed poteſt concipi, quod ad Petrum reddat ſignificatum humanitatis ſub modo contractionis, & ſic alterius vnionis intentionalis; ſic pariter, licet Petrus nunquam poſſit eſſe ſine puro ſignificato, ſed tamen benè poterit ſub abſtractionis modo ſignificatum humanitatis ſic eſſe abſque Petro, ſicuti concipitur reddi ad ipſum*; quod non redderet, nec poſſet poni, ſi iam foret poſitum illo modo, quo ponitur deinceps. Hæc nota valde.

44 Etſi ſemper perſiſtas in eo, quod ſignificatum animalis nunquam poterit non concipi in concepto ſignificato humanitatis, conſiderando ſignificata ſecundum ſe: Dicam in primis, quod eſtó ſignificata ſic conferantur, vt vnum ſignificatum non poſsit cognoſci ſine alio, non habebunt eſſe ſub modo abſtractionis; ſicque reſolvam, quod quoad prædicta ſignificata eſt impoſsibilis abſtractio; vnde ſemper Scoti doctrina perſeverat. Dicam deinde, eſſe impoſsibile, quod concipiatur vnum ſignificatum habens, & dicens aliud, vtpote humanitas animalitatem, & quod ſolum ſignificata ſecundum ſe conſiderentur; ſi enim vnum ſignificatum habens aliud conſideretur, iam purum eſſe ſignificatum non conſideratur, ſed concipitur ſub concretionis modo. Dicam etiam, quod ſi ſignificata præcisé concipi poſſint, reſolvam, quod tunc, nec concipietur vnum ſignificatum intra aliud, nec extra, ſed erit abſtrahens à modo concreti, & à modo abſtracti; non enim concipietur intra, quia cum ſignificatum abſtrahat à concretione, non poterit intra concipi: & ſimiliter non concipietur extra, quia cum ſignificatum abſtrahat ab abſtractione, ſolum eſſe ſignificati dicens abſque vllo modo, non poterit extra concipi. Infero ergo, quod in talibus caſibus, nec poterit prædicari.

45 Tandem ad argumentum dico, ex ipſo inferri doctrinæ Scoticæ ſoliditatem; dicebant enim, quod ſi humanitas definiretur, definiretur per eſſe *animalitas rationalis.* Cur ponitur animalitas rationalis? Si enim abſ-

trac-

tracta eſt animalitas, quia humanitas eſt abſtracta, & abſtracta debet eſſe rationalitas; aliàs falſo ſupponitur, quod eſſentia naturæ humanæ ſit abſtracta: ergo non debet eius definitio eſſe animalitas rationalis, ſed animalitas rationalitas; quæ adhuc ſenſibiliter demonſtrant diſſonantiam, nempe humanitas eſt animalitas rationalitas. Quis vnquam audivit definitionem exprimentem ſimilem diviſionem partium, & abſque cadentia vnius indiviſibilis conceptus? Si Philoſophos conſulas, difficile id invenies: ergo. Deinde, quia etſi poſſet dici, quod humanitas erat animalitas rationalitas, ſemper ſalvaretur noſtra doctrina, quia tunc talis prædicatio foret identica; idem enim eſſet abſtractè dicere, humanitas eſt animalitas rationalitas, ac humanitas eſt humanitas: ſicque noto hinc, quod illud prædicatum foret omninò indiviſibilis conceptus, vt foret humanitas abſtracta; quare, etſi valeret dici humanitas eſt animalitas rationalitas, nũquam abſtractè valeret dici humanitas eſt animalitas, & hæc ſufficiant pro complemento huius difficillimi libri.

TIBI O PVRVM, VEL MARIANVM INSTANS.

LIBER QVINTVS.

DE ENTE IN PRÆDICAMENTIS, ET POST prædicamenta conſiderato.

PRÆAMBVLVM.

IN præcedentibus egimus de ente purè intentionali, quinque vocibus manifeſto; nunc vero, & agendum venit de ente, prout diviſo, & determinato in varia generaliſsima, diverſaſque cathegorias. Pro quorum, & huius libri ſcopo eſt explicandum, quæ Doctor Subtilis diſtinguit, & explicat in *quæſt. 2. & 3. Prædicam.* vbi docet, quod prædicamenta poſſunt dupliciter conſiderari, ſcilicet, metaphyſice, & logice. Metaphyſicè conſiderantur prædicamenta, vt ſunt entia, id eſt, ſecundum ſuas eſſentias, & quidditates primò intentionales; quo pacto decem prædicamentis nil eſt commune, & vnivocum, cum ſic ſint decem generaliſſima, & prima, quin ratio entis ſit communior illis, nec aliquam primitatem habens a parte rei. Logice verò non conſiderantur, vt a parte rei ſunt entia, aut res, ſed in quantum conſiderantur à ratione, prout ſcilicet aliqua proprietas ab intellectu cauſata eis attribuitur; quo pacto prædicamenta, licet in ſuis entitatibus, ſint à parte rei primò diverſa, poſſunt habere aliquod prædicatum commune, omnibus applicabile, & de omnibus dicibile, v.g. ſecunda intentio *generaliſsimi*, deducta ex paſsionibus intentionaliter vniformibus; in quantum enim ſunt generaliſsima inſunt eis aliquæ paſsiones, ſcilicet, dividi in ſpecies, multas habere ſpecies ſubalternas, nõ habere genus ſupra veniẽs, &c. *Vide lib. d. 3 q. 2. ar. 5.*

Subiectum igitur prædicamentorum, prout entia ſunt in ſe á parte rei, non à Logico, ſed à Metaphyſico debet cõſiderari; quo pacto ſubiectum libri prædicamentorum erit ens in quantum ens, ſeu aliquod in perfectione primum, ad quod (hæc dices, dum æquivoca ſit eis entis ratio) omnia alia attribuantur, quod primum conſtituimus in ſubſtantia, prout dicemus in Met. vbi de communitate entis. Subiectum vero libri prædicamentorum, prout aliquod intentionale commune ex proportione ipſorum omnibus applicatur, debet, non a Metaphyſico, ſed à Logico conſiderari; quo mo-

Digitized by Google

modo ſubiectum non erit aliquid per analogiam, ſed aliquid per rectam communitatem, vt *generaliſsimum*, æquè de omnibus dicibile. *Si verò*(notat Scotus) *de aliquibus alys, quæ iſtis generaliſsimis inſunt, in quantum ſunt entia, hic determinatur, hoc non eſt principale ad propoſitum, ſed ad maiorem manifeſtationem iſtorum* (puta prædicamentorum, quæ plenius declarantur per declarationem aliquorum primo intentionalium) *quantum ad prædicta intentionalia.*

De prædicamentis itaque, vt exponebat Scotus, debebamus hinc agere, de per ſe moventes, quæ ſecundæ intentionis ſunt, & de per accidens, quæ primæ, ſeu dum de prima intentione ageretur, ſolum ad maiorem ſecundarum manifeſtationem: nunc verò varius ſcopus prævaluit, nam prædicamenta plus metaphyſicè conſiderantur, quia de ſubſtantia, de quantitate, &c. ſolum examinamus eſſentias, paſsiones, & quidditates metaphyſicas dilucidantes, in notionalibus parum detinentes, ni fallor, quia intentionale exercitium ad librum vocum Porphyrij fuit translatum. Plura conſumpſimus ibi, hinc ſolum dicimus, prædicamentum iam, etiam dici metaphyſicè, ſed à Metaphyſico non inſpici vt expedite prædicabile, & ſic proximè ad ſua inferiora verſum, quin præcisè ſecundum ſe, & ſua prædicata eſſentialia, ſub ſe potentialiter continens inferiora, vnicuique negative idem: id omne à parte rei habet ſubſtantia, &c. Prædicamentum vero logicum ſolet explicari, *ordo prædicatorum ab vno genere ſupremo vſque ad individua deductum.* Unde prædicamentum logicum non ſtat in ſolo genere ſupremo, ſed in aggregato ex omnibus prædicatis, quæ ſub illo continentur. Vel ſi aliter cupias horum ſcopum, ſic philoſopha de prædicamento metaphyſico, & logico, ſicuti in libro *Univerſ.* philoſophabamus de natura à parte rei communi, & de natura intentionaliter vniverſali; vniverſalitas namque erat paſsio cauſata ab intellectu iuxta conditionem rei ex ſe habentis communitatem. Quapropter, cum logicalia, & metaphyſica hinc combinentur, dum vtribuſque Prædicamenta miſceri videantur, de eis nunc agere poſt Prædicabilia ſtatuimus, & maximè dum Porphyrius Prædicabilia appellaſſet iſagogem, ſeu introductionem ad Ariſtot. Cathegorias, ſeu Prædicamenta.

DISTINCTIO I.

De prædicamentis in communi.

1 CUm ante reſolutionem prędicamentorum in ſpeciali, aliquæ eorum in communi occurrant quęſtiones reſolvendæ, ideo pro earum examine præſentem diſt. inſtituimus.

QVÆSTIO I.

De prædicamentorum multitudine.

2 E*Orum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, ſingulum, aut Subſtantiam ſignificat, aut Quantitatem, aut Qualitatē, aut ad Aliquid, aut Vbi, aut Quādo, aut Situm eſſe, aut Habere, aut Facere, aut Pati, &c.* Ariſt. *cap.* 5 apud Scotum *quæſt.* 11. *Prædicam.*

3 Ex quibus (vt etiam ſuſtinet Scotus vbi ſupra §. *ad quæſtionem dicendum*) videtur deduci, decem eſſe generaliſsima rerum; verum ſic iam Doctorum mens in numero prædicamentorum dividitur, quod nil firmiter valeat determinari, quod vni, aut alteri rationi, ſeu textui non relinquatur oppoſitum. Vnde aliqui probant vnicum eſſe generaliſsimum, vtpote ens ſubſtantiæ, & accidenti ſupremum, & vnivocum. Alij duo ſolum generaliſsima eſſe, ſubſtantiam videlicet, & accidens; quod ſuadent, entis tranſcendentiam ponentes, & deinde ſic accidenti reſpectu accidentium, ac ſubſtantiæ reſpectu ſubſtantiarum vnivocum dantes conceptum. Alij decem, & octo generaliſsima ſtabiliunt; id ſuadent concedentes, æquivocum eſſe conceptum acci-

Digitized by Google

accidentis ad illa novem, & conſimiliter ad alia novem æquivocum debere eſſe conceptum ſubſtantiæ; ſi enim ens in ſubiecto (ſic recitat Scotus) ſit æquivocum ad novem, non ens in ſubiecto erit æquivocum ad tot, quia ſi vnum oppoſitorum dicitur multipliciter, & reliquum per Ariſtot. 1. *Topic.*

4 Vltra præfatos dicendi modos, alios deducebant aliqui (ſic literaliter recitat vbi ſupra Scotus) arguentes, poſſe intelligi non ens, ſicuti & poſſe ſignificari per Ariſt. 2. *Poſter. contex* 7. & in eis eſſet ratio ſuperioris, & inferioris: ergo aliquid ſupremum: illud non continetur in aliquo ex decem: ergo non entium eſt diſtinctum generaliſſimum. Item figmenta concipiuntur ab intellectu, & in eis eſt ſuperius, & inferius: ergo aliquod generaliſſimum. Item de omnibus iſtis, ſcilicet intentionibus, non entibus, figmentis poteſt ſic argui: intellectus componens facit compoſitiones de eis, quarum veritatem, vel falſitatem iudicat, vt patet: igitur & intellectus ſimplex ea concipit: igitur ſub aliqua ratione concipiendi; non ſingularis: igitur vniverſalis: igitur generis, vel ſpeciei, &c. igitur eſt in eis generaliſſimum; quia quod eſt ſuperius in eis, eſt & ſupremum per Ariſt. 4 *Met contex* 17. *verius eſt, quod eſt primo vero propinquius*: & in 5. eiuſdem *contex.* 18. *prius eſt, quod eſt principio propinquius*: & ratione confirmat Scotus; *quia aliter non eſſet ſtatus aſcendendo, ſed proceſſus in infinitum.* Item ſimiliter arguitur de privationibus. De intentionibus videtur efficacius, cum ſint per ſe intelligibiles, quia definibiles, & in eis manifeſtum eſt eſſe aliquid ſuperius, quod non habeat ſupraveniens genus.

5 Vt igitur prædictis difficultatibus aliquomodo ſatisfaciamus, afferenda eſt expoſitio *generaliſſimi*, vtpote ab Scoto ſignata in *quæſt.* 11. In primis namque dicitur, quod generaliſſimum, ſeu prædicamentum dupliciter poteſt dici ſupremum: vno modo per exceſſum; alio modo privativé. Dicitur ſuperlativum (inquit Scotus) poſitivé per exceſſum omnium aliorum, quando non ſolum negat habere ſupraveniens genus, quin etiam habet eſſe genus ſupra cætera. Tunc dicitur ſuperlativum privativé per non excedi, quando non habet eſſe ſupra cætera, habet tamen non excedi ab aliquo ex cæteris, ita vt ſupra ipſum nullum adſit ſupraveniens genus. Vlterius ſuperlativum alio modo dicitur illud genus plura ſic ſub ſe continens, quod licet genus, ſub quo continentur, habeat aliud ſupra ſe, tamen ſub ratione illa, ſub qua ſpecialiter continentur in eo, nullum ſit genus præter ipſum, ac proinde ſic ſpecialiter ſuperlativū, & ſupremum dicitur tale genus à Recentioribus aliquibus. Quem modum, ni fallor, iam per hæc verba prævidit Scotus: *Ad ſecundum principale dicitur, quod ſuperlativum tantum vni convenit in vno genere, & ita tantum vnum eſt generaliſſimum in vno genere: ſed non ſimpliciter tantum vnum.* His ita

6 Apud tenentes, ens eſſe ſupremum gradum ad ſubſtantiam, & accidens, & deinde *generaliſſimum* poſitivé per exceſſum capientes, vt in prima acceptione Scoti, debet indubitabiliter reſolvi, vnicum eſſe prædicamentum; nec id poterit infringi, eſtò entis vnivocatio non infringatur Deinde apud tenentes, ens non eſſe gradum ſupremum ad ſubſtantiam, & accidens, & etiam exiſtimantes, gradum prædicamentalem debere intelligi non minus in accidenti, quam in ſubſtantia, generaliſſimū poſitivé per exceſſum capientes, debet indubitabiliter reſolvi, nullum dari prædicamentum: nec id infringetur, eſtò entis tranſcendentia non infringatur. Sin autem ipſi net prædictum dicendi modum retineant, ſed generaliſſimum ſolum exponant privativé per non excedi, tunc debet apud ipſos reſolvi, duplex eſſe prædicamentum; nec aliter poterit infringi, quam infringendo gradum prædicamentalem in accidenti, quod mihi apparet difficilimum. Vlterius, ſi aliqui teneant, vel ens eſſe gradum ſupremum ad ſubſtantiam, & ad accidens, vel vt alij, non eſſe ſupremum, ſupremum tamen eſſe gradum accidentis, & his non obſtantibus plura cupiant ſignare prædicamenta, tunc debent amplectere illam tertiam generaliſſimi acceptionem; nec id infringetur, eſtò quæſitum nominis, ſeu expoſitionis acceptæ non infringatur.

7 Subtilis veró Magiſter, propter Ariſtotelis Authoritatem, inclinatur ad decem tantum prædicamenta: ſic reſolvitur 5. *ad quæſtionem dicendum* (vbi ait) *quod tantum ſunt decem generaliſſima rerum* Notat ibi, quod dum prædicamenta ſignantur decem, debet ſumi diſtinctio eorum, non ſecundum Logicum, ſed ſecundum Metaphyſicum, videlicet, penes ipſas eſſentias, & entitates primò intentionales; nam ſi ſecundò intentionaliter capiantur prædicamenta, tunc non dabitur prædicamentorum multitudo, cum vnica ſit formaliter norma prædicamētí, vtpote vnica ſecunda intentio *generaliſſimi*, ſeu *prædicamenti*, ſolum variata numero in entitatibus materialibus entitatum primó intentionalium,

Digitized by Google

lium, vt dicebatur de ſecunda intentione generis variata per entitatem animalis, & coloris. *Vnde* (inquit Scotus) *quoad id, quod eſt difficultatis, quæſtio eſt magis metaphyſica, quam logica.*

8 Prædicta reſolventes debent defenſare, conceptum accidentis eſſe tranſcendentem, ſecus autem conceptum ſubſtantiæ; nam obijcientibus, accidens eſſe in novem primó diverſa diviſum: ergo & ſubſtantia ad tot: reſpondet Scotus, non tenere, quia ſubſtantiæ conceptus eſt vnivocus, & æquivocus accidentis; quo pacto recenter reſpondet etiam hinc Diony. Blaſco Bachonium exponens. Mihi verò ingens ſemper fuit viſa paritas; quare, ſi placuerit, poterit adduci expoſitio à me poſita in *Diſt.* 3. *Metaph. q.* 2. *art.* 4. prope finem, vbi de entis communitate.

9 Reſtat pro complemento exhibere ſolutionem ad illud de intentionibus, privationibus, figmentis, &c. Circa quod forſan diceretur, (recitat Scotus) quod concreta, intentiones, non entia, figmenta, privationes, & quævis huiuſmodi, ſunt in genere, ſeu prædicamento per reductionem ad abſtracta, ſeu primæ intentionis entia, quorum ſunt figmenta, & privationes; quia cum communiora intelligantur prius minus communibus, oportet generaliſsima eſſe primó intelligibilia, & ſolum per reductionem ad iſta ſunt intelligibilia illa, prout ad ea dicentia habitudinem; ideoque non poſſunt poni generaliſsima, ſed ponuntur in genere per reductionem.

10 Sed in his non manet Scotus; quia in omnibus illis eſt per ſe prædicatio ſuperioris de inferiori: igitur ſi non debeat procedi in infinitum, in eis erit *aliquod genus non habens ſupraveniens genus*: igitur & generaliſsimum, quia ſic generaliſsimum definitur à Porphyrio. Tum, quia de quolibet eorum contingit quærere *quid*, & reſpondere per aliquod vnivocum, quod eſt in plus illo; ſed omne prædicatum vnivocum, quod eſt in plus ſubiecto, eſt genus per Ariſtot. 4. *Top. cont.* 15. ergo. Tum, quia adductum in reſponſione, ſcilicet, generaliſsimum oportere eſſe primó intelligibile, manifeſté falſum eſt, niſi intelligatur reſpectu illorum, quorum eſt generaliſsimum; quantitas enim non eſt primum intelligibile ſimpliciter, ſed in ſuo genere: quo pacto ponitur intentio primum intelligibile reſpectu intentionum ſpecialium, & non ens reſpectu non entium particularium, &c. Tum prædicta confirmat, & plura præcavet ex vero, diſtinctoque modo prædicãdi per ſe; nam hæc eſt vera, *cæcitas non eſt ſurditas*, præciſé ratione ſignificatorum. Tum, quia commune multis, nunquam ex ſe diſtinguitur in illis: igitur privatio non diſtinguitur in cæcitate, & ſurditate, niſi per aliqua addita, quæ cum privatione conſtituunt iſta in ſua ratione: igitur in illis additis abundant hæc à genere; ac proinde addita erunt differentiæ, & ſic ſpecies conſtituentia. Tandem de intentionibus non poteſt eſſe dubium, quin ſint per ſe intelligibiles, vt dicebatur ſupra, & fuſé *in* 1. *lib. entis intentionalis*

11 Aliam expoſitionem recitat Scotus, videlicet, quod licet prædicta poſsint intelligi ſub aliqua ratione intelligendi, nec non prædicari inter ſe ſub ratione alicuius vniverſalis, & etiam dari ſtatum ad aliquod vniverſaliſsimum, quod ſit diverſum ab illis decem, in quantum ei hæc ſecunda intentio generaliſsimi attribuitur, tamen ſemper ſtabit, decem eſſe generaliſsima rerum, nam in hoc libro, non quodlibet intelligibile, ſed ſolum ens ſecundum ſe eſt, quod in decem dividitur *ex* 5. *Met. contex.* 14. & nullum prędictorum eſt ens ſecundum ſe ab illis decem diſtinctum; quia nullum illorum eſt ens ſecundum ſe; id eſt, res, ſeu ens metaphyſicum.

12 Sed nec in his Scotus quieſcit; quia Logicus conſiderans per ſe intentiones, & numerum generaliſsimorum tantum ſub hac ratione, ſcilicet, prout eis hæc intentio *generaliſsimum* poſsit applicari, deberet dicere, plura eſſe generaliſsima, quam decem, quia plura iſtis ſunt intelligibilia, quibus, in quantum intelliguntur, poteſt intentio attribui. Nec valet, quod Metaphyſicus conſiderans ens in quantum ens, diceret ea tantum eſſe decem, nam oppoſitum videtur deduci ab Ariſtot. dicente hic in litera, *ſingulum ſignificare ſubſtantiam, vel qualitatem, &c.* & non dicente, *ſingulum ens* ſignificare ſubſtantiam, vel qualitatem.

13 His non obſtantibus, vnam, aut alteram ex adductis expoſitionibus eſſe ſubſiſtendam, adhuc iuxta Scotum exiſtimo, cum ipſe noſtram habeat reſolutionem, & nullam vltra expoſitionem adducat. Prima enim ſubſiſtet dicentes, quod non entium, privationum, & ſimilium, ſecundum ſuam rationem nulla eſt diſtinctio, ſed tantum in habitudine ad eorum oppoſita. Et ad illud de vera prædicatione vnius de alio, v. g. cæcitas non eſt ſurditas, &c. debet dici, quod veritas eius debet metiri ex habitudine ad entitates poſitivas; quia ſi cognoſcimus, cæcitatem non eſſe ſurditatem, eſt, quia cognoſcebamus viſum non eſſe auditum, viſionem non eſſe auditionem:

Digitized by Google

nem; ac proinde ſi aliquid cognoſcimus, eſſe ſuperius in privatione, eſt, quia aliquid cognoſcebamus, eſſe ſuperius in poſitione. Et id poſſet conſonare Scoto, cum quo in lib. Peryher. dicimus, quod negatio reducitur ad affirmationem in annuntiatione, v.g. *virtus non eſt mala*, quæ reducitur ad hanc, *virtus eſt bona*.

14 Secunda expoſitio etiam poſſet ſubſiſtere, cum ſit vulgare dictum Scoti ex Philoſopho, quod *quodlibet in ſuo genere habet quid*, ac proinde illæ rationes ſpecialem habebunt conceptibilitatem, ſed diſtinctam à metaphyſicis, quarum ſolum præſentem difficultatem eſſe, notabat Scotus §. *ad quæſtionem dicendum*: Et ad illud Ariſtot. non dicentis *ſingulum ens* ſignificare ſubſtantiam, ſed præciſé *ſingulum*, poteſt dici, Ariſtot. ibi dividere ens in noſtra decem generaliſsima; quo pacto ſuperfluum erat dicere *ſingula res*, ſed ſat erat *ſingula*, cum in illa decem ſola res, vel ens ſecundum ſe tale poſſet dividi; non enim *ſingulum*, vt volunt contrarij, poſſet ſic dividi, cum in ſubſtantiam non poſſet cadere *non ens*, *privatio*, & ſic ſingulum. Igitur quia *ſingulum* ibi debebat ſumi pro determinato, & famoſo diviſo, quod eſt ens ſecundum ſe. Confirmat id, ſcire, quod circa ſcientiam præſentis libri inquirebatur obiectum, & certum eſt ſingulorum, vt volunt, non eſſe ſcientiam, cum non entis, & puri figmenti ſcientia non ſit.

QVÆSTIO II.

De collocandis in prædicamento.

15 CVm prædicamentum ſit genus ſupremum continens inferiora, nil aliud erit aliquid collocari in prædicamento, quam eſſe contentum in illo: quæ continentia per modum prædicandi generis ſupremi exprimitur, & ſignatur. Sed collocari in prædicamento dupliciter eſſe, ſolet communiter diſtingui, ſcilicét, directé, ſeu in recta linea, & indirecté, ſeu in linea obliqua, & imperfecta. Directé ſolent in prædicamento collocari ea omnia, de quibus genus ſupremum illius cathegoriæ formaliter prædicatur, v. g. omnes ſpecies ſubijcibiles ſubſtantiæ, per quas radix ſuprema ſubſtantiæ plené deſcendit vſque ad infimum in individuo, prout in arbore prædicamentali ſubſtantiæ ſolet ſatis claré depingi. Indirecté ſolent in prædicamento collocari illa omnia, de quibus formaliter genus ſupremum non prædicatur, prædicatur tamen realiter, & indirecté, eo quod ſpectent ad formalem ſtructuram illius entis ſubijcibilis, de quo directé, & formaliter prædicatur, v. g. differentiæ illæ, quæ cadunt ad latus, vt corporeitas, ſenſibilitas, &c. Tum ſolet dici, reductivé poni in prædicamento paſsiones illorum entium, quæ directé collocabantur in eo.

16 Deinde pro debita notitia collocandorum aliquæ conditiones, à rebus collocandis habendæ, ſolent obſervari. Prima requirit, quod ſit ens finitum, in cuius favorem plura in *Metaph.* in *quæſt. de vnivocatione entis*. Secunda, quod ſit ens reale poſitivum. Tertia, quod ſit ens per ſe. Quarta, quod ſit ens completum. Quinta, quod ſit ens ſimplex, & incomplexum. Sexta, quod rationem generis ſupremi vnivocé participet. Alias conditiones ab aliquibus inveni ſignatas, eas omitto, quia ſuperfluas, vel quia ad iſtas reductas.

17 Per primam conditionem manifeſté ſeparatur Deus, prout de eo late diximus. Nec poſui pro conditione *creatum*, ſed *finitum*, quia, vt dicam in *lib. Phyſic.* Deo dante, nil extra Deum eſt infinitum. Sed quia forté aliquis nobiſcum in quæſt. vnivocationis conſentiens, infinitum in creatis admittet, & tunc valebit generis ſupremi prædicatio, v. g. quantum infinitum eſt quantum, poterit ponere pro conditione *creatum*, vbi poſuimus finitum. Per ſecundam conditionem ſeparantur à prædicamentis ſignatis non entia, figmenta, privationes, & ſic alia, de quibus cum Scoto in *quæſt. anteced.* aliqua expoſuimus. Per tertiam conditionem ſeparantur entia per accidens, quæ cum ex rebus æqué diverſis conſtent, confuſa manet generis ſupremi prædicatio; iſtud namque petit deſcendere ad ens per vnam lineam, & ens per accidens plures lineas, & diverſas habet, per quas deſcenſus diveitatur, & obſcuretur.

18 Per quartam conditionem ſeparantur entia Incompleta: vnde ſenſibilitas, rationalitas, &c. cum ſint incompleta, ſolum indirecté collocantur, nam de differentijs incompletis genus ſupremum directé non prædicatur. Vide dicta in *lib. 8. diſt. 3. quæſt. 2. art. 4. §. Conceptus tranſcendens ſubſtantia.* Quare aliqui advertunt, quod nec genus, v.g. animal, ponitur in præ-

dicamento ſubſtantiæ, vt eſt pars ſpeciei, ſed vt eſt ſpecies ſubijcibilis completa, ex genere, & differentia metaphyſice compoſita: prædicamenta namque ſunt entia completa, quæ per ſpecies completas deſcendunt vſque ad indiuidua completa; quia ſic debet eſſe deſcendens, ſicuti terminus ad quem it, & tendit; ſed terminus, vtpote indiuiduum, quod eſt infimum prædicamentale, eſt completum quoddam: ergo & deſcendens prædicamentale debet eſſe completum quoddam, ſic plenum, & integrum, quod lineam prædicamentalem non diminutam relinquat, ſed eam perfectò illo prædicamento ſignet, adæquatam radicem deriuans, quin ei us aliquid remaneat; aliter prædicamentum corrueret, vel deſcendendo claudicaret.

19 Per quintam conditionem ſeparantur cōplexa, etiam eſſentialia, vt definitiones, v.g. animal rationale; quia quæ in prædicamentis collocantur ſunt ſpecies, vel indiuidua ſubiicibilia, & tam indiuiduum, quam ſpecies ſubijcibilis eſt vnus, & non plures conceptus obiectivi; aliàs homo v. g. bis in prædicamento poneretur, ſemel prout ſpecies definita, & deinceps in ſua animalis rationalis definitione. Hæc conditio forſan poſſet confundi, cum in realitate idem ſit definitum, & id per quod definitur; ſed cum ſaltim intentionaliter, & per rationem rectè expreſsivam, vt diſtincti termini conſiderentur, vt patet in demonſtratione ſubiecti per definitionem, veluti per medium, ideo ſuſtinenda eſt, & præcipuè cum in prædicamentalibus aliqualiter vertatur ad intentionalia ſenſus. Per ſextam conditionem ſeparantur æquiuoca, & analoga; & meritò, quia vt aliquid collocetur in prædicamento requiritur, quod verè, & directè ſub genere ſupremo contineatur, & vbi vnus verus conceptus deficit, & vera generis continentia deficiet.

20 Tandem pro collocandis in prædicamento recurrendum eſt ad prædicationem; prædicatio enim eſt via, per quam res ad prædicamentum it: quare ea in prædicamento collocabuntur, de quibus generis ſupremi ratio valeat expediri. Ex quibus deducitur, res in abſtracto difficilem habere collocationem; tum quia ſupremum non eſt genereitas, ſed genus; tum quia abſtracta ſic in ſe reſtringuntur, quod alterius continentiam reticeant, ac proinde prædicationem relinquant incapacem, & ſine prædicationis pede nil poteſt ad prædicamentum ire. Conformiter ad dicta eſt etiam ſtandum in eo, quod quidquid collocetur in prædicamento debet vt ſubijcibile collocari; quia vt collocetur, debet reſpicere id, ſub quo collocatur, & ſic quod à capite collocationis reſpiciatur; ſed res ſolum vt generi ſupremo ſubiectæ, vel ſubijcibiles, ipſum genus ſupremum reſpiciunt: ergo. Suadetur clarè; quia res interiectæ, vt prædicabiles, non ſupremum, ſed inferius reſpiciunt: ergo tunc non ad ſupremum, ſed ad inferiora diriguntur; ac proinde tunc non collocabuntur in eo, cum potius dicant continere inferiora, quam contineri in ſuperiori: igitur genera interiecta, non vt genera, ſed vt ſubijcibiles ſpecies debent collocari; quodlibet enim collocabile debet conſtare genere prædicamentali, ex quo componatur, & quod ſic reſpiciat; quare requirebatur ſupra, quod quid cāpletum foret. Vbi nota etiam, differentias indirectè ex eo collocari in prædicamento, quia licet genus ſupremum nec contineant, nec reſpiciant, reſpiciunt tamen totum, vtpote ſpeciem, quæ genus ſupremum continet, & reſpicit. Neque hinc aliud vtile inuenio examinandum.

21 Dub. an prædicamenta realem inter ſe diſtinctionem requirant? Exiſtimo, etſi breviter, partē affirmatiuam eſſe reſoluendam. De ſubſtantia enim, quantitate, qualitate, &c. prope ſenſibilis eſt diſtinctio. Difficultas ſolet in relatiuis inueniri, cum aliquæ relationes cum ſubſtantia ſint idemptificatæ; quæ veros Scotiſtas non debent conturbare, cum prædicamentum de *Ad aliquid* ſolum relatio prædicamentalis conſtituat, & hæc realiter ab extremis diſtinguatur. Tum pro omnibus prædicamentis mihi videtur ratio; quia ſi inter vnius generis ſupremi gradus non poteſt diſtinctio formalis cum ipſo ſupremo genere impediri: ergo inter diuerſa prædicamenta non poterit aliqua maior diſtinctio impoſsibilitari; ac proinde realis.

QUÆSTIO III.

De prædicamentorum vniuocatione.

22 Tametſi more ſolito hinc eramus acturi de Vniuocis, Æquiuocis, & Analogis, dum etiam in quæſtionibus prædicamentalibus egerat Scotus, conſultó tamen eorum tra-

tradere notitiam ad Metaphyſicam transferre decrevimus; tum, quia pro prædicamentalibus conceptibus vnica dumtaxat vnitatis, ſeu vnivocationis adeſt dilucidanda quæſtio, videlicet, an decem generaliſsimis detur aliquis vnus conceptus, & pro eius deciſione non ſic vnivocorum importat declaratio, ac importet eam recentius habere in memoriam pro deciſione principaliorum quæſtionum Metaphyſicæ, videlicet, de entis realis ſtrictiori præciſione, & communitate; tum inde, quia in metaphyſicis potius tractare oportet de differentijs, & modis intrinſecis entis ſecundum ſe, & iuxta primam, & ſuperiorem rationem abſtractis quo pacto, cum taliseius conceptus non logicalis, ſeu intentionalis, ſed realis ſimpliciter ſit cum ipſius paſsionibus, modis, & metaphyſicis inferioribus combinandus; ideo dum ibi quæratur de conceptu obiectivè, & metaphyſice vnivoco, oportebit vnivocorum exactam tradere notitiam, maximè cum eorum cuncta ferè metaphyſica ſit notitia. Tum tandem; quia impræſentiarum ſolus conceptus intentionalis dicibilis de decem generaliſsimis reſolvetur, ideoque hinc ſequens articulus ſufficiet.

ART. VII.

AN DECEM GENERALISSIMIS aſsignabile ſit aliquod prædicatum vnivocum.

23 Reſolvo ex hucuſque dictis, decem prædicamentis eſſe aſsignabile aliquod prædicatum vnivocum, ita tamen quod tale prædicatum ſit aliquid intentionale. Ita genuinè Scotus *in quaſt. 2. & 3. Prædicam.* Suadetur; quia vnica intentio *generaliſsimi* eſt omnibus applicabilis, & ſic dicibilis de eis ſecundum nomen, & rationem: ergo tametſi intentionaliter, aliquod prædicatum erit eis vnivocum. Prob. antec. quia ſubſtantia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, & ſimiliter quantitas: ergo eadem generis intentio, ſeu generaliſsimi erit eis applicabilis. Tum, quia ſi aliquid obſtaret, vt eadem generis intentio decem prædicamentis applicaretur, maximè diverſitas eorum ineſſe primo intentionali; ſed ad vnitatem prædicati intentionalis nil obſtat diverſa natura ſubiectorum: ergo. Suadet min. Scotus; quia ſola diverſitas in materia accidentali, illud, cuius eſt, non diverſificat ſpecie; ſed intentio applicata rei vnius, & alterius generis, tantum habet differentiam penés materiam per accidens: ergo. Maior patet in circuli forma applicata materiæ, ſeu ſubiecto aureo, & æneo. Minor elucet; quia intentioni generis accidit, quod natura ſit ſubſtantiæ, vel quod ſit accidentis; quare ſolum requiritur vnitas proportionis, ſeu occaſionis, vt cum diverſitate naturarum eadem forma intentionalis componatur ab intellectu, v. g. intentio generis ad animal, & ad calorem: ergo &c.

24 Adverto tamen, quod etſi concedamus, prædicatum intentionale vnivocum reſpectu decem prædicamentorum, neutiquam veró prædicatum vnivocé: illud namque prædicatum vnivocum eſt vnum denominativé, vtpote extra eorum quidditatem prædicans, eiſque extra eſſentiam conveniens: omnis enim ſecunda intentio eſt accidens, quod licet ſit cauſatum ab intellectu ſecundum conditionem, & occaſionem rei; iſti tamen extrinſecum eſt, ac proinde vnivocé non dicetur de ea, quia ratio accidentis, vtpote intentionis, nunquam eſt ratio ſubiecti, cui ineſt, vtpote rei, & naturæ primò intentionalis. Dicimus itaque, quod erit prædicatum vnivocum, quia omnibus eadem ratio intentionalis ſecundum nomen applicatur; ſed non prædicabitur vnivocé, quia ratio prædicati non eſt de ratione ſubiecti. Vide dicta *in Diſt. 2. Meth. quaſt. 1. in argum.* vbi de vnivocatione laté agitur, & pro huius articuli intelligentia, vide dicta *in lib. 4. diſt. 1. q.* præcipué in ſolutione ad primum.

25 Obijc. 1. ſi aliquid vnivocum, & commune prædicamentis daretur, ſequeretur, quod tunc illud tale eſſet prius, & communius illis: ergo & ſequeretur, quod illa non eſſent generaliſsima, & prima genera, quod eſt contra Boecium in *commen.* & ſuper Porphyr. Reſpondet Scotus, quod ex prædicato puré intentionaliter communi, nil vnquam infertur contra communitatem, & primitatem illorum generum; ſicut nec contra Boecium; quia illa decem ſunt prima, & communiſsima genera reum; ſeu primó intentionalium; ſecus autem intentionum ſecundarum, quæ illis extrinſecé poſſunt eſſe communia; de quo in ſequenti.

26 Obijc. 2. Si aliquid eſſet illis decem vnivocum, cum ſint diverſa inter ſe, eſſent aliquid idem entia: ergo & eſſent differentia, quod eſt falſum. Quod eſſent aliquid ſecundum idem, patet per definitionem differentium 5. *Metaph.* Deinde, quod conſequens ſit falſum, patet etiam; quia prædicamenta ſunt ſecundum ſe diverſa, non autem differentia; quia tunc eſſent ſpecies, ac proinde genus in ente ſupponentes, quod negamus. Reſpondet Scotus huic argumento conſimiliter ac primo, dicens, quod licét aliquid vnum ſit eis, vtpote diverſis commune: nunquam tamen ſequi, ea eſſe differentia, quia non ſunt ex communitate prædicati aliquid idem entia, id eſt, *aliqua res*, ſeu *quidditas*; ſed ſolum erunt aliquid idem intentionaliter, cum ſic debeant eſſe idem inter ſe, ſicuti prædicatum convenit illis, & prædicatum non eſt aliquid idem in re, ſeu vnum in entitate; ſed ſolum eſt aliquid idem in intentionis modo, & vnum in denominatione. Vnde Scotus conſimiliter dicit, quod cum eſſentialiter, & quidditativé non ſint idem, non ſequitur, eſſe differentia, ſed ad ſummum, ſolum materialiter, & de per accidens, vt dicebatur ſupra.

27 Itaque Doctor noſter ex ſuperiori doctrina, congrué notanda, præcavet quam plurima dicens, quod licet decem illa genera ſint prima, & communiſsima, nil eorum communitati, & primitati impedit, quod poſsit aliquid idem ineſſe omnibus illis denominativé; quia eſtó denominativé, & extrinſecé inſit, non videtur debere dici prius, vel communius illis, dum de eis, *nec prius, nec communius eſſentialiter* dicatur. Ex quibus poteſt hinc inferri, quod præfatus conceptus non prædicaretur in *quid* de rerum decem generibus, ſed ſolum *inquale* contingenter, vt accidens, quale foret eis illa communis intentio: prædicatum enim foret denominativé.

(¦)

DISTINCTIO II.

De ſubſtantia prædicamento primo.

1 DE ſubſtantia iuxta genuinam Ariſtot. mentẽ diſputat noſter Subtilis Doctor à *quæſt.* 12. *Prædicam.* vſque ad q. 16. tam de natura ſubſtantiæ ſecundum ſe, quam de eius partibus metaphyſicis, & integralibus. Nos igitur quoad principalia R. R. Scopum ſequentes, Subtilem conſulere Magiſtrum decernemus.

QVÆSTIO I.

Exponitur ſubſtantiæ conſtitutivum.

2 S*Vbſtantia autem eſt, quæ propriè principaliter, & maximè dicitur: quæ neque de ſubiecto dicitur: neque in ſubiecto eſt: vt aliquis homo &c.* Ariſt. *cap. de ſubſtan.* apud Scotum *quæſt.* 12. & rurſus *cap. eodem* apud Scotum *quæſt.* 14. *Commune eſt autem omni ſubſtantiæ* (hinc vterque Magiſter loquitur de omni ſubſtantia, ſcilicet tam prima, quam ſecunda, quarum nulli eſſe in ſubiecto convenit) *in ſubiecto non eſſe. Principalis namque ſubſtantia* (hinc vterque Magiſter loquitur de prima ſubſtantia, quæ principalis reputatur) *non de ſubiecto dicitur: neque in ſubiecto aliquo eſt. Non eſt autem proprium ſubſtantiæ hoc* (non eſt propriũ ſubſtantiæ, ſecundum vtrumque Magiſtrum, non dici de ſubiecto, nec eſſe in illo, cum prima ſubſtantia de ſubiecto nullo valeat prædicari, quare ſolum eſt proprium non ineſſe ſubiecto.) *Namque differentiæ earum eſt, quæ in ſubiecto non ſunt* (hanc ponunt differentiam, quia licet ſecunda ſubſtantia de ſubiecto habeat dici, ſecus autem ineſſe) *bipes enim, & greſsibile de ſubiecto quidem homine dicitur, in ſubiecto autem nullo eſt.*

3 Inquirimus ergo conceptum aliquem entitatis ſubſtantiæ expreſsivum, quin eum ſtricté definitivum intendamus; nam ſubſtãtia

eſt

eſt ſimplicißimus conceptus, generis, & differentiæ (de reliquis prædicamentis idem formatur iudicium, ſervatis in vniuſcuiuſque opinione ſervandis) compoſitione denudatus, cum nullum, quo conſtet, ſupremum habeat. Circa conſtitutivum enim ſubſtantiæ feré innumerabiles ſunt dicendi modi, quos recitare omittam, tum quia vix vllus eſt Auctor, in quo expoſiti, & impugnati non maneant, tum quia vnicum Doctoris mei aperire cupio, cuius expoſitione, cæteri vel conſoni, vel reiecti patebunt.

4 Subſtantiæ igitur notitia non facilis apparet, cum immediaté, & per ſe ipſam non poſsit percipi à nobis, cum, vt dicebat Scotus *in 1. d. 3 q. 3. §. quantum ad ſecundum artic.* non immutet intellectum noſtrum immediaté ad actum circa ſe; quia quidquid præſentia ſua immutat intellectum, abſentia eius poſſet naturaliter cognoſci ab intellectu; ac proinde ab intellectu cognoſceretur abſentia ſubſtantiæ in æuchariſtia. Sed licet verum ſit, quod ab accidenti moveamur ad ſubſtantiæ cognitionem, de ipſa ſubſtantia deinceps quidditativum conceptum formare valemus, ſicuti per creaturæ veſtigium ducti & Deitatis formamus; quod etiam notavit Scotus citatus ſupra, & in *quæſt. 4. §. quantum ad ſecundum articul. verſ. Reſpondeo, quod quantum ad iſtam notitiam.* Vnde licebit improbare aliquos, ob reconditum eſſe ſubſtantiæ, decidentes ſolum per aliquam eius paßionem poſſe à nobis explicari; quia ſi ſubſtantiæ *quid* cognoſcis, potius per conceptum quidditativum, quam paßionalē debes eam explicare. Si ſubſtantiæ *quid* ignoras, quomodo ſcis hanc proprietatem eſſe ſubſtantiæ? igitur male attribuitur ſubſtantiæ, paßio, ſive alius conceptus relatiuus. Quare licet forté *quid* ſubſtantiæ non attingamus, dicere debemus, ſubſtantiæ *quid* per noſtrum explicari conceptum, quicumque iſte ſit.

5 His ita circa ſubſtantiæ expoſitivum conceptum iuxta ea, quę Scotus & Ariſtot. ſignabant, breviter eum reſolvemus. Debemus ergo ſubſtantiam per non eſſe, ſeu independere à ſubiecto (ſive id ſit radicaliter, ſive non, ſive vt quo, ſive vt quod, parum ad precipuum intentum pro nunc iuvat, cum formalitatem eius non variet, prout patet Lectori diſerto) explanare. Nunc, prout apud aliquos pluties notavi, & ante omnes notavit Scotus, maior difficultas ſtat in occurſu aliquarum partium entis ſubſtantialis, v. g. formæ ſubſtantiales &c. quæ cum formalitatem ſubſtantiæ habeant, ab alio independentes non exiſtunt. Ex his enim corroboratur contrarius impetus, & conturbatur noſter proprius dicendi modus; quod recté percepit Scotus exponens à *quæſt. 15. Prædicam.* ſequentem textum Ariſt. *cap. eod. de ſubſtan. Non vos veró conturbent ſubſtantiarum partes, quæ ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint, né forté cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri &c.*

6 *Tunc ad duo argumenta* (reſpondet Scotus vbi ſupra, prope finem) *ad aliam partem quæſtionis, quæ probant formam non eſſe ſubſtantiam per hoc, quod eſt in ſubiecto, dicendum eſt, quod materia appropriaté eſt tantum illud, quod eſt in potentia ad ſuſcipiendam formam, non habens ex ſe actum aliquem completum, cui forma tribuit eſſe ſimpliciter, vt eſt in ſubſtantiis. Subiectum dicitur, quod licet ſit in potentia ad formam, tamen eſt in actu completo: & ideo forma adveniens tribuit ei tantum eſſe ſecundum quid. Forma igitur ſubſtantia, licet ſit in materia, non tamen eſt in ſubiecto.* Et pauló ſupra alium textum Ariſtot. exponens, vt prædictas partes ſubſtantiæ, ſubſtantias eſſe ſalvet, ait, *non oportet eas concedere non eſſe ſubſtantias, quia nec partes ſubſtantiæ ſunt in ſubiecto, id eſt in aliquo actu completo exiſtentes, vt forma, licet ſint in toto, quia alius eſt modus eſſendi in toto, & alius in ſubiecto.*

7 Ex dictis ſatis claré deducitur, conceptum expoſitivum ſubſtantiæ ſtare in independentia ab alio, vt ſtricté, & proprié ſubiecto. Dicitur enim illud pro ſubiecto proprié capi, quod habet vltimum actum extra formam, quam ſuſcipit, & cui ſubſtat, ſic vt forma ſuſcepta in ipſo ſic tollat, & reſolvat eius indifferentiam, quod ſolùm ſecundum quid ſequatur in eſſe variatio, prout dignoſcitur in ſubiectis reſpectu formarum accidentalium. Vnde Scotus exponebat, alium eſſe modum eſſendi in ſubiecto, & alium modum eſſendi in toto. Subſtantialibus enim formis convenit eſſe in toto, ſecus autem in ſubiecto. Dicitur, tales formas eſſe in toto, dum à materia recipiuntur, quia ſic ſunt eſſentiales eidem vni, cui eſt eſſentialis materia, quod primó, & de per ſe potius ordinentur ad totum, quam ad aliquod ſubiectum habens incorruptam quidditatem extra illud: vel ſi dicas ordinari ad materiam, deduci ex eo, quod materia eſſentialiter ordinetur ad totum idem, ad quod forma. Quo pacto mutua videtur dependentia formæ, & materiæ, quæ dicitur ſubiectum, tum quia materia ſecundum ſe non minus ordinatur ad totum, ad quod forma; tnm quia forma non

minns

Digitized by Google

minus eſſentialiter dat eſſe, ac dat materia illi, ad quod eſſentialitas materiæ ordinatur, & requiritur.

8 Vnde recta apparet Scotica expoſitio; quia quod recipit formam accidentalem debet proprié dici ſubiectum, cum ſic tali formæ ſubſiſtet, & ab ea independeat, quod forma non conſtituat aliquid, cui ſubſtans formę ſit eſſentiale, ac proinde quod forma potius ad ſubiectum, quam ad totum confluat. Quapropter præfata mutua dependentia aboletur, ſic vt ſubiectum ſolum permaneat rectum, veluti ſubſtentaculum, quare in toto ex ſubiecto, & forma accidentali non datur mutua rectitudo, aut obliquitas inter ſubiectum, & formam, v. g. album, vbi ſolum dicitur *ſubiectum habens albedinem*; non veró dicitur conſtitutum ex albedine, & ex ſubiecto, vt dicitur totum phyſicum ſubſtantiale: hinc enim datur æqualitas in partibus; ibi veró nil eſt æquale ſubiecto; ex quo ſic nominatur illud aggregatum per rectitudinem ſolius ſubſtantiæ, v. g. *ſubiectum habens*, ac ſi non darentur partes, cum iſtæ conſequentur, ac proinde ac ſi non daretur totum; quare ibi proprié, quod datur, dicitur ſubiectum; in alijs veró, ſolum approprjaté, vt recitabat Scotus.

9 Dignoſcetur ergo, quod dependentia ſubſtantialium non valet proprié dici dependentia à ſubiecto, cum dependentia à ſubiecto dici ſoleant dependentia ab alio, & ab alio dependere, non valeant dici ſubſtantialia. Non valent dici dependere ab alio, quia licet forma ſubſtantialis v. g. ſit in materia, ſic tamen quod non poſſit eſſe in materia, quin idem ſit eſſe in toto, in quo eſſe, non minus eſſentiale eſt materiæ: ergo ſicuti materia non ineſt alij, vel non eſt in alio per eſſe in toto, in quo non poteſt eſſe, quin ſit forma; nec forma erit in alio per eſſe in materia, in qua non poteſt eſſe, quin ſit in toto vno, in quo eſt materia. Tum, quia licet forma ſit in materia, reputatur ſiſtere in ſe, cum ſic cum materia conſtituat vnum vniformis, & eiuſdem ſubſtantiæ, quod forma, & materia penes eſſe eiuſdem generis pro eodem vſurpentur: igitur quia idem erit ſic eſſe in materia, ac non eſſe in alio, ſed in ſe. Sic enim (ſervanda ſerva) licet filius ſit à realiter diſtincto, tamen non dicitur *aliud*, quia eiſdem eſſentialibus, quibus adeſt Pater, adeſt filius, ac proinde quia eiuſdem divinitatis prædicamentum, nullum *aliud* derivatur, licet totum eſſentiale filij à Patre derivetur: ergo licet totum eſſe formæ derivetur à materia, non erit *aliud prædicamentale*, cum ſic forma ſit eſſentialis vni eſſentiali, quod eidem eſſentiali ſit eſſentialis materia.

10 Vlterius nunc dignoſces, qualiter reſpectu accidentium dicatur ſubiectum proprié, ex ipſa accidentis definitione. Definitur accidens, quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione; quia quod ſubſtat accidenti, ſic manet incorruptum, quod nil eſſentiale ſubiecti, nec aliquid, cui ſubiectum ſit eſſentiale, per corruptionem accidentis corrumpatur; ſed ſolum aliquid, quod ei erat ſecundum quid, ſuum actum completum conſervans; at per corruptionem partis eſſentialis, actus eſſentialis phyſicé corrumpitur, nec non corrumpitur totum, cui erat materia eſſentialis: en igitur, quod ratio ſubiecti, & alius à corrupto ſolum ſervetur reſpectu formarum accidentalium, quæ nil eſſentialiter variant; ſecus autem reſpectu ſubſtantialium, quę in ordine ad aliquod eſſentiale complent materiam, ſuntque actus eius completi, reſpectu quarum non valet dici ſubiectum incorruptum, nec aliud, vt de cæteris. Sic capio Scotum ſupra *verſ. Per idem patet ad aliud, quia non adeſt præter ſubiecti &c. quia nullum eſt eius ſubiectum.*

11 Reſolvendum eſt ergo, ſubſtantiam debere explicari per eſſe *ens independens ab alio*, ſeu *independens à ſubiecto*: ſeu *quod non poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione*: inter quas explicationes admittere poteſt hanc, cuiuſdam Scotiſtæ, tam Subtilis alijs, quam Amicus mihi: *ens radicaliter independens, tanquam à cauſa materiali, ab alio vltimaté completo*: Vbi ait, quod licet forma dependeat à materia, & ſuppoſitum à natura; at cum materia exigat cum forma componere totum, & natura cum ſubſiſtentia ſuppoſitum; inde eſt, quod nec natura, nec materia ſunt entia vltimaté completa; ſicque, nec forma, nec ſubſiſtentia pendent ab aliquo vltimaté completo. Contra hanc expoſitionem, ſi forté obijciatur, quod independentiam à ſubiecto ſuſcipit ſubſtantia à ſubſiſtentia, recurre ad ea, quæ in Metaph. de ſubſiſtentia tradimus, vbi effectum formalem ſubſiſtendi aliter diſcurſamus.

QUÆSTIO II.

Aliqua Scotica exponuntur in huius, & præcedentis Diſtinctionis confirmationem.

12 QVaritur circa hoc (inquit Scotus in *quæſt.* 14. *Prædicam.* tam in ea, quam in *quæſt.* 15. reſolvens quæſitum) *an differentia de genere ſubſ-*

ſubſtantia ſit ſubſtantia. Præſens quæſitum, quod vtiliſsimum fateor, movetur ex eo, quod gradus vnivocus, & prædicamentalis ſubſtantiæ non prædicetur de differentijs, dum formaliter de directé ſubijcibilibus prædicatur. Vnde ſolet apud plurimos difficilis excitari concertatio; quia ſi differentia de genere ſubſtantiæ non ſit ſubſtantia; igitur differentiæ nil potius ſubſtantiæ gradus, quam accidenti competet; vel erit nil, cum differentia in ſua formalitate, nec dicat eſſe gradum accidentis, nec ſubſtantiæ, ac proinde aliquid ſpectabit ad prædicamentum ſubſtantiæ, quod non erit ſubſtantia, nec per conceptum ſubſtantiæ pluſquam accidentia attingentur: in cuius favorem aliqua tradit Scotus argumenta, vt videbuntur infra. Si differentia de genere ſubſtanriæ formaliſsimè ſit ſubſtantia, tunc gradus prædicamentalis ſubſtantiæ corruet, quia intime tranſcendens, ac proinde nullam differentiam diſtinctam addens, &c.

13 Reſpondet Scotus quæſtioni ſic in *q.* 14. *Ad quæſtionem poteſt dici, quod differentia in genere ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, quia eſt idem per ſe ei, quod eſt per ſe ſubſtantia: non tamen eſt ſpecies, vel individuum* (loquitur de differentia) *in genere ſubſtantiæ: verior tamen eſt talis prædicatio, rationale eſt ſubſtantia, quam iſta, quantum eſt ſubſtantia. Rationale eſt verius ſubſtantia, quam quantum, cum rationale, licet non ſit ſubſtantia, vt ſpecies, tamen de per ſe ſpectat ad conſtituendum ſpeciem, quæ eſt ſubſtantia.* Prædicta narrat Scotus, per quæ ſatis claré exponit, qualiter differentiæ, licet directé, & formaliter non ſint ſubſtantia, ſin autem taliter, quod conceptum cum accidenti contradiſtinguant, cum licet per ſe non ſuſcipiant generis ſupremi prædicationem, tamen per ſe ſpectent ad totum ſubſtantiale ſpecificum, aut individuale, per ſe ſuſcipiens generis ſupremi ſubſtantiæ prædicationem, quod nec quantitas, nec vllum aliud accidens habet; quare, licet in comparatione ad ſubſtantiam ſpeciei, vel individui valeant dici non ſubſtantiæ, ſecus autem tranſcendenter, ſeu in comparatione ad aceidens, quod nec eſt formaliter ſobſtantia, nec ſpectat ad id, quod eſt formaliter ſubſtantia.

14 Rurſus Scotus in *quæſt.* 15. conſimiliter reſpondet per hæc verba: *Verumtamen ſubſtantia eſt æquivocum vt dicitur ens per ſe: & iſto modo eſt generaliſſimum; & vt dicitur de principijs entis per ſe, & iſto modo partes ſubſtantiæ ſunt ſubſtantia. Similiter in genere ſubſtantiæ, vt eſt generaliſſimum, ſunt, non vt ſpecies, ſed per reductionem in per ſe principia ſpecierum, & de illis, quæ ſunt in genere per reductionem, non oportet genus in abſtracto veré prædicari.* Per quæ verba Scotus duplicem ſubſtantię conceptum diſtinguit, vnum eorũ, quæ per ſe ſunt ſubſtantia, alium eorum, quæ ſolum ſunt reductivé. Primum vocat generaliſsimum, vt eſt ſupremus, & prædicamentalis gradus, ſolis ſpeciebus, & totis ſubijcibilibus conveniens; ſecundum veró vocat generaliſsimum aliquando, id eſt, tranſcendentiſsimum, prout omnia ſubſtantialia comprehendit, ſive ſint partes, ſive tota, ſive ſint ſubſtantia per ſe, ſive per reductionem, qui competit vniverſis vt accidentalibus contradiſtinctis, eo quod nec ſic iſta ſint ſubſtantia, cum nec habeãt reductionem ad ſubſtantiam. Sed notat, non oportere genus ſupremum veré in abſtracto de omnibus prædicari; quia differentiæ cum non contineant genus, in eis non poteſt abſtracté conſervari, nec recté in eis contineri; id enim eſt proprium totius ſpecifici, vt dicam in *quæſt. de Vnivoc.* quare videtur, quod differentijs potius competat dici ſubſtantiales, quam ſubſtantiæ.

15 Deinde aliqua tradit, & diſſolvit argumenta Scotus, quorum principalia referam, Primum ſic: non ſubſtantia interempta non interimitur ſubſtantia; ſed differentia interempta interimitur ſpecies, quæ eſt ſubſtantia: ergo quia formaliter, & de per ſe differentia eſt ſubſtantia. Secundum ſic: differentia eſt pars definitionis ſpeciei: igitur indicat aliquid eſſentiæ eius: nil autem pertinet ad eſſentiam ſubſtantiæ niſi ſubſtantia: ergo. Sic tertium: ſi differentia eſſet accidens faceret vnum ens per accidens cum genere: igitur omnis ſpecies in genere ſubſtantiæ eſſet ens per accidens, & ita nulla eſt ſpecies.

16 Ad primum argum. reſpondet Scotus diſtinguendo maiorem: non interimitur ſubſtantia, non ſubſtantia interempta, id eſt, non ſubſtantia de per ſe ſubſtantia, ſeu de per ſe dicibilis de genere ſubſtantiæ, falſum eſt; quia principijs ſubſtantiæ, quæ ſic non ſunt ſubſtantiæ, interemptis, interimitur ſubſtantia, vtpote ſpecies: Non interempta ſubſtantia, id eſt, quod nullomodo eſt ſubſtãtia, nec vt eſt generaliſsimum, & de per ſe, nec vt dicitur de principijs ſubſtantiæ, & reductivé, verum eſt; quia vt ſubſtantia interimatur, requiritur, quod ſaltim reductivé ſit ſubſtantia principiũ, quod interimitur; ſicque, ſi quod interimitur, nec de per ſe, nec reductivé ſit ſubſtantia, non interimetur ſubſtantia; ac proinde ſic, non ſubſtantia interempta, non interimetur ſubſtantia. Ad ſecundum conſimiliter reſpondet

nil

nil pertinet ad eſſentiam ſubſtantiæ niſi ſubſtantia, ſi intelligatur, niſi quod per ſe eſt in genere ſubſtantiæ, falſum eſt: alio modo eſt verum, vt patet de differentijs per ſe ſpectantibus ad ſpeciem, quin tamen ſint ſpecies, ac proinde vt ſupra, quo modo partes ſubſtantię ſūt ſubſtantia. Ad tertium facilè ex dictis deducitur ſolutio; quia vt differentia non ſit accidens, non requirit ſuſcipere de per ſe prędicationem generis ſupremi ſubſtantiæ, quin ſufficiet reduci ad id, quod eam de per ſe ſuſcipit.

QUÆSTIO III.

Proprietates ſubſtantiæ breviter recitans.

17 PRima ſubſtantię proprietas aſsignatur *non eſſe in ſubiecto*, quæ confuſa manet, plures ſiquidem eam, non paſsionem, ſed quidditatem ipſam reputant. Nec id aliquid extra nomen exiſtimo dilucidandum, cum pendeat explicatio à cuiuſvis ſpeciali deciſione. Signatur ſecunda proprietas *vnivocè dici de omnibus ſub ſe cōtentis*, quæ proprietas eſt nimis tranſcendens, & vniverſa, cum nullum ſit genus ſupremum, etiam accidentis, cui præfatum attributum non competat.

18 Signatur tertia *ſignificare hoc aliquid*, id eſt, rem certam, & determinatè individuam, quæ proprietas præterquam quod ſolis primis ſubſtantijs eſt propria, etiam videtur vniverſaliſsima, cum accidentia individuationem ſibi ſpecialem habeant. Signatur quarta, *non habere contrarium*, quæ proprietas etiam nominis vmbra manet confuſa, quia extra illam contrarietatem, quam habent formæ ab eodem inhæſionis ſubiecto, adeſt ſubſtantiæ contrarietas, vtpote earum formarum, quæ in eodem informationis ſubiecto incompatibiliter exiſtunt; ſic enim dicitur, generationem vnius eſſe corruptionem alterius. Circa quod exiſtimo, talem contrarietatem ſolum materialiter differre à contrarietate qualium, vtpote penes entitatum materiam, ſecus autem penes formalitatem, & normam.

19 Signatur quinta *non ſuſcipere magis, & minus*, id eſt, quod intensè non augeatur, ſic vt vna ſubſtantia non poſsit dici magis, aut minus ſubſtantia, quam alia, ſicuti vnus calor magis, aut minus calor, quam alius. Quæ proprietas poſſet confundi, ſi accidentis intenſio in diſſerta mente non vigeret. Signatur ſexta *poſſe ſuſcipere contraria*, vtpote idem, & incorruptum manere ſubiectum oppoſitis accidentibus circumamictum. Cui paſsioni adiungunt alij, *ſubſtare accidentibus*, quod mihi videtur ſuperfluum, cum contraria non ſuſcipiat, quin accidentibus ſubſtet. Neque in his vtile invenio detineri ampliùs.

DISTINCTIO III.

De Quantitate.

1 DE quantitate diſputat Scotus in *Prædicam. à quæſt. 16. vſque ad q. 25.* poſt ſubſtantiam immediatè tradens expoſitionem in caput de quantitate, à Philoſopho quatuor concluſionibus, infra videndis, abſolutum. Diſputat etiam *in 5. Met. à q. 9.* Egit poſt cap. ſubſtantiæ prius de quanto, quam de quali, quia licet ſubſtantia ſit ſubiectum accidentium, nec non ſit actualitatis intenſivę, id eſt, principium operandi, & quoad hoc qualitas videatur illi vicinior; tamen cum quantitas, quoad eſſe ſubiectivum, ſit omnium accidentium primum, recto ſervato ordine, moreque phyloſophico ſequuto, poſt cap. de ſubſt. quantitatis caput proœmiavit.

QUÆSTIO. I.

De conceptu primario quantitatis.

2 AD quatuor dicendi modos varia A. A. placita reducuntur, videlicet ad rationem menſuræ, diviſibilitatis, cuiuſcunque extenſionis, etiam entitativæ, & integralis, impenetrabilitatis, ſeu extenſionis localis. Primos dicendi modos refert Scotus in *quæſt. 17. Prædicam.* nil clarè pro ſe reſolvens; quia licet vtriuſque fundamenta proponat, & impugnet, vlterius vtriuſque modi contraria diſſolvit; ſemper tamen inclinatior ad diviſibilitatem, cum inferius in *q. 23.* diviſibilitatem exponat quantitatis ſpecialem, hæc aiens: *ad tertium dico, quod locus per accidens eſt diviſibilis per naturam materialis ſui, ſicut cæteræ formæ per ſe fundatæ in quantitate ſunt per accidens diviſibiles per naturam quantitatis.* Tum in *quæſt. 17. ex 5. Met. contex 18.* refert, ex diviſibilitate poſſe habe-

haberi definitionem, ſaltim exprimentem quid dicitur per nomen, v.g. *quantum eſt, quod eſt diviſibile in ea, quæ inſunt: quorum ſingulum natũ eſt eſſe hoc aliquid, id eſt, in partes eiuſdem rationis.* Vlterius præfatos duos modós refert in 5. *Met.q.*9. ſubtiles formans impugnationes, ſemper tamen ad diviſibilitatem propenſus.

3 Si igitur quieto animo circa hos dicendi modos feratur iudicium, exiſtimo, circa quantitatis conſtitutivum, primariumque effectum, debere notari, quæ Scotus ipſe in *q.* 17. Videlicet, aliud eſſe tradere conceptum quantitati competentem, & aliud eſſe, talem conceptum eſſe illam rationem quantitati eſſentialem, ſecundum quam ei ratio generis attribuitur. Forté per quemcumque conceptum ex prædictis invenitur quãtitas, ſed cum quidditas ſoleat etiam per conceptus paſsionis occurri, inter plures, conſimileſque conceptus, nõ erit facile ſolum ſpecialius inveniri. Exponitur intentum in diviſibilitate, & extenſione, vbi dicunt aliqui, extenſionem debere eſſe primarium effectum, cum ad extenſionem ſequatur diviſibilitas; nam ideo aliquid poteſt dividi, quia habet partes extẽſas. En, quod difficile ſit, contrarium impugnationi ſubijci; dicetur enim, extenſionem ſequi ad diviſibilitatẽ, cum ideo extendatur aliquid, quia habet eſſe diviſibile. Similiter poterit difficultari de quibuslibet alijs, tam quantitatis, quam alterius naturę effectibus, dum in quarto modo competentes, non advertatur in aliquo ſenſibilis perfectionis exceſus, vt advertitur in diſcurſu reſpectu riſus erga hominem, ex quo hominem conſtituimus in ordine ad diſcurſum, attribuentes animali, veluti generi, rationale, veluti primum differens; quod difficile fieret; ſi ſicuti quantitas, homo haberet effectus.

4 Tum eſt mihi vlterior difficultas in examine huius, & conſimilis conſtitutivi, videlicet, quod ſine recurſu ad noſtrum vſum, vel ad plurium placitum, ſoleat dari quantitati, vt ſpecialis ratio, quæ forté, ſi inſiſtatur ab aliquo, non erit propria, ſed appropriata. Expono intentum in diviſibilitate, menſura, &c. Subſtantia enim materialis apud plures, ſecluſa quantitate, eſt diviſibilis: tres entis paſsiones poſſunt eſſe menſura, non ſolum trium ſpecierum quantitatis, ſed infinitarum, ſi incipiatur circulariter ab vno vſque ad bonum: ſimiliter ſubſtantia materialis poteſt dici extenſa in partes, & ſic extendi ad ea, ad quæ non ſpiritualis: & tandem vnus gradus caloris eſt naturaliter impenetrabilis cum alio frigoris: ex quo igitur debet quantum veluti per ſuum conſtitutivum intelligi per menſurabile, diviſibile, extenſibile, & impenetrabile? Si enim dicas, quod proprié non eſt extenſum, nec diviſum &c. niſi quod eſt tale localiter, non auté quod eſt tale entitativé; dicet aliquis, id eſſe petitum, nam non datur motivum, cur diviſio localis debeat eſſe propria, & entitativa, & intrinſeca ſolùm tranſumptiva. Propter præfata videbis, quod feré omnes, quantitatem exponẽtes, compellamur ad vnum, aut alterum recurſum, v. g. *ad locum*, aut ad huic conſimile, vt dum de extenſione, vel de diviſione loquimur, de quanto intelligamur. Quare ille puré, & recté quantitatem exponeret, qui poſſet invenire conceptum, ſecundum ſe quantitatem abſoluté exprimentem; ſi enim terminos ſic expreſivos, vt intendimus, inveniremus, recté, & proprié quantum, prout in ſe eſt, definiretur. Verum enim veró, cum tot Phyloſophorum vſus prævalere debeat, circa quantitatis conſtitutivum, iuxta plurium placita alloqui decernimus, vtentes illis vocibus, quæ proprié dicuntur de quantitate, & appropriaté de alijs.

5 Reſolvendum exiſtimo, (omitto principales dicendi modos, vtpote per quæſtiones ſequentes infra melius attingendos, inquirentes, an ſubſtantia ſine quantitate ſit extenſa? an ſit materialitas à quantitate diſtincta? an ſubſtantia ſecundum ſe dicat extenſionem in ordine ad locum? &c.) quantitatem ſic poſſe exponi: *accidens abſolutum ex ſe ordinatè extenſibile.* Dicitur *accidens*, vt conveniat cum reliquis accidentibus. Dicitur *abſolutum*, vt differat à relativis, ne forté aliquis, improprié ſiſtens, velit dicere, quod corporis præſentis relatio extenditur etiam localiter. Dicitur *ordinatè extenſibile*, vt differat ab extenſione ſubſtantiæ, quæ non eſt cum ordine partium, ſed pure entitativa, ac proinde impropria, & inordinata: quare licet ſit extenſa ordine, non ex ſe, ſed à quantitate. Idem dic de alijs accidentibus à quantitate extenſis ordinaté. Tum dicitur *ordinatè extenſibile*, & non ponitur *localiter*, non quia forté ſint diverſa; ſed vt clarius inferatur, extenſionem quantitatis convenire numeris, orationibus &c. Tum vt notetur, quod adhuc habere partes ordinatas verſus totum, eſt ſolius quantitatis proprius effectus.

6 Vlterius exiſtimo in Scoti gratiam, idem poſſe intelligi per extenſibile, ac per diviſibile.

Suaderi poteſt à paritate cuiuſvis diviſibilitatis, tam intentionalis, quam entitativæ. Vniverſale enim tunc extenditur, quando dividitur, & tunc vnum, v. g. genus, poteſt dividi in plura, quam aliud, vtpote ſpecies, quando eſt diviſibilius: vnde ſuo loco dicebamus, quod vna vnitas erat minor alia, dum ea erat indiviſibilior. Sic Logici ſolent dicere, quod vna propoſitio vniverſalis opponitur in quantitate cum alia ſingulari, minorem extenſionem habens iſta, quia minorem diviſibilitatem. Idem intentum combinabis in extenſione entitativa, quæ tunc concipitur, quando diviſionis apta; quare Angelus è contra eſt inextenſus, quia ſcilicet ab entitate ſua indiviſus. Ex quibus facilé poteris conciliare id, quod ſupra innuebat Sotus, videlicet, quod diviſibilitas proprié ſumpta videbatur de natura quantitatis; diviſibilitas namque proprié ſumpta cum extenſione propria apparet combinata. Tandem in ſolutione argum. ly *extenſibile* exponetur amplius.

7 Contra præfatam reſolutionem vnum ſentio alicuius difficultatis argumentum, quod ſic formatur: licet res poſsit eſſe ſine actu, quem exigit, ſecus autem cum actu contrario ei, quem exigit; ſed ſi quantitas conſtitueretur per extenſibilitatem, poſſet eſſe cum actu exigentiæ contrario: ergo. Mai. ſuadetur in homine, qui licet poſsit eſſe ſine diſcurſu, ſecus autem cum rugitu. Minor patet in pluribus quantitatis penetratis, quæ habentes penetrationem, non poſſunt actum eis contrarium fugere. Reſpondent argumento aliqui R. R. etiam noſtri cum P. Poncio dicentes; quod res petens vnum actum, non poteſt habere contrarium naturaliter; ſicque quantitas petens impenetrationem, poteſt ſupernaturaliter; ſicque quantitas petens impenetrationem, poteſt ſupernaturaliter penetrari, ſeu inextendi: tunc enim ſunt diſtinctæ ſphæræ actus. Contra; quia aqua in eadem ſphæra naturali vtrumque actum poteſt habere, ſcilicet frigus, & calorem. Contra aliter; quia ex eo quod homo exigat diſcurſum, neque ſupernaturaliter poteſt habere rugitum: ergo propter idem, nec ſupernaturaliter quantitas poterit habere penetrationem.

8 Dices cum Poncio, quod eſſentia quantitatis ſolum ſtat in ordine ad naturalem impenetrationem. Contra in primis; quia ſic non erat neceſſarium pónere in quantitatis conſtitutivn impenetrationem per exigentiam, ſed per actualitatem, cum naturaliter impenetratio actualis debeat dari. Contra 2. quia nunquam diſſolvitur argumentum, vtpote, cur eſſentia hominis exigit id, quod actui contrario non poteſt ſubeſſe, ſecus autem eſſentia quantitatis. Propter iſta enim aliqui admittunt etiã, leonem poſſe ſupernaturaliter diſcurrere, quod meritó videtur ab aliquibus reprobandum.

9 Nec valet aliquid aliquorum R. R. ſolutio dicentium, quod penetrari, & impenetrari non repugnat, cum iſti actus ſint reſpectu diverſorum principiorum, vtpote quantitatis naturaliter, & ſupernaturaliter; ſecus autem rugitus, & diſcurſus, cum ſint reſpectu duplicis naturalis principij. Non valet reſponſio, tum quia poſſemus ſimiliter percipere Leonem, aut hominem ſupernaturaliter erga vnũ, aut alium cõtrarium effectum, ſcilicet, rugitum, vel diſcurſum; quo pacto rugire, & diſcurrere duplex principium conſimiliter haberent. Tum, quia non minus contrariatur principium rugiendi principio diſcurrendi, quam principium ſupernum naturali; imo magis, quia ſupernum non eſt contrarium, cum non ſit contra naturam, ſed ſupra; ſecus autem illa: ergo.

10 Exiſtimo tamen, præfato argumento poſſe aliqualiter reſponderi, & primo negando paritatem ex eo, quod quantitas, aqua, & ſic alia non habeant exigentias eorum actuum ſic, quod debeant eſſe à principio intrinſeco elicitivo, ſed ſolum per paſsivum motum naturarum: vnde cum aqua non ſit elicitiva caloris à principio intrinſecé, & activé elicitivo, ſed ignis ſic in ipſa ponens calorem, ita vt ipſa ſolum paſsivé ſe habeat, hinc eſt, quod calor non repugnet ipſi; repugnaret veró, ſi aqua præter recipere calorem, cum à principio proprié elicitivo produceret; & ratio eſt, quia nil in ſe contrarié agit, etſi contraria ab alio acta ex minori vi non poſsit non recipere. Vlterius, quia vt dicemus in phyſicis de virtute obedientiali, minus requiritur ad pati, quam ad agere, ex quo ad primum dabitur erga cauſam primam obedientia in omnibus; ſecus autem ad ſecundum. Itaque dici poteſt, quod ſicut aqua calorem, & quantitas penetrationem, ſic & leo poterit habere diſcurſum; non enim poterit leo producere diſcurſum, ſin autem ab alio productum, in ſe divinitus recipere, ſicuti & de lapide pluries vocitatur. Tunc enim haberet actum contrarium, ſicuti aqua, & quantitas, quę non eliciunt penetrationem, & calorem, ſed ab alio, vtpote ab agenti, ſive naturali vna, ſive ſuperno alia, ſuſcipit. Potentiæ namque paſsivæ ſunt in maiori dilatatione, vt patet in intellectu reſpectu formæ ſupernæ viſionis, quam ſine elevatione non poteſt producere, ſin autem recipere.

11 Vlterius, ſi mavis, poteris forsã dicere,

quod

quod exceptis effectibus formalibus, & intrinſecis, nullus eſt effectus ſic neceſſarió affixus, & connexus cum cauſa, quod pluries non poſſit eſſe ſub contradictoriè oppoſito, v. g. homo, dum eſt principium diſcurſus, poteſt eſſe cum privatione diſcurſus, cum pluries non diſcurrat; quod oritur ex ratione cauſæ ob æquivocæ rationem diminuentis effectum, ac proinde producens accidens, de cuius ratione eſt poſſe adeſſe, & abeſſe ſine eſſentiæ deſtructione. Itaque quantitas debet conſimiliter poſſe ſic ſuum exercitium habere, quod ipſi correſpondeat aliquid privativè oppoſitum, quod debet eſſe contradictorium, vt non diſcurſus diſcurſui. Vnde in omnibus eventibus, in quibus quantitas dicitur eſſe penetrata, debet dici, quod tunc quantitas præciſè habet impenetrationis privationem; iſta enim ſufficit ad ſalvandam ſcripturam, & argumenta, ſi hæc penetrare ſcias. Propter quæ noto, quod actus poſitivus quantitatis poterit dici extenſio, vt intenſioni oppoſita contrariè, & inextenſioni, ſeu non extenſioni privativè: quare licet quantitas poſſit habere puram privationem actus poſitivi, vtpote non extenſionem; nunquam tamen actum poſitivè contrarium, vtpote intenſionem. Hæc præcave.

12 Vltimó contra noſtram reſolutionem dices, punctum eſſe quantum, & non eſſe extenſibile: ergo. Reſponderi poteſt, quod propriè loquẽdo, eo modo, quo punctum eſt quantum, valet extenſibile dici; quia punctum ſecundum vivam, & ſui expreſſivam eſſendi rationem dicit eſſe apicem v. g. & apex ſecundum ſe non induit rectam entium, & rerum denominationem, ſed obliquam, ita tamen quod eſſe ſpeciale rei indicet; ſic enim apex ſolis, v. g. atomus, non videtur dici *ſol*, *ſed ſolis*; ſpecialiter ſuam ſphæram ſic ſignans. Similiter *punctum* non debet dici quantitas, ſed *punctum quantitatis*; quo modo punctum participat extenſibilitatem, cum licet non ſit extenſum in recto, ſit tamen in obliquo; nam licet non ſit ens extenſum, ſin autem apex entis extenſibilis. Vlterius poteſt dici clarius, quod punctum valet dici extenſum, ſive inchoativè, ſive integraliter, ſive æquivalenter. Inchoativè; quia licet non ſit extenſum, eſt tamen initium, ſeu principium, à quo incipit extenſio. Integraliter; quia licet non ſit integrum ens extenſum, illud tamen integrat. Æquivalenter; quia ſic de per ſe, & ſpecialiter eſt pars entis extenſi, quod illius ſpecialia participet, & exerceat, cum localiter expellat, & impenetretur. Nil enim omnium prædictorum puncto convenientium, in alijs à quanto invenies. Tandem, ſi mavis, valens continuum ex punctis componere, & ab his expoſitionibus non manens quietus, facilè poteris habitam reſolutionem combinnare, loco *extenſibilis*, intelligendo *impenetrabile*.

QUÆSTIO II.

An quantitas à rebus materialibus diſtinguatur.

13 CIrca quæſitum in titulo duplex datur opinio, Nominalium prima, aliquorum R. R. ſecunda. Primæ, opinionis A. A. tenent, quantitatem eſſe indiſtinctam à rebus materialibus, ſive iſtæ ſint ſubſtantiæ, ſive accidentia. Ita Ocham *in* 4. *q.* 1. apud Scotum in margine 4. *d.* 12. *q.* 1. Secundæ verò opinionis Authores tenent, quantitatem à materia prima, & ſubſtantia materiali eſſe indiſtinctam. Sic probabiliter P. Arriaga, & M. Soto apud Peinadum Trac. 5. *dp.* 3. *ſec.* 2. Nec facilè prædictæ opinionis valent impugnari, cum ab eis ſint neganda principia nobis ſtabilita; v g. ſi argueretur, quod accidens poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione; quantitas eſt accidens, materia prima &c. ſunt ſubiectum, & illa primum; ergo. Nil convincetur; quare à ferè omnibus ex mirabili Æuchariſtiæ ſacramẽto ſumitur argumentum, quod *in* 4. ad conſimilia tradebat Scotus.

14 Reſolvendum eſt, quantitatem eſſe ab alijs rebus materialibus realiter diſtinctam. Ita D. Subtilis *in* 4. vbi etiam ſe citat ad 2. *d.* 12. *q.* 1. Et vlterius id confirmat *in q.* 2. aſſerens, materiam poſſe eſſe ſine forma, ſive ſubſtantiali, ſive accidentali abſoluta. Suadetur 1. materia prima eſt realiter diſtincta ab actu abſoluto ſubſtantiali, vtpote à forma: ergo & diſtincta erit ab actu quocunque abſoluto quantitatis expreſivo. Prob. non aliunde exiſtimo apud eos materiam primam eſſe quantitatem, niſi quia ſi materia ſecundum ſe non haberet talem extenſionem, difficilè inde per additum poſſet extendi; & ſic, eo ipſo, quod ſecundum ſe capax extenſionis percipiatur, ſuperfluit ad extenſionem forma diſtincta; ſed licet materia prima non poſſit habere extenſionem formæ ſubſtantialis, nec non formalis perfectionis informationem, quin ipſa ſecundum ſe ſit habilis, & capax, tamen compatitur, quod actus informandi ſit diſtinctus à materia: ergo ob id, & diſtinctus erit actus extendendi, ac proinde quicumque abſolutus quantitatis expreſſivus. Exiſtimo iuxta Scotum tetigiſſe motivum.

15 Suadetur 2. ex Scoto iuxta phraſim Philoſophi *7. Met. cap. 2. text. 7.* tenentis, *formam eſſe ſimpliciter materia perfectiorem*, deducente *in* 4. quod quantitas ſequitur compoſitum ratione materiæ; qualitas autem ratione formæ: vnde ait, quod propter hoc ordo qualitatum correſpondet ſecundum perfectionem ordini ſubſtantiarum ſecundum perfectionem; necnon propter hoc qualitas eſt principium actionis realis. Nunc ſic: ſed licet qualitas ſequatur compoſitum ratione formæ, ſicuti quantitas ratione materiæ, qualitas eſt diſtincta à forma: ergo & quantitas à materia.

16 Dices ſtatim, quod cum diſtinctæ operationes experiantur, deduci valet qualitatum diſtinctio; at autem, nil exercetur, ex quo poſſit deduci, firmam non eſſe quantitatem. Id omne ſic ſolvendũ percepit Scotus, ni fallor, dum *in* 4. notavit, quod nulla actio realis, vt hic loquimur, conveniebat quantitati. Sed contra; quia licét in noſtro intellectu diſtinctas operationes percipiamus, imò & cognoſcere, & non cognoſcere, tamen virtutem formæ ſubſtantialis intellectivæ non diſtinguimus: ergo licet reſpectu cuiuſvis entis naturalis diſtinctas operationes perciperemus, poſſemus dicere, quod ordo qualitatis erat à forma indiſtinctus. Cõtra aliter; quia licet in ſublunaribus, formas videamus variari, & invariari in ſupralunaribus, inde tamẽ non liceret inferre iſtarum indiſtinctionem à materia, eo quod omnes ſubſtantialem compoſitionem æque ſequantur: ergo licet quantitatem immobiliter videamus ſequi ad materiam, ſecus autem qualitatem ad formam, non licebit in illa inferre indiſtinctionem, & diſtinctionem in iſta.

17 Suadetur 3. contra tenentes, quantitatem materiæ ab ea indiſtinctam, ſecus autem cæterarum rerum quantarum. Suadetur ex eo, quod poſsit percipi abſque idemptitate quantitatis, quidquid ſpectat ad rationem materiæ primæ: ergo liberé additur quantitatis indiſtinctio. Prob. antec. quia in primis, vt ſit materia, non requirit ſic quantitatem indiſtinctam, cum reliqua accidentia, vt qualificativa, ſint materialia, & non habeant indiſtinctam quantitatem. Deinde, nec vt ſit prima, cum forma materialis ſit quanta, & tamen non habeat primum eſſe ſubiectum. Vlterius, quia tam cauſalitatem eſſentialem, vt conſtituere compoſitum, quam quodcumque aliud imaginabile exercitium, poteſt recté adaptari materiæ, tametſi à quantitate diſtinctæ: ergo id non eſt concedendum indiſtinctè, cum diſtinctè poſsit percipi, quidquid ſpectet ad rationem materiæ primæ.

18 Præcavetur reſponſio, (forté dicent, quod quid ſpectat ad rationem materiæ exercebitur, etſi diſtinguatur) quia ex indiſtinctione oritur eximia confuſio, vtpote everſio, & deciſio arboris prædicamentalis; tunc enim de quantitate otioſa, vel difficilis foret mentio. Tum, quia dato, quod negantes, quãtitatem eſſe accidens, nõ negent aliquod principium, negabunt tamen, quod exprimitur, & aſſeritur à Philoſopho *7. Metap. textu* 8. & clarius *in 4. Phyſ. tex. 76.* vbi tenet, quod ſubſtantia, & quantitas ſunt duo prædicamenta impermixta, *& ſeparata*. Nota *ly ſeparata*. Tum, quia vel quantitas materiæ eſt eadem pro extenſione cæterorum accidentium, vel non? Si primum: ergo ſicut reliqua, dum non minus ſunt extenſa, ac materia, extenduntur per quantitatem diſtinctam, & id poterit, & debebit etiam materia abſque diſtinctione. Si ſecundum; arguo ſic: licet quodlibet accidens ſit extenſum, non per quantitatem materiæ, ſed per ſibi vniformem, tamen extenditur, & diſtinguitur: ergo licet materia ſit extenſa, & per quantitatem ſibi vniformem, poterit eſſe extenſa, & diſtincta.

19 Suaderi poteſt tandem argumento ſolido, & ſolito ex mirabili Æuchariſtiæ Sacramento deſumpto, vbi invenitur quantitas, cum inveniatur impenetratio, & extenſio; ſed nil invenitur panis ſubſtantiæ, cum tota foret tranſubſtantiata: ergo. Reſpondet Arriaga, accidentia illa manere impenetrata, non à quantitate, ſed à materiæ vbicationibus, quæ nequeunt connaturaliter eſſe cum alterius materiæ vbicationibus, quæ vbicationes in ſua ſententia non ſunt modi, ſed quid abſolutum, ac proinde valent manere abſque materia. Contra; quia vel materia erat impenetrabilis, & extenſa propter impenetrabilitatẽ, & extenſionem vbicationum, vel é converſo? Si primum: igitur manentibus vbicationibus manebit quantitas ablata materia. Si ſecundum: ergo ablata materia, non poteſt in vbicationibus manere extenſio, & impenetrabilitas, cum auferatur principium, & ratio, à quibus eam habebant. Vlterius, quia eſtó vbicationes poſsint conſervare extenſionem, & impenetrationem abſque quantitate, poſſent, & abſque quantitate extendere, & impenetrare materiam reſpectu cuiuslibet alterius entis vbicati materialiter: ergo abſque quantitate poſſet materia habere, quidquid ad eſſe in loco, & ad quodvis connaturale exercicium requirebatur, prout entia materialia debent eſſe

in

in Vniverſo. Eſt mihi ſatis clarum, quia ad talia exercitia ſufficit extenſio, & debita impenetratio: deinde dum vbicationes abſque ſubiecto eam poſſent habere ſine quantitate, melius eam habere valerent cum ſubiecto proprio, cum ad eius vnionem, & præſentiam fortius informarent, & expellerent: ergo ſuperfluum poſſet ponere materias in quantitatibus, dum poſſent poni in vbicationibus.

20 Reſpondet aliter Arriaga, dicens, accidentia illa non habere ſecundum ſe impenetrationem, ſed ſecundum miraculoſam Dei actionem, volentis abſque penetratione ea ſic conſervare, vt nobiſcum fides locum habeat. Id poteſt ſuaderi ſatis bene, tum ex accidenti, quod abſque ſubſtantia habet modum exiſtendi ſubſtantiæ, eſt enim per ſe: ergo & abſque quantitate poterit habere modum eſſendi quantitatis. Tum ex quantitate penetrata, vbi miraculoſé datur quantitas, & non datur impenetratio: ergo & miraculoſé poterit dari impenetratio, & non dari quantitas. Ni fallor, hæc vltima vrgent.

21 Sed contra inſurges, Arriagam impugnans ex eo, quod ſi impenetratio oriretur ex puro miraculo, ſeu extrinſeco Dei decreto, firmitas plurium veritatum aboleretur, & maior maneret fallax; poſſet enim quilibet exiſtimare, quod impenetratio nunquam erat effectus quantitatis intrinſecæ, quin imò omnes ſubſtantias eſſe impenetratas ex recto ordine decreti à cauſis ſecundis connaturaliter petito: nil enim vltra impenetrationem ad ſe exercendum exoptare poſſunt: ergo eſtó ſic impenetratio foret connaturalis, ſuperflua erat vlterior quantitatis inquiſitio. Huic interpationi dicent ſtatim, quod id minimé ſequitur; nam licet quantitas apud nos inhærens non ſit in Æuchariſtia, ita vt miraculoſé poſſit ibi ſalvari quantitas abſque ſubſtantia; inde tamen non licet inferre, quod vbicumque poſſit ſalvari, & ſalvetur ſtricta quantitas abſque ſubſtantia ac proinde nullibi exiſtimare ſubſtantiam: ergo ſimiliter. Suadetur, quia dum quantitas in Æuchariſtia foret per ſe, poſſet deduci, quod ſuperflué ponebatur ſubſtantia, cum vbicunque quantitas per ſe foret ex conſimili decreto, haberet quidquid pro exercendis requirebatur, cum ens per ſe foret, & nil vltra in ſubſtantia inquiraturergo &c.

22 Ad rem igitur devenientes, exiſtimo inprimis, præfatam Arriagæ, & aliorum ſolutionem eſſe debilem ex fidei merito. Ratio eſt; quia vel obſequium in dando fidei locum ſtat in eo, quod ſenſus decipiantur ex accidentibus ſibi notis, vel non? Si non; inutilis eſt ſolutio ponentium abſque quantitate impenetrationem. Si ſi; etiam ſi ponatur impenetratione quantitas in fidei obſequium maneret locus; deceptio enim abundé exerceretur poſita quantitate, vt opinamur, cum hæc inducat in ſubſtantiæ præſentiam, abſentem ibi. Vlterius reſponſio poteſt reijci ex eo, quod accidentia illa ſint ponderoſa; ſed abſque quantitate deficit pondus molle: ergo quia ibi non ſolum datur impenetratio, ſed & quantitas. Nec valet ſi dicas, quod ſicuti Deus poſuit impenetrationem, poſuit & pondus: certé id non valet, quia ad impenetrationem dabatur neceſſitas, cum abſque illa omnes partes hoſtiæ, vel confluerent ad punctum, vel penetrarentur cum linteis, & corporibus, ſeu corporalibus vicinis: At autem ad ponderoſitatem non dabatur neceſſitas, & ſine hac liberé poneremus miracula. Nec valet, quod Deus decrevit pondus in obſequium fidei; quia licet ponderoſitas adſit, fides non evacuabitur, cum ſemper poſſemus dubitare de ſubſtantia.

23 Deinde in favorem primæ impugnationis pauló ſupra reiectæ dices, ſemper habere valorem; quia ex eo, quod in omnibus materialibus non detur id, quod per quantitatem percipimus, ſed ſolum inveniri impenetrationem diſcurreremus, difficilé poſſimus increpari, cum à quantitate nil vltra impenetrationem derivatum ſciamus; at autem ex alijs accidentibus advertimus effectus contrarios, ſicque qualitates variari, quæ naturaliter creantur, & anichilarentur, ſi ſic extra Æuchariſtiam forent ſine ſubiecto, ac erant intra illam. Si enim bene attendatur, quoad plurima alia poſſet ſubſiſtere libera imaginatio ponentis in omnibus extenſionem ſine quantitate; ſecus autem de reliquis, cum ſine alicuius ſubiecti deſtructione eſſe, & non eſſe in eo, ſenſibiliter experiatur.

24 Nominales ſuam reſolutionem adhuc ſalvare intendent, cum teneant, quantitatem ſubſtantiæ eſſe diſtinctam à quantitate qualitatum; ita, quod (ſicut ait Scotus *in 4. d. 12. q. 2. verſ. qui autem dicunt*) quantitas, quæ apparet, ſit quantitas qualitatum ab eis realiter indiſtincta; ac proinde, licet vna quantitas, vtpote materiæ, deficiat, remanebit alia, vtpote qualitatum. Sed contra iſta exiſtimo poſſe applicari, quæ de pondere diximus, per ponderis inæqualitatem ob vnius quantitatis, vtpote materiæ, receſſum. Vlterius vnica ratione hæc reijcere intendam Quantitas qualitatum penetratur cum quantitate ſubſtantiæ pa-

panis: ergo vel in ſubſtantia, vel in qualitatibus ſuperfluè ponitur quãtitas. Suadetur; quia qualitates v. g. conceptæ, vt a nobis concipiuntur, vtpote penetrabiles, non haberent erga impenetrari quid magis, aut minus, cum qualitates ab eis conceptæ non magis reſiſtant penetrationi. Deinde qualitates, vt à nobis conceptæ, tametſi penetrabiles, per panis quantitatẽ forent non minus extenſæ, ac forent eorum qualitates habentes ſecundum ſe extenſionem: ergo ſuperfluè ponitur quantitas in qualitatibus à ſubſtantiæ quantitate diſtincta; vel è contra, vtpote in ſubſtantia ſuperfluè ponitur quantitas, eſtò in qualitatibus ponatur. Profectò ignoro motivum ponendi quantitatem qualitatum; ſi iam non dicatur, ſic poni in omnibus qualitatibus, vt maneant extenſæ propter vnicam Euchariſtiæ extenſionem, eo quod Chriſtus potuit illud myſterium patrare. Si contra dicta aliquod roboris valeat opponi argumentum, ex dicendis in quæſt. ſequenti eius vis reprimetur.

QVÆST. III.

De extenſione ſubſtantiæ materialis.

25 SVb multiplici ſenſu præſens quæſtio venit examinanda. Inquiritur ergo de extenſione ſubſtantiæ, an ſcilicet entitativè, totaliter, aut localiter extendatur ſecundum ſe. Vbi advertendum eſt, illam dici extenſionem, ſeu diviſionem entitativam, ſecundum quam ſubſtantia ex ſe habet partes ſubſtantiales, ex quibus cõponitur, & integratur, non tamen earum propriam extenſionem habet, id eſt, (ſecundum alios) habet partem, & partem; non verò partem extra partem, ſeu partes propriè extenſas, & ordinatè diſpoſitas: quinimò tales partes habet veluti inter ſe confuſas. Deinde illa dicitur extenſio in ordine ad totum, ſecundum quam partes habẽt aliquem ordinem inter ſe, ſic, quod non ſint confuſè, & immediatè copulatæ, ſed debita proportione, ita vt caput vniatur collo, & non pedi; manus brachio, & non pectori, &c. Vlterius illa dicitur extenſio quantitativa, quæ eſt in ordine ad locum, ſecundum quam vna pars ſubſtantiæ ponitur in diverſo loco, ac alia, ex tali extenſione propriè manẽs extenſa, & impenetrabilis; & hæc ponitur duplex, ſcilicet, aptitudinalis, & actualis: actualis, dum vna pars eſt extra locum alterius; aptitudinalis verò, dum eſſe extra alterius locum ſolum petit. His ita

26 Reſolvo 1. Subſtantiam materialem ſecundũ ſe primam extenſionẽ habere. Hæc reſolutio eſt expreſſa Scoti, & pluries literaliſſima, contra antiquiores Thomiſtas relatos à M. Prado *in 2. quæſt.* 13. §. 1. Suaderi poteſt; quia vt materialis ſubſtantia entitativè ſit extenſa ſolum requiritur, quod habeat partes realiter ſeparabiles; ſed eas habet: ergo. Maior videbitur. Minor prob. quia experitur, partium ſubſtantiæ vnionem diſſolvi; ſed non poteſt vnio inſeparabilium diſſolvi: ergo eas ſeparabiles habet. Dicent ſtatim, maiorem illam eſſe falſam; quia licet ſubſtantia ſit diviſibilis, & ſeparabilis, inde non debet inferri, quod habeat partes, ſed quod eas poſſit habere, ſcilicet, per adventum quantitatis; quod vocant ſubſtantiæ diviſibilitatem negativè, eo quod licet actù non ſit diviſa, ipſi tamen non repugnet per aliud dividi.

27 Sed contra, quia actualis indiviſio quantitativè, & per diſcretionem, non poteſt impedire actualem diſtinctionem entitatis, & entitatis: ergo nec quod actù detur entitatum multiplicitas realiter poſitivè. Prob. anteced. ratione, & exemplari. Ratione; quia ſicut non poteſt à parte rei dari identitas realis, quin realiter actualiter concedatur actù in entitate vnum; nec poteſt à parte rei dari realis diſtinctio, quin detur actù in entitate multiplex; ſed quæcumque ſeparabilia, licet actù non ſint ſeparata, realiter abſolutè ſunt actù diſtincta: ergo actualis indiſcretio, ſeu inſeparatio quãtitativa non poteſt impedire actualem diſtinctionem entitatis, & entitatis. Confirmatur exemplari: licet materia, & forma ſint phyſicè vnitæ, & fortè ſtrictius, quàm partes quantitatis, tamen vnitas in phyſico nõ impedit, quod realiter abſolutè detur entitas formæ, actù diſtincta ab entitate materiæ: ergo nec id impediet ſubſtantiæ, licet detur, vel non detur vnitas in quanto. Confirmatur 2. licet ſubſiſtentia creata fuiſſet ſeparata à naturæ entitate propter adventum perſonæ Verbi, id non impedivit, quod actualiter foret entitativè diſtincta à parte rei: ergo nec impediet ſubſtantiæ, licet propter adventum quantitatis ſeparatæ.

28 Prob. 2. & confirm. reſolutio à paritate diviſionis per rationem. Arguo ſic: maiorem extenſionem debet ſupponere diviſio realis, & quãtitativa in illis, quæ dividit, quam debeat ſupponere intentionalis, & rationis in illis, quæ diſtinguit: ergo cum diviſio, ſeu diſtinctio per adventum rationis debeat ad minus, ſecundum Thomiſtas, ſupponere in re entitates fundamentaliter, & virtualiter diſtinctas,

ctas, diviſio per adventum quantitatis debebit ſupponere in ſubſtantia entitates realiter actù inter ſe diſcretas. Vlteriùs id omne claré exponitur in quantitate logica, videlicet in terminis vniverſalitate affectis, illa extẽſis, ſicuti quantitate ſubſtantia, v.g. iſte terminus *homo*, qui hac nota *omnis* extenditur; vbi invenies, quod ſi terminus homo entitativé, & intrinſecé non ſupponatur extenſus, neutiquam inde per logicam quantitatem maiorem illam intentionalem extenſionem reciperet, v. g. *omnis homo*; quod patet in petreitate, cui ob defectum talis extenſionis ſuppoſitæ, vel repugnat ly *omnis*, vel licet ipſi applicetur non extendetur aliquid: vnde extenſio logica prærequirit metaphyſicã, ſicuti logicum vniverſale, metaphyſicum: ergo à ſimili eſt philoſophandum de extenſo quanto reſpectu extenſi in ſubſtantia.

29 Pluribus alijs rationibus ſolent RR. noſtram reſolutionem propugnare; eas omitto, exiſtimo enim quod ad præciſé ſtandum entitativam extenſionem in ordine ad ſe, non requiritur aliud principale medium, quam illud, ex quo diſtinctio realis ſuadetur. Tunc enim bené extenſio entitativa probabitur, quando entitates actù à parte rei diſtinctæ probentur. Nil ergo eſt entitativé extendi, quã realiter materialiter diſtingui, ſicuti adhuc de formaliter diſtinctis dicere ſolemus, quod vna formalitas eſt ex natura rei extra formalitatem alterius conceptibilitatis. His ita,

30 Reſolvo 2. ſecundam extenſionem habere ſubſtantiam à quantitate; ac proinde ſubſtantia materialis à quantitate præciſa, nõ ſolum in ordine ad locum, ſed nec in ordine ad totum erit extenſa. Hæc reſolutio eſt conformis purioribus Angelicæ Scholæ Sectatoribus, contra eximium Scotiſtarum impetum, citantium pro ipſis Scotum in 2. *d.* 12. *quæſt.* 2. quem ibi per totam diſtinctionem attenté legi, & potius expreſsé contrarium inveni. Scotus namque de per ſe in q. citata, quærens, an materia prima poſsit per aliquam potentiam ab omni forma ſeparari, in *reſpondeo ad quæſtionem* reſolvit, non eſſe contradictionem, materiam eſſe ſine forma quacumque ſubſtantiali, & accidentali. Vlterius reſolutionem proſequens, hæc ait: *Et ſi quæras, vbi eſſet illa materia ſine forma? Dico, quod ſicut Angelus, qui non eſt quantus, eſt in loco aliquo definitivè, non circumſcriptivè, ſuppoſito quod ſit in vniverſo, &c.* En claré reſolutioni favere, vt ſtatim videbitur in probatione. Nec ibi favet Scotiſtis, niſi in eo, quod ſubſtantia habeat præciſé partes entitativas independentes à quantitate; nam immediaté ad præfatum quæſitum ait: *Si quæras etiam, an habeat partes? Dico, quod partes ſubſtantiales habet: illas enim non habet per quantitatem, &c.* quod, & nos libenter concedimus, nec aliud ſupra propugnavimus.

31 Arguo 1. in favorem reſolutionis: ſi illa ſubſtantia ſecundum ſe haberet eſſe extenſa in ordine ad totum, ſecundum ſe haberet partes extra partes; ſed ita, in nullo eſſentiali differret à quantitate: ergo. Reſpondebis ſtatim cum noſtro Poncio *diſp.* 14. *q.* 2. ſemper differre in eo, quod quantitas haberet extenſionem in ordine ad locum, ex qua ſequitur impenetrabilitas partium; at autem illa ſubſtantia, etſi localiter, ſeu in ordine ad locum foret extenſa, nunquam ſic, quod ab agenti naturali non poſſet penetrationem pati. Pater Poncius ſic reſpondet, eo quod admittat, quod habere partes extra partes, etiam in ordine ad locum, non ſit effectus formalis ſolius quantitatis, quin & ſubſtantiæ, quod etiam infra ſuadebo.

32 Contra reſponſionem arguo ſic: dum ſecundum ſe ſubſtãtia etiam in ordine ad locum haberet partes extra partes, ſi id habere exigeret, nil impediret, quod per agens naturale poſſent penetrari, vt ſic extenſio ſecundum ſe competeret ſubſtantiæ, ſicuti eſſentialiter quantitati: ergo ruit reſponſio. Prob. anteced. licet aqua ſic exigat actum ſuum, quod ab agenti naturali poſsit impediri, & ſic ignis ſuum actum, quod ſolum à ſuperno, id non impedit, vt vterque actus vtrique æqué ſecundum exigentiam competant: ergo licet, &c. Aliter, & proximius id convinci poteſt in materia prima Cœli, & in materia prima ſublunari, in ſpecie formali indiſtinctæ, licet vna altera difficilius ſit corruptibilis; ſic in charitate viæ, & Patriæ: in logica Angeli, & hominis: in igne purgatorij, & inferni; & tandem in diſtinctione reali maxima eorum, quæ ſeparantur, & eorum, quæ ab extrinſeco non ſeparantur, &c. Vnum, aut aliud ex his exemplaribus difficilé renuetur ab his, vel illis Authoribus. Vlterius id combinari poteſt ex ipſa quantitate, quæ adhuc reſpectu Dei conſiderata, reſpectu cuius penetrationem patitur, non minuit extenſionis entitatem, quia eam exigit: ergo dum eam exigat ſubſtantia, non minuetur, tametſi reſpectu naturalis agentis eam poſſet pati.

33 Deinde; quia difficilé poteſt ſuaderi de ſubſtantia illa, (ſi vis percipe de ſeparata, & ab Scoto intellecta) quod naturaliter poſſet pe-

penetrari, dum nulla tradatur experientia. Suadetur; quia ex eo deducimus, quod vna pars quantitatis eſt impenetrabilis cum alia, quia vna petit diſtincta parte ſuperficiei circumſcribi, ac alia, ſeu diſtinctum locũ occupare, ac illa; ſed illa ſubſtantia peteret id: ergo. Prob. maior; quia ex eo gradus caloris ex ſe non ſunt impenetrabiles, quia ex ſe non petunt diſtinctam circumſcriptionem ab immediato: (nota nimis in contrarios, quod adhuc ſola extenſio ſubſtantiæ in ordine ad totum, eſt talis, qualis non habetur à gradibus caloris, qui ſunt penetrabiles, & inextenſi contra extenſionem quantitatis: ergo eſt talis extenſio ſubſtantiæ, qualis ſufficiat ad quanti extenſionem, cum ſit contra inextenſionem penetrabilium) ergo ex eo deducimus, quod vna pars quantitatis eſt impenetrabilis cum alia, quia, &c. Deinceps minor ſuadebitur.

34 Reſpondebis, deduci, ſubſtantiam non eſſe naturaliter impenetrabilem, eo quod adſit impenetrabilis quantitas: vnde ſi etiam ſubſtantia id haberet, quia petit, ſuperfluam inveniremus quantitatem in entibus naturalibus, cum eius principale munus ad id conducat. Optimé profecto, nil deductioni contradico; contradicit tamen, quod ſubſtantia ſecundum ſe petat partem extra partem, dum ex hac petitione non debeat impenetratio deduci.

35 Quod illa ſubſtantia (probatur illa vtriuſque inſtantiæ minor) à quantitate præciſa (ſi eam pro nunc ſic velis) foret localiter extenſa, ſuadetur; quia materiale capitis foret extra collum, vel poſſet eſſe, vt ex veſtrâ extenſione dicebatis: ergo & materiale aeris locaret materiale capitis, quin aliud materiale aeris illud locaret, vtpote locans collum. Videtur, ni fallor, evidens; quia ſi materiale capitis ſit extra materiale colli, non videtur, quod poſsit idem aër, in quo intimé eſt caput, eſſe ille, in quo intimé ſit collum; aliàs ſic caput, & collum ambirentur ab aëre, ſicuti ſi caput ſtaret ſolum, vel ſicuti ſi extra collum non ſtaret caput, quod non percipio.

36 Vlterius convinci poteſt: (præcavetur inſtantia, & perit fuga eorum) ſi ſubſtantia non poſſet ab aëre, v. g. circumſcribi, maximé quia debilioris, & ſubtilioris materialitatis, ſic vt aer groſiorem peteret; ſed id eſt impertinens: ergo. Suadetur minor; quia aër non eſt groſioris quantitatis, quam quantitas poſita in ſubſtantia; ſed quantitas poterat circuire intimé ſubſtantiam: ergo & aër. Tum, qualitas non eſt minus debilis, quam ſubſtantia; & hinc addo, quod qualitas ſecundum ſe non petit illam tantam ſubſtantiæ extenſionem; ſed adhuc ſic quantitas poteſt ambire, & extendere qualitatem, imó & aër ipſe: ergo & multo melios poterit ſubſtantiam. Tum, quia ſic debemus philoſophare circa materialitatem, ac circa immaterialitatem; ſed difficilé ſuadetur vnum immateriale alio immaterialius: ergo, &c.

37 Argui poteſt 2. contra quam plurimos Noſtrarum firmiter dicentium, ſubſtantiam eſſe extenſam in ordine ad totum, ſic vt in ordine ad locum extendi non exigat. Arguo, & infero, quod licet non exigat extenſionem partium in ordine ad locum, illam exiget in ordine ad quantitatem. Patet; quia ſubſtantia capitis petit vniri quantitati organizatæ capitis; & non pedis: ergo exigit habere partes extenſas proportionaté in ordine ad quantitatem. Ita eſt; ſic nunc. Tunc ſubſtantia ſecundum ſe haberet quantitativé extenſionem; & quantitas extenſionem haberet localiter; ſed ſic habere extenſionem, nil conducit, vt quoad intrinſecum eſſe extenſionis diſtinguantur: ergo. Suadetur, & exponitur minor: differentia vtriuſque extenſionis non deſumitur ex eo, quod vtraque eam non habeat in ordine ad quantitatem; vtraque enim in ordine ad quantitatem intrinſecé talem extenditur; ſed deſumitur ex eo, quod vna ſit in ordine ad quantitatem, quæ eſt locus, & altera in ordine ad quantitatem, quæ non eſt locus; ſed locata; ſed id nil conducit, vt intra ſtrictum eſſe extenſionis diſtinguantur: ergo. Suadetur minor; quia vna, & eadem quantitas poteſt eſſe locata, & locans, quin ob id eſſentialem extenſionem quantitatis variet. Deinde quantitas vltima Cœli eſt locans, & non eſt locata: Tum, dantur quantitates non minus immobiles (hoc nota, eſt namque ad intentum) ex natura ipſarum, v. g. quantitas arboris viventis, quam ſit immobilis ſubſtantia extenſa, & circumſcripta à quantitate; & tamen extenſionem non variant quoad intrinſecum: ergo quod ſubſtantia ſit extenſa in ordine ad quantum, quod non eſt locus, ſed locatum; & quantitas in ordine ad quantum, quod eſt locus, nil conducit, vt infra ſtrictum eſſe extenſionis diſtinguantur.

38 Præformatum argumentum deſumpſi ad notabile præveniendum effugium; eo namque quod ſubſtantia ſecundum ſe habeat extenſionem in ordine ad totum, debet petere, quod vna pars correſpondeat parti diſtinctæ quantitatis, ac alia; ac proinde ſic ſecundum ſe habere extenſionem, in quantitate, ac quanti-

tas

tas in quantitate: vnde quantitas quoad circumſcribi, ſic foret locus, ſeu ſuperficies ſubſtantiæ ſecundum ſe, ſicuti quantitas foret, & eſt locus quantitatis. Invenirent tamen differentiam ex eo, quod vna, ſcilicet, ſubſtantia non haberet extenſionem in ordine ad locum, ſed in ordine ad quantitatem, eo quod quantitas, in qua extenditur ſubſtantia, ſit firma, fixa, & immobilis in ea; at autem quantitas, in qua petit extendi quantitas, eſt variabilis, ſicque locus: vnde dicerent, quod vna haberet extendi localiter, ſecus alia. Contra iſta enim formavi argumentum, quod confirmari poterat ex eo, quod ſi omnes mundi quantitates firmiter ſituarentur, nil intrinſecum deficeret, adhuc actuali extenſioni quantitatis. Tum, ſi Deus ſtabiliſſet, quod quantitates, in quibus ſunt ſubſtantiæ, variarentur, vt variantur ſuperficies aëris, eo aliæ conſimiles venirent, ſic vt primis æquivalerent, vt dicitur de aëre ambiente turrim, vel forſan de variatione ſolius quantitatis, quam poſſet Deus ſatis connaturaliter facere per nutritionem, ſeu augmentationem; tunc foret ſubſtantia, nullo intrinſeco ei deficiente, extenſa immediaté ad quantitatem, ſicuti quantitas, &c.

39 Quod eo ipſo, quod ſubſtantia ſit extenſa in ordine ad totum ſecundum ſe, ſecundum ſe petat extendi in ordine ad quantitatem, videtur manere ſuaſum, & hinc clarius renovatur; quia non minus immediata eſt quantitas ſubſtantiæ, quam ſit quantitati immediatus locus; ſed eo ipſo, quod quantitas habeat partes extra partes ſecundum ſe, eas ſecundum ſe habet ſecundum locum; eo enim ipſo, quod vna ſit extra aliam, eadem eſt extra locum alterius: ergo & eo ipſo, quod ſubſtantia habeat ſecundum ſe partes extra partes, eas ſic habebit ſecundum quantitatem: ac proinde ſubſtantia foret longa, lata, & profunda.

PRINCIPALIORA ARGUMENTA ſolvuntur.

40 Obijc. 1. Separata quantitate à ſubſtantia materiali, vel partes ſubſtantiæ manerent extenſæ in loco, vel non? Si velis, negativé reſponde, ſicque dic, partes illas in vnico puncto reddi penetratas. Contra inſurgit Poncius, inferens cum pluribus alijs, quod ad illud punctum motus illarum partium fieret in inſtanti; quia ſi minus, quam inſtans detineantur, circumſcribentur ab aëre. Deinde inquirit, à quo principio ille motus procedat? Quibus varié reſpondent quam plurimi.

41 Reſponde, nullam ſequi repugnantiam ex eo, quod in inſtanti exequeretur; quia motus ille fieret iuxta mobilis exigentiam, cum motus actus mobilis ſit, & mobile foret inextenſum, ac proinde inextenſo, ſeu inſtantaneo motui habiliſſimum. Mobile ergo eſſet ſecundum ſe incapax eſſendi in loco circumſcriptivé, inſtar angelica ſubſtantia, ac per conſequens, præciſa quantitate, motum circumſcriptis proprium non haberet; nam ſicut ſolum propter quantitatem localiter extendebatur, ſic & ſolum propter ipſam localiter moveretur. Vnde præciſa quantitate manerent partes ad conditionem ſubſtantiæ angelicæ, quæ ſicut in inſtanti poteſt plura ſpatia inadæquata percurrere, ſic omnes illæ partes in inſtanti percurrerent omnia illa inadæquata ſpatia. Subiectum igitur, reſpectu cuius motus non valet fieri in inſtanti iuxta mobilis naturam, eſt illud, quod ita petit eſſe in hoc ſpatio, quod non ſit in puncto, ſed in punctis; non in parte, ſed in parte extra partem; quo pacto ſicuti non datur punctum, ſed puncta in ſpatio, nec connaturaliter dabitur inſtans, ſed inſtantia in motu: ac per conſequens ſicuti dabatur pars extra partem quoad locari, & & correſpondebit pars poſt partem quoad moveri.

42 Deinde ad ſecundum contrariorum quæſitum, reſponde, quod ille motus fieret à Deo iuxta aliquam conditionem illarum partium concurrente. Partes enim illæ ſolum erant extenſæ propter quantitatem: ergo ſi quantitatem Deus in inſtanti aufferret, nil mirum, quod in inſtanti manerent abſque extenſione, ac per conſequens inſimul penetratæ, inextenſæ, & indiviſæ. Sic ſi Deus calorem aufferret ab aqua in inſtanti, in inſtanti aqua redderet ad ſuum ſtatum pro tunc connaturalem. Similiter ſi Deus relinqueret naturam aſſumptam, ſtatim natura redderetur ad ſubſiſtentiam propriam. Id pariter probabiliter dicitur ab aliquibus de accidentibus Euchariſticis, (apud Scotum in 4. *d.* 12. *q.* 2. & 3.) à quibus ſi Chriſtus recederet, non ſolum vt Auctor naturæ ſtatim poneret ſubſtantiam propriam, quin & accidentia ipſa inſtantaneo moverentur ad illam.

43 Nec ignoro, quæ inſtantiæ imminenant; eas præcave ſtans in hoc, quod ſubſtan-

tantia ſecundum ſe non exigit partes extenſas, quia ſic foret quanta; nec exigit non habere partes extenſas, quia ſic cum quantitate foret violenta. Sed dices, quod ſecundum ſe dicit quandam veluti potentiam neutram, taliter, quod cum quantitate, requirat extenſionem, & eam non requirat abſque illa. Hæc enim, & maiora miracula componimus Scotiſtæ ſuaviter in natura vniverſali negativé indifferenti ſecundum ſe, nec dicente Petrum, quia ſic malé foret in Paulo, nec excludente eſſe in Petro, quia ſic nunquam foret in illo; ſed ſic, quod in Petro, petat non eſſe in Paulo, & é contra prout in Paulo; & ſic, quod illis ablatis, ſecundum ſe maneat ſine determinatione ad vllum.

44 Sed vlterius cupient ſcire, verſus quam partem, illius ſubſtantiæ partes confluerent: nec non dicent, quod illa pars ſemper foret materialis, ac proinde à vicino materiali non poſſet non ambiri. Reſponde, quod cum ablata quantitate deberent eſſe vnum, omnes ad invicem confluerent ad eſſendum in qualibet. Sicuti enim poſita vnione inter materiam, & formam adinvicem vniuntur, & ablata adinvicem ſeparantur, ſic omnes illæ partes ita confluerent, quod ſicuti poſita quantitate omnes divertuntur ad diverſa, ſic & ablata omnes confluerent ad idem; ità vt quævis eſſet in omnibus, & omnes eſſent in qualibet per confluxum ſimultaneum. Ad ſecundum reſponde, quod eſſent determinaté in aëre, v. g. ſicuti Angelus eſt determinaté in hoc loco. Non autem eſſent circumſcriptivé, quia non eſſent totæ in toto aëre, & pars in parte aëris; ſed eſſent totæ in toto aëre, & quælibet in toto aëre: qui modus eſſendi cum ſit ſimilimus modo eſſendi Angelorum, qui ſunt toti in toto, & toti in qualibet parte, (nota tamen in Angelis eſſendi differentiam; ipſi enim ſunt toti in qualibet parte; at ibi pars poſſet eſſe in toto) dicitur ab Scoto diffinitivus, ſeu diffinitivus negativé, id eſt, non circumſcriptivus.

45 Perſiſtent dicentes adhuc, illam ſubſtantiam difficulter poſſe habere extenſionem; quia ſi partes eius, nec quoad totum habent extenſionem, difficile invenietur, quomodo quantitas diſponet, quod hæc ſubſtantia ſit in capite, & alia in collo extra caput. Reſponde, ad id ſufficere, ſubſtantiam capitis eſſe ſecundum propriam entitatem realiter diverſam à ſubſtantia colli; quo ſuppoſito habent ſufficientem habilitatem, vt ab agenti per quantitatem vna ponatur in hac organizatione, & altera in diſtincta, ſic vt entitativa diſtinctio ſit ſufficiens, vt vna in hac quantitate præſtet hunc effectum, & alia diſtinctum. Tum reali, & entitativa partium diſtinctione ſuppoſita, poſſes recurrere ad vim vniuſcuiuſque ſpecialem, ſecundum aliquam occultam ſympathiam attrahens hanc, & non aliam.

46 Obijc. 2. intendens probare, illam partium extenſionem in ordine ad totum, non poſſe eſſe effectum formalem quantitatis. Explicatur ſic à P. Peinado: ideo parietem eſſe album eſt effectus formalis albedinis, & materiam eſſe animatam effectus formalis animæ, quia parietem eſſe album, & materiam animatam, dantur in rebus per id præcisé, quod albedo vniatur parieti, & anima materiæ, quovis alio ſeclulo; ſiquidem eſſe album formaliter, eſt habere albedinem, & eſſe animatum, habere animam; ſed partes ſubſtantiæ eſſe extenſas in ſe, & in toto, non dantur in rebus per id præcisé, quod quantitas vniatur ſubſtantiæ, ſed per aliquid realiter diſtinctum, nempé per exiſtentiam vnionis integralis ſubſtantialis, quam habent, & defectum vnionis alterius rationis; ſiquidem eſſe ſic extenſas non ſtat formaliter in hoc conceptu, *habent quantitatem*, ſed in hoc, *vniuntur ſubſtantialiter, & non ſecundum ſe totas*, qui conceptus ex parte obiecti realiter diſtinguitur adæquaté à quantitate: ergo extenſio ea partium non eſt effectus formalis primarius quantitatis.

47 Huic argumento, immeritó deſpiciendo, duplicem adaptabo ſolutionem. Reſponde primó dicendo, vnionem non ſic eſſe effectum formalem, & proprium quantitatis, quam diſtinctionem, debitam extenſionem illis partibus dantem. Igitur dices, partes illas ſecundum ſe bene vniri, & in tanta intimitate, quod ne maneat confuſio, & defectus debiti ordinis, requiratur quantitas, non vt inſimul vniat, ſed vt eas ſe vnientes diſtinguat; vel partim aufferens illam vnionem, (ſi vnio ſubſtantialis reputetur prior ad quantitatem) quæ eas abſque ordine confundebat, cum ſecundum ſe totas vnitæ, forent inhabiles ad extenſionem in ordine ad totum; vel ad ipſum inſtans vnionis partium ſubſtantiæ, per ipſius quantitatis communicationem, inſimul ac illæ ſe vnientes, ipſa quantitas impediens, ne adæquata, & omnimoda foret vnio, & intimatio. Vnde dices, quod extenſio in ordine ad totum, non ſic formalizatur ab vnione ſubſtantiæ, ſicuti ab ipſa quantitatis diſcretione; quod facilé per-

percipietur, ſi attendatur, quod improprium, imó & repugnans ſit principio vnitivo, ſecundum ſe non extenſo, vnire, & inſimul vnita extra ſe ipſa relinquere: ergo quod illius ordinis, & extenſionis eſt proprius, à quantitate formaliſsimé derivatur.

48 Reſponde ſecundo, quod quomodocumque illa vnio ab ipſa ſubſtantia cõſtruatur, ita vt materialiter ſtrictè habere vnionem illam integralem, non foret habere quantitatem, prout ex paritatibus, rectè adductis, deducebant; tamen formaliter ęquivalenter vnio illa integralis deberet reputari vt effectus proprius, & ſpecialis ipſius quantitatis. Ratio eſt; quia ſic ponitur illa vnio extenſiva, quod ſi quantitas non poneretur, nec poneretur illa extenſio; quare cum ſolum ponatur ad, ſeu ob præſentiam intimam quantitatis, quantitati ipſa eſt appropriãda. Et eſt vlterior rationis ratio, quia ablata illa extenſione ſubſtantiali, ſi quantitas maneret, vt in Euchariſtia manet, non aufferretur extenſio quantitativa, eo quod in linea extendendi, quantitas ſit robuſtior, & inſtar primũ principium, & radix; at autem ob idem ablata extenſione quantitativa, aufferretur omnis propria extenſio, vt ſupra dicebamus.

49 Obijci ſolet ab aliquibus per plurium inconvenientium poſitionem; v. g. illud de bibente aquam, qui per vnius guttæ libamen, totum mare extingueret, &c. Cui, & conſimilibus facilimé occurres, dicens, quod ablata quantitate nil illud repugnaret: ſine quantitate ergo, nec haberet pondus, nec occuparet ſpatium, cui non ſufficeret leve pectus. Sic enim Chriſtus ſumitur, & totum eius corpus eſt intra os delicatum, quin id repugnet ob extenſionis, & impenetrationis defectum.

QVÆSTIO IV.

De ſpeciebus quantitatis.

50 CVm Ariſtot. cap. de quantitate diviſiſſet eam, dicens apud Scotum à q. 16. *Prædicam. Quantitatis aliud quidem eſt continuum: aliud diſcretum, &c.* reſtat, vt circa quantitatis ſpecies aliqua, poſsibili brevitate exponamus. Quantum igitur dividitur primó in continuum, & diſcretum. Continuum dicitur, cuius partes aliquo nexu vinculantur; diſeretum veró é converſo. Vtrumque apud Scotum exemplaribus explicuit Ariſt. dicens: *Eſt autem diſcreta quantitas, vt numerus, & oratio: continua veró, vt linea, ſuperficies, & corpus: amplius autem præter hæc, tempus, & locus* Sic etiam habetur in 5. *Metaph. contex.* 18 apud Scotum ſupra in q. 18. ſecundum quem Scotus refert, quod ſecundum rationem diviſibilitatis ſumuntur ſpecies quantitatis; quia diviſibile in non continua eſt numerus, vel oratio; in continua ſecundum diviſionem vnam, linea: ſecundum duas, ſuperficies: ſecundum tres, corpus: & ſecundum alias differentias diviſibilitatis, poſſunt ſumi tempus, & locus.

51 Ex quibus vtraque quantitas (eximia profecto quantitatis differentia, præ aliorum ſpecierum diviſionibus) valet vltra dividi, ſeu circumdividi in ſucceſsivam, & permanentem. Succeſsiva continué dicitur illa, cuius partes intimé connexæ ſimultaneo non coexiſtunt, v.g. tempus. Permanentia continué intelliguntur quoad intrinſecam durationem écontra. Succeſsiva diſcreté dicuntur illa, cuius partes invnum confluunt, v.g oratio. Permanentia diſcreté dicuntur illa, cuius partes invnitę perſeverant, v.g. numerus: vlterius eſt addendum, quod inter ſpecies quantitatis cõtinuæ poſuit Ariſt. motum, qui ſucceſsivé continuatur; & licet Ariſt. in Logica motus mentionem non feciſſet, tamen illius meminit in Metaphy. vt videri poteſt apud Scotum in 5. *ſua Metaph. quæſt.* 10.

52 His ita prævisis, examinandum venit, an prædividentes, & prædiviſæ quantitatis ſpecies ſint veræ? Circa quod, vnum fateor, & aliud noto. Fateor talis quæſiti reſolutionem eſſe difficilimum, tum ob nimiam confuſionem ex tot ſpecierum multitudine ortam: tum ex eo, quod in omnes prædictas ſpecies quantitatis ſic genus ſupremé quantum diſtrahatur, quod in aliquibus ſolum impropriè, & tranſumptivé remanere videatur quantitas. Noto, me aliqua cura, præfata puncta prævidiſſe, advertens in eorum intenſione, plus nominis, quam realitatis conſequendum examen; tum propter dicta: tum, quia plura ſiſtunt in vocibus, ſyllabis, vnitatibus, morulis, & ſic alia, quæ potius nomen, vel placitum, quam Metaphy. rogant. Quapropter laudo aliquos, hæc velociter tranſeuntes; nec non, ſi Scotus non contradixiſſet, imitarer alios, feré omnes illas quantitatis, veras ſpecies negantes; quia licet non plus inveniatur veritas, ſin autem claritas.

ART. VII.

VERITAS QVANTITATIS continuæ examinatur.

53 DIvidebatur primó quantitas in continuam,& diſcretam,eratque vtrumque membrum diviſibile amplius; quare ſolito ſervato ordine, prius videbatur agendum de continuo,& diſcreto,quam de eorum ſub ſpeciebus;tamen alterius determinationis gratia, ad vtrumque attendentes, examinabimus ordinaté, prius quidquid continuum, & poſterius quidquid diſcretum.

QVANTITAS CONTINVA.

54 REſolvendum eſt, continuam quantitatem eſſe veram ſpeciem. Ita Scotus in *quæſt.* 18. *Predicam.§.ad quæſtionem*,vbi ait: *dicendũ, quod quantitas eſt genus, quia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, vt de quantitate continua,& diſcreta; quia quæſito,quid de vtroque eorum, ſufficienter reſpondetur, quantitas. Et eſt generaliſsimum, quia non habet genus ſupervenieus. Nil enim de eo prædicatur niſi ens,quod non eſt genus, quia nec vnivocum. Et eſt vnum genus,quia ſecundum vnam rationem dicitur de omnibus ſuis ſpeciebus.* Vſque adhuc Scotus. Suadetur de continua ſpecie aſſumptum; quia ſive quantitas ſiſtat in menſura, ſive in diviſibili, ſive in extenſo, ſive in impenetrabili, poteſt ex continuitate convinci: ergo. Prob. quia continuitas non deſtruit vllam earum expreſsionum, cum vlna v.g. ſit continua, quin id impediat ei,eſſe menſuram, ſeu menſurabilem,eſſe diviſibilem,extenſibilem,& impenetrabilem: ergo continuitas recté contrahit, & perficit quantitatis rationem ſupremam, ſic vt ex ipſa valeat convinci.

CONTINVA PERMANENS.

55 COntinua permanens dicitur intersecté de linea,ſuperficie, & corpore, tres famoſæ quantitatis permanentis ſpecies,ſecundum quas quãtum triplicem habet dimenſionem,vt eſſe longum, latum, & profundum: vnde in corpore quantitativo datur ratione huius trinæ extenſionis, trinam loci differentiam habere, iuxta quas corpus adæquaté metitur, & verſus locum à nobis menſuratur: vnde dicitur triplici dimenſioni habilitatum.

56 Reſolvendum eſt,trinam illam rationem, quanto continuo ſpecialem addere differentiam, eſt expreſſa Scoti vbi ſupra, & alibi citandi. Suadetur; quia omnibus convenit, & diverſo modo definitiva quantitatis ratio: ergo omnia ſunt quanta, & ſpecialem differentiam addentia. Prob. antec. quoad primũ; quia linea eſt extenſa diviſibilis, & impenetrabilis ad longum; ſuperficies ad latum, & corpus ad profundum: ergo. Prob. quia linea ad longum habet,ſive partes extra partes, ſive puncta extra puncta; aliàs ei deficeret longitudo,vt deficeret orationi,ſi non haberet ſyllabas extra ſyllabas; & ſimiliter ſuperficies, & corpus:ergo. Quoad ſecundam partem,nec non quoad primam, prob. quia ex eo motus rectus, & curvus, motus inſtantaneus, & ſucceſsivus valent in ſpecie motui vt ſic addere differentias, quia dum cuicunque convenit moveri, cuicumque convenit aliter moveri; (adde pro primæ partis confirmatione, quod motus ſucceſsivus eſt diſtinctus, quia prolongatur; nec non prolongatur, quia habet partes extra partes, ſeu poſterius extra prius: ergo & ſic longum in permanentibus, vt dicebatur ſupra) ſed dum longo, lato, & profundo convenit extendi,cuicumque convenit aliter extendi: ergo. Nec iſtud, aliud requirit examen.

57 *Rurſus locus continuorum eſt*, inquit *cap.*eod. Ariſt. apud Scotum *in q.22. Prædicam.* Vnde venit diſputandum, an locus ſit quantum, & continuum. Circa quod,tam ſupra,quam in 5.*Metaph.q.9.* reſolvit Scotus, quod locus non addit diſtinctam quantitatis ſpeciem, ac proinde pro formali ſumptum, non eſſe quantitatis ſpeciem, ſed ſolum pro materiali;quo pacto eſt indiſtinctus à quantitate ſuperficiei. Vt igitur reſolutionem percipias, debes breviter advertere, quod locus poteſt accipi pro ipſo toto corpore locante, vel pro vltima ſuperficie corporis locantis. Quolibet modo ſumatur, ſumetur materialiter; cum hac tamen differentia, quod ſumptus pro corpore locante, ſumatur locus materialiter remotus; ſumptus veró pro vltima ſuperficie corporis illius locantis,& immobiliter continentis,&c. ſumetur materialiter proximé,ita quod locus pro materiali proximo ſit ſpecies quantitatis continuæ, eadem formaliter cum ſuperficie. Vlterius locus ſumi poteſt formaliter, prout ſcilicet dicit relationem continentiæ; quo pacto ſolum extrinſecé, & ratione ſuperficiei poteſt dici extenſus, & impenetra-

bi-

Digitized by Google

bilis, ſcilicet *per naturam materialis ſui* (inquit Scotus *in q. 23. Prædicam.*) *Sicut cæteræ formæ fundata in quantitate, ſunt per accidens diviſibiles per naturam quantitatis:* quare ſecundum ſe, & pro formali potius ad prædicam. *Vbi* ſpectat.

58 Suadetur reſolutio quoad vtrumque: locus non enumeratur inter ſpecies quantitatis 5. *Metaph. contex.* 18: ergo vel eſt inſufficiens ibi, vel locus non eſt quantitas. Suadetur 2. quia locus per ſe dicitur ad locatum; ſed quod per ſe dicitur ad aliud, eſt in genere relationis: ergo. Quod locus non ſit alia ſpecies à ſuperficie, ſuadetur; quia locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis &c: ergo locus pro materiali non habet diſtinctam in ſpecie extenſionem. Vſque adhuc Scotus *in q. 20. & 21. Prædicam.* Rurſus, quod licet locus ſit quantus, & continuus, quod tamen neceſſariò non habeat continuitatem, poteſt ſuaderi illo argumento ab Scoto adducto *in q. 22.* ſcilicet ſic: figatur virga aliqua continua in terra, cuius pars ſit in terra, pars in aere: tunc (inquit Scotus) arguo; locus eſt vltimum corporis continentis; ſed vltimum aeris, & vltimum terræ, quæ locant hoc locatum, non ſunt continua, ſed tantum contigua: ergo locus huius virgæ non eſt continuus. Sed quidquid vltra ſit de hoc, videbitur ſuo loco.

59 Ex hoc ſequitur (inquit Scotus in *q.* 23. cuius verba, vt ſatis clara, pro ſolutione ad contraria Ariſtot. adducam) ſolutio primæ quæſtionis, ſcilicet, quod non ſufficienter enumerat ſpecies quantitatis, ſaltim quoad hanc ſpeciem *locus*. Ad Authoritates Ariſtot. in oppoſitum ad omnes quæſtiones, dicendum, quod non loquitur hic de loco ſecundum propriam opinionem, ſed ſecundum opinionem ponentium, locum eſſe ſpatium æquale locato, & ſecundum illam, eſſent hæc omnia vera de loco. (Eſſent omnia vera de loco, quia ſi locus formaliſsimé ſumptus foret de per ſe æqualis locato, foret locus ſecundum ſe menſura intrinſeca proprié valens metiri locatum, ac proinde æqualem dimenſionem habens; quo pacto locus foret quantum, vt à quocumque alio abſoluto corpore diſtinctum; quare Scotus ait, quod locus non eſt menſura per ſe, ſed per naturam ſui materialis, quod eſt ſuperficies: vnde ſecundum eamdem dimenſionem menſurat, ſecundum quam, & ſuperficies. Et ſi arguatur contra hoc, quod aliam rationem menſuræ habet à ſuperficie; eſt enim menſura extrinſeca, ſuperficies intrinſeca: reſpondet Scotus, quod intrinſecum, & extrinſecum per ſe non variant rationem menſuræ à ſuperficie; ideo enim eſt extrinſeca.

60 Quapropter illa opinio improbatur ab Ariſt. 4. *Phyſ.* (proſequitur Scotus, vt ſupra.) Ita frequenter quando loquitur de aliquo, vbi non eſt proprius locus determinandi veritatem, de illo vtitur communi ſententia aliorum vſque alibi, vbi locus eſt, de illo veritatem determinare, dummodo ars poſsit dari ſecundum ſententias aliorum, ſicuti & ſecundum veritatem propriam. Ita eſt pene de omnibus exemplis in Logica; quia ſi ſic ſit, vel nõ curat, ſed quod ars ſit vera in iſtis, ſi hæc ſint talia, ſicut hic ſufficienter manifeſtatur, quantitatem eſſe genus, quia habet ſub ſe multas ſpecies intermedias, & ſpecialiſsimas; ſive locus ſit aliqua iſtarum, ſive non.

CONTINVA SVCCESIVA.

61 A*Mplius autem præter hæc tempus*, inquit Ariſtot. cap. eodem apud Scotum in *Prædicam. q.* 20. Vnde venit examinandum, an tempus ſit quantitatis ſpecies. Circa hoc videtur, Scotum in Prædicam. ad partem affirmativam ſatis clare eſſe propenſum, ibique citat Ariſtot. eiuſdem contraria in 5. *Metaph. contex.* 18. in huius reſolutionis ſavorem explicat. Suaderi poteſt; quia tempus eſt ordinaté extenſum, diviſum, & adhuc de abſoluta potentia impenetrabile: ergo. Prob. quia integré conſtituentia tempus ſunt partes, aut inſtantia; ſed nullum poteſt dari inſtans, quod ſecundum talis naturam non petat eſſe extra aliud: ergo. Prob. min. quia nullum datur inſtans, quod non petat eſſe poſt aliud, vel ante aliud, vt patet in præſenti, futuro, & præterito: ergo. Vlterius id poteſt proprius probari contra naturam qualitatis, quæ eſt diametrum directius quantitati oppoſitum. Nullum enim datur tempus, quod in eodem aliquo poſsit erga inſtantia ſuſcipere intenſionem, ſic vt vnum inſtans actù manens intendatur per aliud: ergo omne tempus dicit ex ſe actum intenſioni contrarium, qui eſt prædictus. Deinde, quod ſit continuum patet, cum inter inſtans, & inſtãs, nil mediet abſque inſtanti.

62 Rurſus noto, quod licet tranſumptivé, poteſt tempus dici extenſum verſus longitudinem; non autem aliter, eo quod non habeat eſſe latum, nec profundum; verſus has enim conſiderationes indiviſibiliter tranſit. Dicitur tamẽ longum, vt lato contrapoſitum; quo pacto tempus breve poterit longum dici, cum tametſi breve, omnĩ latitudine careat.

63 Dices, quod apud Ariſtot. 5. *Metaph.*

tem-

Digitized by Google

tempus eſt quantum per accidens;ſed de nulla ſpecie genus prædicatur per accidens: ergo tempus non eſt quantitatis ſpecies.Item per ipſum ibidem, tempus eſt quantum per motum; ergo motus magis quantus,iuxta illud 1.*Poſter. propter quod vnumquodque eſt tale* &c. ac proinde erunt plures ſpecies,quam hic enumerantur. Tum tempus eſt numerus per Ariſt. 4.*Phyſ. context. 101.* ergo non eſt alia ſpecies ab eo. Reſpondet Scotus, & dicit ad primum,quod aliquid eſſe quantum per accidens, ſive per aliud, poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet,effectivé,vel formaliter, v.g. forma ſubſtantialis,quæ effectivé eſt propter aliud;ſecus autem formaliter, ſic enim eſt propter ſe, vtpote primum principium. Itaque formaliter non eſt tempus quantitas per aliud, id eſt, nil eſt formaliter, per quod recipiat prædicationem quantitatis,quæ eſt genus, ſed illud prædicatur ſic de tempore primo modo. Effectivé veró quodam modo poteſt dici tempus quantum per aliud;quia effectivé ſuam eſſentiam,& ſuam quantitatem, quæ eſt ſua eſſentia, habet ab alio,ſcilicet,à motu; non tamen efficit aliquid, quod tempus ſit quantitas.

64 Ad ſecundum reſpondet Scotus, quod illa propoſitio Ariſtot. *propter quod vnumquodque* &c. tantum eſt vera, vbi aliquod vnivocum dicitur de cauſa, & effectu, quod vltra,natum eſt recipere magis, & minus, & quando cauſa eſt per ſe,& totalis,defectu quorum non valet, quod cognitio ſit accidens ab intellectu: ergo intellectus eſt magis accidens. Quare ait Scotus, quod prima conditio deeſt hic,& ſecunda ſimiliter. Primum probat;quia tempus eſt quantitas;motus non eſt quantitas; quia tota eius ratio poteſt intelligi convenire indiviſibili: ergo defectu vnivocationis in quanto,non ſequitur, quod motus debeat eſſe magis quantus,quam tempus.

65 Reſpondet Scotus ad tertium,& dicit, quod numerus aliquando tranſſumitur, vt generaliter ſumatur pro menſura: forte propter hoc,quod ratio menſuræ in quantitatibus,primó convenit numero; quo pacto numerus idem dicet,ac menſura;& ſic ponitur in definitione temporis numerus, id eſt menſura; non autem ponitur, vt numerus eſt quantitas diſcreta;ſic enim eſſet æquivocatio ſecudum modum; nec poſſet adaptari tempori, quod eſt quantitas continua.

66 Reſtat pro complemento quantitatis continuæ,examinare de quantitate motus.Negativam partem admittunt plures, eo quod Phyloſophus, nec in Logica, nec in Metaph. motum inter ſpecies quantitatis numeraſſet. Sed licet ab authoritate id non parum ſuadeat, tamen interpretabunt aliqui dicentes,quod eo ipſo, quod numeraſſet tempus, relinquebat æquivalenter numeratum motum, cum illud ſit numerus motus. Tum dicent alij, quod licet motus non ſit diſtinctus realiter à tempore; ſin autem formaliter, quod ſufficiet, vt diſtinctam ſpeciem in quantitatis prædicamento conſtituat. Tum dicent alij,quod tempus, & motus ſunt omnimode idem; ac proinde vera ſpecies quantitatis,licet non diſtincta;ac proinde non defeciſſe Ariſtot.illum reticens,dum tempus vocitavit.

67 Alij rationibus ducti, negativam partem deffendunt;dicunt enim,extenſionem motus non eſſe propriam, vtpote quantis requiſitam;ſed ſolum eſſe entitativam. Sed hæc ratio non convincit; quia vel per extenſionem entitativam percipiunt, quod ipſæ partes motus petant extendi ſecundum talem entitatem partium;vel percipiunt, quod in motu non ſit alia extenſio,ac illa, quæ eſt in aliquibus qualitatibus penetrabilibus,& ſolum ratione ſubiecti quanti impenetrabiles? Si primum percipiant; evertentur; dicent ſiquidem, quod eo modo etiam extenſio quantitatis poteſt dici entitativa, cum ſic partes extendantur, quod à propria entitate quanta id petant. Si percipiant ſecundum,evertentur etiam;dicent namque, quod licet motus effectivé (vt dicebat Scotus de tempore) à ſubiecto habeat extenſionem, non autem formaliter; quod ſuadebunt contra paritatem qualitatum ex eo,quod ſit impoſsibile, quod dentur plures partes motus, quin ſint impenetratæ; bene veró poſſunt dari plures qualitatis com penetratione. Vbi notare oportet, quod licet mobile poſsit in inſtanti acquirere ſpatium plurium inſtantium; nunquam tamen videtur inferri, quod motus ſit vt qualitas, quæ remanet inextẽnſa, dum erat per aliam providentiam ſubiecti extenſa. Ratio eſt; quia qualitas manet inextenſa habens, & conſervans omnes illas partes, quæ in ſubiecto habebant extenſionem; at vero motus non ſic, quia dum mobile per inſtans percurrit,quæ ante per plura,non dantur omnes illę partes motus, quia ſi darentur,extenſionem debebant habere; ac proinde nil mirum, cum hinc deficiat motus, qui erat extenſionis intrinſecum, & formale principium.

68 Noſtratum alij etiam negativé reſolvuntur,idque ſuadent vt firmum apud Scotum, & rationem. Dicunt enim, Scotum præfatam reſolutionem abſque dubio habuiſſe. Deinde ſuadent ratione; quia vel motus ſumitur materia-

terialiter, vel formaliter? Si materialiter: motus, ſeu continuus fluxus, nil aliud eſt quam ipſa forma, ſeu entitas fluens, ac proinde ſic non conſtituere ſpeciale quantitatis prædicamentum, ſed ſpectare ad illud, ad quod entitas fluens ſpectet. Sin autem motus ſumatur formaliter; tunc erit relatio, cum fluxus ille formaliſsimé acceptus, ſit reſpectus; ac proinde ſic ad relationis prædicamentum ſpectabit.

69 Expono proprium animum, & dico, in nullam partem poſſe firmiter adduci Scotum; ni fallor, problematicus extitit, vtpote dependens tunc à plurium difficultatum reſolutione. Primum eſt certum, quia vbi ſupra in *Prædicam.* claré dat tempori quantitaté, ipſam motui negans. Deinde *in 5. Metap. q. 10.* claré contrarium affirmat, ſic quæſtionem ſignans: *vtrum quantitas, qua motus eſt quantus, ſit tempus?* Quapropter circa ſecundum tendens, ſentio, quod qui velit concedere, tempus eſſe quantum, & tale non eſſe motum, debet deinde deffendere, motum eſſe realiter diſtinctum à tempore; quod ſatis bene ſuadet Noſter Rodriguez hinc. E contra veró, qui contrarium deffenſare cupiant. Tum, qui intendat deffendere, motum eſſe quantum, debet vltra tenere, motum non eſſe reſpectum, nec ſumi pro forma fluente; ſed dicet, dari quemdam fluxum vialem, qui ſit diſtinctus à forma fluente, veluti id, quo forma fluit, qui non eſt relatio, vel quia non datur terminus, vel quia ex fluxu illa reſultat. Quod probabiliter vidi apud aliquos deffenſatum. Igitur ab his, & alijs reſolutionibus maturé habendis, huius firma reſolutio pendet; quare in præſenti nil firmiter deduco, ſed preciſé expono modum, à quolibet tenendum, quem ſcopum hinc Scotum ſervaſſe præſumo.

QVANTITAS DISCRETA.

70 Q*Vantitatis autem aliud quidē eſt continuum, aliud diſcretum* &c. dicebat Ariſt. cap. eod. apud Scotum *q. 16. Prædicam.* Vnde venit examinandum, an diſcretum veré ſit quantum. Affirmat Scotus in *q. 18.* dicens, quod *quantitas eſt genus, quia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, vt de quantitate continua, & diſcreta.* Sic infertur ex ipſo ratio: illud veré eſt ſubijcibile generi, quod immediaté ipſum dividit per rationem directé oppoſitam alteri ſubijcibili ſpeciei, ipſius generis immediaté diviſivæ; ſed tale eſt diſcretum reſpectu generis quantitativi: ergo. Prob. min. quia diſcretum directé opponitur continuo, ita, quod continuum non poſsit habere aliquam differentiam directiùs oppoſitam, quam diſcretum; ſed continuum, vt vera ſpecies additur quanto: ergo tale erit diſcretum reſpectu generis quantitativi. Suadetur totum in ente per ſe immediaté diviſivo entis, & in ente ab alio, et immediaté oppoſito: tum in rationali immediaté addito animali, ita vt nil poſsit dari directé rationali oppoſitum, quod reſpectu animalis non ſit ſpecies condiviſiva; ſed continuo, nil poteſt dari directius oppoſitum, quam diſcretum: ergo. Argumentis ſatisfacit Scotus ibi, quibus infrà ſatisfaciam.

DISCRETA PERMANENS.

71 E*St autem diſcreta quantitas, vt numerus, & oratio*, dicebat Ariſtot. cap. eod. apud Scotum ſupra, vbi claret diviſio diſcreti in permanens, & ſucceſivum: permanens, vt numerus: ſucceſivum, vt oratio. Igitur de numero diſputantes, venit examinandum qualiter numero competat eſſe quantum; circa quod, vt in initijs huius quæſtionis notabam, plura plures diffundunt, quæ multum nomine, & æquivoco laborant, difficilimé reducibilia ad clarum ſenſum.

72 Solet igitur ab Auctoribus dici, quantitatem diſcretam eſſe illam, cuius partes termino communi non copulantur, vt numerus trium hominum, quatuor plantarum &c. Vlterius ſolet dici, numerum alium eſſe tranſcendentalem, & alium prædicamentalem. Tranſcendentalis dicitur ex rebus non quantitativis conflatus, ſeu ex vnitatibus à quanto avulſis, vt duodecim legiones Angelorum, ipſorumque millia millium &c. qui numerus vocatur tranſcendentalis, quia per omnia prædicamenta divagatur, vt quinarius qualitatum, ternarius relationum &c. Numerus prædicamentalis dicitur, qui ſpectat ad quantitatis prædicamentum, prout ſcilicet conſtruitur ex quantitatibus, ſeu ex quantitatum vnitatibus, ſeu ex rebus quantitate affectis. Alium ſenſum ſolet habere diſcreti difficultas, quem infra notum faciam; nunc ſolum intendam Scoti mentem aliqualiter aperire.

73 Scotus ergo in Prædicam. vbi ſupra, numerum eſſe ſpeciem quantitatis ſecundum diſcretionem, deffendit: ſed latius id exponit, & propugnat *in 5. Metaph. q. 6.* Vbi ſubtiliſsimas ſpeculationes conſumit, vt à curioſo viro videri poſſunt. Scotus namque tenet, numerum eſſe quantum, cum ſit diſcretus; diſcretio enim partem extra partem relinquit; ſic

quod

quod quanta non forent diviſibiliter, ſeu in ordine ad partes diviſibiles intelligibilia, niſi in ordine ad diſcretionem conſiderata. Vnde, inquit Scotus, quod continuum dicitur tricubitum v. g. non quia tunc in tres partes cubitales ſit diviſum, aut quia aliqua quantitas cubitalis ſit ibi actû, ſed ſolum in potentia; quia ſcilicet poſſet dividi in partes tantas, quibus trina, ſeu ternarij diſcretio poſſet competere; quo pacto manerent quanta diſcreté, quæ antea continué. Vlterius Scotus diſcretionem quantam ponit in numeris; quia vnuſquiſque numerus per diſtinctam in ſpecie diſcretionem conſtituitur, ita vt duplex numerus non poſsit actû inveniri circa eamdem materiam, v. g. quinarius, qui non conſtituitur formaliter ex ternario, & binario, veluti ex partibus ſuę diſcretionis ſpecificæ.

74 Quinarius itaque apud Scotum habet ſuam formam ſpecificam, à qua conſtituitur talis; non ita, quod licet quinarius numerus ſit vnus in ſpecie aliqua vnitate, illa vnitas debeat eſſe vltima, ſic quod quatuor vnitates ſint partes meriales, & vltima ſit completiva formaliter earum; non ita, quia ex Ariſtot. 5. *cap. de Toto*, in quibuſcumq; potentia non facit differentiam in ſubſtantia rei, neque in figura: ergo ſi prima vnitas fiat vltima, & vltima prima, nulla fiet differentia in ſubſtantia numeri; quod non ſtaret, ſi vltima vnitas eſſet forma completiva, & ſpecifica numeri, à quo habet vnitatem. Alias rationes adducit Scotus in Metaph. vbi ſupra.

75 Deinde, nec forma ſpecifica numeri ſic conſtituit vnum quinarium, quod quinarius conſtituatur ſic per quinque vnitates, quod quælibet ſit pars formæ ſpecificę quinarij; non ita, quia forma diſcretiva quinarij eſt vna ſpecies, ac proinde indiviſa, & à quavis alia forma diſcretiva in ſpecie diſtincta: vnde ait Scotus *in* 18. *Prædicam.* quod licet materialia quinarij, vtpote vnitates, ſint diviſæ, tamen quinarius in ſua ſpecie manens eſt indiviſus formaliter; quia diviſio eius perimit formam quinarij, nam diviſione facta in ternarium, & binarium, non amplius manet quinarius; licet materialia, vt vnitates, ſint ſic diviſæ. Similiter in 5. *Metaph.* vbi ſupra, tenet, quod bis tria non ſunt ſex, & ſic bis tria non ſunt ſenarius; *ſed quæ habent bis tres vnitates, habent ſenarium*; quæ prædicatio eſt puré denominativa.

76 Ex quibus, ſic formam ſpecificam numeri exponenda eſt apud Scotum: *numerus eſt vnus forma ſua ſpecifica, à qua eſt propria diſcretis exiſtens in quinque vnitatibus, vt vna materia; ſicut homo forma ſua ſpecifica eſt vnus.* Dicimus namque, quod forma ſpecifica, vnius quinarij conſtitutiva, eſt diſtincta à quinque vnitatibus, veluti à materia; quinque illæ vnitates ſunt materialiter diviſæ ſecundum ſe; quibus poſitis intelligitur vnica quinarij forma, ſecundum ſe indiviſa, vtpote vna: vna ſcilicet diſcretionis forma; quia reperitur ſolum in quinque vnis quantis, quæ quinque vna, ſunt reſpectu formæ quinarij vna materia, nec non vnum adæquatum ſubiectum ſuſceptivum denominationis diſcretionis formæ. Sic ſalvat Scotus vnitatem per ſe cuiuſvis numeri; innumera tamen in 5. *Metaph.* tradens; quæ ommitto, quia robuſtæ ingeniorum cruces, Subtili ſolum tolerabiles.

77 Circa alium diſcretionis ſenſum diſcurrentes, poteſt moveri difficultas de quanto diſcretô, dum ipſius partes erant ante continuæ: v. g. de vlna in quatuor palmos diviſa, an, ſcilicet, quantitas quatuor palmorum diſcreta, ſit alia à quantitate vlnæ continua? Circa hoc non quæritur ab aliquibus, an ſit quanta, illa quantitas diſcreta; ſed an ex diſcretione diſtinctam ſpeciem ponat? Dicebam (& ni fallor rationabiliter) in domeſtico curſu, non videri ſufficiens motivum ad diſtinctionem ſpecificam; quia in eis ſolum datur vnio, & non vnio; partes vnitæ, & partes ſeiunctæ; quæ ſpecificæ diſtinctioni non videntur ſufficere. Suadebatur in corpore, & anima vnitis, & ſeparatis: in accidenti copulato, & non copulato ſubiecto: Tum in albedine, & nigredine in ſpecie diſtinctæ, quin homo albus, & niger in ſpecie differant: ergo ſimiliter, licet vnio, & ſeparatio differant; non ſic ſtrictè partes vnitæ, & ſeparatæ, quod vrgentius deducitur ex eodem accidenti, ſubiecto vnito, & ſubiecto ſeparato: ergo etſi continuitas, & diſcretio differrent, non ſic quantum continuum, & diſcretum.

78 Exiſtimo ergo, præſentem difficultatem eſſe cum priſtina combinandam: quare dum dicitur, quantum diſcretum habere eamdem impenetrabilitatem, ac continuum, debet intelligi de quanto ſumpto in ordine ad extenſionem per magnitudinem; quo pacto vnum quantum vnitum alteri, facit magnum; non autem facit multum. Sic enim, quantum diſcretum non eſt alterius ſpeciei, quia non conſideratur vt diſcretum in impenetratione; ſed conſideratur ſine ordine ad illud aliud, à quo fuit diſcretũ, prout ſcilicet ſecundum ſuas partes continuas eſt impenetrabile cum quovis alio contInuo; ſecundum quam conſiderationem poteſt ſuſtineri, quod quantum vnitum

&c.

&c. non ſunt alterius ſpeciei cum non vnito, ſeu diſcreto.

79 Sed quantum continuum,& diſcretum eſt vlterius conſiderandum,prout ſcilicet diſcretio continui eſt principium multitudinis, ſeu numeri;quo pacto impenetrabilitas diſcreti eſt alterius ſpeciei,cum ſit tunc quantum diſcretum impenetrabile cum alio, quia multa ſunt,ſic, quod licet aliud poſsit conſiderari vt continuum,quia partes habet adhuc vnitas,tamen poſita diſcretione poteſt iam conſiderari,vt quoad numerum expellens aliud. Et quod quantum diſcretum ſic debeat conſtituere ſpeciem diſtinctam,poteſt ſuaderi;quia continuitas eſt principium formale ſpecificans quantitatem;aliàs quantitas continua non foret ſpecies quantitatis: ergo cum quantum, vt ſupra diſcretum, ſit tali continuitati immediatè, & directè oppoſitum, videtur imperceptibile, quod per diſtinctum principium formale non conſtituat quantum ſpecificum, dum illud conſtituat quantum continuum. Tum nota pro alijs, quod licet continuitas, & diſcretio non relinquant aliqua in ſpecie diſtincta; non tamen inde debet inferri, quod non ſint differentiæ de per ſe quanti. Ratio eſt; quia continuitas, & diſcretio eſt ſolius quantitatis proprium, & ſpeciale, ſic vt alijs ſolum accidentaliter competat: quare licet alia non differant in ſpecie per eas, ſecus quantitas. Exemplificatur in albo, & nigro reſpectu coloris, & in eiſdem reſpectu hominis.

80 Contra omnia vſque adhuc dicta vnum manet oppoſitum, videlicet, non dari, ex quo diſcretio, numeri principium, non competat Angelis, diuinis tribus, decem prædicamentis, &c. Fateor, hoc eſſe propè inuincibile punctum; verumtamen ſi rationali Phyloſophorum vſui ſit ſtandum, & quæſito nominis non vrgendum, dici poteſt, numerum diſcretione cauſatum eſſe ſpeciale quantitatis, ita vt alijs ſolum tranſumptivè ſit applicandum. Si enim diſcretionem bene conſideremus, inveniemus dicere veluti fractionem, ſic, quod eſſe diſcretum, ſeu fractum, propriè conveniat quantis. Diſcretio namque debet percipi vt terminus directè contrapoſitus continuitati quantitatiuæ; quæ continuitas, ſicuti rectè intuita dicit ſpecialem modum vnitatis præ cæteris alijs, ſic & diſcretio dicit diſtinctum alium modum multitudinis, & diſtinctionis. Itaque dico, quod Angeli v. g. poſſunt dici diſtincti numero, ſic vt numeroſitas ſit effectus diſtinctionis; non autem debent dici multi per diſcretionem, ſic vt numeroſitas ſit effectus diſcretionis, & ſic cogita de alijs, multa quia diſtincta, ſed non quia diſcreta. Nec hinc poteſt diſcurſus invenire plus.

DISCRETA SVCCESIVA.

81 Cum, vt diximus, oratio *in cap. eodem* inter ſpecies quantitatis diſcretę numeretur ab Ariſt. reſtat examinanda dicti veritas. Reſolui poteſt, quod oratio eſt quantitas diſcreta. Ita Scotus in *q. 19. Prædicam.* Noto tamen, ipſum hanc reſolutionem, non tantum pro ſe, quantum propter Ariſtot. tenuiſſe; ait enim: *dicendum, quod oratio eſt quantitas propter Authoritatem Ariſtot.* Probat, quod ſit quantitas; quia ſyllaba menſuratur brevis, & longa: ergo huius menſurati eſt alia menſura per ſe; ſed tale eſt oratio cum voce prolata: ergo. Probat, quod ſit quantitas diſcreta; quia partes eius ad nullum communem terminum copulantur; quælibet enim ſyllaba eſt ab alia diviſa: deinde nec actus proferentis, nec ſignificatum eas continuat; quia terminus per ſe continuans partes quantitatis, non eſt eſſentialiter extra illas; ſed hæc duo ſunt eſſentialiter extra partes orationis: ergo. Tum, quia oratio poteſt eſſe, vbi ſignificatum non eſt, vt contingendo voces non ſignificativas: ergo ſignificatum non erit continuitatis terminus.

82 Contra hæc obijc. quod ſi in oratione conſideremus ſonum ſolum vocis, & ſyllabarum, qualitas eſt, nec vllam habens impenetrabilitatem cum alijs eiuſdem rationis; nam ſæpe ſonus diverſarum vocum, ſimul in eadem parte aëris penetrantur. Si verò conſideremus ſucceſionem motus, & temporis, quo ſyllabæ orationis producuntur; ea ex parte, non aliter quantitas erit, quam motus, & tempus: ergo & de per accidens erit quantitas. Reſponderi poteſt, quod vox, ſonus, aëris percuſio, & ſic alia non ſunt ea, in quibus formaliter ſiſtit oratio, tametſi iam ea, quam plura alia ad orationem prærequirantur, vel vt materia, vel vt efficientia. Oratio enim formaliter, vt quanta, ſtat in formali diſcretione ſonori, ita vt ſucceſiva diſcretio ſit eius conſtitutivum; quare ſic eſt phyloſophandum de diſcretione orationis, ac de numeri diſcretione ſupra. Ad illud de motu dici poteſt, quod cum Scoto dicebamus de tempore, ſcilicet, tempus habe-

habere ſuam quantitatem veluti effectivé à motu;ſecus autem formaliter.Contra hæc dices,quod ſi ex diſcretione,à ſyllabis diſpoſitivé, ſeu materialiter cauſata,oratio ſit quanta, oratio ex diſcretionem non diſtinguetur à numero; ac proinde idem erit oratio, ac numerus ſucceſivus. Dic, quod numerus, & oratio conveniunt in diſcretione, cum ſint quantitatis diſcretæ membra; & differt oratio, quia ſucceſiva; at ſi diſcretionem ſucceſivam, numerum nomines ſucceſivum, nomine diſputabis.

QUÆSTIO V.

De proprietatibus quantitatis.

83 A*Mplius quantitati nil eſt contrarium* &c.*cap. eod.* inquiebat Ariſt. apud Scotum *in q.* 24. *Prædicam.* Vnde inter quantitatis proprietates ſignamus primam, *non habere contrarium*. Sed pro talis paſsionis intelligentia, & aliquorum ſolutione, eſt notandum, quæ Scotus ipſe,ſcilicet,quod contrarietas ſumitur æquivocé; ſumi enim poteſt proprié, & tranſumptivé. Tranſumptivé ſumitur pro maxima diſtantia in genere;& extenditur ad oppoſitionem privativam, ſicut *in* 1. *Phyſ. contex.* 24. dicitur, principia eſſe contraria pro forma, & privatione. Oppoſitio enim hoc modo eſt contrarietas in omni genere; quia omnis diviſio generis eſt per differentias oppoſitas. Contrarietas veró proprié ſumpta eſt maxima diſtantia formarum, quæ natæ ſunt fieri, & mutuo ſe expellere circa idem ſuſceptivum: quomodo negatur à ſubſtantia, & quantitate; quia nulla eſt forma, per quam ſic quantitas expellatur à ſuo ſubiecto. His ita à te prævisis,plurima facile diſſolves.

84 Secunda proprietas,iuxta Scotum primæ ſimilima, eſt *non ſuſcipere magis,& minus.* Pro cuius recta intelligentia breviter notabis,quæ Scotus ibidem,ſcilicet,aliud eſſe ſuſcipere maius, & minus,& aliud eſſe ſuſcipere magis, & minus: maius, & minus dicuntur ſecundum quantitatem: magis, & minus ſecundum intenſionem, & remiſionem in forma,cui adduntur; quo pacto reſpondet Scotus huic argumento: *omne totum eſt maius ſua parte; ſed quantitas aliqua eſt per ſe pars alterius quantitatis: igitur in quantitate eſt per ſe magis,& minus.* Cui,& alijs reſponde & tu iuxta præfatam doctrinam.

85 Tertia proprietas quantitatis ponitur, *eſſe æqualem, vel inæqualem*, quam cum maximé propriam vocet Ariſtot. in quarto modo collocatur.Sed eſt advertendum,æqualitatem, & inæqualitatem non debere ſumi tranſumptivé; quia ſic, nil invenitur in rerum natura, cui æqualitas, aut inæqualitas non competat. Quare prædicti termini ſunt ſumendi in illo rigore, in quo debet ſumi ratio menſuræ verſus impenetrabilia,& ordinaté extenſa. Vbi nota, quod ſi æqualitas, & inæqualitas relativé ab aliquo ſumantur,tunc recurre ad fundamenta, & materialitatem talis relationis.

86 Vltra iſtas ſolent ab aliquibus aliæ plures adduci paſsiones,vt ratio menſuræ,diviſibilitatis, extenſionis, raritatis, denſitatis, aſperitatis, & lenitatis &c.Pro quibus eſt notandum, poſſe omnes prædictas rationes, paſſiones quantitatis cenſere, dum eas intelligas in aptitudine, cum actus facilé evaneſcant; nec non dum in aliqua ratione ex prædictis, eſſentiam quantitatis ſtricté conſtitutam non præſumas.

DISTINCTIO IV.

De Relatione.

1 POST prædicamentum quantitatis agit Scotus de prædicamento Relationis, *in Logica à quæſt.*25.*vſque ad* 30. *in Metaph. in* 5. *à quæſt.*11. *vſque ad vltimam libri: & in lib. ſent.* paſsim abundat notitia. Secundum ea igitur, in reſolvendis relationum quæſtionibus, Scotum conſulentes, vtiliores examinare, poſsibili brevitate, decernemus.

QUÆSTIO. I.

Terminos,& relativorum differentias vulgariter ſignans.

2 CIrca primum multiplex terminorum notitia iuxta communem vſum (ſi aliquid ſpecialiter ſit exponendum,in pro-

Digitized by Google

propriјs infra quæſtionibus reparabitur) expedit annotandum. Quæ igitur ad relationis ſtructuram conducunt, ſolent eſſe *Relatio*, *Relativum*, *Relatum*, *Correlativum*, *Correlatum*, *extremum*, *fundamentum*, & *Terminus*.

3 *Relatio* dicitur illa forma, quæ non refertur, ſed puré habet eſſe rationem, vt aliqua, quibus adeſt, referantur, ita vt vna, aut altera ſpecialis denominatio deficiat vni, aut alteri, illa forma deficiente; ſic, quod ſaltim proximum referendi exercitium impediatur, ſi non expediatur relationis ordo: quare relatio ſolet dici *habitudo vnius ad aliud*, pluribus alijs nominibus expreſſa, iuxta verbũ Simplicij, ab Scoto ſupra *in q. 11. Metaph.* ſcilicet, *Relatio*, *Comparatio*, *Habitudo*, *Vnitio*, vel *Annotatio*, *Reſpectus*, *Adaliquitas*.

4 *Relativum* dicitur illud, quod à relatione informatur, ab eaque, vt à principio formali, habet refferri, vnum, aut alterum conſtituens concretum; dicens ex formali, & ſpeciali ratione relativi, non actum referendi, ſed virtutem relationis ſuſceptivam, vt patet in conſimilibus nominibus, v. g. dealbabile, calefactibile &c. *Relatum* importat illud ipſum, quod relativum, excepta vltima, ſpecialique notificatione actus primi; relatum namque, prout ipſum nomen indicit, exprimit actualem rationem referendi, in qua ſolum notatur diſtinctum.

5 *Correlativum* dicitur terminus quidam, intra eamdem referendi lineam alteri correſpondens; quo pacto in relationibus æquiparentiæ, vna albedo, v. g. *A.* dicitur correlata reſpectu alterius, v. g. *B*: ſimiliter in relationibus diſquiparantiæ, Pater v. g. dicitur correlatus filij, & ſic de alijs eſt phyloſophandum. Vbi, ſi vis, poteſt notare aliquam differentiam inter relata, & correlata, ſcilicet, quod correlata ſint directé relata; aliqua veró relata ſolum vlteriori reflexione habeant eſſe correlata, v. g. Pater, & Filius ſunt correlata; necnon Dominus, & ſervus: Pater, & Dominus poſſunt dici relata, ſed non correlata, cum directé vtriuſque correlationis termini ſint Filius, & ſervus: quare vt dicantur qua Dominus, & Pater correlata, videtur requiri aliqua reduplicatio illius relati, quod vterque habebat. Deinde circa correlativi, & correlati differentiam, eam ſolum nota, quam ſupra circa relativum, & relatum.

6 *Extremum* poteſt recté exponi ſecundum ſtrictam vocis ſignificationem; ſicque dici, extremum eſſe, quod à relatione longius abeſt, ita vt ſit reſpectu illius, quod magis extremum eſt: quo pacto, quando duo parietes albi dicunt relationem ſimilitudinis, parietes ipſi poſſunt relationis dici extrema, cum reſpectu ſimilitudinis ſit paries, quod magis diſtat. Similiter quando duo individua vnam, aut alteram ſimilitudinis, aut identitatis dicunt relationem, individuationes ipſæ poſſunt dici extrema, cum naturæ ſint immediatiora.

7 *Fundamentum* dicitur iuxta Scotum ſupra in *q. 11. Metaph.* id in quo immediaté exiſtit relatio; quo pacto in duobus parietibus albis fundamentum dicetur qualitas reſpectu relationis ſimilitudinis. Vbi debes advertere, quod dum fundamentum ponitur, vt quid diſtinctum ab extremo, poteſt extremum dici etiam ſubiectum relationis; ac proinde aliud eſſe, eſſe relationis ſubiectum, & aliud ipſius fundamentum. Sic Scotus ibidem.

8 Vlterius eſt advertendum, quod ſolet fundamentum dici proximum ſic, quod ſumatur pro ratione fundandi, quod vulgariter nuncupatur modus: vnde fundamentum proximum dicitur ab aliquibus, ratio ipſa fundandi, ſeu conditio ſine qua non, v. g. vnitas ſpecifica quantitatis dicitur ratio fundandi æqualitatem: vel ſecundum alios, fundamentum proximum dicitur illud, quo poſito, ponitur ipſa relatio, ſicuti; poſita vltima diſpoſitione, neceſſarió introducitur forma.

9 *Terminus* dicitur illud, ad quod relatio ordinat primó, & per ſe ſubiectum; quo pacto Joannes v. g. genitus à Petro, dicitur terminus relationis, cum iſta Petrum ordinet ad Joannem. Solent omnia exemplificari ſic: Petrus eſt ſubiectum paternitatis, potentia generativa eſt fundamentum, actio generandi eſt ratio fundandi, & Filius genitus eſt terminus.

10 Notandum eſt pro complemento, quod in ſupra expoſitis nulla firma doctrina poteſt tradi, tum ob diverſa A. A. placita, tum ob diverſam mutationem in relativorum materia. Quare, vt id pateat, & fundamentum relationis melius innoteſcat, ſecundum aliorum terminos, quoad vltimo dictum, expoſitionẽ adducam. Fundamentum namque dicitur illud, quod in ſubiecto requiritur, vt realis cauſa, & ratio ob quam in illo relatio conſurgat; v. g. duo corpora non haberent in ſe relationem ſimilitudinis, nec æqualitatis, niſi haberẽt in ſe albedinẽ, & quantitatẽ, quæ ſunt fundamenta taliũ relationum. Quare de ratione fundamenti non eſt, quod ſit idem re cum ſubiecto, aut re ab illo diſtinctũ, ſed abſtrahit; quãdoque enim eſt idẽ ac ſubiectũ, cui relatio

 im-

immediaté inhæret; quandoque eſt diſtinctum: tamen de ratione fundamenti vt ſic, eſt, vt ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt relatio, & quod non referatur, ſed ſit ratio fundamentalis referendi: vnde quando ſubiectũ, & fundamentum coincidunt, vt patet in duabus albedinibus, relationem ſimilitudinis fundantibus, adhuc, ſaltim ratione, alia eſt ratio ſubiecti, & alia eſt ratio fundamenti; dicitur enim albedo ſubiectum, quatenus refertur, & ei relatio inhæret; dicitur autem fundamentum præcisé, quatenus cauſa eſt, & ratio, propter quam cõſurgit relatio. Itaque, quod de fundamento, & ſubiecto dicunt, exiſtimant, quoad coincidentiam, de extremo, & fundamento dicendum.

CIRCA SECVNDVM TRADITVR vulgarior expoſitio.

11 VT ſine confuſione poſsimus in ſequentia diſcurrere, placuit poſt terminorum notitiam, varias relationum acceptiones aperire. Relatio igitur in ſua latiori ſphæra dividitur *in realem, & rationis*. Relatio realis dicitur habitudo firma vnius ad aliud, v. g. relatio Patris ad filium. Relatio rationis dicitur pura intentionalis habitudo vnius ad aliud. De his paſsim loquitur Scotus expoſitus *in 1. lib. Entis intention.* Vbi quemlibet comparationis effectum, relationem rationis intelleximus.

12 Dividitur relatio 2. feré in æquali ſphæra, in relationem *ſecundum dici*, & *ſecundum eſſe*. Relatio ſecundum eſſe dicitur illa, ſecundum quam veré, & in realitate vnum refertur ad aliud, v. g. habitudo Patris, ſimilis, &c. Relatio ſecundum dici dicitur illa, ſecundum quam re vera aliqua non referuntur, dicuntur tamen ob aliquam eximiam apparientiam. Relationes ſecundum dici varié exemplificantur ab A. A. Aliqui putant relationes ſecundum dici, poſſe dici omnes fundamentis idemptificatas; & ſecundum eſſe, omnes diſtinctas. Iſti fundantur in eo, quod eximia intimitas relationis cum extremo, vtpote abſoluto, confundatur ab eo. Alij putant idem, ſed expreſius, dicuntque, relationem ſecundum dici, eſſe tranſcendentalem; & prædicamentalem ſecundum eſſe. Fundantur in eo, quod tales relationes in cæteris prædicamentis facile inveniantur, dum prædicamentalis difficilé invenitur. Huic expoſitioni non parum favet Scotus *in quæſt. 26. Prædic.* aiens: *quadam autem ſunt relativa ſecundum dici, vt quæ ſunt in alijs generibus, & ſecundum aliquam habitudinem dicuntur ad alia; illa tamen ſimpliciter loquendo non ſunt relativa.* Alij putant, talia eſſe omne abſolutum per modum relativi explicatum, vt potentia, pars, habitus &c. Et apud Scotum, *vt albedo ad album, diſciplina ad diſciplinatum, & pari ratione omnia accidentia ad ſubiectum.*

13 Dividitur vlterius relatio realis in mutuam, & non mutuam. Relatio mutua dicitur illa, quæ in vtroque extremo vnam, aut alteram lineam realitatis conſervat, v.g. relatio duplicis ſimilis, producentis, & producti &c. Non mutua dicitur illa, quæ realitatis lineam in aliquo deperdit, v. g. relatio creaturę ad Deum, quæ eſt realis, dum Dei ad creaturam eſt rationis. Sic Scotus vbi ſupra *in Metaph. ſua.* Mutua dividitur in relationẽ ęquiparantiæ, & diſquiparantiæ: dicitur prima, quando relata ſunt eiuſdem nominis, & rationis, v.g. album, & album: é contra dicitur ſecunda.

14 Celebrior relationis diviſio ſolet fieri in relationem prædicamentalem, & in non prædicamentalem, ſeu in traſcendentalem apud alios. Vtraque relatio varios ſenſus habet apud A. A. infra examinandos; ſed prout communiter præſumitur; relatio prædicamentalis dicitur illa ſic propria, & ſtricta habitudo, quæ ſpeciale relinquit prædicamentum. Relatio non prædicamentalis é contra conſtituitur.

15 Prædicamentalis dividi ſolet adhuc, vt tranſcendentali contrapoſita, in relationem intrinſecus, & in relationem extrinſecus. *Relatio intrinſecus* dicitur illa, *quæ neceſſariò conſequitur ambo extrema in actu poſita*: vel quod idem eſt, *neceſſariò conſequitur ſuum fundamentum, termino non excluſo, ſed poſito.* Extrinſecus autem eſt, *quæ non conſequitur neceſſario extrema, etiam ambo ſimul in actu poſita.* Sic literaliter Scotus *in 4. d. 13. q. 1. §. ſi ergo debet ſalvari famoſa diviſio prædicamentorum.* Exemplum primæ ſolet poni in albo, & albo: duplici enim albo poſito, ſtatim reſultat ſimilitudinis relatio. Exemplum ſecundi ſolet poni in materia, & forma, quibus poſitis, poteſt non reſultare relatio vniti, vt patet in homine in corpus, & animam diviſo.

16 Deinde reſtat advertendum, prædictarum relationum immediatam diviſionum cõſequentiam difficilimé poſſe annotari; quare ſolent aliqui, triplex genus relationis apud Ariſtotelem adducere, atque in eo omnes collocare. Adducunt ergo omnes relationes ad tria genera, iuxta triplex earum funda-

men-

Digitized by Google

mentum. Primum genus dicitur eorum, quæ fundantur in vnitate,& multitudine; ad quod pertinent relationes idemptitatis, & diverſitatis ſubſtantiarum. Referuntur enim duæ ſubſtantiæ relatione idemptitatis, quando ſunt eiuſdem ſpeciei, v.g. Petrus,& Paulus. Pertinent etiam relationes ſimilitudinis,& diſſimilitudinis qualitatum; æqualitatis,& inæqualitatis quantitatum. Secundum genus dicitur eorum, quæ fundantur in actione,& paſsione, v.g. relationes Patris, & Filij; cauſæ, & effectus; Domini, & Servi, &c. Tertium genus dicitur eorum, quæ ſunt relationum menſuræ ad menſurabile, v.g. cognoſcibilis ad cognitionem, ſcibilis ad ſcientiam, & ſenſibilis ad ſenſum: de quibus diſputat Scotus *in 5. Metaph.q* 12. & de omnibus dicemus infra, ſervantes ordinem hinc pro diviſionibus ſervatum.

ART. I.

DE DIVISIONE RELATIONIS IN realem, & rationis.

17 AGit de his relationibus Scotus in *Metaph. vbi ſupra in q.* 11. ibi que reſolvit, dari relationes reales, & rationis, quin detur aliquis vnus conceptus vnivocus vtrique; ſicuti nec talis datur quantitatis ad quantitatem realem, & ad quantitatem rationis: hæc ſic reſolvens: *Relatio realis eſt vnum per ſe generaliſſimum; quia dicit vnum conceptum dictum in quid de omnibus inferioribus.*

18 Quod detur relatio realis, ſuadet Philoſophorum, & proprijs rationibus. Primò poteſt probari ex Avic. 3. *Metaph.* tenente, quod nullo intellectu intelligente, iſte eſſet Pater,& ille eſſet filius: ergo & nullo intellectu intelligente daretur relatio. Prob.conſeq. quia ſolis abſolutis prædicatis manentibus, non foret iſte Pater; cum ante paternitatem, nullum ei deficeret: ergo dum ſit Pater, nullo intellectu intelligente datur relatio. Secundò prob. *ex* 13. *Metaph.* vbi ſcientiæ mathematicæ oſtendunt relationes de quantis; ſed nullius rationis eſt ſupra quantum oſtenſiva Mathematica: ergo Prob. 3. ex famoſa entis diviſione in decem prædicamenta, quam ſecundum Avic. 3. *Metaph.* (inquit & Scotus *in 4.d.*13 *q.*1.) cogimur obſervare; ſed ſi *ad aliquid* non foret reale, diviſio illa corrueret: ergo.

19 Prob. ratione; *quia æquale* eſt relatio realis: ergo. Dicebant, *æquale* eſſe paſsionem quantitatis. Contra arguit Scotus: paſsio neceſſariò ineſt; æquale non; quia non ineſt, ſi aliud quantum non ſit: ergo æquale non eſt propria paſsio. Qualiter enim æquale dicatur paſsio, expoſuit vbi ſupra de quantitate in 24 *Prædicam.* Prob. vlterius, quod relatio aliqua eſt res naturæ; quia actio naturalis dependet ex approximatione agentis ad paſſum, ſine qua nunquam eſt, quæcumque abſoluta ponantur in hoc, & in illo: ſimiliter eiſdem abſolutis manentibus, diverſificatur actio: ergo propter diverſam naturæ relationem. Deindè intentum confirmat in reſponſione, dicens, quod non haberet intellectus, vnde diſtingueret relationem rationis, niſi firmiter apprehendiſſet in aliquo relationem realem, ſicut dicitur de attributis divinis: ergo.

20 P. Poncius *diſp.* 15 *q.* 3. intendit clarè contrarijs rationem, vt fugiant quaſcumque rationes noſtras, eſtò denominationes aliquas in reſpectibus rationis ponamus. Dicit ergo, quod quæcumque noſtra ratio illudetur facilè; nam dicent, poſſe dari aliquos reſpectus rationis à parte rei, id eſt, independenter ab intellectu; & hoc apud nos, cum teneamus, quod poſita viſione in oculo, reſultet ſtatim in obiecto viſo reſpectus rationis independenter ab intellectu; & idem eſſe de obiectis aliarum potentiarum; ergo ſimiliter, licet poſitis duobus albis reſultet relatio ſimilitudinis, poterit dici, quod licet ille reſpectus ſit inevitabilis,& ſic independenter ab intellectu, erit tamen rationis reſpectus. Miror nimis, P. Pōcium ſic contra Scotiſtas miniſtraſſe reſponſionem, cum nunquam id ſomniaverint verè Scotizantes. Firmiter enim tenetur, quod à parte rei nullus datur rationis reſpectus, reſolventes pro viribus, quod omnis relatio rationis, obiectorum denominativa, reſultat ex comparativa cognitione, ac per conſequens, quod poſita viſione in oculo, obiectum non eſt formaliter viſum, ſed ſolum fundamentaliter, quouſque per comparationem derivetur: de quo dixi plura ferè *per totum* 1. *librum entis intentionalis*, quibus ſiſtentes, omnia facilè reijciemus. Maior nunc difficultas ſtat in examine relationis realis, an ſcilicet diſtinguatur realiter à fundamento; nec non, in quo differat relatio prædicamentalis à tranſcendentali: quæ omnia per ſequentes articulos reſolventur.

(?)

ART.

ART. II.

DE DIVISIONE RELATIONIS IN prædicamentalem, & tranſcendentalem.

21 PLura, vt dicebam, inquirit titulus, quaré, vt clarius, & vtilius procedamus, conſtitutivum relationis prædicamentalis inquiremus, vt indé melius contrapoſita videatur.

SVBART. I.

DE RELATIONIS PRÆDICAMENtalis ſtructura.

22 PRincipalis notitia huius controverſiæ ſolet eſſe circa diſtinctionem, vel idemptitatem relationis cum extremis; cognito namque, an ſit eadem fundamento, vel termino, diviſim, aut inſimul duobus, facilé vnuſquiſque ſuam eriget reſolutionem; quare exiſtimo ab hoc eſſe præ alijs incipiendum.

23 Prima igitur ſententia fuit aliquorum dicentium, relationem prædicamentalem eſſe ſic conſtitutam, quod cum fundamento realem idemptitatem habeat. Sic Henricus, & plures alij antiqui, videndi apud Scotum *in 2. d. 1. q. 4. in Scholio.* Arguit ſic Scotus in contrarium: nil eſt idem realiter A, ſine quo A poteſt eſſe realiter ſine cõtradictione; ſed fundamenta relationum poſſunt eſſe realiter ſine eis abſque contradictione: ergo. Mai. ſuadet Scotus: tum, quia aliter everteretur illud principium, ſcilicet, *idem eſſe, & non eſſe, impoſſibile eſſe*: tum, quia periret doctrina Ariſtot. *7. Topic. c 8. & 9* tenentis, quod propoſitio, vel problema faciliter deſtruitur per contradictionem inventam; & tunc per contradictionem non deſtrueretur: tum ſuadet ex Ariſt. probante, materiam eſſe aliam rem à forma, quia manet eadem ſub oppoſitis formis: vnde eodem vtitur *4. Phyſ.* ad probandum, locum eſſe aliud a locato; quia ſcilicet, locus idem manet cum diverſis locatis. Min. ſuadet Scotus in relationibus æquiparantiæ, quarum fundamenta poſſunt eſſe ſine terminis, v. g. ſimile, æquale, &c.. Si enim hoc album ſit, & aliud album non ſit, hoc album erit ſine ſimilitudine; & ſi aliud album fiat, in hoc albo erit ſimilitudo: ergo. Infra præcavetur reſponſio.

24 Arguit 2. Scotus: idem non continet plura eiuſdem rationis, ſecundum perfectam idemptitatem eadem ſibi; ſed plures relationes eiuſdem rationis ſunt in eodem fundamento, ſicut plures ſimilitudines fundantur in eadem albedine: ergo ſecundum perfectam idemptitatem non ſunt eadem ei. Major apparet inductivé in omnibus; quia vnum continens continet vnum tantum eiuſdem rationis, vt patet in quacumque ſerie entis.

25 Arguit 3. ſi continens aliquid per idemptitatem ſit perfectius, concludit, quod etiam contentum in eo per idemptitatem ſit perfectius; ſed non ſemper perfectius fundamentum continet in ſe perfectiorem relationem: ergo eam non continet per idemptitatem. Mai. ſuadet in anima perfectiori perfectiorem intellectum habenti; nec non ſecundum ponentes, eamdem eſſe formam intellectivam, & ſenſitivam corporeitatis, & ſubſtantiæ, intellectiva perfectiorem intellectivam includit, quam ſit ſenſitiva in brutis. Min. convincit; quia non omne albius eſt ſimilius, vt manifeſtum eſt ad ſenſum: ergo.

26 Arguit 4. contenta in aliquibus per idemptitatem, non minus differunt in continentibus magis diſtinctis; ſed relationes fundatæ in magis diſtinctis, vtpote in duobus generibus, minus differunt, quam duæ fundatæ in minus diſtincto, vtpote in re eiuſdem generis: ergo quia non ſunt per idemptitatem in continentibus. Min. ſuadet; quia æqualitas, quæ fundatur ſuper quantitatem, & ſimilitudo, quæ fundatur ſuper qualitatem, minus differunt, (ſunt namque eiuſdem modi) quam ſimilitudo, & relatio potentiæ activæ, (ſunt nãque alterius modi) quæ poſſunt fundari ſuper eumdem calorem.

27 Arguit 5. relatio rationis eſt alia res rationis à ſuo fundamento: ergo & relatio realis erit alia res realis à ſuo fundamento. Suadet conſeq. quia ſicut relatio rationis eſt modus obiecti in primo actu intellectus, & tamen non eſt in ſe nil in genere intelligibiliũ, ſed eſt in ſe aliquid veré intelligibile, licet non ita primum, vel æqué primum, ſicut illud, cuius eſt modus (prius enim intelligitur natura humana, v.g. quam intentio vniverſalitatis, à qua modificatur per intellectum); ita etiam relatio realis, licet ſit modus ſui fundamenti, & non æqué primò cum eo, nec æqué perfectum, tamẽ in ſe erit res aliqua; quia quod in ſe nil eſt, nullius eſt modus realis. Hoc argumento intendit Scotus probare diſtinctionem realem, eo quod, vt dicam in *Diſt. Diſtin-*

ſinctionis, quod eſt res, & res eſt realirer diſtinctum: vnde air; quod relatio eſt alia res à fundamento in eſſe reali; ſicuti relatio rationis eſt alia intelligibilitas à fundamento in eſſe intentionali.

28 Quinque poſitis rationibus, & alia ſtatim ponenda, arguit Scorus contra Henricum, nec non contra Doctorem Seraphicum, Doctorem irrefragabilem, & alios videndos ibi. Vidi tamen aliquos RR. primæ rationi Scori reſpondere per virtualem diſtinctionem, ſicque dicentes, quod eſſe realiter ſimile, & non ſimile, ac proinde ſimiles contradictiones, poſſe virtualiter contineri in eodem fundamento, vt de alijs ſimiliter dicitur. Contra hæc plura intendam adducere diſtinctionem virtualem impugnans; tamen opponam ſextam Scoti rationem, meritò propriam.

29 Contra arguit Scotus: nil finitum continet ſecundum perfectam continentiam formalem, & virtualem oppoſita formaliter; ſed æqualitas, & inæqualitas ſunt oppoſita formaliter, & ſimilirudo, & diſsimilitudo ſimiliter, ſaltem ad idem correlativum: ergo idem fundamentum, neutrum iſtorum continet virtualiter, & ſecundùm perfectam idemptitatem. (Dicit Scotus, neutrum continere, quia qua ratione probatur non ambo contineri, eadem ratione prob. quod neutrum.) Mai. in qua apparet difficultas, ſuadetur ab eo; quia licet in Deo concedatur perfectiſsima continẽtia omnium perfectionum ſecundum idẽptitatem eorum, quæ ſunt in eo; non tamen poteſt continere oppoſita formaliter abſoluta in ſe; ſed ſolum poterit oppoſita abſolutá continere virtualiter, & oppoſita relativa formaliter; ſed adhuc ex huiuſmodi continentia concluditur in Deo infinitas fundamenti: ergo nil finitum poterit continere, ſecundum continentiam formalem, & virtualem, oppoſita formaliter. Tandem Scotus præfatam doctrinam confirmat validis authoritatibus *Aug. Ambroſ. Hilar. Philoſophi, Simplicij, & Avicena*, vt videri poſſunt vbi ſupra.

SECUNDUS EXPONENDI MODUS reijcitur.

30 PLures alij, partim cum præcedentibus convenientés, cum aliquo addito formant reſolutionem, dicentes, relationem prædicamentalem eſſe denominationem quamdam reſpectivam, cum ſolo fundamento intimé idemptificatam, quæ tamen, quia reſpectiva eſt, & terminum eſſentialiter connotat, eo ſolo deficiente poteſt abeſſe fundamento. Ita cum connotatoribus RR. aliqui, quos Arriaga ſuppreſſo nomine refert *diſp. 12. Log. ſec. 8. ſubſ. 1.* illis ſubſcribit P. Merarius *diſp. 3. de Deo ſec. 3.* nec non Angelicus D. ſolet refferri pro eadem ſenten. *opuſc. 48. trac. 5. cap. 2.* cenſetur etiam, pro eiſdem eſſe Suarium apud Arriagam, & Hurtadum, licet P. Richardus Lynce *lib. 3. Metaph trac. 6. cap. 22.* eum exiſtimet dubium.

31 Contra eos arguitur, quod caſu, in quo non detur terminus, dabitur relatio, etſi non detur relatio terminum formaliter denominans relatum: ergò dabitur relatio fundamentum denominans, referens abſque termino. Prob. ideo non denominat terminum relatum, quia terminus non exiſtit: ergo cum fundamentum exiſtat, ſaltim ipſum denominabit relatio. Dicent ſtatim aliqui, quod ablato termino, auferetur ſtatim relatio. Contra; quia ſic relatio magis diſtingueretur à fundamento, quam à termino. Suadetur; quia diſtinctio realis magis convincitur inter ea, quorum aliquo ablato, remanet aliud, quam inter ea, quorum aliquo ablato, aufertur, & aliud; ſed ablato termino aufertur relatio, & manet fundamentum: ergo ſic relatio magis diſtingueretur à fundamento, quam à termino. Vlterius, contra id militabat illa prior ratio Scoti, rectè dicentis, quod ſi illa maior (convincebat diſtinctionem realem ex reali permanentia vnius, & non alterius) negetur, non videtur relinqui, vnde poſsit diſtinctio entium probari: diceretur enim à protervo, non ſolum, quod in vno ſuppoſito plures naturæ, vt ſubſtantia, & accidens ſint eadem, ſed quod Sortes, & Plato non differunt realiter; quia ſi arguas contra eum, ex eo, quod Sortes poteſt exiſtere, non exiſtente Platone; ergo diſtincti: negabitur conſequentia; negabit namque protervus propoſitionem, cui tu inniteris, cum eamdem tu neges. Vnde inferebat ſupra Scotus, corruere argumenta illa Ariſtot. quibus diſtinctionem probabat. Quare

32 Dicent ſtatim alij, quod ablato termino, exiſteret relatio quoad entitatem, non quoad denominationem. Sed in primis priſtina ratio Scoti poteſt nimis inſtari; poſſet enim in ſuperioribus dicere protervus, ſubſtantiam, & accidens eſſe identicé in eodem ſuppoſito, & dum diſtinctione munerum, & denominationum, diſtinctio probetur, non valebit increpari dicens, accidens manere quoad entitatem, licet non quoad munus, & denominationem. Confirmat Scotus aſſumptum fidei exemplaribus, reſolvens, ex tali dicen-

cendi modo poſſe plura confundi, aut ad errorem moveri. Suadet 1. quia ſi idem realiter naturæ humanæ ſit vnio eius ad verbum, verbum nunquam aſſumpſiſſet naturam illam; & ſic ipſa æquè realiter fuiſſet vnita verbo, ſicut modo, quia tota realitas, quæ modò, fuiſſet tunc: reduc ergo ad debilem denominationem, reale, & entitativum Incarnationis Myſterium. Similiter ſuadet in Euchariſtia; quia ſi manet eadem quantitas, quæ prius erat panis, & nil aliud eſt inhærentia eius pani, quam realiter ipſamet quantitas, poſſet quilibet contra fidem arguere, quod illa vnitur realiter pani, vel quod eam informat nunc, ſicut prius.

33 Deinde argui poteſt à paritate abſoluti, cuius prædicatum quidditativum, manens quoad entitatem, debet & manere quoad denominationem: ergo & quidditas relationis quoad entitatem manēs, debebit, & quoad denominationem manere. Confirmat id nervosé Scotus ex Philoſopho 5. *Metaph. text.* 14. ſuadens, quod relatio debet eſſe res, & ens diſtinctum ab abſoluto, ac proinde, quod non debet ſequi, manere relationem quoad entitatem, ex eo, quod maneat entitas fundamenti. Suadet intentū vbi ſup. in 2. §. *quod ſi adhuc*; quia omnia, quæ dividunt ens, ſunt vera entia, & res, quæ poſſunt dici in quid iuxta genus ſuum; licet comparativé ſumpta conſiderari poſſint vt modus, v.g. qualitas, quæ licet reſpectu quantitatis videatur modus, tamen in ſe vera res eſt, firmam entitatem habens: ergo idem eſt dicendum de relatione, cum dividat ens, licet reſpectu entitatis abſolutæ appareat modus. Ex quibus bené arguebatur, quod illud, quod formaliſsimé eſt relatio, licet per denominationem explicetur, debet eſſe ens, & firma res, entitatem habens diviſivam entis, ac proinde repugnare, quod maneat formaliſsima entitas, & quod non maneat formaliſsima denominatio.

34 Tum, quia profectó ad quæſtionem nominis videtur, hos AA. punctum reducere velle. Dicunt enim, quod non manet denominatio vnionis v. g. non manente denominatione non manet compoſitum, ſicuti nec relatum, quod inquirimus: ponemus igitur quæſtionem in denominatione, & ſic dicemus, quod denominatio eſt vnio, & relatio; ac proinde erit noſtrum intentum examinare, an denominatio, qua fundamentum refertur, ſit realiter diſtincta; & ſic, an ſit diſtincta relatio.

35 Tum, quia non eſt vitabilis difficultas ex confuſione; dicebant enim, quod manebat relatio quoad entitatem, non quoad denominationē: ergo & manebit denominatio quoad entitatem, licet quoad denominationem non maneat denominatio. Patet; quia denominatio quoad entitatem non debet eſſe diſtincta ab entitate formæ relativæ: ergo debet manere quoad entitatem, ſi quoad hanc maneat relatio: ergo debet manere denominatio, quin quoad denominationem maneat denominatio. Plus vltra intenditur confuſio; nam perit denominatio quoad denominationem, quin pereat quoad entitatem: ergo magis diſtinguitur denominatio ab ipſa denominatione, quam ab ipſa entitate. Eſt clarum, quod magis diſtinguatur; aliàs non periret denominatio, & maneret entitas. Sed quod magis diſtinguatur à denominatione ipſa denominatio, eſt confuſum: ergo, &c.

36 Dicunt alij pro ſolutione anteced. argumenti, (veluti ſi diverſa exprimerent) quod forma intrinſeca eſt in duplici differentia; abſoluta vna, & relativa alia: vnde licet formæ abſolutæ entitas non requirat aliquod extrinſecum vt denominet; ſin autem relativæ. Contra hæc inſtant dicta vſque adhuc. Argui poteſt etiam ſic: forma, quæ datur, quin denominet ſubiectum, ipſum non referens, non eſt intrinſecé relativa: ergo cum in caſibus prædictis relatio foret forma non denominans ſubiectum relatum, non foret relativa. Nunc ſic; ſed forma, quæ non eſt relativa, extrinſeco non eget, vt denominet: ergo neque ralatio illo egebit. Mai. prob. nequit eſſe relativa aliqua forma, ſi non habeat, quod eſt intrinſecum illi in eſſe talis; ſed formæ relativæ eſt intrinſecus eius effectus formalis, ſcilicet, ſubiectum denominare relatum: ergo forma, quæ id non præſtat, non eſt relativa. Conſeq. deducitur à paritate formæ abſolutæ, cui eſt intrinſecus eius effectus formalis, ſcilicet, denominatio abſoluta.

37 Vlterius argui poteſt Noſtratum doctrina, videlicet, quod ſi relatio prædicamentalis idemptificaretur cum fundamento, non haberet aliquid, per quod intrinſecé diſtingueretur à tranſcendentali: ergo. Dicunt, quod tranſcendentalis, vt reddat ſubiectum relatum, non eget exiſtentia termini; ſin autem prædicamentalis. Bené equidem: ſed cupio ſcire, cur vna exiſtentiam termini requirat, & alia non, dum vtraque ſit forma cum fundamento idemptificata? Neque hinc valet, quod prædicamentalis ſit forma relativa, & ſic quod eget aliquo extrinſeco, vt denominet; nam etiam tranſcendentalis eſt forma relativa, & eo non eget. Deinde argui poteſt ſic;

vt

vt relatio prædicamentalis maneat idemptificata cum fundamento, non minus independet ab exiſtentia termini, quam tranſcendentalis: ergo & vt denominet terminum, cum vtriuſque eſſe ſit intimè vnum in ordine ad aliud.

38 Tandem in confirmationem intenti poteſt argui ſic: ſi terminus, quem exiſtentem non petit relatio tranſcendentalis, poneretur exiſtens, non ſolum quoad entitatem, ſed & quoad denominationem maneret relatio tranſcendentalis, vtpote realiter eadem in fundamento; ergo ſi terminus, quem exiſtentem petit prædicamentalis relatio, per poſsibile non exiſteret, maneret relatio prædicamentalis quoad entitatem, & denominationem: aliàs ſi neutra maneret, vtraque potius termino, quam in fundamento ponenda videbatur.

TERTIVS EXPONENDI MODVS reijcitur.

39 Plurimi alij contrario dictamine vertunt ſermonem, exiſtimantes, relationem prædicamentalem ſiſtere in extrinſeca denominatione à termino deſumpta. Hæc reſolutio debet prius explicari: vel enim loquitur de denominatione idemptificata termino, vel de diſtincta ab illo? Si de primo loquatur, poteſt apertè impugnari omnibus illis rationibus, quibus in prima, & ſecunda ſententia omnem idemptitatem cum fundamento reijcimus, & vlterius id exprimi poteſt in relatione tranſcendentali, cui realis habitudo vnius ad aliud non deficit actu, ſic quod ex præciſa ratione habitudinis, etiam habeat vnum referre ad aliud; quin tamen poſsit inde deduci aliqua idemptitas cùm eſſe Ad, cum habitudo ſit actualis, & eſſe Ad, non ſit niſi poſsibile: ergo quia nunquam reſpectu habitudinis actualis debet terminus dici relationis principale principium.

40 Dices, magnam eſſe differentiam, eo ipſo, quod habitudo tranſcendentalis ſit ex termino poſsibili, & prædicamentalis ex actuali. Contra; quia vtraque habitudo eſt actualis: ergo ex terminis præcisè, non dignoſcetur differentia. Patet; quia ſi ex terminis dignoſceretur, foret ex eo, quod vna habitudo foret poſsibilis, & alia actualis, ſicuti termini ſunt; ſed in vtraque relatione datur actualis habitudo: ergo quia ex terminis non dignoſcitur.

41 Dices aliter, ſtare differentiam in eo, quod habitudo tranſcendentalis non eſt mutua, ſed ſolum à fundamento, ſecus autem à termino; ex quo dignoſcitur, quod tranſcendentalis ſit eadem fundamento; alia verò eadem termino, cum ab hoc actualis habitudo derivetur. Contra; quia ex hoc poterat deduci, quod habitudo termini ad fundamentum foret in prædicamentali eadem termino, cum termino non exiſtente, illa non daretur; at ex hoc melius deduceretur, quod vltra dabatur alia habitudo idemptificata cum fundamento, quæ cum æqualis foret habitudini termini, non daretur motivum, vt omnis habitudo prædicamentalis foret idempticè in termino ſolum. Tum, ſi omnis habitudo termino foret idemptica, ex ratione mutui non daretur diſtinctio cum tranſcendentali; nam ſi iſta non eſt mutua, quia ſolum dicit habitudinem vno extremo idempticam, vtpote fundamento; nec alia foret mutua, cum ſolum haberet habitudinem idempticam alteri ſoli extremo, vtpote termino. Sed quia iſte dicendi modus, prædictis melius impugnatur, vtilius erit examinare ſecundum.

42 Si igitur loquatur de denominatione diſtincta à termino, argui poteſt; quia illa denominatio non eſt magis diſtincta à fundamento, quam à termino: ergo non datur maius motivum, vt deſumatur ab vno, quam ab alio. Suadetur, quia ſi aliquod daretur motivum, ſuppoſita diſtinctione cum vtroque, maximè maior conſonantia cum termino, veluti cum formali denominationis principio; ſed non poteſt illa maior conſonantia percipi, præcipuè in relationibus æquiparantiæ: ergo. Suadetur minor in ſimilitudine duplicis albedinis, in quibus rationes fundandi ſic conſonant, quod ex eo reſultet ſimilitudinis relatio: ergo ex maiori conſonantia, nequit percipi, cur potius ab vno extremo, quam ab alio ſit deſumenda denominatio.

43 Deinde arguere poteris ab omni ſuppoſitione præciſus; quia totum eſſe relationis, iuxta duplicem Ariſt. deſcriptionem, eſt in ordine ad aliud ſe habere: ergo illa denominatio extrinſeca, in qua ſtat relatio, in ordine ad aliud ſe habet; ſed illa denominatio eſt ab ipſo termino: ergo non habet *aliud* in ordine ad quod ſe habeat. Suadetur; quia *aliud*, eſt eſſe termini; terminus non eſt aliud, cum ſit à termino deſumpta: ergo. Deducitur; quia ſi à termino deſumpta in ordine ad aliud ſe haberet, illud aliud eſſet terminus: vnde non levis infertur confuſio, videlicet, eſſe à termino deſumptam, vt ſupponunt:

Ddd non

Digitized by Google

non eſſe deſumptam , vt probatur ; quia ſi deſumpta à termino ſit in ordine ad aliud, tale aliud foret tunc terminus , quin foret ab eo deſumpta. Dices , quod oritur à termino, & deinceps in ordine ad ipſum verſatur. Contra ; quia ipſe terminus non eſt aliud : Tum, difficilé relationi duplex extremum præſtaretur. Tum, in vnica entitate eſſe *In*, & *Ad* combinarentur.

44 Dices , denominationem oriri à termino, veluti à formali principio, ſed poſtea in ordine ad fundamentum tendit denominatio. In primis inſtat, quod ſic , inevitabiliter fundamentum erit terminus. Tum, quia ſi inquiratur nimis, ad quæſtionem nominis reducentur : cur enim à termino, & non ab altero extremo oritur denominatio ? Dicere debent; quia datur in vno fundamentum , & non in alio , nam ſi in alio daretur fundamentum, non erit cur ab eo negetur, niſi abſque fundamento : ergo terminus erit fundamentum; ac proinde in termino dabitur fundamentum relationis , & in fundamento non dabitur fundamentum: vnde ſola nominis differentia dabitur denominatio à termino, & non à fundamento. Si dicant , re vera nunquam vt à fundamento, denominationem oriri à termino : Contra, quia deduceiur, rationem formalem relationis nullum habere fundamentum.

45 Tandem, licet videatur apparere, quod eſſe *Ad* ſit principium formale denominandi relativa ; quia quouſque non concipitur eſſe *Ad*, ordo relativus reticetur; ſed tamen re bené inſpecta etiam fundamentum obijcitur; quia ſicuti conſiderantes *eſſe ad aliud*, ſtatim relationem formamus , ſimiliter percipimus, *eſſe ad aliud*: ergo *ab alio*; nam aliter eſſe *Ad* impoſsibilitaremus.

QVARTVS EXPONENDI MODVS reijcitur.

46 Dixerunt alij, relationem prædicamentalem ſiſtere, tam realiter , quam formaliter , in complexo, ſive aggregato fundamenti, & termini, ſic vt præter vtrumque , nil aliud ea ſit, vel re , vel etiam ratione. Pro hac ſententia tradi ſolet noſter Ocham *in* 1.*d*.30.*q*.1. eum ſequuntur Arriaga, Hurtadus , & plures alij, quos refert Lince Ieſuita *in* 3. *Metaph. trac.* 6 *cap*.23. Solet argui principaliter ex eo, quod relatio ſit reſpectus ad aliud; ſed fundamentum, & terminus ſi inſimul ſumantur , non ſunt ad aliud : ergo in eis ſimul ſumptis non adſtruitur relatio. Dicunt, relationem non eſſe reſpectum vnius ad aliud , ſed vnum , & aliud.

47 Contra argui poteſt; quia ſic, ſemper & quando daretur, vnum, & aliud, daretur relatio , quod eſt falſum: tum , quia corpus , & & anima D. Petri ſunt nunc vnum, & aliud, & non datur relatio: tum, quia duo non relata ſunt vnum , & aliud , & relata non ſunt: tum, quia difficilé poſſet ſignari , quodnam eſſet fundamentum, ſcilicet, an vnum, an aliud; poteſt enim dici vnum, & vnum, ſicuti aliud, & aliud: tum , quia relatio debet exprimere ſecundum. Ariſtot. & rectam diſtinctionem ab abſoluto , vnum in ordine ad aliud ; nam abſolutum exprimit vnum in ordine ad ſe : ergo reſpectivum debet exprimere vnum in ordine ad aliud: Tum, quia aggregatum illud ſimul ſumptum eſt relatio apud eos ; ſed illud ſimul ſumptum non eſt vnum , & aliud , ſed vnum: ergo.

48 Tendamus aliter ad centrum difficultatis, & attenté videamus, an requiratur accidens relativum , vt fundamentum ad terminum referatur. Arguo ſic : non requiritur apud eos tale accidens, quia poſitis duobus albis, ponitur relatio ſecũdum eorum entitates: ergo quia idem eſt eſſe album , ac eſſe ſimile: ergo quia idem eſt auferre ſimilitudinem , ac auferre albedinem ; ſed id eſt falſum cum ab *A*. v.g. poſsit formaliter auferri ſimilitudo, quin ab *A* formaliter auferatur albedo: videtur igitur, quod aliud ſit eſſe album, & aliud eſſe ſimile. Suadetur; tum, quia vt dicebat Scotus , non omne albius eſt ſimilius , vt patet: tum, quia omnis ſimilitudo ablata ab *A*, nulla ab *A* auffertur albedo : tum , quia *A*. poteſt eſſe alba omnibus excogitabilibus impoſsibilibus , necnon eodem modo alba; ſed illis omnibus impoſsibilibus , nullo modo foret formaliter ſimilis : igitur quia ſimilitudo eſt accidens aliquod additum albedini.

49 Dices , quod quando dantur duo alba , idem eſt eſſe album , ac eſſe ſimile; ita vt tunc nil addatur albedini , vt ſimilitudo adſit; ipſi namque loquuntur de duplici albedine, in quibus poteſt dari ratio fundamenti , & termini. Sed contra: ponamus *A*, & *B*. alba, adhuc inſtat ratio; quia ſic, idem erit, dari duplicem albedinem , ac dari duplicem ſimilitudinem ; ſed hoc eſt falſum : ergo. Suadetur minor ; quia vnica albedine ablata , non vnica , ſed duplex auffertur ſimilitudo : ergo non

non eſt idem, entitas ſimilitudinum cum entitate albedinum. Prob. quia dum duplex detur ſimilitudo, quælibet debet cuilibet albedini idemptificé correſpondere: ergo idem debebat eſſe, tollere vnam, & alteram ſimilitudinem, ac vnam, & alteram albedinem: ergo & idem debebat eſſe, nil remanere vnius, & alterius ſimilitudinis, ac vlltus, & alterius albedinis; ac proinde nil manere albedinis, eſſe idem, ac nil manere ſimilitudinis. Si dicant, duplicem eſſe albedinem, & vnicam eſſe ſimilitudinem: Contra; quia ſic clarius colligeretur diſtinctio; quia vnum, & plura diſtinguuntur: vnde ſi entitas ſimilis ſit vna, & entitas albi ſit duplex, difficilé idemptificarentur.

50 Vlterius; quia ſemper eſt illud dictum eximiæ difficultatis, ſcilicet, quod quando dãtur duo alba, idem ſit, formaliter eſſe album, ac formaliter eſſe ſimile; quia formaliter eſſe album, datur, ſive dentur duo alba, ſive non dentur; formaliter eſſe ſimile, ſi duo alba non dentur, non datur: imperceptibile ergo videtur, quod adhuc quando dantur duo alba, ſit idem, eſſe formaliter ſimile, ac eſſe formaliter album. Vt enim album ſit formaliter album, non requirit aliud album; vt album formaliter album ſit formaliter ſimile, aliud album requirit Deinde, dum datur aliud album, v.g. B, album, quod erat formaliter album, v.g. A. eſt idem formaliter albũ, ac antea; ita vt valeat dicere, idem formaliter album, quod erat antea, eſt modò: ergo eſt imperceptibile, quod idem ſit in vno ſtatu, eſſe præcisé formaliter idem album, & ſimile; & in alio non eſſe idem, eſſe formaliter ſimile, & album idem.

51 Nec ignoro, quas intendant fugas; eas tamen prævidens, & cura eviſcerans, fateor æquivocatione fuiſſe inventas. Adverte ergo, aliud eſſe, quod entitas ipſa albi ſit ſic formaliter ſimilis, quod ſimilitudo ſuper eam immediatiſſimé cadat; & aliud eſſe, quod entitas albi per ſemetipſam ſit formaliter ſimilis, ſic, quod idem ſit eſſe formaliter album, & ſimile. Primum enim eſt verum, nam ipſa entitas albi eſt formaliter ſimilis, quin inter ſimile, & album mediet aliquid: albedo ergo eſt ſimilis, ſicuti, & abſolutum eſt, quod immediaté refertur; ſed tamen eſt nimis falſum, quod albedo ſit vnquam albedine ſimilis; quinimó ſimilitudine ei intima ſit ſimilis. Exemplificatur id in materia, & forma vnitis; entitas enim ipſa materiæ eſt quæ vnitur, ita vt quod eſt vnitum, non dicatur aliquid, quod ſit vltra entitatem materiæ; attamen, licet materia ſit quod vnitur, non autem eſt ipſius entitas id, per quod, ſeu quo formaliter vnitur, cum tale ſit vnio addita entitati materiæ, quæ vnitur. Sic ergo, extrema ſunt quæ referuntur, ita vt vltra eorum entitates, nil ſit additum, quod referatur, cum abſolutum ſit quod refertur; ſed tamen addita debet eſſe extremis ratio formalis referendi, eo namque ipſo, quod hæc non referatur. Si hæc bené percipias, plura contrariorum argumenta infringes. Tandem talis dicendi modus poteſt impugnari aliquibus ex rationibus Scoti ſupra poſitis: eas vide, & repara.

NOSTER DICENDI MODVS ſtabilitur.

52 Reſolvendum venit, relationem prædicamentalem eſſe accidens, ſeu formam accidentalem realiter diſtinctam ab extremis. Eſt genuina Scoti, non ſolum à Noſtratibus paſſim, ſed & ab alienis citati, vt videri poteſt apud Lynce Jeſuitam *in 3. Met.* vbi ſupra, quã plurimos pro eodem adducens ibi. Videatur etiam Scotus in *5. Metaph. quæſt. 11. prope finem.* Hæc reſolutio manet ex impugnatione aliarum directé, nec non corroborabitur ex dicendis infra *in ſubart. ſequenti*; quare hinc ſolum cupio, eam famoſis Authoritatibus adaptare.

53 Suadet eam Scotus *in 2. d. 1. quæſt. 4.* ex D. Aug. *5. de Trin. cap. 5.* aiente: *in rebus creatis, quod non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat vt ſecundum accidens dicatur.* Vbi (inquit Scotus, in littera Auguſtiniana verſatiſsimus) expreſsé vult, quod relatio ſit accidens in creatura. Et licet ſit dubium, ſi hoc habeat intelligi de relatione, quæ eſt creaturæ ad Deum; tamen verum eſt de illa relatione, quæ amitti poteſt, manente fundamento, & ſecundum veritatem, & ſecundum ſuam intentionem. Item per Ambroſ. *1. de Trin. cap. 5. Si prius erat Deus, & poſtea Pater generationis acceſsione mutatus, avertat Deus hanc dementiam à fidelium mentibus.* Ergo (inquit Scotus) per ſolam acceſſionem relationis realis fieret mutatio in perſona divina ſecundum ipſum, quod non eſſet, niſi eſſet illa relatio aliqua res alia à fundamento; quia fundamentum præexiſtit. Item Hilar. *12. de Trin.* dicit: *Naſci, quod erat, iam non tantum naſci eſt, ſed ſeipſum denomonſtrare naſcendo eſt:* (& loquitur, inquit Scotus, de Nativitate Filii Dei) ergo relationem novam dicit naſci.

54 Vlterius plura Philoſophorum dicta adducit, ſufficiat pro omnibus Ariſtoteles in prædicamentis aiens: *Ad aliquid ſunt quæcumque hoc ipſum, quod ſunt, ad aliud ſunt.* Per quam rationem (inquit Scotus ad literam) excluduntur ſubſtantiæ, *quæ licet ſint aliorum, non tamen ſunt ad aliquid*: igitur accipitur hoc ipſum, quod ſunt, non pro eſſe in intellectu, ſed pro eſſe in re, ſcilicet, quod relationes in re, hoc ipſum, quod ſunt, aliorum ſunt. Fundamentum autem non eſt aliud hoc ipſum, quod eſt; igitur eſt aliud eſſe huius, (puta fundamenti) & aliud eſſe illius: (puta relationis) ergo &c.

55 Denique mihi ſemper fuit ſatis vrgens ratio illa Scoti *in 4. d. 13. quæſt. 1.* ſcilicet, quod relatio, prædicamentum hoc conſtituens, debet eſſe vbicumque accidens; nam aliter corrueret illa famoſa diviſio prædicamentorum, quæ, vt ab Avicena dicebatur, non eſt vnquam deſpicienda. Nec ſatisfacit aliquorum reſponſio, & noviter P. Peinadi *trac. 5. diſp. 5 ſec. 2.* dicentis, ſufficere ad diſtinctionem prædicamentorum, quod licet ſint realiter eadem, diverſis tamen conceptibus formalibus concipiantur. Non ſatisfacit; quia ſic poterat in homine quamplurima prædicamenta conſtituere, cum riſibilitas, flebilitas, individuatio, & ſic alia, diverſis conceptibus concipiatur. Tum, & vrgentius, quia vt in *art.* ſequenti dicemus cum Scoto, relatio tranſcendentalis non diſtinguitur a prædicamentali ex eo, quod illa ſit de eſſentia rei, cuius eſt relatio; vbi invenitur diſtinctus conceptus formalis, quin tamen diverſum prædicamentum relationis conſtruat: ergo.

PRINCIPALIORA ARGVMENTA ſolvuntur.

56 Contra noſtram reſolutionem plura movent, qui prius à nobis reiecti, quorum principalioribus occurram. In primis ergo ſupponunt duo alba vt quatuor, obijcientes, quod ſimilitudo non ſtet in accidenti relativo, ſed in eorum coëxiſtentia; ac proinde ſuperfluũ eſſe relationis additum. Formant ſic argumentum: ſimilitudo duorum alborum ſtat formaliter in ea forma, vi cuius, in inſtanti A. vnum eſt album, ſicut eſt aliud; ſed ea forma non ſtat in accidenti relativo, ſed præciſé in duplici albedine in genere cauſæ formalis, conſtituente ſe ipſa album vnum, & aliud ſubiectum aliunde ſimul exiſtens; nam hoc præciſé vnum intelligitur, & eſt album, ſicut album eſt aliud, nempé vt quatuor: ergo. Vulgariter reſpondetur, ſimilitudinem duorum alborum, ſolum ſtare fundamentaliter in albedine vtriuſque coëxiſtentis, ac proinde vt ſint formaliter ſimilia, requiri accidens in fundamento receptum, illud referens formaliter ad terminum.

57 Contra iſtam ſolutionem intendit P. Peinado inſtare noviter, ſic argumentum inſtaurans: duo alba eſſe formaliter ſimilia, ſtat formaliter in entitate ea, vi cuius, vnum eſt formaliter album, ſicut eſt aliud: ergo ſimilitudo formalis duorum alborum ea entitas eſt. Patet, inquit; nam quid erit ſimilitudo formalis duorum alborum, vt talium niſi entitas illa, vi cuius vnum formaliter, & non ſolum fundamentaliter eſt album, ſicut aliud? Nunc ſic; ſed albedo vtriuſq; eſt entitas, vi cuius, quodlibet eſt formaliter album, ſicut eſt aliud; eſt enim duplex albedo, forma conſtituẽs formaliter album, vt quatuor vnum, & aliud: ergo ſimilitudo formalis duorum alborum ſtat in vtriuſque albedine, quovis modo ſuperaddito ſuperfluo.

58 Impugnatur 2. duo alba exiſtentia ſimul cum albedine æqué intenſa, formaliter ſunt ſimilia pro priori ad productionem modi relativi: ergo. Prob. antec. nam ſi Deus impediret productionem modi relativi, vt poteſt impedire alia, adhuc vtrumque ſubiectum maneret album, vt quatuor: Nec non Deus, & quilibet plené intuens dicere poſſet, *hoc album eſt ſicut aliud*, & ſic fundare proximé illam comparationem intentionalem veram, *hoc album eſt ſicut illud album, &c.* ergo.

59 Impugnatur 3. quia pro priori ad productionem relationis ſuperadditæ, qualibet albedo ſimilis eſt alteri in virtute producendi accidens relativum, eaque ſimilitudo non conſtituitur per ipſum accidens, ſicut virtus cauſæ ad effectum non conſtituitur per effectum, licet illum connotet; ſed ea ſimilitudo duplicis albedinis, in virtute producendi accidens relativum, formalis eſt: ergo datur ſimilitudo non conſtituta per accidens relativum. Min. prob. quia vtraque albedo, non ſolum fundamentaliter, ſed etiam formaliter eſt potens producere illud accidens; nam ſe ipſa, & non per aliquid diſtinctum potens eſt proximé illud producere: ergo pro priori ad accidens dabitur in vtraque albedine ſimilitudo formalis in virtute producendi accidens relativum, non conſtitutum per ipſum accidens.

60 Impugnatur 4. quia ſi Deus ab vtraque albedine tolleret omnem noſtrum ſuper-

per additum modum, vtraque ſimilis eſſet in eo, quod neutra modum relativum haberet, & ea ſimilitudo formalis eſſet, & aliunde per modos relativos non conſtituta, nequé potens conſtitui: ergo ſtat ſimilitudo formalis ſine modo relativo. Prob. min. quia ea ſimilitudo non poteſt eſſe fundamentalis; nam ſimilitudo fundamentalis, apud nos, dicitur illa, quæ poteſt reddi formalis per adventum modi relativi; ſed ſimilitudo duplicis albedinis ſtans in eo, quod neutra habet modum relativum, non poteſt fieri formalis per adventum modi, quandoquidem per adventum modi tolleretur ſimilitudo: ergo.

61 Prædictarum impugnationum principaliora, prævisa fuerunt ab Scoto *in 2. d. 1. q. 4. in ſolutione ad argumenta Henrrici.* Reſpondentes igitur ad primum, dicimus, duo alba eſſe formaliter ſimilia, non ſtare formaliter in entitate, vi cuius, vnum eſt formaliter album, dato, quod ſtaret in eo, quod vnum ſit formaliter album, *ſicut* aliud, quod eſt diverſum. Non ſtat in primo; quia vt dicebam, bene poteſt aliquid habere entitatem, vi cuius ſit formaliter album, & tamen non eſſe formaliter ſimile, v.g. in albo vno. Vnde mihi ſemper eſt vrgens ratio; nam quod formaliter non eſt ſimile, tranſit ad eſſe ſimile; formaliter album non eſt formaliter ſimile: ergo poſito alio albo, tranſit illud formaliter album ad eſſe formaliter ſimile; ac proinde aliquo ſuperaddito; nam idem non tranſit ad idem. Quare dixi, non ſtare ſimile formaliter in entitate, vi cuius, vnum eſt formaliter album, dato, quod ſtaret in eo, vi cuius, vnum eſt formaliter album, *ſicut aliud*: ſic enim iam additur modus; nam præcisé eſſe formaliter album, non dicit eſſe formaliter album *ſicut aliud*, cum alio ablato, maneret formaliſsimé eadem albedo, licet non *ſicut*, quod recté penetravit Scotus vbi ſupra in ſolutione ad 2. *arg.* aiens: *dicendum eſt conſequenter, quod album ſimile eſt compoſitius, quam album tantum; quia habet in ſe actum, & potentiam, diſtincta realiter.*

62 Ad ſecundam impugnationem reſpondetur negando anteced. Ad probationem, ſcilicet, impediendi à Deo modum relativum, plures ex noſtris admittunt, impediri poſſe; ſed Pater Poncius tale poſſe negat, dans neceſſariam connexionem ex eo, quod poſita coexiſtentia illa, vltimé diſponatur fundamentum ad hoc, quod emanet ab ipſo relatio, & conſequenter relatio debet neceſſarió pullulare, ita vt eius pullulatio nequeat à Deo impediri, præcipué cum eius concurſu immediato non indigeat. Relatio namque non exiſtit per actionem, ſed per reſultantiam; quo pacto poſitis materia prima, forma, & vnione, compoſiti reſultantiam, nec Deus valet impedire. Contrarium deffendunt Merinero, Rothericus, Mayron. & alij. Admiſſa tamen impedimenti ſuppoſitione, poſſet dici, quod nec Deus, nec quilibet plené intuens poſſet dicere *hoc album eſt formaliter ſicut aliud*, prout antea intendebamus, & intendebant; quia ſimilia eſſe formaliter, nunquam ſtat in eſſe præcisé formaliter alba: tum, quia formaliter album, ſolum eſt fundamentaliter ſimile: tum, quia eſſe alba ſtat præcisé in habendo albedines; eſſe veró ſimilia in habendo ordinaté albedines, ſcilicet, *vnam in ordine ad aliam*; quæ comparatio deficeret, deficiente modo illo; ac proinde deficeret ſimilitudo.

63 Deinde adhuc quidam Subtilis R. dicit, quod licet valeret præcisé dici, *hoc album eſt ſicut illud*, non valeret dici ſimilia formaliter; ait namque, requiri, quod de eis vltra dicatur, *hoc album eſt in ordine ad illud*: daretur enim album, & album; & album hoc, vt album illud; ſed album hoc foret album in ſe, ſicut album illud foret in ſe album; ac proinde non album hoc foret ex albedine in ſe in ordine ad illud album. Vlterius poſſet dici, quod data ſuppoſitione, & quod poſſet dici, quod vnum album erat ſimile, quia ſicut aliud; tunc illa ſimilitudo non foret priſtina, & prius intenta; ſed foret in aliquo alio modo, quia ſcilicet neutrum erat ſimile ex formaliſsimo albedinis, vt albedinis comparatæ; ſed ex formaliſsimo albedinis, vt impeditæ, & ſic vt alia manentis; quo pacto valeret dici, *hoc album eſt, ſeu manet ſicut aliud.*

64 Ad tertiam poteſt dici, quod ſemel admiſſo, quod ipſæ virtutes in ratione virtutis poſſint eſſe ſimiles, ſicuti ſubiecta in ratione ſubiectorum; tunc dabitur ſimilitudo virtutis in priori ad accidens, afferens ſimilitudinem albedinis; quo pacto fundamenta erunt ſimilia; ſed tamen erunt talia per alterius lineæ ſimilitudinem, ſic quod reſpectu ſimilitudinis albedinis formalis, nō ſint ſimilia formaliter, ſed ſolum ſint talis ſimilitudinis fundamentū, & virtus Et ad illud, quod virtutes non poſſunt conſtitui ſimiles per accidens relativum, cum iſtud ſit ab eis derivatum; dici poteſt, quod poſitis duabus virtutibus, etiam requiretur accidens relativum, non formalis ſimilitudinis *albedinis*, ſed formalis ſimilitudinis *virtutis* quo pacto quid materiale foret iam virtutis ratio: ſicque, ſervatis in materia ſervandis, diſcurre conſimiliter.

Ad

65 Ad quartam, admiſſo, quod Deus ab vtraque albedine tolleret omnem modum ſuperadditum, in non habendo modum ſuperadditum non eſſent ſimilia, nec diſsimilia, ſed ſolum non ſimilia; quia ſimilitudo requirit poſitionem modi; quare, ſi modus auſferatur, à ſimilitudine manebunt præciſa. Dicere ergo, quod in non habendo modum erunt ſimilia, eſt idem ac dicere, quod erunt ſimilia in non eſſendo ſimilia, & quod habebunt ſimilitudinem, quia non habent eam; quod punctum eſt ſimile illi de principio individuationis, vbi ſolet argui, quod vltimo differentia in non convenire convenient. Videantur ea.

66 Vlterius, admiſſo, quod forent formaliter ſimilia duo alba in non habendo modum ſuperadditum, dici poteſt, quod adhuc ſic, per modum ſuperadditum forent ſimilia; nam licet non daretur modus ſuperadditus albedinum v.g daretur modus ſuperadditus, qui foret vlterior; quo pacto poſſet compati, quod non habendo, modum ſuperadditum dealbandi, haberent modum ſuperadditum non ſuperaddēdi in dealbandi ſimilitudine, ac proinde haberent per modum, ſimilitudinem in non habendo præcedentem modum. Tum poteſt dici, quod licet non forent ſimilia per modum, forent tamen ſimilia per ſuperadditum; forent per ſuperadditum, cum forent ſimilia per ablationem, ſeu privationem modi, quæ foret vltra entitates ipſas, vt eſt privatio reſpectu entitatis materiæ.

67 Obijci ſolet 2. in prædictorum confirmationem à paritate aliarum relationum prædicamentalium. In primis; quia relatio prædicamentalis idemptitatis duplicis hominis formaliter ſtat in eo, quod vnus, & alter ſit homo; ſed ſe ipſis formaliter, & non per accidens ſuperadditum, vnus, & alter eſt homo: ergo ſe ipſis, & non per accidens ſuperadditum, ſunt ſua prædicamentalis relatio. Vlterius; quia relatio prædicamentalis diverſitatis duplicis hominis, nec non hominis, & bruti, nil aliud eſt formaliter, quam prædicamentalis ipſorum diſtinctio; ſed diſtinctio prædicamentalis vnius hominis ab alio, & hominis à Leone, formaliter nil claudit præter ipſorum entitates, quæ ſe ipſis realiter diſtinguuntur ad invicem: ergo.

68 His, & conſimilibus argumentis facilé reſpondent Scotiſtę, diſtinctionem, & idéptitatem, ſeu formalem convenientiam in relatione prædicamentali conſtituentes. Dicitur ergo, quod licet vnuſquiſque abſque modo ſuperaddito ſit homo, ſecus autem abſque ſuperaddito eſt conveniens; conveniens, in quam, formaliter; nam quolibet ablato, ratio formalis conveniendi auſertur, prout ſcilicet convenire formaliter, exprimit extrema ob aliquod vnum ſe concernentia; quare aut convenientia non erit relatio prædicamentalis, aut formaliter quid vltra entitates convenientes dicet. Similiter reſpondetur de diſtinctione à doctiſsimis Scotizantibus, pro viribus deffendentibus, quod diſtinctio eſt modus ſuperadditus, à quo habet homo v.g. eſſe formaliter diſtinctus à leone, nam per puram entitatem rationalis ſolùm dabatur fundamentum. Et ratio eſt; quia difficilé poſſunt ſignari principia, quæ dum magis metaphyſica, non habeant vnum, aut aliud defectibile exercitium; quare intereſt, illius exercitij denominationem non idemptificare cum pura entitate rei ſtabilis, & indefectibilis, cum abſque ipſius mutatione ſit imperceptibilis exercitij varia, & inconſtans denominatio. Sic enim homo intrinſecé conſtituitur per virtutem diſcurſivam, & deinde licet eadem entitas virtutis ſit diſcurrens; tamen cum diſcurrere ſit defectibile exercitium, cum entitate virtutis non idemptificatur, ſed diſcurrendi additur accidens. Sic pariter phyloſopha de diſtinctivo, & de diſtinguente, ita vt diſtinctio ſit addita entitati, quæ diſtinguitur; ac proinde ſic de pluribus alijs diſcurre, prout dicebam ſupra in quarto dicendi modo, prope finem.

69 Obijci ſolet 3; tum ex proceſſu infinito; tum ex vniverſa rerum commotione. De primo format argumentum Henricus; quia ſi relatio eſſet alia res à fundamento, procederetur infinité in relationibus; nam ſi illa relatio ſit alia res à fundamento, pari ratione, & illa alietas, quæ eſt quædam relatio, erit alia res à fundamento, & ſic vſque in infinitum. De ſecundo formant argum. quia quoties produceretur, aut deſtrueretur res aliqua, in omnibus rebus mundi producerentur, aut deſtruerētur feré infinitæ relationes; quod abſurdat: ergo.

70 Ad primum literalem Scoti reſponſionem, quia ſatis claram, adducam. Ad quartum (inquit) de proceſſu in infinitum, dico, quod non ſequitur; quia relatio ſe ipſa (actio ſe ipſa egreditur) refertur ad fundamentum: non enim poteſt eſſe abſque fundamento, nec abſque ſe ſine contradictione; ipſa enim exiſtente, & fundamento ſimul, ambo ſunt extrema illius relationis, quæ eſt eius ad fundamentum: ergo ipſa non eſt abſque contradictione ſine relatione eius ad fundamentum: & ita ſine contradictione non poteſt eſſe ſine fundamento; & ſic relatio illa, qua ad fundamentum refertur, erit eadem ſibi.

Ad

71 Ad ſecundum reſpondentes, non inveniunt abſurdum Scotiſtæ, cum defectu ſpeculationis, non experiantur maiora. Deinde, quia apud contrarios, etſi fundamentum, & terminus ſint idem, quoad entitatem; at autem plures fatentur, quod iuxta variationem vnius, aut alterius extremi, diverſas fore denominationes: vnde in caſu antecedenti tot denominationes novæ deberent dari apud ipſos, quot novæ relationes apud nos.

72 Obijci ſolet 4. à paritate Dei, qui dicitur de novo creans ſine forma ſuperaddita: ergo & ſic dicetur creatura de novo ſimilis. Reſponderi poteſt pro nunc, quod Noſtrates, ſcilicet, non tenere, quia in Deo repugnat quodvis novum, & ſuperadditum ob eius infinitatem perfectionem, iuxta quam eminenter ſupplet omnes novitates noſtras: vnde ob ipſam eminentiam dicitur Deus de novo volens, quin per formam novam talis ſit; creatura verò ob tantę eminentiæ defectum, ſi nil de novo habeat, nil de novo volet. Plurima alia reſtant argumenta, quæ omitto, quia Iterato, pro alijs, ſufficient iſta.

SUBART. II.

DE RELATIONE PRÆDICAmentali contrapoſita tranſcendentali.

73 Reſtat pro præcedentium complemento, examinare diſtinctionem vtriuſque relationis; circa quod aliquos dicendi modos breviter proponemus. P. Suarez apud Poncium *dp. 15. quæſt. 1.* ſignat differentiam in eo, quod tranſcendentalis non purè reſpicit terminum, ſed prẹter referre ſubiectum ad terminum, aliquid facere, vel exercere circa ipſum. Sic potentia ita refertur ad actum, vt petat ipſum producere, & actus ita refertur ad obiectum, vt petat ipſum repreſentare; nec non vnio ita reſpicit terminum, vt coniungat ſubiectum cum illo.

74 Sed contra præfatam expoſitionem poteſt dici primò, quod Suarez ponebat ſuprà relationem prædicamentalem realiter idemptificatam cum fundamento, & realiter diſtinctam à termino: ergo præter puram denominationem relati habet hoc, quod eſt, coniungi fundamento, & diſtingui à termino. Dices, idem eſſe reddere relatum, ac ſubiecto coniungi, & termino diſtingui. Contra; quia ablato termino, vna aut altera manet diſtinctio, & cum fundamento coniunctio, & nulla cum neutro manet formaliter relationis denominatio. Deinde, quia de alijs Suarij exemplaribus poterat idem dici, ſcilicet, idem eſſe, potentiam producere actum, & ad ipſum referre, ſeu idem eſſe, actum eſſe productum, & eſſe relatum. Tum, quia vnius albi ſimilitudo etiam refert, & repreſentat. Tum, quia relatio creaturæ ad Deum eſt tranſcendentalis, & neſcimus quid faciat circa ipſum.

75 Alij cum Averſa apud Poncium ſupra, ſignant differentiam in eo, quod tranſcendentalis ſit de eſſentia rei relatæ, ſecus autem prædicamentalis. Hæc ſententia refertur à Doctore noſtro in 2. *d. 1. q. 4. §. hoc ergo viſo*, vbi, & infra eam acriter impugnat. Arguit 1. ex Auguſ. *7. de Trin. cap. 2.* aiente: *omne quod relativè dicitur, eſt aliquid excepto relativo*: ergo quod dicitur relatione quæcũque eſt aliquid excepta relatione. *Et in principio tertij* tenet, quod nil, quod non eſt ad ſe, eſt quod ad alterum dicatur; ſed ſi relatió foret ipſa rei eſſentia, nil reſervaret ad ſe ergo nec ſecundum aliquid poſſet dici ad alterum. Tum, quia idem formaliter non poteſt habere eſſe in ordine ad aliud, & in ordine ad ſe; ſed entitas fundamenti eſt in ordine ad ſe, & relatio in ordine ad aliud: ergo quia ſunt formaliter diſtinctæ. Confirmat Scotus; quia relatio illa debet eſſe in fundamento; ſed idem formaliter non eſt in ſe ipſo, dum ipſum petit eſſe id, in quo aliud ſit: ergo inter relationem, & fundamentum debet ſaltim dari formalis diſtinctio.

76 Vlterius intentum ſuadet Scotus in relatione tranſcendentali creaturæ ad Deum; quia definitio indicat totam quidditatem rei, ſi eſt perfecta; ſed definitio lapidis non indicat eſſentialiter, vel formaliter, reſpectum ad aliud; nam tunc non eſſet definitio lapidis in genere abſoluto, & ita non eſſet definitio lapidis, vt eſt in genere ſubſtantiæ, vel vt ſpecies ſubſtantiæ: ergo in eſſentia lapidis non includitur formaliter aliquis reſpectus. Plures alias rationes inveniet curioſus in Scoto, quibus probat, relationem tranſcendentalem eſſe formaliter diſtinctam ab entitate fundamenti, deffendens tamen, eſſe realiter idemptificatam.

77 Igitur circa huius quæſiti reſolutionem, duæ apparent viæ probabiles: vna enim, ſecundum quam dicitur, præfatas relationes diſtingui ex eo, quod prędicamentalis petat, & neceſſario requirat exiſtentiam termini; ſecus autem tranſcendentalis; altera vero, ſecundum quam reſolvitur, tales relationes diſtingui, & ſignari ab idemptitate, & reali diſtinctione. Iſtæ enim viæ apparent conformes; quia ſi ali-

qua relatio, ſcilicet tranſcẽdẽtalis, ad ſui exiſtentiam, exiſtentiam termini non requirat, indicat ſufficienter, id provenire ex idemptitate cum fundamento; quia licet relatio ex habitudine vnius ad aliud, æqué videatur involvere duo, ſic quod quovis ablato, & ipſa auferatur; dum tamen ablato vno, vtpote termino, ipſa non aufertur, ſignum eſt, quod ſic habeat intimitatem cum fundamento, quod eximia idemptitas conſervet relationem, ne pereat, licet terminus, quoad eſſe actũ ſit peremptus: igitur quia non requirere exiſtentiam termini, & requirere idemptitatem fundamenti, apparent ſatis conſona.

78 Exiſtimo tamen, quod ſignum principale, & veluti à priori debet ſtabiliri in idemptitate reſpectu tranſcendentalis, ſicuti in diſtinctione reſpectu prædicamentalis. Deduci poteſt ex eo, quod cum fundamentum in entitate ſua ſit abſolutum, & tale abſolutum poſſit manere, termino non exiſtente, ſi deinde relatio cum fundamento idemptificata percipiatur, ipſam manere percipietur: quod omne ex idemptitate ſignari, & colligi videtur; ac proinde, non requirere exiſtentiam, idemptitati videtur tribuendum.

79 Deinde poteſt deduci ſignum, vt prędicamentali contrapoſitum, ex idemptitate; quia prædicamentalis relatio, vtpote prædicamentum conſtituens, debet ſic diſtare à fundamento iuxta entitatem, quod ad ſeriem fundamenti non ſit reducibilis ex intimitate; aliàs accidens poſſet ſine maiori diſtantia, quam quæ mediat relationis ad fundamentum, conſtituere prædicamentum contradiſtinctum ſubſtantiæ: ergo vt ex intimitate non confundantur prædicamenta, ita vt idemptitas vnam entitatem relinquat reducibilem ad aliam, reſolvendum eſt, prædicamentalem relationem, vt tranſcendentali contrapoſitam deduci ex diſtinctione, ſicuti é contra tranſcendentalis ex idemptitate. Omnia enim prædicamenta, ſpecialia capita conſtituunt propter diviſionem entis, ſic quod ex reali diſcontinuatione ſpeciale reſultet prædicamentum: ergo relatio tranſcendentalis non conſtituet hoc prædicamentum; quia vt continua cum entitate fundamenti, ad illius prædicamentum reducetur. Et ſi contra hæc inſiſtere intendas, dele prius celebre nomen relationis prædicamentalis; fateor enim omnimodé ignoraturus, quid ſit pro tranſcendentali intelligendum. Ita capio Scotum, vſque adhuc citatum, tam *in 5. Met. q. 11.* quam *in 2. d. 1. q. 4. 6. ad argumenta principalia*, præcipue in ſolutione ad ſecundum.

8o Reſolve ex dictis, quod relatio prædicamẽtalis, prout oppoſita tranſcendentali, poteſt exponi: *habitudo vnius ad aliud à fundamento realiter diſtincta.* E contra tranſcendentalis, prout prædicamentali contrapoſita. Prædicamẽtalis veró, prout hoc tertiũ prædicamẽtũ cõſtituit, poteſt exponi: *accidens reale, intrinſecus adveniens, cuius totum ſuum eſſe eſt aliquid realiter à ſe diſtinctum ad aliud referre.* Dixi *accidens* vt conveniat cum omnibus accidentibus, dixi *reale*, vt ſeparetur ab accidentibus rationis. Dixi *intrinſecus adveniens*, vt diferat à relationibus extrinſecus advenientibus. Dixi reliqua, vt plenius dignoſcatur diſtinctio cum tranſcendentalibus, quæ fundamentum realiter idemptificatum referunt. Vbi noto, aliquos Scotiſtas exiſtimaſſe ſufficere ponere *accidens* in definitione, vt à tranſcendentali diſtinguatur, eo quod tranſcendentalis ſit ſubſtantia; ac proinde ſuperfluere ponere *realiter à ſe diſtinctum referre*: his ergo dico, quod poſitis terminis, vt ſuprà à nobis, clarius tollitur æquivocatio, cum dentur relationes tranſcendentales, quę etiam ſunt accidentia, v.g. reſpectus tranſcendentalis cognitionis ad obiectum, qui eſt accidens, ſicuti cognitio, quæ eſt fundamentum; quare licet ibi ſit reſpectus ſic accidens, quod non accidat cognitioni, tamen hæc æquivocatio clarius noſtra expoſitione ſepelitur.

8 1 Ex dictis tandem infer, quod omnis relatio non idemptificata cum fundamento poteſt dici prædicamentalis, prout prædicamentale contraponitur tranſcendentali; non autem prout relatio prædicamentalis dicitur, quæ ad hoc tertium prædicamentum ſpectat; nam relatio extrinſecus adveniens eſt realiter à fundamento diſtincta, & ad hoc tertium prædicamentum non ſpectare, veri Scotiſtæ præſumunt.

ART. III.

DE DIVISIONE RELATIONIS IN triplex genus.

8 2 ARiſtot. omnes relationes in triplici genere congregavit iuxta triplex fundamentorum genus, ſeu, (inquit Scotus *in 5. Met. q. 11. & 12.*) *poteſt dici, quod non ponit omnes modos relativorum, ſed manifeſtos, per quos poſſunt intelligi alij, propter aliquam aſſimilationem ad illos*, quorum principaliora ſolum explicare penſamus.

(***)

PRI-

PRIMUM GENUS.

83 A*Lia per ſe, vt duplum ad dimidium, & triplum ad tertiam partem, & totaliter multiplicatum ad multiplicati partem, & continens ad contentum. Tex. com.* 20. apud Scotum *q.* 12. Primum relationum genus dicitur earum, quæ fundantur in vnitate, & multitudine. Dicitur genus vnitatis, & multitudinis; quia relatio ſtat in convenientia, de cuius ratione eſt facere vnum, vel in diſcōvenientia, de cuius ratione eſt ſacere multa. Vbi ſolet dici, quod quando aliqua conveniunt in aliquo quidditativo, tunc relatio dicitur idemptitatis; ſicuti diverſitatis, ſi in eodem diſconveniant: quo pacto ſolet dici relatio fundata *ſuper vnum in ſubſtantia*, id eſt, in eſſentia, ſeu quidditativa rerum entitate.

84 Hinc aliqui Auctores exponunt, quod inter prædicata in ſubſtantia convenientia, & diſconvenientia, relatio dicitur idemptitatis, & diverſitatis: inter convenientia, & diſconvenientia in qualibus, relatio dicitur ſimilitudinis, & diſsimilitudinis: & inter convenientia, & diſconvenientia in quantis, dicitur relatio æqualitatis, & inæqualitatis: ac proinde, id eſſe relationes primi generis fundari ſuper ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem.

85 Exiſtimo ego, ſolum nominis eſſe diſsidium; quia inter qualia, etiam poteſt dari relatio idemptitatis, vel diverſitatis, cum duæ albedines in eſſe accidentis non minus dicant *quid* convenientiæ, quam Petrus, & Paulus in eſſe hominis, & idem ſervatur de quantitatibus; quare ſic, ſimilitudo, equalitas, & idemptitas non variant *vnitatem formaliter, ſed ſolum materialiter*; accidit enim, quod vnitas ſit qualitatis, vel ſubſtantiæ, & idem dic de inæquali, diſsimili, & diverſo reſpectu multitudinis. Sic capio Scotum in 5. *Met. q.* 12. vbi concedit, idem, & diverſum in omni genere, & in omni genere ſimile, & æquale.

86 Verum tamen poteſt dici, quod licet qualitas &c. vt ſupra intellecta, ſcilicet, in ſuo genere, faciat *idem*; ſed ſumpta concretivé reſpectu ſubiecti, v. g. parietis albi, poteſt dici, quod facit *ſimile*, & ſic quantitas facit *æquale*: ſeu, vt alij, poteſt dici, quod convenientia intrinſeca duarum qualitatum in ratione accidentis facit *idem*; at ſi convenientia ſit in ratione extrinſeca, intenſionis v. g. vt quatuor, & quatuor, facit ſimile. Fateor hinc nil realitatis adeſſe; ideo dicebā, nominis eſſe controverſiam, cum ſicuti albedo, & albedo poſſunt dici ſimiles in ratione albedinis, poſſint dici quæcūque alia; imó & relationes ipſæ; & ſic aliud ſimile vltra ſubſtantiam, quantum, & quale: vnde poſſet deffendi, quod non ſolum tribus his prædicamentis competunt relationes primi generis, quin etiam alijs, cum vna actio valeat eſſe contingenter ſimilis alteri, ſicuti & vni relationi altera relatio.

SECUNDUM GENUS.

87 A*Lia vt calefactivum ad calefactibile, & ſectivum ad ſecabile, & omnino activum ad paſſivum.* Vbi ſupra apud Scotum in *com.* & ſatis claré, & vtiliter *in 4. d. 13. quæſt.* 1. *ferè per totam*, eum invenies. Secundum genus relationum dicitur earum, quæ fundari videntur ſuper actionem, & paſsionem teſtante Phyloſopho 5. *Met. cap.* 15. quod genus relationis intercedit inter producens, & productū, educens, & eductum, inducens, & inductū. Igitur, quod hinc examinare oportet, eſt, quodnam ſit fundamentum proximum relationum iſtius generis; ac proinde, quænam ſint relationes, quæ primó, & de per ſé talem referendi ſeriem conſtituunt,

88 In primis ergo iuxta literam Scoti *in 4. ſent. & 5. Met.* debet adverti, quod actio dicitur ad proportionem potentiæ agentis per actionem operantis; quare, cum in agente detur potentia productiva, eductiva, inductiva, & tranſmutativa, conſimiliter alia dicitur productio, alia eductio, alia inductio, & alia tranſmutatio; ſic vt quævis, diſtinctam relationem conſtruat, ſeu conditionetur, ſcilicet, inter producens, & productum, educens, & eductum &c. Et pariter per correſpondentiam terminorum percipit Scotus ex paſsivis propria earum correlata, ſcilicet, productio paſsiva &c. Sic, quod ſicuti ab activo erat relatio producentis ad productum, tranſmutantis ad tranſmutatum &c. à paſsivo ſit relatio producti ad producens, tranſmutati ad tranſmut ns &c.

89 Deinde, quod prædicti reſpectus ſint

 diſ-

diſtincti, ſuadet Scotus; *quia ſunt ad terminos diſtinctes.* Quod, vt recté perpendas, debes cum Scoto ibidem notare, quod reſpectus producentis ad productum, eſt ſicut dependentis ad illud, ad quod ſimpliciter dependet: per productionem ergo dicitur, quod terminus in ſuo eſſe dependet ſimpliciter à producente, cum tunc primum, & ſtrictum eſſe entitatis termini ponatur in eſſe, à diſtinctione cæterorum reſpectuum; nam inductio non videtur dare primum eſſe, quod eſt entitatis, ac proinde ſimpliciter; quin ſolum addit aliquem eſſendi modum, vtpoté talis eſſe cauſare inductionem. Tranſmutatio adhuc in minus, vel in diſtinctum verſatur, cum tranſmutatio, vt talis formaliſsimé, non reſpiciat entitatem educti, nec inducti vt terminum, ſed ſolum entitatem ſubiecti tranſmutabilis, quod penes verum eſſe omnimodé ſupponitur, valde accidentaliter ſe habens præ cæteris actionibus, & reſpectibus.

90 Id omne exemplificat Scotus in calefactivo, & calefactibili, v. g. in igne, & aqua: ignis namque dicitur producens, & educens calorem, eum inducens, & aquam inde tranſmutans. Vbi productio, & inductio reſpiciunt calorem ſecundum ſe; calor enim eſt productus, & inductus, licet per productioně magis, & ſimpliciter, quam per inductionem attingatur; attingitur tamen per vtramque directé, & ſecundum ſe; ac proinde in aliquo ſtrictiori eſſe, quã attingatur ſubiectũ vt tranſmutabile, ſcilicet aqua; quia terminus agentis, vt tranſmutantis, ſcilicet, aqua tranſmutabilis, non videtur directé, & intimé reſpecta ab igne, ſicuti calor, qui eſt eductus, & inductus: quare poteſt dari agens, ſcilicet ignis, & terminus, ſcilicet aqua, quin detur tranſmutatio, ac proinde, quin detur relatio tranſmutantis ad tranſmutatum; ſecus autem poteſt dari agens, & cæteri termini, quin dentur reſpectus educentis ad calorem eductum, & inducentis ad eum inductum.

91 En cur Scotus prædictos reſpectus vocavit diſtinctos; primos ponens inter reſpectus intrinſecus advenientes; vbi peſsimé ſcotizarunt aliqui, ſequentes Poncium *dp.* 15. *q.* 4. aſſerentem ibi, relationem producentis ad productum non eſſe intrinſecus; contrarium namque eſt literaliter clariſsimum apud Scotum vbi ſupra, tales reſpectus intrinſecos eſſe, reſolvens; ſicuti & extrinſecos tranſmutantis ad tranſmutatum; hos ſtabiliens pertinere ad quintum prædicamentum, ſcilicet, *de Actiene*; illos veró ad tertium prædicamentum de *Ad aliquid.* Notans hinc cum ipſo, quod tranſmutabile, v. g. materia, concurrit cum agente, vt concauſa, cum ſit ſubiectum eductionis; quo modo reſpectus, quem dicit materia reſpectu termini educti ſub formalitate eductionis, eſt reſpectus intrinſecus adveniens, ſi vis, partialiter diſtinctus à reſpectu, quem dicit agens activé educens ad formam eductam. Ex quibus poteſt inferri, quod ad hoc ſecundum genus pertinet relatio cauſæ, & effectus, (ſic loquitur Scotus, vbi ſupra 5. *Met.* §. *quemodo ſumuntur tres modi*) *maximé efficientis, & materia.* Vſque adhuc Scotus vbi ſupra *in* 4. §. *vlterius in ſpeciali.* Et hinc præcave cum ipſo, quod productio poteſt ſecundum ſe dici diſtincta actio, ac eductio quoad entitatem, cum in Deo detur creatio, quæ eſt productio, & non eductio: vnde ait Scotus, quod ſicut hoc nomen actio æquivocatur, ita hoc nomen potentia activa.

92 Reſolvendum venit, quod Scotus *in* 4. §. *ad quintum principale* reſolvit, dicens; *poteſt dici vno modo ſic*, (dicit, *poteſt dici*, non quia reſolutio non ſit firma, vt ſolet non eſſe, quando per *poteſt dici* reſolvit; ſed quia ſub eodem intento plures reſpondendi modos adaptat ad textum Ariſt. aliud *in* 5. *Metaph.* inſinuantis) *quod nulla relatio ſecundi modi fundatur ſuper actionem, & paſſionem, vt dictum eſt in* 1. *d.* 27. *ſed tantum ſuper potentiam activam, & paſſivam.* Suadet Scotus aſſumptum; quia illæ relationes, quæ videntur fundari ſuper actionem, & paſsionem, vtpote relationes ſecundi modi, non inſunt, quando actio, & paſsio ſunt; quia quando paſſio, & actio ſunt, adhuc Filius non eſt: deinde tales relationes inſunt, quando paſsio, & actio non ſunt; quia tunc intelligitur formatus Filius, & Pater perfecté poſitus, quando nec illius eſt paſsio, nec iſtius eſt actio; ſed relatio non poteſt eſſe, niſi dum eſt fundamentum: ergo cum relatio ſit, dum nec actio, nec paſsio eſt; nec paſsio, nec actio erunt fundamentum proximum relationis; ac proinde tale erit potentia activa, ſic vt actio, & paſſio tantum ſe habeant ſicut præviæ diſpoſitiones ad relationes prædictas. Comprobat Scotus intentum, exponens Ariſt. ſic aientem: *ſicut Pater Filij Pater, hic quidem fecit, illud autem paſſum eſt. Fecis*, hoc eſt, produxit; *paſſum eſt*, hoc eſt, eſt productum: ergo &c.

93 Etſi obijcias, (proſequitur Scotus) quod

Digitized by Google

quod Ariſt. relationes ſecundi modi exemplificat inter calefactivum, & calefactibile, & iterum inter calefaciens ad illud, quod calefit, & ſecans ad illud, quod ſecatur, tanquam inter agentia ponens relationes: ergo quia intellexit, quod tales relationes potuerunt fundari ſuper actionem, & paſſionem ſic, quod tranſacto agendi exercitio non debeant intercedere inter productum, & illud, quod produxit, cum iſtæ non exemplificentur, niſi vt inter agentia; ponit namque illas inter calefaciens, & quod calefit. Reſpondet Scotus dicens, Ariſtot. ſe ſtatim expoſuiſſe circa exempli intelligentiam, aiens: *ſecundum tempora iam dicuntur ad aliquid, vt quod fecit ad factum, & futurum ad faciendum.* Vbi ſemper vult, quod agens ſit producens, & actum ſit ſemper productum; ac proinde, quod relationes producentis, & producti verſentur, vt ſupra in reſolutione dicebamus. Itaque notat Scotus, quod tam calefactivum, quam calefaciens poſſunt dupliciter intelligi. In primis poteſt calefaciens intelligi pro principio productivo totius calidi, ſic vt ſumatur pro principio ipſo productivo caloris, ſeu formæ ſubſtantialis ignis; quo pacto calor productus, ſeu forma ignea eſt terminus productionis ab igne, vt ab educente, ſicque relatio intercedens inter ignem producentem, & calorem productum, eſt relatio intrinſecus adveniens, & ſecundi generis; & ita calefaciens ſumitur vt producens, quod dicitur producens ab actione, non de genere actionis; ſed ab actione, quæ dicitur habitudo, poſito fundamento, & termino reſultans, quæ habitudo denominat terminum perfectè productum, & agens perfectè producens, cum habitudo ſic, ſit perfecta productio, ſeu productionis relatio, fundata ſuper potentiam activam, actionem, & paſſionem de genere alio, vt prævias, & materiales diſpoſitiones, requirens tranſactas.

94 Deinde poteſt calefaciens ſumi, non vt producens, ſed tranſmutans; quo modo habet pro termino ſubiectum tranſmutabile, ſeu quod tranſmutat; & ſic poteſt ſumi vt exercitè, & materialiter agens, & ſubiectum vt conſimiliter patiens, & tunc relatio intercedens eſt extrinſecus adveniens, & de per ſe ad hoc ſecundum genus non ſpectans, ſed ad prædicamentum quintum: quæ relatio differt ab alia; tum, quia poteſt dari, quin præcedat actio, vt diſpoſitio; ac proinde in nudo activo tranſmutantis, & nudo paſſivo tranſmutati fundari; tum, quia poſitis extremis non reſultat ſecundum ipſa, cum requiratur aproximatio; quare poteſt eſſe ignis, & aqua v. g. quin aqua ſit tranſmutata, & ignis tranſmutans. Vnde ad intentum dicit Scotus, quod dum Ariſtot. poſuit pro relationibus ſecundi modi exemplum in calefaciente, & quod calefit, tunc non intellexit calefaciens pro agente tranſmutante aliud per ipſam actionem de genere actionis; ſed pro agente producente, ſic denominato ab actione, quæ dicitur habitudo reſultans, prævia illa actione tranſacta.

95 Vlterius mentis Scoticæ expoſitionem concludere intendens (ſcio enim aſperum, & valdè difficile plurium captui præſens punctum eſſe) eſt nimis præcavendum, quod dum ignis v. g. educens calorem in aqua eſt tranſmutans aquam, poteſt dici, quod per ipſam calefactionem, quæ eſt actio tranſmutativa, potentia activa ignis refertur ad potentiam paſſivam tranſmutativam aquæ; ſed tamen refertur per relationem extrinſecus, ad quintum prædicamentum ſpectans. Nunc ſic, inquiritur hinc, an ignis tranſmutans aquam referatur ad calorem, qui eſt in fieri eductionis in aqua? Similiter, an Pater, dum eſt in ipſo fieri generationis, referatur ad filium, qui non dum eſt productus, ſed producitur? Cui difficultati ſatisfaciam pro nunc aliquibus.

96 In primis poteſt iuxta Scotum exponi, quod dum calor in aqua eſt in ipſo fieri, vt educatur, tunc per illud fieri ignis refertur actu ad aquam; quia licet relatio illa, vtpote actio de genere actionis, non ſit referens ignem vt educentem ad calorem vt eductum, eſt tamen referens ignem vt tranſmutantem ad aquam, non vt ad id, quod eſt tranſmutatum, ſed vt ad id, quod in illo tunc tranſmutatur. Et ſi dicas; cur licet aqua ſit id, quod tranſmutatur, & non quod tranſmutatum eſt, poteſt ignis referri ad eam, & non poteſt referri ad calorem, qui educitur, & fit, licet non ſit eductus, & factus? Reſpondeo, ex eo eſſe, quod actio illa de genere actionis, vtpote fieri dicens materialiter, vt tranſmutatio eſt, iam habet terminum actu exiſtentem, cum aqua, quæ eſt id, quod tranſmutatur, extitiſſet; ac proinde, licet ſit id, quod tranſmutatur, & ignis quod tranſmutat, poſſunt ipſo fieri referri; at autem illa eadem actio non poteſt adhuc referre ignem ad calorem, ſeu ad formam ignis, in cuius fieri eſt tunc, quia non dum adeſt terminus, ad quem referatur; & ſic illa eadem actio reſpectu formæ educendæ ex aqua, ſolum erit diſpoſitiva, ſeu vialis relatio, id eſt, erit ſolum

diſpoſitio, vt deinde poſita forma ignis reſultet relatio educti, à qua habet forma eſſe perfecté educta, necnon eſſe terminus relationis educentis ad eductum, quæ ad hoc prædicamentum ſpectat.

97 Vnde hinc Noſtratum aliquos fatigatos vidi, non valentes reſolvere, quod non ſit relatio formalis, & intrinſecus, dum ignis eſt in ipſo fieri formæ, exiſtimantes, quod tunc ignis iam ſit agens, ac proinde quod illud fieri ſit reſpectus. Tunc igitur reſpectu formæ ignis adhuc non eductæ, non datur formaliter relatio, ſed ſolum datur relationis formalis intrinſecæ diſpoſitio; vel ſi mavis, dic, quod ſolum datur relatio in fieri, ſicuti & in fieri ſolum datur terminus; non datur in facto eſſe, quia actio formalis conſtitutiva termini in facto eſſe, eſt habitudo poſito termino exiſtens; & non poſito, extans ſolum in fieri. Illa autem actio, quæ tunc eſt actù relatio, eſt actio de genere actionis, habens pro termino ſubiectum, quod transmutatur; quæ eadem, reſpectu termini relationis intrinſecus, ſolum eſt diſpoſitio, vt ipſa tranſacta, relatio intrinſecus educentis, & educti poſset habere ſuum fundamentum, & terminum, vtpote potentiam activam educentis, & paſsivam educti.

98 Deinde, ſi occurrat tibi, quod illo primò fieri tranſacto, per quod aqua v. g. dicebatur id, quod transmutabatur, adhuc aqua valet denominari tranſmutata, ſeu id, quod tranſmutatum eſt; ac proinde, quod tunc etiam debebit dari transmutabilis relatio: poteris dicere, ſi relationem admittas adhuc, ita eſſe; taliter tamen, quod licet relatio iam ſit *tranſmutati*, ac proinde reſpectu illius, quod *tranſmutavit*, vt dicebamus ſupra de relationibus intrinſecis, nunquam tamen *quoad entitatem* ſpectabit talis relatio ad hoc ſecundum genus relationis, ſed ad illud ipſum, ad quod ſpectabat, dum erat actio de genere actionis: ſpectare tamen poterit ad has alias *quoad modum*, eo quod talis relatio *tranſmutati ad id, quod tranſmutavit*, videatur iam habere modum actionis illius, quæ dicitur *habitudo*, poſito termino conſtituens, ſicuti relatio *geniti ad illud, quod genuit*, vt ſupra exponebat Scotus.

99 Conſimiliter debes phyloſophare de ipſa actione tranſmutativa, vtpote de ea, quatenus eſt fieri ipſum, reſpiciens aquam, vt id, quod tranſmutatur. Potes enim dicere, quod talis relatio, etſi quoad entitatem ſit extrinſecus adveniens, vtpote quinti predicamenti, tamen quoad modum poteſt reduci ad relationes huius ſecundi generis, eo quod intercedat inter *activum, & paſsivum*, vtpote inter potentiam tranſmutantem activé, & tranſmutatam paſsivé: per eſſe inter *potentiam tranſmutantem*, ſervat ſemper entitatem relationis alterius generis: per eſſe veró inter tranſmutantem *activè* ſervat huius ſecundi generis modum. Relationes veró huius ſecundi generis habent modum, & entitatem, v.g. quæ ſunt reſpectu *educentis activi*, educere eſt entitatis, & activum eſt modi. Quod omne patet in differentijs ſubſtantialibus, quæ, cum dicantur *quales*, habent modum qualitatis, ſed entitatem ſubſtantiæ; differentiæ veró qualitatis habent vtrumque. Id omne tam vtiliter, quam ſubtiliter penetravit Scotus, mirabilem tradens inſimul doctrinam, vt ad hoc ſecundum genus reducamus plures relationes aliorum prædicamentorum, eo quod modum relationum intrinſecus advenientium ſervent; cuius verba, quia clara, ad literam referam.

100 Scotus namque ſupra *in* 4. pro ſatiſfactione ad Ariſt. actionem, & paſsionem ad hoc ſecundum relationum genus inſinuantem, ſic ait: Tertio modo poteſt dici, quod Phyloſophus non tantum ponit ibi ſpecies relationis, ſed etiam modos, ſecundum quos aliqua dicuntur ad aliquid, ſicut & in *cap.* de qualitate, non tantum ponit ſpecies qualitatis, ſed modos. Vnde dicit, *quale* dicitur vno modo differentia ſubſtantiæ; non tamen differentia ſubſtantialis pertinet per ſe ad genus qualitatis. Ita hic in ſecundo modo relativorum poſſunt poni illa, ſecundum quæ aliquid dicitur ad aliud, non vt ſecundum relationem formaliter, ſed vt ſecundum reſpectum aliquem extrinſecus advenientem, habentem ſimilitudinem cum illo modo. Quod ſequitur, *& actiones potentiarum*, exponatur, ſcilicet, de actionibus de genere actionis, quod ſecundum eas formaliter dicuntur activa ad paſsiva, & é converſo; non quidem ſecundum relationes proprié de genere relationis, ſed ſecundum quoſdam reſpectus, pertinentes ad ſecundum modum relativorum, licet non ad genus relationis, habentes tamen modum ſimilem quibuſdam ſpeciebus relationis, vt ſic iſta pertineant ad vnum modum relativorum, non autem ad aliquam ſpeciem relationis.

101 Nec contra noſtram, & Scoti expoſitionem aliquid pro nunc roboris ſentio; ad illud namque quod obijcitur, ſcilicet, quod ſi relatio intrinſecus reſultaret poſt actionem illam, quæ erat fieri, ſequeretur, quod vna relatio, vtpote intrinſecus, haberet pro funda-

men-

mento aliam, vtpote extrinſecus, ac proinde quod illud fieri, nec extrinſecus debet eſſe relatio: reſpondet Scotus, quod relatio extrinſecus non eſſet alterius fundamentum, ſed ſolum prævia diſpoſitio, vel ad terminum, vel ad fundamentum alterius, vtpote intrinſecus. Hæc ſic omni poſsibilicura expoſui; ſcio namque, quantam difficultatem habeant, & quod æquali indigentia requirantur ad plura. Si cupis ea plené capere, vide dicenda infra in *Diſt. de ſex. vltimis prædicam. quæſt.* 1. & 2 & pleniùs rogo videas dicenda in *lib. Phyſ. Diſt. de cauſis vt ſic*, vbi in q. 4. examinabitur, an eius cauſalitas ſit relatio.

TERTIVM GENVS.

102 A*Lia vero vt menſurabile ad menſuram, & ſcibile ad ſcientiam, & ſenſibile ad ſenſum. Tex. com.* 20. apud Scotum vbi ſuprà in *Metaph & in q.* 13. Tertium genus relationis conſtruitur ſupra menſurabile; vbi eſt advertendum, quod hinc pro menſuræ ratione non capitur illa, quæ eſt paſsio quantitatis mollis, cum hæc ſit mutua, & deinde non detur potior ratio, vt vna quantitas ſit menſura alterius, quam é converſo, vt patet in palmari quantitate panni, & in palmari vlnæ: quod non evenit in hac alia ratione menſuræ, quæ eſt quantitas perfectionis, à qua menſurabile dicitur dependere dependentia imitationis, ſive participationis, cum eius entitas, & perfectio per illam innoteſcat: & ſic circa hanc menſuram philoſophatur, quod licet menſurabile dependeat à menſura, non autem é contra: quare dicitur, quod huiuſmodi relatio non eſt mutua: menſurabile namque dicit reſpectum ad menſuram; menſura vero reſpectum realem non dicit ad menſurabile, ſed ſolum rationis; ſed licet realem reſpectum non dicat, eſt tamen terminus realis, ſeu realiter terminans reſpectum menſurabilis ad ipſam. Ex quibus has relationes, non mutuas eſſe requirit Ariſt. *in* 5. *Met. tex.* 29. tenens ibi, quod menſurabile, vt ſcibile, &c. dicuntur ad aliquid ex eo, quod ad quodcumque ipſorum dicantur alia, vt ſcientia, &c.

103 Exemplificatur omne in ſcientia, & obiecto; ſcientia enim, vt participat perfectionem ab obiecto (nam vt dependet ab obiecto, vt à concauſa cum intellectu, fundat relationem mutuam ſecundi modi) dicitur menſurabilis per illud, fundatque ad ipſum relationem realem, cuius fundamentum eſt ipſa entitas abſoluta ſcientiæ, & ratio fundandi eſt ipſa dependentia perfectionis, quod non evenit é converſo, nam obiectum non eſſet aptum, ſcientiæ perfectionem menſurare, niſi ſcientia ab illo realiter dependeret, ſive niſi ſcientia realiter dependeret ab obiecto in participando ipſius perfectionem: ex eo enim quod actus potentiæ intellectivæ poſsit verſari circa Deum, & actus potentiæ viſivæ non poſsit, infero, actus potentiæ intellectivæ eſſe perfectiores, quam potentiæ viſivæ actus; quapropter obiecta iſtorum actuum menſurant, ſeu nobis eorum perfectionum certificant.

104 Vlterius ſupra idem exemplar dicitur, tales relationes non eſſe mutuas; quia licet ſcientia per aliquid ſibi intrinſecum dicatur actualis ſcientia, ſeu cognitio alicuius obiecti, & eſſe illa forma realis, qua intellectus actualiter denominatur cognoſcens, aut ſciens; ſecus autem eſt de obiecto, quod non denominatur eſſe ſcitum, aut cognitum per aliquid ſibi inhærens, aut in ipſo exiſtens, cum non dicatur cognitum ex eo, quod in ſe habeat formam cognoſcendi, quin ſolum habeat eſſe purum terminum cognitionis realis; ac proinde, vt dicatur pluſquam terminativé cognitum, requiritur vna, aut altera cognitionis relatio; quæ cum realis non poſsit eſſe, cum ratio fundandi, vtpote entitas cognitionis, non ſit in ipſo, ponitur relatio rationis, cuius ratio fundandi eſt eſſe comparatum ad cognitionem: vnde reſultat eſſe cognitum formaliter per formam rationis, quod realiter ſolum habebat eſſe cognitionis terminum. Ex his enim relatio menſurabilis non dicitur realiter mutua.

105 His ita expoſitis, plurima hinc examinanda, & reſolvenda veniunt, à quibus breviter expediar; ſcio namque, quod ſi nimis decurrat animus, ad nominis quæſitum devenîemus. Occurrit primó, an debeant eſſe mutuæ? Secundó, an debeant eſſe reales? Tertió, an debeant eſſe prædicamentales? Quartó, an debeant eſſe prædicamentales intrinſecus? Tandem, an ſint recté à Philoſopho adductæ? Quæ omnia ex profeſſo examinarem, ſi potius, quam nomen, inſtaret vtilitas.

106 Ad primum videbatur, affirmationem ſtatim deberi; fateor tamé, quod cui non convincat Ariſt. authoritas, nulla vlterius convincet ratio; quia menſuræ ratio, etſi ſit perfectionis, tamen menſuræ quantitativæ rationem imitari videtur, & ad eius ſimilitudinem deſumi; quod poſſet aliquis ſuadere à paritate exemplaris antecedentis: ſicuti enim

quia

quia viſio intellectualis attingit Deum, ſecus autem corporea, metitur ex obiecto perfectio actus; poterat ſimiliter dici, quod cum actus ſpiritualis attingat Deum, & actus corporeus ſolum attingat brutum, valeret ex perfectione actuum metiri perfectionem obiectorum. Verum enim veró, cum Ariſt. cogat, dicere quibus, quod cum in omnibus, ſecundum rectam Ariſt. phraſim, & optimorum principiorum regulam, ſit ſtandum in aliquo primo, quod ſit primum cæterorum metrum, omnino independens &c. ideo id in vno, aut in altero eſt ſtabiliendum, quod eſſe obiectum oportet, cum ſit primum, & deperſe derivans ſpeciem. Nec oportet hinc currere amplius.

107 Ad ſecundum faciliter ſolet exhiberi reſolutio; quia fundamentum eſt reale, & ratio fundandi ipſi propriſsima, nec non intrinſecé inhærens illa denominatio: videtur ergo, quod realis ſit illius generis habitudo. Ad tertium dicitur etiam, eſſe prædicamentales, eo quod entitati ſcientiæ contingat commenſuratio, ita vt hæc illi ſuperadditus ſit modus. Sed præſens reſolutio ſolet increpari ab aliquibus ſequentibus Henricũ; quia imperceptibile videtur, quod detur aliqua relatio diſtincta ab ipſa ſcientia, cum ſcientia per ſe metipſam ad obiectum ſcitum referatur. Tum, quia licet obiectum non ſit actu exiſtens, ſic refertur ſcientia, ac ſi exiſtens foret: igitur quia ſufficit poſsibilitas termini, vt ſolet ſufficere pro reſpectibus tranſcendentalibus.

108 Huic increpationi dicitur ab aliquibus, quod poſſet eſſe ſcientia in aliquo intellectu, ſine eo quod intellectus intelligeret illud obiectum, vt ſi deſtrueret Deus obiectum, vel ſpeciem eius, conſervata tamen qualitate abſoluta ſcientiæ; tunc enim illud obiectum non perciperet intellectus: ergo quia relatio ſcientiæ ad illud, non foret identificata cum ſcientia; aliàs non poſſet obiectum non percipere. Dicitur ab alijs, ſcientiam actualem præter relationem tranſcendentalem ad obiectum vt ſic, prædicamentaliter reſpicere obiectum, vt actu exiſtens, cui commenſuratur; nam hæc commenſuratio eſt perfectio intrinſeca, & contingens illius: deficiente autem obiecto, deficit in actu hæc relatio prædicamentalis, actualis commenſurationis, ſaltim quoad denominationem, non tamen deficit ralatio tranſcendentalis actualis repreſentationis. Ipſa ergo cognitio, qualitas eſt abloluta, fundat tamen relationem prædicamentalem, actu commenſuratæ ad obiectum menſurans. Parum quieſco, ſtatim dicam.

109 Ad quartum nil poteſt dici, niſi conſideratis vniuſcuiuſque opinionis principijs. Qui enim requirant ad relationem intrinſecus, veram, & firmam vtriuſque extremi exiſtentiam, difficilé poterunt ſalvare relationem intrinſecus in commenſuratione, cum mihi certum ſit, quod circa terminum poſsibile poſsit dari commenſuratio; poteſt namque metiri perfectio cognitionis, habentis poſsibilitatem pro obiecto. Qui veró dicant, ſufficere pro exiſtentia termini, quod actu ſit cognitum; poſſunt dicere, quod prædicta relatio reſultabit. Et ſic plures alios defectus, ſecundum ſua principia, poterit quicumque ſalvare.

110 Exiſtimo ergo, pro his omnibus dicendum, intentum Ariſtot. fuiſſe, diffuſam relationum ſeriem ad hæc genera congrègare, inveniens in vnoquoque genere vnam, aut alteram ſpeciem relationis, quæ prædicamentalis foret; quare licet aliquæ relationum ſpecies, tribus ſignatis modis conſimiles, in entitate, & rei veritate non ſint prædicamentales; quia tamen iuxta vnam, aut alteram circunſtantiam, eis videntur affines, poſſunt triplex prædicamentalitatis genus conſtituere, ſeu ad ipſum reduci. Tale exiſtimo fuiſſe intentum Ariſtot. prout cum Scoto (licet Scotus propter Authoritatem Ariſtot. triplex genus veré ſalvare intendat *in 5. Met. q. 12. & 13.* ibi præfatas difficultates non leviter ſentiens) dicebam ſupra, *in fine relationum ſecundi generis.*

QUÆSTIO II.

An relatio terminetur ad abſolutum.

111 ADvertendum eſt ante quæſtionis reſolutionem, eam non procedere de relatione poſita inter entitates ex ſe iam formaliter relativas, v. g. de relatione mediante inter paternitatem, & paternitatem; vel clarius, de relatione mediante inter relationes, prout à pluribus deffenditur, quod poteſt vna relatio eſſe alterius fundamentum. Verſatur igitur quæſtio de relatione mediante inter extrema, quorum entitates ſunt abſolutæ, v.g. de relatione Patris ad Filium. Vbi advertitur ab aliquibus, duplicem eſſe terminum, alium totalem, compoſitum ex relatione, & entitate termini, v. g. *Filius*, & alium partialem, qui dicitur pars concreti, & termini totalis; & iſtæ eſt duplex, materialis, ſeu *qui*, qui attingitur ratione alterius, talis eſt ſubiectum, & entitas Filij; & formalis, ſeu *quo*, qui dicitur ab eis ratio formalis terminandi. Inquiritur ergo, quiſnam

ſit

ſit terminus formalis relationis. Sedquidquid de prædicta expoſitione ſit ſentiendum, clatiùs exiſtimó inquirendum, vnico verbo petens, an terminãs ſit formalitet abſolutum, vel non. Circa quod plures dicunt, quod in relationibus mutuis, terminus non eſt abſolutus, ſecus autem in non mutuis. Ita aliqui Angelici, quos citat, & ſequitur noviter Dionyſ. Blaſco *in 5. diſt. 18 q 5. art. 2.* Alij plures negativam abſoluté defendunt. Ita multi Jeſuitæ, quos noviter citat, & ſequitur Peinado *trac. 5 diſp. 5. ſec. 5.*

112 Reſolvo, relationem ad abſolutum terminari. Ita expreſsé Scotus *in 1. d. 26. q. vn. à §. cõtra iſtam concluſionem, & in d. 30. q. 2. à §. Reſpondeo igitur ad primam quæſtionem.* Prob. 1. ratione Scoti in d. 26: relatione aliquid refertur formaliter, ſicut albedine aliquid albatur; ſed ipſa relatio formaliter non refertur, quia ſecundum Aug 7. *de Trin. cap. 2. omne relativum eſt aliquid excepta relatione*: ergo quod formalitet refertur eſt aliquid præter relationis formam, ac proinde abſolutum. Dices ſtatim, hac ratione ſolum probari eſſe aliquid abſolutum id, quod formaliter refertur; non autem probari, abſolutum eſſe id, ad quod formaliter refertur. Dant aliqui diſparitatem ex eo, quod relatio exigat fundamentum ex ratione communi accidentis, ſeu vt dicit eſſe *In*, ſicque præexigit fundamentum, vt cauſam, vel ſubiectum; at autem ad terminum comparatur ex propria ratione particulari, prout relatio eſt, ſeu dicit eſſe *Ad*, ex qua parte relatio non habet eſſe in rerum natura formaliter loquendo, ſed ſolum habet oppoſitionem ad correlativum; ac proinde non præexigit terminum formaliter conſtitutum in ratione termini. Ita Complutenſes apud Poncium hinc.

113 Sed in primis ipſas Scoti rationes continuans, præfatam reſponſionem præcavere intendam. Arguo ex Scoto ſic: terminus, vel eſt formaliſsimé relatio ipſa, vel relativum, vel relatum? Si primum: Contra; quia ſecundum phraſim Ariſt. relationi convenit, quod eſſentialiter ſit ad aliud; ſed ſi relatio ipſa ſit terminus, deficit aliud ab ipſa, ad quod ipſa ſit: ergo. Tum, quia vt infra dicam cum Doctore, ſi terminus ipſe foret paternitatis relatio, poſſemus percipere paternitatem, & filiationem, quin iſta aliquid diſtinctum vltra paternitatem haberet; quod ad intentum difficilius, claré convincit Scotus: ergo. Si terminus ſit relativum: vel dicitur relativum, quia in ipſo formaliter eſt alia relatio, ſeu forma relativa; vel quia forma relativa ſolum ipſum denominat, quia eſt in ordine ad ipſum; quomodocumque ſit, debet eſſe abſolutum, quod formaliter denominatur: ergo. Prob. indiſtinctè ab Scoto; quia quidquid formaliter informatur, & denominatur, eſt aliquid, vel ſuppoſitum, vel diſtinctum ab ipſa denominatione, & informatione; ſed ſi quod formaliter dicitur, ſeu denominatur à relationis forma, non diſtingueretur, vel ſupponeretur ad ipſam, illa regula corrueret, quia idem foret denominatum, & denominans, quod contradicit: ergo quomodocumque ſit, debet eſſe abſolutum, quod formaliter denominatur. Mai. ſuadet Scotus; tum in vnione, quæ diſtinguitur ab vnito; tum in albedine, quæ diſtinguitur à dealbato: tum in quacumque informatione; vnde deducitur intentum; quia ſicuti relatio eſt forma aliquid denominans relatum, ſic vnio vnitum, cognitio cognitum, albedo dealbatum; ſed vnio non denominat vnitum, vnitum; nec cognitio cognitum, cognitum; nec albedo dealbatum, dealbatum, ſicuti nec denominatum denominatio denominat denominatum: ergo & quæcumque relationis denominatio, debet cadere formaliter ſupra id, quod nec ſit formaliter relativum, nec relatum.

114 Deinde ſuadetur diſtinctè intentum; quia ſi terminus dicatur relativus, quia in ipſo formaliter recipitur relatio, tunc terminus erit relativus à relatione, quam veluti formam recipit, ſed à forma, quam recipit, potius ſuſcipit denominationem informati inſtar ſubiectum: ergo ex tali ſuſceptione, non ſuſcipit termini denominationem. Si dicatur relativum, quia ipſum denominat forma, cum ſit in ordine ad ipſum. Contra; quia tunc ſolum erit id, ad quod tendit relatio; ſed vt aliquid ſit id, in ordine ad quod tendit relatio, non requiritur, quod ſit relativum, vt concedunt de non mutuis, & ſuaderi poteſt de termino motus, qui non eſt mobilis ex eo, quod ad ipſum tendat motus; imó mobile eſt in ordine ad quietabile: ergo & relativum in ordine ad abſolutum, quod, vt puré terminans, eſt relativum motum quietans.

115 Nunc arguo aliter contra illam Complutenſium reſponſionem: relatio non ſolum denominat fundamentum ex communi ratione accidentis: ergo perit fuga. Prob. antec. quia relatio tale extremum attingit vt fundamentum proximum; ſed de ratione communi accidentis ſolum eſt aliquod attingere, vt purum ſubiectum: ergo quia illud attingit ſub ratione ſpeciali, ac proinde, vt relatio. Tum, quia difficilé poteſt negari, quod

ſub-

ſubiectum illud, non ſolum denominetur accidentatum, ſed & referens: ergo. Prob. quia non ſolum ſuſtentat accidens, ſed & relationem; ſed eſt imperceptibile, quod vt ſubiectum accidentis non maneat accidentatum: ergo & erit imperceptibile, quod vt immediatum ſubiectum relationis non maneat referens. Suadetur; quia ſi accidens denominat, & tale accidens denominabit: ergo. Vlterius; quia illud eſſe *In*, vt rectè notavit Scotus, non manet, ſeu cadit ſolum in ſubiecto, ita vt ſolum detur in illo, quod per eſſe *In* exprimitur; aliàs totum eſſe formæ ſic haberet abſoluiè eſſe *In*, quod nunquam ad amplius moveret eſſe illius, in quo eſt, vt quodvis accidens abſolutum, quod tale eſſe *In* habet: ergo quia inſimul cum eſſe *In* datur eſſe *vnde*, id eſt, vnde forma eſt ad aliud: igitur quia ſub formalitate relativi denominat ſubiectum.

116 Tandem, nullo melius poteſt intentum probari, quàm à paritate aliarum relationum. Argui ſolet ergo ex relationibus non mutuis, quæ ſunt in ordine ad terminum, qui non eſt relativus: ergo & in ordine ad idem erunt mutuæ. Reſpondet Diony. Blaſco negando conſequentiam; quia relatio mutua eſt valdè in ſpecie diverſa à non mutua, propter diverſam rationem terminandi; quia in mutuis ratio terminandi eſt alia relatio; in non mutuis entitas abſoluta: & rationem diſparitatis dat; quia relatio mutua reſpicit terminum, vt purè terminum, nil illi communicando, nec ab illo recipiendo; relatio verò non mutua reſpicit terminum, non vt purè terminum, ſed vt menſuram, à qua dependet; eſt autem menſura, non ſecundum aliquid relativum, ſed abſolutum.

117 Sed contra in primis; quia eo præcisè, quod mutuæ rationes fundandi poſſemus advertere, daretur ſpecifica diſtinctio ab alijs penes præciſam rationem mutui, & non mutui: ergo ad horum diſtinctionem accidit, quod ad relationem, & non ad abſolutum terminetur relatio. Suadetur; quia mutuæ, non minus ſunt rationes fundandi, quam terminandi; ſed vt mutuæ ſint illæ, non requiritur, relatio, ſed abſolutum: ergo nec requiretur, vt mutuæ ſint aliæ.

118 Secundo; quia eſtò relatio vnius extremi terminaretur ſic ad abſolutum alterius extremi, quod illius alterius abſolutum ad abſolutum primi terminaretur, ſtrictiſsimè ſalvaretur diſtinctio cum relationibus non mutuis: ergo ſi de ratione communi, & præciſa relationis non ſit ad aliam relationem terminari, nec debebit eſſe de ratione mutui. Suadeo intentum, & do rationi vires; quia id debet affirmari de mutua, quod de non mutua negatur; ſed de non mutua negatur, quod in abſoluta entitate termini non datur reciprocatio: ergo quod affirmatur de mutua, debet eſſe, quod abſoluta entitas termini reciprocatur.

119 Tertiò: concipiamus vnam, & alteram relationem, & cum recta noſtræ mentis ratione eamus ad terminos, ſicuti relationes vadunt; profecto per præcisè ire non agnoſcemus diſtinctionem illum; quia iter efficeretur de fundamento ad terminum; tum, quia ſi ire præcisè vnum ad aliud, cum Philoſopho definiremus, nil mutui, aut correlati attingeremus; diſtinctio namque non ſtat per viam præcisè eundi, ſed per viam regrediendi; ſed via vnius relationis non requirit aliud, quam abſolutum pro termino: ergo neque in prima via alterius, licet inde revertatur, quia alterius entitatis eſt abſolum eius. Præcavetur ſolutio; quia dato, quod in motibus primę viæ daretur diſtinctio, ſufficiebat pro ſpecialiori entitas abſolota vtriuſque: ergo gratis ampliaretur relatio. Suadetur; quia terminus vnius habere poſſet eſſe correlatus, non autem alterius; quia abſolutum, ad quod vna tenderet, eſſet alterius entitatis, ac eſſet abſolutum, ad quod alia: ergo eſtò termini, ſub ratione purè terminandi, nil formaliter relationis ampliare videantur, non eſt dandum, dum pro correlationis diſtinctivo, abſoluti diſtinctio ſufficiat.

120 Quartò in confirmationem dictorum; quia quid aliud formaliter, & ſtrictè loquendo eſt eſſe termini, quam eſſe deductum per *Ad*? Hoc eſſe non augetur in termino, licet terminus correferatur; ſi namque benè attendatur, correlatio non intendit *Ad* in eodem, ſed extendit in diverſis; id eſt, terminum eſſe correlatum, non eſt in ſe in ratione termini addere aliquid ſupra eſſe *Ad* termini non correlati, ſed ſolum eſt, aliud eſſe *Ad* ponere in fundamento, ſeu in alio extremo; nec non eſſe *Ad* termini primi, poſſe eſſe eſſe *In*: ex quo poteſt deduci, quod diſtinctio ſumitur ab eſſe *In*, quod formalitati termini accidit; & etiam, quod ſicuti eſſe *In* fundamẽti non diſtinguitur ab eſſe *In* præ alijs fundamentis, quia extendatur ad poſſe habere eſſe *Ad*; nec eſſe *Ad* termini diſtinguetur ab eſſe *Ad* præ alijs terminis, quia extendatur ad poſſe habere eſſe *In*.

PRIN-

PRINCIPALIORA SOLVVNTVR.

121 Objic. 1: relata ſunt ſimul natura; ſed ſi relatio terminaretur ad abſolutum, non eſſent ſimul natura; quia entitas v. g. filij in priori ad filiationem eſt terminus relationis: ergo in illo priori paternitas refert fundamentum ad entitatem abſolutam filij: ergo nō ſunt ſimul natura; quia in priori naturæ eſt paternitas antequam reſultet, & filiatio, & filius, quod videtur imperceptibile, cognoſci Patrem, quin cognoſcatur filius. Huic obiectioni plures tradit, & impugnat ſolutiones Diony. Blaſco.

122 Reſponderi poteſt concedendo maiorem, & negando minorem. Dicimus itaque, benè poſſe compati, quod ſic relativa ſint ſimul natura, quod poſito Patre inſimul adſit Filius, & è converſo, & tamen Patrem referri ad entitatem abſolutam filij, & è converſo. Ratio eſt; quia relatio Patris, v. g. etſi poſsit dici relativi relatio, cum entitatem Patris denominet relatam, tamen relatio non eſt principium formale referendi relatum, ſeu relativum reduplicativè, ſed ſolum ſpecificativè, nempè, eſt ratio referendi abſolutum Patris, quod eſt relatum, ſeu quod eſt id, quod per talem rationem refertur. Similiter poſita paternitate, ſeu poſita entitate abſoluta, quæ refertur, inſimul debet eſſe filius, vtpote terminus; ſic tamen, quod filiatio, nec aliquid quod ſit relativum, ſit terminans niſi ſpecificativè, nempè, entitas abſoluta, quæ à filiatione denominatur.

123 Relatio namque duo extrema æquè requirit, ipſaque denominat, vnum pro fundamento habens, & aliud pro termino expoſcens; ipſa enim ſunt, quæ correferuntur proximè, nō autem relationes ipſæ correferūtur, cum ex proprio munere ſolum ſint rationes, vt extrema referantur; igitur quia nec relatio Patris refert relationem paternitatis, nec refertur ad relationem filiationis, quin inſimul relatio Patris referat entitatē abſolutam Patris ad entitatem abſolutam filij, & è converſo. Vnde dato, quod relatio ſit in vtroque extremo inſimul, nēpè, dato, quod in nullo priori ſit Pater, quin ſit filius, ſic quod Pater ad id, quod iam eſt filius, referatur, nunquam ad aliud, quam ad entitatē abſolutam filij referretur, vt dicebam ſupra; quod ſuaderi poteſt in vnione; licet enim in vnoquoque extremo propria vnio adeſſet, vnio non vniret vnionē, ſed ſolum habens vnionem inſimul; nec terminus foret vnitum niſi ſpecificativè, nempè entitas formę, quę in facto eſſe eſt vnita, quod in alijs relationibus non negamus; quia ſi Pater referatur ad abſolutum filij, inſimul relatum ad abſolutum Patris, equidem Pater referetur ad illud abſolutū, quod eſt relatum, & è cōverſo filij abſolutū referetur ad illud abſolutū, quod eſt referēs. Sed hæc, ni fallor, nil quæſito obijciunt, vt poſſunt abundare exemplaria.

124 Deinde deveniamus ad intentum principale: dicebatur nāque, quod relata ſunt ſimul natura, quod difficilè ſalvabitur, ſi relata ſint abſolutæ entitates, nā entitas abſoluta Patris multū extitit, quin entitas abſoluta filij extitiſſet: ergo debet intelligi de relativis ipſis, vt formaliter talibus. Reſponderi poteſt, quod licet entitas abſoluta Patris ſit referens, ſeu relata; præſupponens tamen actionem generativam de genere actionis, vt dicebamus in quæſt. antec. exponentes relativa ſecundi generis: vnde illa actione, vt diſpoſitione præcedente, non poteſt entitas abſoluta Patris exiſtere, quin inſimul exiſtat entitas abſoluta filij, ac proinde quin abſoluta ſint inſimul natura, cum tunc ad invicem referantur. Vndè potes dicere conformis Scoto in *1. d. 35. q. vn.* quod relativa eſſe ſimul natura, intelligitur de abſolutis, prout ſub relationibus conſiderantur; ſic, quod abſolutis poſitis, ſit inimpedibilis reſultantia.

125 Si contra dicta adducatur, quod ſemper vnum relativum, v. g. producens, debet eſſe in aliquo priori ad aliud, v. g. productum; ac proinde malè eſſe explicatam relativorum ſimultatem: reſponde, quæ Scotus *in 4. d. 13. q. 1* ſic aiens: *Eſt ergo reſponſio, quam dixi 1. lib. d. 28. q. 3. quod licet relativa ſint ſimul natura, prout ſimultas dicit, non poſſe eſſe ſine invicem: tamen cum hoc ſtat prioritas originis, qua nil aliud dicit, niſi à quo eſt aliud.*

126 Conſimiliter ſolet obijci, quod relativa ſunt oppoſita; ſed vnum oppoſitum terminatur ad aliud: ergo & vnum relativum. Vlterius ex Ariſtot. tenente, relativa dici ad convertentiam: ergo quia relatio terminatur ad relativum, cum quo convertitur. Reſpondetur ad primum, quod ſi oppoſitio ſit formaliter relatio, vt communiter tenent noſtri, tunc ſicuti relatio terminabatur ad abſolutum, ad quod refertūr, ſic oppoſitio terminabitur ad abſolutum, cum quo opponitur. Deinde ad Ariſtot. poteſt dici, quod vt ad convertentiam dicantur, ſufficit, quod extrema neceſſariò inducant relationem, etſi formaliter relativa non ſint: ac proinde vt album v. g. ad convertentiam dicatur, ſufficit, quod ſit proximum ſimilitudinis fundamentum.

Fff QVÆS-

QVÆSTIO III.

Plures alias relativorum difficultates reſolvens.

127 D*Iſſiculiabis* 1. *an vna relatio poſsit eſſe alterius fundamentum?* Reſpondetur affirmativé cum Scoto *in* 2. *d.* 1. *q.* 4. *verſ. Contra iſtam rationem in ſto*, vbi ait: *dictum eſt enim in primo libro, quod relatio fundatur ſupra relationem, ſicut proportionalitas ſupra proportionem.* Simili proportione id reſolvit *in* 4. *d.* 6. *q.* 10. vbi improbat rationem D. Thomæ aſſerentis, ſupra relationem non fundari relationem; falſum, inquit, eſſe; *quia ſecundum Euclidem* 5. *Geometria in principio, proportionalitas eſt ſimilitudo duarum proportionum: ergo ſuper proportionem, quæ dicit formaliter relationem, fundatur ſimilitudo.* Deinde hec concluſio, nullo melius poteſt ſuaderi, quam eo ipſo, quo ſuprà in *q.* 1. *art.* 2. conſtitutivum relationis propugnavimus: quia ſi paternitas v. g. non ſit per ſe formaliter ſimilis alteri paternitati, cum quælibet poſsit exiſtere, quin ſit ſimilis, licet nulla, quin ſit relatio: ergo quia in ordine ad aliam non eſt formaliter ſimilis, & ſic nec formaliter relatio; ac proinde, quia quævis poterit ex conceptu primo relationis, eſſe fundamentum relationis ad aliam. Videantur illa, abundé examinata.

128 Vlterius poteſt comprobari intentum per relationem inter duo alba repertam; album namque, quod eſt fundamentum reſpectu alterius albi, poteſt eſſe terminus per relationem alterius albi ad ipſum: ergo & forma, quæ eſt relatio inter aliqua extrema, poterit eſſe fundamedtum relationis, ſi comparetur ad alia. Id poteſt ſuaderi ex alijs; quia nõ minus repugnat toto eſſe partem, & vni eſſe multiplex, quam relationi eſſe fundamentum; ſed ſi aliter fiat comparatio, quod eſt totum poteſt eſſe pars, & vnum, quod multiplex: ergo & fundamentum, quod relatio.

129 Dices ſtatim, quod ſi vna relatio fundat aliam, vel per idemptitatem, vt inter ſortem, & Platonem in ſpecie idem; vel per ſimilitudinẽ, vt inter duas paternitates in relationibus ſimiles; tunc pari paſſu quævis illarum relationum fundabit aliam, cum duæ ſimilitudines ſint etiam ſimiles, & ſic vſque in infinitum procedetur: ergo. Reſpondet Scotus huic argumento tam *in* 2. quam *in* 4. vbi ſupra, illud abundé diſſolvens. *In* 4. enim hæc habet: *Et ad illam probationem, quod tunc eſſet proceſſus in infinitum in relationibus, dico, quod non valet de realibus reſolutionibus, quia aliqua eſt relatio vltima, in qua non poteſt fundari alia realis, ſicut aliquod eſt accidens ita vltimum in entibus, quod non poteſt vlterius eſſe ſubiectum alicuius accidentis, & ideo non ſequitur, ſi accidens poteſt eſſe in accidente, quod in accidentibus eſt proceſſus in infinitum. De relationibus tamen rationis benè concedo, quod ibi poteſt eſſe proceſſus in infinitum, quia qualibet relatio, ſive realis, ſive rationis, poteſt vlterius fundare aliam relationem rationis.*

130 Præfata habet Scotus *in* 4. quibus extitit conformis *in* 2. dicens, quod eodem modo, quo in idemptitatibus, debet ſervari ſtatus de ſimilitudinibus proportionalitatum, quia vna proportionalitas eſt ſimilis alteri ſimilitudine eſſentiali; duo etiam individua eiuſdem ſpeciei dicuntur ſimilia forma ſpecifica; & ita ſicut eſt ſtatus in idemptitate ſpecifica, ita & in ſimilitudine proportionalitatũ. Hæc ipſe, quibus conformes dicimus Scotiſtæ, quod paternitas v. g. poteſt eſſe ſimilis alteri paternitati per relationem diſtinctam ſimilitudinis, quia paternitas non eſt formaliter ſimilis per ſe, eo quod vna paternitas maneat, altera deſtructa; & ſic poteſt paternitas aliam relationem diſtinctam fundare, vtpote ſimilitudinis; at autem vna ſimilitudo per ſe formaliter eſt ſimilis; nec poteſt dari formaliter ſimilitudo, quin ſit altera formaliter; ac proinde quin ſe ipſa ſit ſimilis, nullo ſuperaddito poſito: quare illa relatio erit ipſi ſimilitudini formaliter eadem; ex quo claret, quod non procedat relatio vltra ipſam ſimilitudinem; aliàs non foret eadem relatio cum ſimilitudine, cum ſimilitudo prima primitatem non derivet vltra. Vnde rectè dicebat Scotus, quod ſi aliqua relatio vltra ſimilitudines ipſas procedens intelligatur, non erit realis, ſed rationis, ratione diſtincta, ſicuti ratione procedens.

131 Et ſi replicetur, quod ſimilitudines fundatæ in duabus paternitatibus, licet per ſe ſint ſimiles inter ſe, non autem per ſe erunt ſimiles ſimilitudinibus fundatis in duabus albedinibus, quia ſine iſtis poſſunt eſſe ſimiles, ac proinde requirent relationem ſuperadditam, vt ſimiles fiant; quo pacto ſemper curret proceſſus. Reſpondent adhuc Scotiſtæ, ita eſſe tenentes, proceſſum tamen negantes; quia cum non ſint res infinitæ, quæ poſſint ſimiles eſſe, neque earum ſimilitudines erunt infinitæ. Vbi habe, quod cum vſque ad deveniendum ad ſimilitudines, quæ per ſe ipſas ſint ſimiles,

ſo-

ſolum altera ſimilitudinis relatio præcedat, ſimilitudines nunquam erunt infinitæ, quin ſolum ſemel res nunc finitas excedent. Nec ſic ampliare curſum relationum implicat, cum non implicet diſtinctionum; quævis namque res cum omnibus actu exiſtentibus diſtinguitur.

132 Exiſtimo ergo, prædicta ita debere ſubſiſtere; vnam tamen illationem percipio, ſcilicet, eam relationem non videri prædicamentalem. Suadebitur; quia ſimilitudo ſi per ſemetipſam ſit ſimilis, relatio ſimilitudinis nō erit modus ſuperadditus ipſi. Deinde, nec videtur eſſe tranſcendentalem, quia hæc exiſteutiam termini nō exigit, & ſimilitudo vnius paternitatis, aliam exiſtere, intrinſecé requirit. Dici poteſt, eſſe tranſcendentalem, cum tranſcendentalis de per ſe non ſiſtat in exiſtentia, vel non exiſtentia termini, ſed præcisé in non eſſe realiter à fundamento diſtincta. Vlteriùs, ſi mavis, potes dicere, eam eſſe æquivalenter prædicamentalem, quia licet per ſe ſit talis, tamen derivatur ab alia, quæ talis non eſt per ſe; ſic quod licet ſimilitudo non habeat additum infra ipſam, ſin autem ſupra. Tùm, quia ſi reſolutio fiat, invenietur in primo fundamento contingentia, quæ vlterius æquivalenter perſeverat, eo modo quo actus iam infallibilis dicitur liber ex reſolutione ad primum eius principium.

133 Dices 2: vna actio nequit produci per aliam actionem, neque vna vnio per aliam vniri: ergo neque vna ſimilitudo per aliam aſsimilari. P. Poncius reſpondet, id non eſſe ad propoſitum; ſolum namque debebat ſciri, an ſi vniretur, vniretur per formam diſtinctam, vel per ſe: ſcire enim, an poſsit vniri, vel non poſsit vniri, non videtur ad propoſitum, cum ipſi contrarij fateantur, vnam ſimilitudinem eſſe ſimilem alteri, ſive per ſe, ſive per aliam; & neutro modo vnam vnionem vniri dicunt. Quidquid ſit de hoc, facilé reſpondebo dicens, verum eſſe, vnam ſimilitudinem non eſſe ſimilem per aliam; ac proinde ſemper, & quando aliquid ſit realiter, & formaliter ſimile, per ſe erit alteri ſimilé; ſicuti & id, quod formaliter ſit vnio, per aliud vniri repugnabit. Itaque ſimilitudo reperta inter duas paternitates, per ſe non eſt ſimilis alteri ſimilitudini albedinum, quia reſpectu harum non eſt formaliter ſimilitudo, quin relatio reſultans eſt formaliter ſimilitudo, quæ vt talis per ſe aſsimilatur: ſic paternitas eſt ſimilis per ſuperadditum paternitati, quia paternitas non eſt ſimilitudo.

134 Dices 3: relatio eſt formalis ratio referendi: ergo ſine vlteriori ſuperaddito refertur. Reſp. diſting. antec. per ſe eſt ratio referendi in ordine ad terminum proprium, ſine quo non poteſt eſſe, eſt verum: in ordine ad terminum ſic extraneum, quod ſine eo valeat eſſe, eſt falſum. Paternitas enim per ſe eſt ratio referendi ad filium, qui eſt terminus proprius, & infallibilis eius; non autem ſic per ſe eſt relatio ad aliam paternitatem, cum hæc fallibilis, & contingens ſit.

135 *Difficultabis 2. an vna relatio poſſit reſpicere plures terminos?* ſeu, quod idem eſt, an dum vnum ſubiectum refertur ad plures eiuſdem rationis terminos, ſit eadem numero relatio ad omnes, an ve tot ſint relationes, quot termini? Prima ſententia, cum ex vnitate numerica fundamenti deducat vnitatem numericam relationis, plures relationes ad plures terminos negat. Ita apparent Doctor Seraphicus, & Angelicus cum Henrico apud Scoti Scholium *in 3. d. 8. quæſt. vnic.* Secunda veró ſententia, cum tam ex termino, quam ex fundamento, quamvis diſtinctionem in relativis inferat, contrarium defendit.

136 Reſolvendum eſt, quod multiplicatis numero terminis multiplicantur relationes. Ita Scotus vbi ſupra, aiens: idem, quod argutum eſt ex fundamentis, probatur ex terminis, quia ad duos terminos non poteſt eſſe eadem relatio, quia tunc eadem ſimul eſſet, & non eſſet: eſſet, quia ablato vno termino, eſſet, manente alio: non eſſet, quia quovis ablato, ad ipſum non eſſet relatio: ergo quot filij, (adeſt in margine annotatio) tot paternitates. Suadetur aliter intentum Scoti ratione: correlativa ſunt ſimul natura: ergo deſtructo vno, deſtruitur & reliquum: ergo deſtructa hac filiatione in hoc filio, deſtruitur hæc paternitas in hoc Patre; ſed mortuo primo filio, reſpectu ſecundi Filij manet Pater: ergo quia ad ſecundum filium fuit alia paternitas, quæ ad primum; aliàs ſimiliter poſſent dicere, quod eadem erat vtriuſque generatio. Tandem id ſuadet; quia per primum filium Pater in ordine ad ipſum eſt vltimaté Pater: ergo cum ipſa vltimitatis relatione alius terminus repugnat.

137 Reſpondent, paternitati advenire novum modum extenſionis, per quem reſpicit filium, quin nova ſuperaddatur relatio. Sed contra ex Scoto ibi; quia ille novus modus, vel eſt reſpectus, vel non? Si non ſit reſpectus, nil datur novi, quo Pater alium filium reſpiciat. Si ſit reſpectus; igitur

cum ſit novus, Idem, ait Subtiliter Scotus, erit plurificari reſpectum illum, ac foret plurificari relationem illam: vnde paternitas erit fundamentum ad illos novos reſpectus; & ad paternitatem erit fundamentum entitas Patris. Igitur ſicuti non repugnat, quod eadem relatio inducat novos reſpectus, neque repugnabit, quod idem fundamentum, quod erat entitas Patris, inducat novas relationes.

138 Reſpondent aliter, quod prima paternitas reſpicit primum filium, tanquam terminum adæquatum; producto ſecundo filio, perit paternitas prima, & advenit alia, primum, & ſecundum indiviſé reſpiciens; & ſimiliter dum producitur tertius, & quartus: quo pacto multiplicatis terminis non multiplicantur relationes. Contra, & infero, quod ſi Beata Virgo Maria habuiſſet alium Filium à Chriſto, periſſet Maternitas ad Chriſtum, & adveniret alia, ſecundum quam, nec magis, nec aliter vnum, quam alium reſpiceret. Dices, illos fore diſtinctæ naturæ filios, ad quos diſtinctæ forent relationes. Contra; ad filios diſtinctæ naturæ, diſtinctæ in natura darentur relationes: ergo ad filios diſtinctos numero, ſaltim numero darentur relationes diſtinctæ. Contra 2: prima relatio periret: ergo ab aliqua forma expellente illam; hoc non: ergo. Prob. quia ſi prima relatio poterat eſſe cum ſecunda, ita vt vnica pro duabus conſtaret: ergo quia nullatenus erat vna alteri contraria, vt propter vnius adventum, altera ſuum eſſe deperderet. Contra 3: prima relatio, quæ exiſtebat, non poterat habere vim deſtruendi relationem ad ſecundum filium, aliàs nulla reſultaret: ergo nec ſecunda relatio poſſet habere vim ad deſtruendum relationem ad primum.

139 Reſpondet ſemper alij, ipſi concluſionis fundamento inherentes, ſcilicet, in vnico fundamento non poſſe dari plures numero relationes; quia relationes individuantur à ſubiecto, ac proinde iſtud vnicam ſolum individuationem habens, & vnicam in individuo poterit relationem habere. Contra; quia album dicens relationem ſimilitudinis ad album, non poterit dicere relationem diſſimilitudinis ad nigrum, cum ſubiectum vnicum ſit, & relationes iſtæ pluſquam individuam diſtinctionem requirant. Dices, tales relationes eſſe diſtinctæ ſpeciei. Contra; relationes diſtinctæ ſpeciei poſſunt compati in eodem ſpecie ſubiecto: ergo & diſtinctæ numero in eodem numero.

140 Obijci ſolet 1. quod ſi, vt dictum eſt, multiplicarentur relationes, homo habens duos filios, diceretur duo Patres: ergo. Negatur illatio; quia concreta accidentalia non accipiunt nomen à forma extrinſeca ſubiecto, ſed ab ipſo ſubiecto: vnde ſi vnicus paries duas haberet albedines, non diceretur duo alba, ſed vnum; & è contra ſi vnicam albedinem haberent duo parietes, non vnum, ſed duo alba dicerentur. Ratio eſt; quia talia concreta ſunt adiectiva, cum dicant formam per modum alteri adiacentis, & ſic denominatio ſumitur ab illo, cui adiacet: vnde ſolum diceretur vnus homo, habens duas paternitates, ſicuti vnus paries duas albedines habens. Si aliter diſcurrere mavis, vide Scotum vbi ſupra, duas filiationes in vnico ſuppoſito componentem.

141 Obijci ſolet 2: eadem potentia poteſt producere plures effectus, & eadem vnio vnire duo extrema: ergo & eadem relatio poterit habere plures terminos. Reſponderi poteſt ad primum, non tenere paritatem de potentia ad relationem; ſed de actione adæquata potentiæ ad relationem adæquatam termini, & de potentia productiva terminorum, ad fundamentum inductivum relationum: ſic enim eſt pariter philoſophandum. Ad ſecundum poteſt concedi, currere vnionis paritatem; ſic tamẽ, quod ſicut vnio recepta in vno, & terminata ad aliud, dicit habere duo extrema, at vnicum vnite ſubiectum, & cum vnico termino; ſic & relatio recepta in vno, & terminata ad aliud, duo extrema dicit, at vnicum ſubiectum cum vnico termino.

142 *Difficultabis ſi à quo ſpecificetur relatio?* Ante difficultatis reſolutionem advertendum eſt ex Doctore noſtro *in quæſt. 25. Prædicam. verſ. ad primum iſtorum dici poteſt*, quod non loquimur hîc de intrinſeco conſtitutivo relationis; nam ſic certum eſt, nec terminum, nec fundamentum eſſe ſic ſpecificantia, & conſtituentia, cum relatio ſit accidens realiter ab vtroque diſtinctum. Sed cum relatio inter omnia entia ſit debiliſſimum ens, cum ſit ſola habitudo duorum, & ita minimé cognoſcibilis in ſe, noſcibilior autem, ſecundum quod informat ea, quorum eſt habitudo, ideo inquirimus de ſpecificativo extrinſeco, ab extremis nobis noto, quodnam ſcilicet ſit inditium, à quo, veluti à poſteriori, vnam relationem variari in ſpecie, deducere poſſimus; an ſit fundandi ratio, an vel terminandi ſit. In hoc ſenſu exagitatur difficultas; nam aliter nil fundamentum, nec terminus proſunt, cum intrinſecé ſpecificetur, & individuetur à ſua propria entitate à priori, & vltimo conſtituatur in ſpecie relationis formaliter

per

per reſpectum *Ad*; ſecundum quod præ cæteris prædicamentis manet diſtincta.

143 His ita ſuppoſitis, variæ reſolutiones formantur, nam aliqui tenent ſpeciem ex fundamento indici; alij ex termino: alij veró, mediam præſumentes viam, exiſtimant, nullam eſſe regulam fixam, ſed tam ex fundamento, quam ex termino poſſe dignoſci. Vltimum videtur rationabilius, & videtur à noſtris deduci ex Scoto vſque adhuc citato. Poteſt vulgariter ſuaderi; quia calor producens alium calorem, dicit relationem ſimilitudinis, & cauſæ cum illo; ſed tales relationes differunt ſpecie, & non propter terminum, qui in ſpecie, & numero eſt idem; ſed propter modum fundandi, cum reſpectu relationis ſimilitudinis ratio fundandi ſit vnitas, & reſpectu relationis cauſæ ſit entitas cauſæ, actionem præſuponens: ergo iam ex termino non indicitur ſpecificatio. Deinde album vt quatuor v. g. dicit relationem adæquatæ ſimilitudinis ad album vt quatuor, & eodem vt quatuor albo manente, poſito pro termino albo vt duo, non dicit adæquatam ſimilitudinis rationem; ſicuti nullam dicit, nigredine poſita pro termino: ergo nec ex fundamento poteſt fixa deduci ſpecificatio. Dices, quod variato vno extremo, variatur & aliud, & ſic ab vtroque ſpecificari. Permittam intentum; eo tamen permiſſo, nil contra nos, cum tunc relatio ab vtroque poſſet ſpecificari: aſſerimus enim de per ſe, nullam regulam poſſe fixé teneri, vt ex aliquo determinate colligatur. Hinc aliqua ſolent opponi, quę omnitto, quia præcedenti annotatione intellecta, facilé poſſunt diſſolvi.

144 *Difficultabit 4: quænam ſint relationis proprietates?* Huic difficultati ſolet reſponderi, quatuor eſſe, ſcilicet primam, *habere contrarium*: ſecundam, *ſuſcipere magis, & minus*: tertiam, *dici ad convertentiam*: quartam, *eſſe ſimul natura*. Pro deciſione primæ proprietatis eſt breviter advertendum, quatuor eſſe oppoſitionis ſpecies, ſcilicet, relativa, contraria, contradictoria, & privativa: vnde quamvis omnis contrarietas ſit oppoſitio, non autem é converſo. Exponendum ergo venit, in quo ſenſu de relativis contrarietas dicatur.

145 Reſolvitur iuxta Scotum in q. 26. *Prædicam.* quod ſi contrarietas ſtricté ſumatur, relativa non habent contrarium, niſi ratione fundamentorum. Suadetur prima pars ab eo; quia in rebus, ad quas non eſt per ſe motus, non valet eſſe contrarietas proprié dicta, nam hæc ſit per per motum; ſed ad relativa huius prædicamenti non eſt per ſe motus ex 5. *Phyſ.* ergo. Tum, quia contraria ſunt proprié, quæ ſub eodem genere maximé diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuó ſe expellunt; ſed relativa vt ſic, non ſic ſubiectum, quam terminum reſpiciunt: ergo. Secunda pars ſuadetur ex Scoto ibi; nam albedo, & nigredo proprié contraria dicuntur; ſed in eis ſimilitudo, & diſsimilitudo fundantur: ergo ratione fundamenti contraria dicentur. Idem poteſt phyloſophari de ſimilitudine vt quatuor, incompatibili cum ſimilitudine vt duo; quæ contrarietas ſtat ex parte qualitatis albæ, & albioris in eodem ſubiecto.

146 Compatitur cum prædictis, contrarietatem largé ſumptam dare relativis. Vide dicta de quantitate, vbi de eius proprietate prima. Aliqui Scotiſtæ, hanc largam contrarietatem explicant dicentes, quod oppoſitio contraria largé ſumpta ſtat inter duas formas non invicem in eodem ſubiecto ſe compatientes; ſed vna forma relativa non compatitur cum alia reſpectu eiuſdem, vt paternitas, & filiatio: ergo tales, larga contrarietate opponuntur. Sed in his parum ſiſte, prout Scotus in fine *quæſtionis* 26. notat dicens: propter hoc videtur dicendum, quod illæ proprietates per accidens inſunt relativis: nec obſtat Authoritas Ariſtot. in contrarium; quia nil videtur ſecundum propriam opinionem determinare de relativis ante illam partem, vbi incipit improbare primam notificationem relativorum &c.

147 Secunda proprietas *eſt ſuſcipere magis, & minus*, circa quam conſimiliter loquitur Scotus reſolvens, quod nulla relatio formaliter, & ſecundum ſe ſuſcipit magis &c. Suadet 1: quia ſi relatio proprié ſuſciperet magis, & minus, ad relationem per ſe eſſet motus, & ipſa foret forma diviſibilis habens partem poſt partem; ſed id eſt contra Ariſtot. 5. *Phyſ. cap. 4:* ergo. Secundo ſuadet ſic: quia ſi in forma relationis eſſet ſuſcipere magis, & minus, relativum dictum ſecundum magis, per ſe referretur ad duo; ſed conſequens eſt contra Ariſtot. 5. *Met. contex.* 20. ibi inconveniens tem, quod idem bis referatur, id eſt, ad duo: ergo. Conſequens ſuadetur ab Scoto; quia ſi aliquod relativum ſuſciperet magis, & minus, tunc tale relativum per ſe referretur ad aliquid dictum ſecundum minus, ſecundum eamdem formam, & præter hoc ad illud, ad quod tale relativum abſoluté dicitur, v. g. *ſimilius*, diceretur per ſe ad minus ſimile, & ad aliud ſimile, *vt albius* ad minus album, & ad aliud album: ergo. Itaque ſtabis

in

in hoc, quod ſi relationes ſecundum magis, & minus poſsint aliquam variationem ſuſcipere, id dici valebit ex parte fundamenti, ſuppoſito, quod aliquod fundamentum poſsit ad talem variationem habere dilatationẽ; relationes namque nec habent augmentum, nec diminutionem directé, nam ſi qualitas intendatur, nova relatio ponitur, & prima deſtruitur.

148 Circa tertiam, & quartam proprietatem plura ſubtilia tradit Scotus, vt videri poſſunt à curioſo in *q. 27 Prædicam.* Sed iam breviter. inquam, quod relativa dici ad convertentiam, ſtat in hoc, quod ex ſpeciali conceptu relationis, quo indice informantur, mutuó ſe notificationi manifeſtent, ita vt ad invicem inferantur. Notat tamen Scotus hinc, Ariſtot. eſſe intelligendum de relativis per ſe; ſecus autem de relativis per accidens, vel non per ſe relativis mutuó, v.g. quorum vnum ſecundum propriam formam dependet ad aliud, & reliquum ſecundum propriam formam non dependet ad ipſum, cuius modi ſunt, quæ referuntur, vt menſura, & menſurabile ad invicem; ſcientia enim per ſe dicitur ad ſcibile, ſed ſcibile non ad ſcientiam, niſi quia ſcientia ad ipſum.

149 Deinde, quoad eſſe ſimul natura, debet percipi, quæ Scotus ibi in ſolutione vnius argumenti. Scilicet, Patre exiſtente, & nullo exiſtente, quod eſt filius, verum eſt dicere, quod Pater eſt, & filius non eſt: ergo &c. Reſpondet Scotus: dici poteſt, quod relativa ſunt ſimul natura ſecundum illud eſſe, quod eſt eis proprium, in quantum ſunt relativa; ſed illud non eſt ex ſe exiſtere; quia hoc accidit eis in quantum referuntur, & ideo vnum relativum poteſt ſic eſſe, non exiſtente alio: vnde hæc conſequentia non tenet: Pater eſt, id eſt, exiſtit: igitur filius eſt, ſcilicet, exiſtit; licet teneat ſumendo eſſe, vt eſt proprium Patris, in quantum refertur, & conſimile eſſe Filij; & ita (inquit Scotus) intelligenda eſt conſequentia Ariſtot. qua probat, relativa ſimul eſſe natura. Dicitur namque, eſſe in ſimul entitates relativorum, vt ſubſunt notionibus relativis; quo pacto dicit Scotus, quod licet entitas à notione generis denominata, prius intelligatur, quam entitas ſpeciei; ſecus autem prout ſubſunt notioni generis, & ſpeciei. Vide dicta ſupra *in q. 2. in ſolutione argum.*

DISTINCTIO V.

De Qualitate.

1 ARISTOT. poſt notitiam relativorum, in *cap. 8.* qualium tradidit notitiã, ipſum exponens Scotus à *quæſt. 30. Prædicam. vſque ad 37.* cuius expoſitionis pro nunc vtiliora, quam citius poſsimus, afferemus.

QUÆSTIO I.

De Qualitatis Conſtitutivo.

2 ARiſtot. *cap. de qualitate*, eam explicuit dicens: *qualitatem autem dico, ſecundum quam quales denominamur.* Hæc explicatio ſolet reijci; quia definitio debet tradi per notiora, & priora; ſed fieri *quales*, ſeu concretum *quale* non eſt notius ipſa qualitate; nam ſi eſſentia qualitatis non innoteſcat, concretum quale ignorabitur: ergo. Reſpondet Diony. Blaſco hinc, & ante ipſum N. Rothericus, reddere quales, ſeu concretum quale, eſſe nobis notius ipſa qualitate, quia compoſitum ſemper eſt nobis notius, quam pars; quod ſufficit ad definitionem quidditativam. Sed contra; quia id valeret, quando ipſius compoſiti, ſub qualis ſpecificativo denominati, haberemus notitiam: ſed hæc deficit, quia licet ſciamus, *quale* eſſe compoſitum, ſemper quale ſit *quale*, ignoramus: ergo. Tum, quia ſi aliquis exponeret qualitatem dicens: principium entis qualis conſtitutivum; tunc verſus compoſitum maneret expoſita, & tamen vitioſa foret expoſitio. Tum, quia per eſſe *quale* ſolum attingitur quidam modus qualificandi; quia abſque notiori qualitatis notitia eſt ſubſtantijs applicabilis, cum harum differentiæ in *quale quid* denominent: ergo.

3 Alij ſic qualitatem explicant: *accidens abſolutum perfectivum ſubſtantia in eſſendo, vel in operando.* Diſplicet; quia nulla res definitur bené duplici genere, quorum vnum intrinſecé non contineat aliud: ergo nec duplici differentia, quarum vna non ſit intrinſecé in alia;

alia; ſic ſe habet iſta: ergo. Prob quia dantur qualitates, quæ non perficiunt in operando, vt lux, ſonus in aere; aer enim independenter à luce, & ſono, completam habet ſuam virtutem: ergo. Tum, quia difficilé ſalvabitur, quod qualitas ſit ex munere ſuo perfectiva ſubſtantiæ, & quod talis non ſit quantitas; quia ſi qualitas vnam, aut aliam informationem relinquat in ſubſtantia, quia etſi accidentalis, eſt forma; ſic & quantitas. Si enim quantitas non impediret in ſubſtantia penetrationem, plura connaturalia deficerent ſubſtantiæ; ſed nil perfectius, quam connaturalium expeditio: ergo. Tum, quia error, mendacium &c. ſunt qualitates, non ſolum moraliter, ſed & ex natura ſua potentiam rationalem maculantes, ac proinde non perficientes: ergo.

4 Alij ſic explicant: *accidens per ſe intenſibile*. Diſplicet; quia dantur qualitates de per ſe non petentes intenſionem: ergo. Suadetur in ſpeciebus, quæ de ſe ſolum habent repreſentare obiectum vt eſt, ita vt accidat eis, quod repreſentatum intendatur; imó ſpecies repreſentativa entis intenſi, non eſt intenſibilis, v. g. ſpecies miſſa ab albedine ſummé intenſa. Tum, quia in vnoquoque entis genere eſt aſsignabile aliquod vltimum; ſed cum ratione vltimi non compatitur eiuſdem intenſio: ergo. Tum, quia ſatis commune eſt, quod potentiæ, & character ſacramentalis ſint qualitates, & non intenſibiles: ergo.

5 Alij ſic explicant: *accidens diſtinctum à quantitate, relatione, &c.* Diſplicet; quia vel hæc definitio explicat quantitatem &c. vel non explicat? Si explicat: ergo non ſolius qualitatis, ſed quantitatis &c. eſt definitio. Si non explicat: ergo ignota quantitatis, relationis, &c. eſſentia, qualitatis eſſentiam ignorabimus, cum non poſsimus ſcire, quidnam ſit à quantitate diſtinctum. Tum, quia ſimili excluſione reliqua prædicamenta poſſemus definire, quomodo nullum definiremus.

6 Alij ſic explicant: *accidens abſolutum conſequens formam*, vbi per conſequi formam ponunt differentiam cum quantitate, quæ conſequitur materiam. Pro hac explicatione exiſtimantur Angelici apud Diony. *lib. 5. d. 19. q. 1.* Diſplicet; quia materia, vt exiſtens, debet apud eos conſequi formam, cum ab ea recipiat exiſtentiam: ergo cum quantitas ſit paſsio materiæ, vel ipſi coexiſtens, debebit etiam conſequi formam; ſed quantitas non eſt qualitas: ergo. Tum, quia dantur qualitates diſpoſitivæ, quæ non conſequuntur, ſed antecedunt: ergo. Dicunt, antecedere in genere cauſæ materialis, conſequi in genere efficientis. Contra; quia eo modo, quo antecedunt, ſunt intrinſecé qualitates; ſed eo modo, quo antecedunt, non cónſequuntur: ergo eo modo, quo intrinſecé ſunt qualitates, non convenit eis intrinſeca qualitatum expoſitio.

7 Alij explicant: *accidens penetrabile ſecundum ſe*. Hæc expoſitio ſolet impugnari ab aliquibus R.R. dicentibus, quod calor, & frigus in ſummo: duo accidentia eiuſdem ſpeciei: duo contradictoria: impulſus ſurſum, & deorſum, & ſic alia, ſunt qualitates, & in eodem ſubiecto naturaliter impenetrabiles. Sed cum præfata explicatio conſimilis noſtræ appareat, ideo eam aliqualiter relinquam ſalvam. Dici ergo poteſt, quod cum ponitur penetrabilitas, ponitur ſic, quod impenetrabilitati quantitatis ſit directe oppoſita; quo pacto nunquam qualitati deficit penetrabilitatis eſſentia. Quantitas ergo eſt ſic impenetrabilis, quod nec cum partibus eiuſdem rationis penetrationem ſubſtineat; quo pacto impenetrabilis non eſt qualitas; necnon ſic ſufficienter ſuam eſſentiam præ quantitativa diſtinctam manifeſtans: ſufficiet igitur pro qualitatis perfecta notitia, talis penetrationis conceptus, cum ſic quantitativus non ſit. Illa namque impenetratio, quæ ſupra ſuadebatur, eſt impropria, cum ſit potius dicenda contrarietas metaphyſica, nimis ampla, & tranſcendens, competens etiam relativé oppoſitis. Quapropter præfata expoſitio eſt, vt notavi, percipienda, eique poteſt addi, *omnimodè*, vel *propriè non impenetrabile*; quo pacto propriam quantitatis impenetrationem fugiet.

8 Exiſtimo ergo, qualitatem ſic poſſe explicari: *accidens abſolutum ſecundum ſe inextenſibile*. Dicitur *accidens abſolutum*, vt conveniat cum quantitate, & differat à relatione. Dicitur *ſecundum ſe inextenſibile*, vt etiam à quantitate differat. Per ly enim *inextenſibile* intelligimus conceptum quemdam, extenſibilitatis conceptui directé oppoſitum; quo pacto aliud intelligimus, quam quod per intenſibilitatem intelligebatur. Si ergo vnicus qualitatis gradus ſolum poſsibilis perciperetur, perciperetur quod ſufficeret ad ſalvandum qualitatis eſſentiam, quin tamen ibi occurreret intenſibile, licet occurreret inextenſibile, cum inextensé exerceretur. Nec contra hæc invenio, quæ roboris poſsint eſſe, argumenta.

***

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De qualitatis ſpeciebus.

1. Genus.

9 *E St autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur; & vna quidem ſpecies qualitatis eſt habitus, & diſpoſitio*: Ariſtot. *cap. eod.* apud Scotum ſupra *in Prædicam.*

HABITVS, ET DISPOSITIO.

10 HAbitus, vt notat Scotus in 36. *q. 5. ad ſecundam*, poteſt vno modo ſumi, prout ſignificat aliquid tranſcendens, ſecundum quod ab eo dicitur, aliquid habere denominativé; quo pacto nullum eſt prædicamentum, quod non habeat; ſubſtantia namque habet eſſentiam, paſſiones &c. Secundo modo ſignificat habitudinem mediam inter habentem, & rem habitam, quæ eſt veluti actio media inter agens, & patiens; quo pacto eſt decimum generaliſsimum. Tertio modo eſt idem, quod forma poſitiva; quo pacto ſumitur ab Scoto iuxta Ariſt. in oppoſitione privativa. Quarto autem modo, inquit ipſe, ſumitur, ſecundum quod habitus ſignificat qualitatem radicatam in ſubiecto, (ideſt, ſitam) difficulter mobilem. Vnde pro habitu intelligitur hic, omnis qualitas diſponens ſubiectum ad operandum, ab extrinſeco ei proveniens, ab ipſo mobilis difficulter.

11 Diſpoſitio conſimiliter ſumitur hinc præciſé pro qualitate, quæ ab extrinſeco proveniens, diſponit ſubiectum ad operandum, (ſi forte velis, dic, & ad patiendum) ſic vt ab eo facilé mobilis ſit, vndequaque hoc proveniat. Tales expoſitiones videntur conſonare intento Ariſtot. quia in hoc membro ſignavit qualitates, quæ diſponunt ſubiectum, non ſolum ad agendum, ſed & ad patiendum, quia hinc ponit ægritudinem, quæ non agit, ſed ſolum diſponit ad pati. Deinde hinc ponit qualitates ab extrinſeco additas, non innatas ſubiectis, & ipſis connaturaliter inſitas, quia iſtæ ſpectant ad ſecundam ſpeciem, vt conſtat exemplis ab Ariſtot. adductis de ſcientia, & virtute, de caliditate, & frigiditate.

12 Eſt tamen hinc advertendum, quod cum primam qualitatis ſpeciem in habitu, & diſpoſitione ponat Ariſtot. debet dari vnicus huius ſpeciei conceptus, qui habitui, & diſpoſitioni ſit communis, & indiviſé huius ſpeciei conſtitutivus: in 5. namqué Metaph. *contex.* 15. apud Scotum ſupra, ponitur convenientia inter habitum, & diſpoſitionem. Pluribus igitur parum vtilibus relictis exiſtimo conceptum præciſum à duobus, & pro hac ſpecie determinatum, poſſe ſtare in eo, quod ſit *qualitas diſpoſitiva ſubiecti ab extrinſeco, ipſius virtutem in ordine ad ſic operandum afficiens.* Conſonat explicatio, vt inferius examinabitur. Deinde pro diſtinctione inter habitum, & diſpoſitionem habenda, poteſt addi *ſic facile, vel ſic difficile*; quo pacto, tam habitus, quam diſpoſitio in ſpeciali modo inter ſe dignoſcentur.

2. Genus.

13 *A Liud veró genus qualitatis eſt, ſecundum quod pugilatores, vel curſores dicuntur: vel ſalubres, vel inſalubres. Et ſimpliciter quæcumque ſecundum naturalem potentiam, vel impotentiam dicuntur*: Ariſtot. *cap. eod.* apud Scotum ſupra.

NATVRALIS POTENTIA, & impotentia.

14 PEr potentiam non intelligitur hinc aliquid, quod ſit entitatis ſubſtantiæ, cum examen vertatur circa eas habilitates, quæ entitates quales participant ſecundum vnum, aut alterum modum: quare nulla potentia, quæ virtus ſit ſubſtantialis, vt intelligendi, amandi &c. aliter quam tranſumptivé poſſunt ſpectare hinc. Abundat intentum in textu exprimente potentiam pugilandi, currendi, &c. quæ immediaté non procedunt ab anima, ſed ab optima organizatione partium, valetudine, temperamento &c. Itaque ad hæc reducuntur omnes illæ potentiæ, quæ ab entitativo accidenti, ſubiecto connaturalizantur.

15 Per impotentiam non intelligitur hinc pura negatio potentiæ, ſed potentia ipſa aliquomodo impedita, vt ad ſtatutum connaturalis perfectionis gradum non perveniat: omnes namque naturales potentiæ, determinatam habent proportionem; quia tamen poſſunt defectu aliquorum accidentium debilitari, vel per aliorum interpoſitionem effrænari, dicuntur quoad ſtatum debitæ perfectionis impotentes; nam licet poſsint operari, debiliter tamen, & ſecundum quid, v. g potentia currendi in claudo &c.

16 Conceptus igitur, huic ſpeciei indiviſé

appli-

applicabilis, poteſt expendi per eſſe *qualitatem connaturaliter ſubiectæ radicatam, ad abſolutè operandum illud afficiens.* Vlterius conceptus ſpecialis potentiæ, & impotentiæ poſſunt ſufficienter exprimi, addendo prædicto, *ad operandum ſecundum quid* pro *impotentia,* & pro *potentia* poteſt addi, *ad operandum abſolutè,* ly abſolutè præciſsimè captum. Vel ſi mavis, pone ipſa additamenta Scoti *in 36. Prædicam.* ibi aientis: *ſed potentia tantum ſignificat modum qualitatis abſolutè, ſecundum quod eſt principium operationis, & impotentia ſignificat modum qualitatis, ſecundum quod illa eſt principium difficulter agendi, vel patiendi faciliter.* Conſonare videtur expoſitio; quia habitus, & diſpoſitio, non dant abſolutè operari, ſed ſic, vel ſic operari ex ratione communi, & indiviſa ſuæ ſpeciei; habitus enim, & diſpoſitio, virtutem abſolutam operandi ſupponunt in ſubiecto, ac proinde ad abſolutè poſſe non conducunt, ſed ad *ſic poſſe,* vt dicebatur. Potentia verò, & impotentia non ſupponunt virtutem, quinimò eam ſubiecto dant; ex quo habent, ex communi ſuæ ſpeciei ratione, eis ſpeciali, differendi modum cum habitu. Diſtinguuntur interſe; quia vna, vt potentia abſolutè, id eſt, expeditè, & altera, vt impotentia, impeditè operatur, ſeu abſolutè difficilè, vt exponebat Scotus.

3. *Genus.*

17 **T**ertia verò ſpecies qualitatis eſt paſſibilis qualitas, & paſſiones &c. Ariſt. *cap. eod.* apud Scotum ſupra.

PASSIO, ET PATIBILIS QVALITAS.

18 **P**Aſſio, vt notat Scotus *in 36. Prædicam.* eſt quid æquivocum, ſecundum quod dicitur in *5. Metaph.* in multa ſignificata; paſſio namque non ſumitur pro proprietate à ſubiecto dimanante, cum ſic, apud nos, ſpectet ad prædicamentum entitatis ſubiecti. Nec ſumitur pro effectu actionis, ſecundum quod dicit Author ſex principiorum, cum ſic ſpectet ad ſextum prædicamentum; ac proinde, nec pro receptione formæ in ſubiecto, ad eductionem conſequuta, cum ſic etiam ſit conſimilis paſſioni ſexti prædicamenti. Sed ſumitur hinc (inquit Scotus *5. ad quartam quæſtionem dicendum*) *ſecundum quod ſignificat qualitatem, ſecundum quam eſt alteratio.*

19 Itaque paſsio, & patibilis qualitas debent habere indiviſum propriæ ſpeciei conceptum, per ſpeciales rationes diviſum. Conceptus ergo communis poteſt iuxta Scotum conſtrui, *per comparationem qualitatis ad ſubiectum natum alterari ſecundum eam*: quæ verba ſic poſſunt modificari: *qualitas primò, & per ſe ordinata ad alterandum ſubiectum in ordine ad ſe.* Deinde notat Scotus virtutis alterativæ ſpeciales differentias pro paſsione, & patibili qualitate. Ait namque, quod diſtinguitur contra paſsibilem qualitatem, *prout paſſibilis qualitas dicitur illa, à qua aliquid denominatur denominatione ſignificante permanentiam formæ in ſubiecto: abſolutè igitur tertius modus eſt paſſio,* id eſt, prout virtus alterandi ſumitur à permanentia indiviſa. Vnde manet vtriuſque modi conceptus diviſus, addendo explicationi prædictæ *permanenter,* vel *velociter.*

20 Conſonare videtur expoſitio; differunt namque paſsio, & patibilis qualitas ex ſuo conceptu ab alijs, vſque adhuc expoſitis. Differt ab habitu, & diſpoſitione, à potentia, & impotentia quia vt vidimus, præfatæ ſpecies primò, & per ſe ordinatæ ſunt ad operandum; quædā abſolutè, & ſimpliciter, vt potentia, & impotentia; quædam ſecundum quid, vel quoad *ſic* operandum, vt habitus, & diſpoſitio; nulla tamen tendit ad ſubiectum in ordine ad ſe, & ad præciſè alterandum ipſum. Clarius id ipſum exponitur; quia habitus, & diſpoſitio ſecundum ſe, immediatè perficiunt potentiam; at aliæ immediatè, & ſecundum ſe non perficiunt ſubiectum ad operandum, ſed ad exiſtendum, ſeu eius naturam in ordine ad ſe. Deinde; quia qualitas ſecundæ ſpeciei eſt ſecundum ſe abſoluta potentia in ordine ad operandum perficiens naturam, quin tendat ad hanc mutandam per alterationem, cum ſit cum illa congenita, & abſolutè radicata: ſecus autem qualitas huius ſpeciei, quæ vltra dicta, cum poſſit non eſſe congenita, valet mutare illam.

4. *Genus.*

21 **Q**Vartum verò genus qualitatis eſt forma, & circa aliquid conſtans figura &c. *cap. eod.* Ariſtot. apud Scotum ſupra.

FORMA, ET FIGVRA.

22 FOrma (inquit Scotus *in 36. Prædicam. §. ad quintam quæſtionẽ*) vno modo eſt tranſcendens, ſecundum quod ſumitur in principio ſex principiorum; quo pacto nullum ens eſt abſque forma. Alio modo ſumitur, *vt eſt exterior diſpoſitio rei animata, vel decens lineatio.* Similiter figura vno modo ſignificat ſuperficiem incluſam, vel terminatam lineis. Alio modo ſignificat ipſam terminationem, vel clauſionem ſuperficiei. Hinc ergo, nec forma, nec figura ſumuntur in prima ſignificatione, ſed in ſecunda, ſecundum quam exiſtimatur ſpectare ad hoc genus qualitatis.

23 Igitur conceptus huius quarti modi conſtitutivus poteſt conſtrui *per eſſe modum claudentem, vel terminantem externam ſuperficiem, ipſi ex natura ſua inhærentem.* Cum igitur forma ſumatur pro illa diſpoſitione proportionis, quam partes habent ex extrema quantitatis delineatione, videtur, quod forma debeat eſſe illa clauſio, ſeu terminatio exterior, perficiens partes quantitatis, non in ordine ad ſpatium, ſed in ordine ad ſe. Hoc vltimum dicitur, quia modus præſentiæ eſt immutabilis, & affixus ſpatio; ſecus veró figuræ modus, qui ſolum affigitur vltimæ ſuperficiei, non reddens quantitatem vbicatam, vel ſituatam in ordine ad ſpatium, vt præſentia; ſed figuratam, & formatam in ordine ad ſe. Et deinceps circa conceptus diviſivos diſcurrentes. poteſt dici, quod inter figuram, & formam difficile invenitur; nimis enim eſt abſcõdita diſtinctio figurationis à formatione. Sed ſi aliqualiter cupias diſtinguere, dic, formam eſſe diſpoſitionem quamdam partium, veluti ſuperiorem conceptum ad figuram, quæ eſt conceptus determinatior.

24 Prædicta expoſitio quoad conceptum huic ſpeciei indiviſé ſpecialem conſonare videtur; quia per eum ab alijs ſpeciebus ſecernitur: ſecernitur namque à primæ ſpeciei qualitatibus, cum iſtæ immediaté perficiant potentiam: ſecernitur à ſecunda ſpecie, cum iſtius qualitates perficiant in ordine ad abſoluté operandum naturam: ſecernitur à tertia ſpecie, cum iſtius qualitates immediaté perficiant naturam in ordine ad ſe per eius alterationem: at autem huius quartæ ſpeciei qualitates, nec potentiam, nec naturam perficiunt quoad alterari, vel operari, quin ſolum de per ſe immediaté ordinantur ad perficiendum quantitatem.

QVÆSTIONIS EXPOSITIVA decisio.

25 POſt expoſitivam harum ſpecierum deſcriptionem reſtat deciſiva expoſitio, an ſcilicet præfata diviſio ſit adæquata, & an ſit in veras, & ſtrictas ſpecies? Plura conſumunt in deciſione aliqui; at ego, cum nervoſam vtilitatem in eis non agnoſcam, prout in reſolutionibus Scoti annotavi, ipſius doctrinam breviter pro reſolvendis adducam.

26 In primis ergo Scotus tenet, poſſe dici, non eſſe ſpecies, ſed ſolum qualitatis modos. Eſt autem differentia (inquit ipſe in *quæſt. 36. §. ad primam quæſtionem*) inter ſpeciem, & modum, quod ſpecies ſuper illud cuius eſt, addit differentiam eſſentialem, modus differentiam accidentalem; & ita licet iſti modi dicant diverſam habitudinem qualitatis ad ſubiectum penes hoc, quod eſt eſſe permanens, vel non: eſſe à natura, vel non: eſſe ſenſibile, vel non; tamen omnia non variant qualitatem eſſentialiter, quia omnes iſtæ habitudines, vel plures, poſſunt eſſe in eadem qualitate ſecundum eſſentiam. Vnde ad authoritatem Ariſtotelis in contrarium, quoties dicitur ſpecies, ſumendum eſt pro modo ſpeciali, & quoties dicitur genus pro modo generali, ſic vt illa convenientia, quæ veluti ſuperior ad duplicem modum indiviſé diſcurrebatur, ſit reputanda vt quidam modus generalis, ac per conſequens rationes illæ diviſivæ, vt modi ſpeciales. Nec iſta expoſitio multum extorquet literam; quia intermedia capitis intelligenda ſunt, ſecundum ea, quæ ponuntur in proœmio, & epilogo, vbi dicebat Ariſtot *qualitatem eſſe eorum, quæ multipliciter dicuntur*, id eſt, *multis modis*. Et in fine, his enumeratis, dicit, *& fortaſsè quidam alij apparent qualitatis modi, ſed qui maximè dicuntur, hi ſunt.*

27 Deinde Scotus ſatis robuſté probat intentum percurrens omnes prædictas ſpecies; ponam exemplar pro prima. *§. ad ſecundam quæſtionem* refert aliquorum expoſitionem dicentium, quod diſpoſitio ſignat qualitatem, quæ de ſua natura eſt faciliter mobilis à ſubiecto, & habitus illam, quæ de ſua natura eſt difficiliter mobilis. Sed talem expoſitionem reijcit dicens, eſſe contra Ariſ. *quia tunc nullus habitus eſſet diſpoſitio.* Aliter dicitur ab alijs, quod diſpoſitio ſe habet ad habitum, ſicut imperfectum ad perfectum. Id reijcit etiam; quia aut talis imperfectio eſt in eſſentia qualitatis,

tatis, aut in informando ſubiectum? non in eſſentia; quia eſſentia menſuratur in inſtanti: ergo æquè perfecta eſt, ſive diu maneat in ſubiecto, ſive non. Nec in informando ſubiectũ; quia ſic eſſentia breviter manens, eſt æquè perfecta in ſubiecto, ſicut diu manens: ergo æquè perfectè denominat ſubiectum.

28 Ex quibus deducitur, præfata diviſiva non diſtingui vt quid eſſentiale differens, ſed vt modi eſſentiæ eiuſdem qualitatis. Nec debent aliqui inſiſtere multum, vt probent contrarium; nam ſic nullum modum rebus accidentalem inveniemus, cum in quocumque, & ipſius condiviſivo, poſsimus illam ſpecialem diſtinctionem diſcurrere, quam diſcurrant in prædictis. Sic eadem qualitas intenſa vt octo, vel minus intenſa, non ſuſcipit differentiam ſpecie diſtinctam; & tamen vno intenſionis modo eſt facilè mobilis, & alio difficilè à ſubiecto

29 Vlterius alium modum diſcurrendi iuxta literam Scoti proponam. Doctor noſter ſic aliter reſpondet i ſuſtinendo, quod Ariſt. enumerat ſpecies qualitatis, & non modos tantum, poteſt dici, quod iſtæ differentiæ *faciliter mobile, vel difficulter: eſſe principium operandi, vel non: inferre paſſionem ſenſui: exterius diſponere ſubiectum*, ſunt differentiæ accidentales generi qualitatis, quibus tamen Ariſtot. vtitur pro differentijs eſſentialibus; quia differentiæ eſſentiales ſunt ignotæ, & ita illæ differentiæ, ſeu formæ, quæ ſubſunt primò iſtis differentijs, ſunt quatuor ſpecies qualitatis: itaque reſolvitur, eſſe accidentales differentias, quæ hinc aſsignantur, licet formæ, quas iſtæ differentiæ conſequuntur tanquam proprietates earum, ſint eſſentialiter qualitates.

30 Prędictus dicendi modus non multum differt à priori; niſi in hoc, quod ſecundum priorem modum non oportet concedere, iſtos quatuor modos conſequi per ſe diſtinctas ſpecies qualitatis, quin plures poſsint ineſſe eidem qualitati ſecundum ſpeciem; ſed ſecundo modo oportet ad minus concedere, has differentias, quamvis accidentales, eſſe proprias quatuor diſtinctis ſpeciebus qualitatis, ita, quod ſicut illarum ſpecierum vna non dicitur de alia, neque ambæ de aliquo eodem, ita & iſtarum differentiarum nulla dicatur de alia, neque duæ de aliquo eodem; quia quod eſt proprium, dicitur vniverſaliter de eo tantum, cuius eſt.

31 Circa aliud in titulo petitum, ſcilicet, de adæquatione, poteſt reſponderi, adæquatam eſſe diviſionem, cum nulla videatur ſignabilis qualitas, quæ vnum, aut alterum earum modum non ſervet. Et dato, quod aliquod aliud probare intendatur, poteſt dici, quod ſupra cum Scoto tradente Ariſtot. in fine aientem: *& fortaſsè quidam alij apparent qualitatis modi, ſed qui maximè dicuntur, hi ſunt.* Itaque cuiuſvis modi attenta ſphæra, debet cæterorum apparentium fieri reductio, ſic vt proportionatè iuxta modum vniformiorem, quæcumque entitates reducantur. Vbi noto, quod etiam aliquæ ſubſtantiæ poſſunt ad præfatos modos reduci; quia licet entitates ſint diverſæ, poſſunt tamen illarum qualitatum ſervare modum; quo pacto etiam differentia ſubſtantiæ *in quale quid* dicitur. Sic Scotus in 4.*d.*13.*q.* 1.*v. tertio modo poteſt dici.*

32 Noto in fine, difficultari de quarta ſpecie, an ſit qualitas; quia forma, & figura quantitatis triangulatæ v. g. vel ſumitur pro materiali, vel pro formali? Pro materiali videtur quantitas, cum ſic ſint partes ipſæ materiales, hanc, & illam figuram cum tali ordine fundantes. Pro formali videtur relatio, cum ſic nil aliud ſit forma, quam ipſe ordo, quem partes habent iuxta reſpectivam conſonantiam: ergo. Poteſt dici, prædictum modum eſſe qualitatis, licet ob eximiam dependentiam ab vnis, & alijs partibus quantitatis ſit nobis ſic abſconditus, quod eum non poſsimus explicari, niſi in comparatione partis ad partem. Sic Scotus *in quæſt.*36.*Prædicam.* exponens Ariſtot.§.*ad aliam quæſtionem dico*, ait: *qualitates autem, quæ ſubſunt, ſunt formæ abſoluta, & non nominantur nominibus nominantibus eas abſolutè, ſed in comparatione ad operationes; ſecundum quod dicit Ariſt. inferius, qualia autem, quæ valetudinibus non ſunt nomina impoſita, quia fortè non concipimus illas, niſi per comparationes ad operationes.*

QUÆSTIO III.

De proprietatibus qualitatis.

33 I*Neſt vero contrarietas ſecundum quod quale eſt, &c.* Ariſt. *cap. eod.* apud Scotum in *q.*36. Igitur habere contrarium eſt qualitatis proprium; ſed eſt advertendum, hinc non loqui de contrarietate tranſumptivè dicta, vt notat Scotus, ſcilicet de ea, quæ eſt differentia ſecundum ſpeciem; nam ſic nulla eſt res, quæ per ſpecialem differentiam non contrarietur; ſed loqui hinc de contrarietate earum formarum, quæ actione propria mutuò ſe expellunt ab eo-

dem ſubiecto, quæ propriè ſolum eſt contrarietas; quo pacto ſolum qualitates ſunt tales formæ. Aliqui Scotiſtæ id exponunt dicentes, contrarietatem qualitatis, vt ei ſolum competentem, debere intelligi ſic, vt ſola qualitas ſit habens formam abſolutam poſitivam ſibi oppoſitam, per quam expellatur ab eodem ſubiecto inhæſionis; quo pacto differt à contrarietate relativorum ſe expellentium, quia non ſunt formæ abſolutæ; necnon à contrarietate formarum ſubſtantialium, quæ non ſe expellunt circa inhæſionis ſubiectum. Solum notatur, talem proprietatem convenire *ſoli*, ſed non *omni*, vt patet de lumine, figura, & ſpeciebus intelligibilibus, quæ non habent contraria.

34 *Suſcipit autem qualitas magis, & minus, &c.* vbi ſupra apud Scotum. Suſcipere magis, & minus etiam convenit ſoli, ſed non omni. Prima pars prob. quia ſuſcipere additionem gradus ad gradum eſt ſuſcipere magis, & minus; ſed gradualis additio ſoli qualitati convenit: ergo. Secunda pars prob. in figura mathematica, quæ eſt prior motu; ſed ſuſcipere magis, & minus propriè, non invenitur, niſi vbi eſt motus alterationis: ergo. Qui plura ſubtilia de hoc cupiat videre, legat Scotum in *q. 36. à §. iuxta ſecundam proprietatem.*

35 *Similia autem, & diſſimilia ſecundum ſolas dicuntur qualitates, &c. cap. eod.* apud Scotum ſupra. Si tranſumptivè loquamur, quæcumque alicuius ſpeciei individua, ſimilia poſſunt dici, eo quod convenientia inveniantur; propriè tamen loquendo ſolius qualitatis videtur ſpecialis ſimilitudo. Pro quo ſunt notanda, quæ Scotus ibi, videlicet, qualitatis ſimilitudinem non debere intelligi actu, ſed aptitudine, & fundamento. Sic exponitur ſatis claré ab Scoto per hæc verba: *Conſimiliter ſunt intelligenda ſecundum aptitudinem: licet enim aliquid, ſecundum aliquam qualitatem, quam habet, non dicatur ſimile, ſi nil aliud quam eamdem qualitatem habeat, ex hoc non minus convenit hæc proprietas illi qualitati; quia ſecundum illam qualitatem aliquid natum eſt dici ſimile alteri.*

(?)

DISTINCTIO VI.

De ſex vltimis prædicamentis.

1 DE ſex vltimis prædicamentis breviter diſputavit Ariſtot. (inquit notanter Scotus *in q. 36. Prædicam. §. notandum*, exponens *cap. de facere, & pati*) vel quia ſpecies, in quas erant dividenda, ſecundum quod ſunt genera, non ſunt notæ, nec paſſiones eorum, quæ inſunt eis, ſecundum quod intentionaliter conſiderantur: vel quia de his paſſionibus ſecundum eſſe naturale eorum, plenius determinatur in libris de naturalibus. Vnde Gilbertus Porretanus, pro huius libri ſupplemento, quemdam libellum compoſuit, quem de ſex principijs nominavit. Agemus igitur de his iuxta Scoti doctrinam ex aliquibus *ſenten.* locis collectam, & primò de relatione extrinſecus advenienti, cum ſex vltima prædicam. in illius conceptu videantur vniformia.

QVÆSTIO I.

De veritate relationis extrinſecùs advenientis.

2 CIrca veritatem exiſtentiæ relationis extrinſecùs advenientis maxima viget controverſia. Quam plurimi contra hanc Scoti ſubtilem ſpeculationem acriter inſurgunt, exiſtimantes, ſcopum relationum extrinſecus eſſe ab eo liberè ſtabilitum. Sic communiter Angelici, & Ieſuitæ. Contrarium pugnaciſsimé impetus Scotiſtarum defendit apud D. Subtilis mentem *in 2. d. 2. q. 7. In 3. d. 1. q. 1. In 4. d. 6. q. 10. & d. 12. q. 1. §. etſi quæras.* Sed diſtinctius *in d. 13. q. 1. §. ſi ergo debet ſalvari illa famoſa diviſio prædicamentorum*, & infra *à §. ad quintum principale de 5. Metaph.*

3 Reſolvimus ergo Scotiſtæ, dari rela-

lationes extrinſecus advenientes, ſtatuentes ſpecialia ſigna, ex quibus à relationibus intrinſecus advenientibus inferantur diſtinctæ. Primum ſignum principaliter ſtabilitum ponitur in eo, quod poſitis actu extremis relationis extrinſecus advenientis, non inferratur neceſſarió eorum relatio; ſecus autem poſitis extremis relationis intrinſecus. Exemplificat id Scotus in igne, & ligno, quibus poſitis non reſultat neceſſarió relatio combuſtionis, ſed vlterius requiritur actio agentis extranei, illa duo extrema aproximantis. Sic poſitis extremis relationis vnionis, non reſultat relatio, vt de facto experitur inter corpus, & animam D Petri. E contra experitur in extremis alterius relationis, v. g. inter duo alba, quibus poſitis, neceſſarió reſultat ſimilitudinis relatio, quin aliquid vltra requiratur. Ita Scotus *in 4. d.* 13. *q.* 1. ibi veram doctrinæ praxim adducens.

4 Stabilita regula rectæ rationi videtur conſona; quia quædam extrema ex ſua natura neceſſarió inducunt relationem; ſed relatio ex natura aliorum extremorum non inducitur: ergo quia vtraque relatio bené diſtinguitur. Suadetur in accidenti, & proprio, quæ formæ ſunt in ſpecie diſtinctæ, licet ambæ ſint extra eſſentiam ſubiecti, & non aliunde diſtinguuntur, niſi quia vna forma, vtpote proprium, neceſſarió ponitur poſito ſubiecto, ita vt nil requiratur vltra, vt tale ſubiectum conſequatur; at autem alia forma, vtpote accidens, non ſic, ſed poſito ſubiecto, forma non ponitur, ſed vltra requiritur actio agentis extranei eam applicantis: ergo cum nil vltra experiatur inter reſultantiam relationum intrinſecus, & extrinſecus, videtur ſatis conſonum, quod diſtinguantur. Nota exemplar, eſt enim vniforme vndequaque.

5 Secundum ſignum ponitur à Doctore noſtro in eo, quod ad relationem extrinſecus ſit per ſe motus; ſecus autem ad relationem intrinſecus. Ita *in* 2. *d*. 2. *q*. 3. *& in* 3. *d*. 1. *q*. 1. & ratio eſt; quia relationes intrinſecus advenientes, cum neceſſarió reſultent ex poſitione fundamenti, & termini, non datur de per ſe, & immediaté motus ad ipſas, ſed ad fundamentum, & terminum, ex quorum poſitione reſultant. At extrinſecus advenientes, cum ex poſitione fundamenti, & termini non reſultent neceſſarió, requiritur motus, ſeu mutatio, per quam fiant, ſeu immediaté reſultent; ac proinde, quod motus ſit per ſe, & immediaté tendens ad illas, nec non earum acquiſitio, prout motus ſui termini acquiſitio ſolet eſſe.

6 Conſona videtur etiam ſtabilita regula; ex modo namque terminandi, non minus ac ex modo tendendi, valet ſufficienter colligi diſtinctio; ſed quædam relationes, vtpote extrinſecus advenientes, poſſunt immediaté motum, ſive mutationem terminare; ſecus autem aliæ relationes, vtpote intrinſecus: ergo quia eximia diſtinctio inter eas deducitur. Vbi noto, Ariſtot. tenuiſſe, ad relationē non dari per ſe motum, quod debet intelligi de relatione proprius tali, vtpote de conſtituente tertium prædicamentum; prout enim talis relatio, ſpecialius debet ſic nominari, ac proinde relatio intrinſecus dici: quare melius conſonat Scoti intentum, cum ad relationes, ad quas immediaté motus datur, debeant tales extrinſecus nominari. Plura alia ſigna traduntur ab Scoto, & à doctiſsimis Scotiſtis, vt à Licheto, Valera, Marchia, & alijs, quæ omitto, cum præſata ſint pro ſcopo ſufficientia.

7 Contra ſtabilita noſtri Doctoris ſigna, acriter inſurgunt quam plures, dicentes, ignem, & lignum, v. g. ſic præcisé inſpecta, eſſe extrema remota, ac proinde nil mirum, quod relatio ſtatim non reſultet; extrema namque relationis proxima ſunt ignis, & lignum à proximata. Neque id debet mirari, quia ſi relatio intrinſecus reſultat, oritur ex eo, quod ponantur ipſius proxima extrema, vt album, & album, &c. Præſens increpatio retunditur; quia fundamentum proximum neceſſarió debet eſſe in aliquo ex duobus extremis; ſed actio à proximativa ignis, & ligni in nullo eorum reperitur, ſed ſolum in extrinſeco agente, ea aproximante: ergo quia aproximativa actio non eſt proximū fundamentum: ergo iſtud iam ſupponitur ad illam; ac per conſequēs proximo fundamento exiſtente, adhuc non reſultabit relatio.

8 Dicent contra hanc rationem, quod ſi detur proximum fundamentum, quin oriatur relatio, in ordine ad quam proximum fundamentum ſtabilitur, dabitur proximum fundamentum, quin effectus, ad quem eſt, oriatur; quod ſolum in agenti libero experitur. Tum dicent rationi, dari aproximationem paſsivam, quæ erit in extremis recepta. Tum dicent, quod etſi tota actio ſit in agente, nil refert vt extrema dicantur extrema proxima, dum ſit actio, vbicumque ſit; ſicuti licet viſio ſit in ſola potentia viſiva, partes dicitur proximé viſus. Tum dicent, nos tenere, fundamenta remota alborum eſſe parietes, & proxima eſſe albedines: ergo iam relatio intrinſecus remota extrema habet. Vlterius, etſi parie-

rietes egeant albedinē, vt relatio reſultet, non dicuntur parietes fundamenta proxima relationis extrinſecus: ergo licet ignis, & lignum requirant aproximationem, vt relatio reſultet, dum non ponatur aproximatio, non dicentur proxima fundamenta relationis extrinſecus. His, & alijs noſtras rationes increpabunt.

9 Dicimus ad primum, verum eſſe dari fundamentum proximum, ex quo relatio non reſultet; ob id namque principium relationis inductivum eſt *extrinſecùs*: ſi enim intrinſecùs foret, non poſſet proximé exiſtere, quin effectus, ſeu relatio reſultaret: quare omnia alia agentia naturalia præ libero, quia intrinſecùs operantia, ſunt operantia, dum ſunt proxima. Dicimus ad ſecundum, falſum videri, aproximationem paſsivé recipi in extremis; alias poſſemus dicere, & viſionem paſsivé receptam dari in pariete viſo. Deinde, quia ſi inſiſtere velimus, inveniemus relationem proximitatis inter extrema paſsivé aproximata, cuius relationis proxima extrema deberent eſſe extrema nudé ſumpta. Dicimus ad tertium, verum eſſe, quod vt dicantur extrema proxima, parum refert, quod actio recipiatur in alio; imó dicimus, quod proxima erunt, tametſi actio non detur; nam actio non ponitur, vt extrema dentur proxima, ſed ponitur actio, vt extrema referantur, ita vt poſita actione, inter nudas extremorum entitates, ſola relatio mediet. Sic corpus D. Petri, & eius anima, extrema ſunt in proximo ad habendam vnionem ſecundum eorum nudas entitates, cum inter vnionem habendam, & ipſas entitates nil mediet.

10 Dicimus ad tertium, verum eſſe, extrema remota relationis intrinſecus eſſe ibi; at nunquam extrema remota relationis intrinſecus eſſe proxima relationis extrinſecus. Nota doctrinam, & rationem in hoc, quod extrema, quæ talia ſunt reſpectu relationis extrinſecus, etſi vt referantur, egeant conditione agentis, attamen dum iſta ponitur, ipſa extrema, quæ ante actionem erant, ſunt quæ referuntur poſt illam; extrema veró remota relationis intrinſecus, etſi proxima fundamenta ſuſcipiant, non ſunt vnquam quæ deinde proximé referuntur, ſed ſemper in eodem remotionis ſtatu perſeverant: v.g. etſi paries ſit remotum extremum, & albedo proximum, poſita albedine, non paries, ſed albedo refertur: non ſic in alijs extremis, quæ etſi egeant actione, aproximatione, aut conſimili addito vt referantur, non aproximatio, ſed ipſa referuntur.

11 Ex quibus, licét aliter vertere diſcurſum cupias, potes præcipuum intentum ſalvare, ponens in vtriuſque relationis ſcopo diſtinctionem; dato namque, quod extrema relationis extrinſecus non forēt proxima, quouſque aproximatio agentis poneretur, ſemper ſalvaretur diſtinctio; quia extrema relationis intrinſecus nullo egent, vt referantur, præter nudas entitates ipſorum, ita vt iſtis poſitis, iſtæ referantur; at poſitis nudis entitatibus in extrinſecus, egent aliquo præter iſtas, vt referantur iſtæ.

12 Vlterius plura argumenta movent, intendentes probare, plures dari relationes extrinſecus, quæ ſunt neceſſarię poſitis fundamentis: v.g de *Quando*; poſita namque re temporali, & tempore, ſtatim reſultat reſpectus *Quando*. Sic etiam poſito Sole, & aere, ſtatim datur illuminatio; & actio, qua Sol illuminat aërem, eſt relatio extrinſecus: ergo. His, & conſimilibus facilé reſpōdent Scotiſtæ: dicitur ad primū, quod *Quādo* etiam requirit aliquod extrinſecum vt reſultet, vt ſi poneretur aliquod corpus mobile extra primum Cœlum mobile, in quo eſt ſubiectivé tempus; vel ſi ipſum Cœlum quieſceret, tunc eſſet res temporalis, & tempus, & tamen non eſſet *Quando*, cum requiratur, vt conſurgat, quod corpus mobile infra Cœlum ponatur. Dicitur ad ſecundum, quod datur illuminatio Solis, ſi extrema ſint debité aproximata; ſæpé enim Sol, & aër exiſtunt, quin illuminatio reſultet.

13 Vnicum ſentio alicuius roboris argumentum, quod ſic habetur: relatio intrinſecus etiam requirit aliquam actionem vt reſultet: ergo vana eſt vtriuſque relationis diſtinctio. Anteced. ſuadetur in ſententia Scoti; cum ipſo namque diximus ſupra, loquentes de relationibus ſecundi generis, tales relationes habere pro fundamento potentiam generativam Patris v.g. præcedente actione: vnde Scotus dicebat, quod relatio Patris fundabatur ſupra *genuiſſe*; requirebat enim potentiam generandi vt fundamentum, ſic tamen, quod actio generativa præceſſiſſet vt diſpoſitio, ſeu conditio: ergo iam relationes intrinſecus, vt reſultent, requirunt aliquid vltra extrema.

14 Huic oppoſitæ rationi reſpondendum ſentio, ſalvam ſemper manere D. Subtilis mentem; quia actio illa materialis, non requiritur de per ſe, & immediaté, vt oriatur relatio, ſed vt oriatur effectus, in quo nimia perſeverat diſtinctio: relatio namque intrinſecus diſtinguitur ab extrinſecus, quia intrinſecùs,

po-

Digitized by Google

poſitis duobus extremis, nullo indiget, vt neceſſarió reſultet; extrinſecus veró, adhuc duobus extremis poſitis, poteſt non reſultare, ſi extrinſecum non ponatur, vt patet in igne, & ligno. Itaque poſita cauſa, & effectu, quæ ſunt extrema, nullo egent, vt relatio reſultet; ac proinde actio ſolum requiritur, vt ponatur extremum, ſcilicet, effectus; non autem vt ponatur relatio, cum poſito effectu nil vltra ad relationem requiratur: at conditio pro *extrinſecus* non requiritur, vt ponatur extremum, quin poſito extremo requiritur, vt ponatur relatio. Vnde, ſi vis, potes inferre ſpeciale ſignum, ſcilicét, quod relatio intrinſecus requirat conditionem ante extrema; extrinſecus veró poſt illa.

QUÆSTIO II.

Sex Prædicamentorum in ſpeciali expenditur notitia.

15 DE ſex vltimis prædicamentis in ſpeciali brevisſimé agit Scotus in quæſtionibus prædicamentalibus; in quæſtione nãque 36. in fine, prout ad Logicum attinet, exiſtimat, ſufficientem relinquere notitiam; & prout attinet ad naturalem, refertur ad 5. *Phyſ. contex.* 4. & inde in habenda notitia de *agere*, *& pati*; de *quando*, *& vbi* ad 4 *Phyſ.* de *poſitione*; *& habitu* aliquantulum *ad* 5. *Metaph. contex.* 8. *& inde*: quæ omnia, quam citius poſsim, exponam.

ACTIO, ET PASSIO.

16 E*X dictis patet æquivocatio multiplex huius nominis actio*, dicebat Scotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 1. iuxta quem venit exponẽdum, quod vno modo actio ſumitur pro operatione, eo modo quo intellectió, & volitio operationes dicuntur; ac proinde ſic operatio dicitur actio, licet in rei veritate ſit qualitas, vt declaratum fuit ab Scoto in 1. *d.* 3. *q. vltim.* Alio modo ſumitur actio prout de per ſe, & neceſſarió dicit reſpectum, & habitudinem: quomodo relationes ſecundi generis actiones dicuntur, v.g. relatio producentis ad productum, educentis ad eductum, inducentis ad inductum; quæ omnes dicuntur actiones, cum formaliter, & perfecté extrema denominent in linea actiui, & paſsivi, vtpote in linea producti ad id, quod produxit. Alio modo ſumitur actio pro re acta; quo pacto ſumitur pro ipſa forma, quæ fluit, & fit vt quod; in quo ſenſu percepit Scotus Ariſt. tenentem, actionem, & paſsionem eſſe eumdem motum: percipitur namque de actione pro re acta, quia idem calor, prout producitur ab igne, dicitur actio, & prout recipitur in ligno dicitur paſsio.

17 Nullo ex prædictis modis hinc ſumitur actio. Non primo; quia ſic actio determinaté ſpectat ad qualitatis prædicamentum. Non ſecundo modo; quia ſic actio, cum ſumatur pro habitudine de per ſe, & intrinſecé poſito fundamento, & termino reſultãre, ſpectat ad prædicamentum de Ad aliquid. Non tertio modo; quia ſic, cum actio ſumatur pro re acta, ſeu pro re, quę fluit, ipſa res ſecundum ſe propriam ſibi determinabit ſpeciem; ac proinde ad illud ſpectabit prædicamentum, ad quod propria rei entitas vertatur, quo pacto tot erunt prædicamenta, quot entitates rerum diverſæ.

18 Igitur actio, prout hoc ſpeciale prædicamentum conſtituit, & ab alijs diſtinguir, ſumitur pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum. Ita literaliter Scotus ſupra aiens: *Aliquando etiam pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum, iuxta illam deſcriptionem lib. 6. Princip. cap. de actione: actio eſt, ſecundum quam in illud, quod ſubijcitur, agere dicimur.* Datur enim agens, quod producit, & agit: datur ſubiectum, in quod agit: datur forma, quæ manet acta, & producta: v.g. ignis, qui eſt agens: lignum, quod eſt patiens: calor, qui eſt actus. Vbi duplex datur reſpectus; vnus ſcilicet ignis ad calorem, & alius, ignis ad lignum. Reſpectus, quem dicit ignis ad calorem, non eſt reſpectus tranſmutantis, cum calor non ſupponatur exiſtens, vt tranſmutari valeat: quare reſpectus ille eſt producentis ad terminum productum; qui reſpectus eſt intrinſecus, & de per ſe ad tertium prædicamentum ſpectans. Datur alter reſpectus, ſcilicét, ignis ad lignum; qui reſpectus eſt ignis vt tranſmutantis ad ſubiectum tranſmutatum; quo pacto tranſmutans reſpicit non calorem, ſed ſubiectum, ſcilicet, lignum, quod per actionem materialem calefaciendi accidentaliter tranſmutatur. Vnde dicebatur, *actio eſt, ſecundum quam in illud, quod ſubijcitur, agere dicimur*: id eſt, actio eſt, ſecundum quam, vt per actum, & formam activam, in id, quod ſubijcitur, vtpote in ſubiectum, vel paſſum tranſmutabile, agere dicimur.

19 Præfato enim modo, actio, quæ hoc quintum prædicamentum conſtituit, dicitur actio, prout eſt tranſmutatio. Interim facili-

ciliter probamus Scotiſtæ: quia actio, quæ eſt transſmutatio, eſt reſpectus; deinde extrinſecus adveniens: ergo ipſa ſola eſt huius prædicamenti conſtitutiva. Prob. primum; quia illud dicit reſpectum, quod non poteſt ſuum effectum præſtare niſi in ordine ad aliud; ſed transmutatio nequit præſtare ſuum effectum transmutanti niſi in ordine ad transmutatum: ergo. Prob. ſecundum ab Scoto ſupra; quia bené poteſt dari agens, & ſubiectum, circa quod fit transmutatio, quin iſta detur; imó, inquit Scotus *verſ. Illorum trium, poſſibile eſt activum, & paſſivũ eſſe, & etiã aproximata, & tamen non habere illum reſpectum, quod agens ſit illud, à quo tranſmutatur, nec illud ab ipſo transmutetur, vpote ſi eſt aliquod impediens actionẽ: ergo actio, vt eſt reſpectus extrinſecus adveniens, erit habitudo agentis ad paſſum transmutatum.* Ex quibus vice verſa dicitur, quod paſsio, prout hoc ſextum prædicamentum conſtituit, eſt reſpectus tranſmutati ad transmutans. Videantur pro pleniori intelligentia, quæ diximus in *Diſt. de relatione*, loquentes de relationibus ſecundi generis.

VBI, ET SITVS.

20 VBI ſecundum ſuam ſpecialem conſiderationem non ſumitur pro loco, nec pro aliquo toto locato, licet detur *vbi*, vbi datur totum locatum. *Vbi* ergo ſiſtit in ea præſentialitate, quam totum locatum habet ad totum locans, & é converſo: ex eo namque quod aliquid ſic ſit præſens loco, quod veré, & realiter contineatur in illo, additur quidam preſentialitatis, & continentiæ modus, qui Vbi nominatur. Tale *vbi* poteſt multipliciter conſiderari, quia poteſt conſiderari Vbi activum, & paſsivum. Activum dicitur reſpectus præſentiæ loci ad locatum; paſsivum veró dicitur præſentia locati ad locum. Ita Doctor S. *quodlibet* 11. §. *de primo dico.*

21 Vlterius poteſt adverti, quod *Vbi* ſecundum formalem, & præciſam vbicandi rationem, valet comprehendere, non ſolum materialia, & circumſcriptivé locata, quin etiam ſpiritualia, & locata definitivé. Quæ enim ſunt in loco definitivé, videntur habere præſentialitatis formam, cum ſic ſint determinaté in loco, quod extra talem ex natura ſua non ſint, illi, & non alij ſtantes præſentia; ac proinde habiliter exiſtentia, vt poſsit dici Vbi ſint. Vnde prævenies, nil obſtare, deſcriptionem Gilberti pro *Vbi* adductam, ſolum Vbi circumſcriptivum tetigiſſe; id namque factum fuit, quia Vbi circumſcriptivum eſt nobis notius, ac proinde aptius, vt iuxta illud de cæteris diſcurramus.

22 Igitur *Vbi*, ſeptimum hoc prædicamentum conſtituens, eſt reſpectus præſentiæ extrinſecus adveniens inter totum locatum, & locans reſultans. Ita colligitur ex Doctore *in 2. d. 2. q. 7. & in 4. d. 10. q. 1.* Quod ſit reſpectus, probamus Scotiſtæ, cum vbi ſit intrinſecé accidens afficiens ſubiectum non ad ſe, ſed in ordine ad locum; præſentia enim ſine reſpectiva correſpondentia locati ad locum, & é converſó imperceptibilis eſt; ſed *Vbi* eſt talis præſentia: ergo. Quod ſit extrinſecus adveniens, probamus; quia poteſt dari locus, & locabile in eo, quin locabile ſit ei præſens, ita vt ad præſentiam, & ſic ad vtriuſque relationem aliqua conditio requiratur, vt aproximatio: ergo erit extrinſecus, cum ipſius extrema poſsint exiſtere, quin præſentialiter referantur.

23 *Situs* hoc octavum prædicamentum conſtituens, ſtat in poſitione partium quantatum, hanc vel illam diſpoſitionem in loco habentium, vt ſubiectum aptius ſuas operationes exerceat. Vnde communiter habetur, *Vbi* latius patere, quam *Situm*, cum *Situs* ſolum in rebus animatis, & ſenſitivis repetiatur; at *Vbi*, vt dicebatur ſupra, etiam in inſenſibilibus, & immaterialibus. Ex quibus deducitur, *Situm* valdé eſſe diſtinctum ab *Vbi*; quia poteſt quis eum eodem *Situ*, vtpote cum eadem figuræ diſpoſitione, mutari de loco in locum; ac proinde dari mutationem loci, & non *Situs*. Aliud enim eſt, Petrum eſſe in loco, & aliud ipſum ſedere, vel ſtare. Quod ſuadetur ex antecedentibus facile; nam Chriſtus D. habet in Euchariſtia verum *Vbi*, non tamen *Situm*: ſimiliter verum *Vbi* datur Angelis, quin *Situs* detur eis; quia licet Angelus veré ſit hinc, ita vt valeat dici, *Vbi* eſt; ſecus autem vbi ſituatur, cum nec ſedeat, nec ſtet, niſi impropriè, iuxta illud: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni*: ergo.

24 Deinde, quod *Situs* ſit reſpectus extrinſecus adveniens, ſuadetur vt ſupra de loco, & re locata ſuadebatur; idem enim invenitur. Ratio enim formalis *Situs* eſt ordo, ſeu diſpoſitio partium alicuius animalis in loco. Vnde ſubiectum *Situs*, eſt corpus animatum ſenſibile; fundamentum, ſunt partes ipſius corporis; ratio fundandi, eſt ſuperficies figurata; & conditio requiſita, eſt applicatio partium ad talem, vel talem poſitionem. Ita celebres noſtri iuxta Scotum *in 4. d. 10. quæſt. 1 & in 5. Metaphy. ſuper textum* 24. Nota in fine,

da-

Digitized by Google

dari ſitum paſsivum, & activum, ſicuti de vbi dicebatur.

QVANDO, ET HABITVS.

25 QVando, hoc nonum prædicamentum conſtituens, ſumitur prout ſignificat formam denominantem rem in aliqua differentia temporis: v.g. dum alicui interrogatur, quando veniſti? & reſpondetur, hodie, hæri, vel nudius tertius. Vnde ſecundum Gilbertum, *Quando* eſt, quod ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur, vt eſſe hodie, &c. Vbi adverti debet, quod tempus, in ordine ad quod res durare dicitur, & in quando denominatur, eſt tempus extrinſecum, & commune, nam ſic ſalvabitur melius diſtinctio rei ab hoc prædicamento *Quando*.

26 *Quando* igitur dicit reſpectum extrinſecus advenientem, ſecundum quem res durans ad tempus commune refertur. Quod dicat reſpectum ſuadetur; quia implicat, rem temporalem eſſe aliquando, quin tempus intelligatur; & vice verſa implicat, tempus menſurare rei durationem, quin res temporalis menſurata, & durans intelligatur: ergo. Quod talis reſpectus ſit extrinſecus adveniens, ſuadetur ex eo, quod vt conſurgat, requiratur poſitio rei temporalis infra motum primi mobilis; ſi namque extra Cœlum foret res temporalis, tunc eſſent extrema *Quando*, quin relatio *Quando* reſultaret: ergo.

27 *Habitus* apud Scotum 5. *Met q.* 5. in fine, *eſt habitudo media inter rem habitam, & habentem*. Igitur habitus, prout hoc decimum prædicamentum conſtituens, dicit reſpectum extrinſecus advenientem, ſubiectatum in re veſtita v. g. & terminatum ad veſtem. Quod ſit relatio, ſuadetur; quia nequit concipi res veſtita, niſi in ordine ad veſtem: ergo. Quod ſit extrinſecus, ſuadetur; quia poteſt dari res, & veſtis, quin relatio veſtiti formaliter reſultet: ergo. Aliquæ difficultates ſolent hinc ab aliquibus vlterius moveri, eas omitto, cum in libris Phyſic. proprius examen requirant; ibi enim, Deo dante, proſequentur; hæc pro nunc dicta ſufficiant.

(?)

DISTINCTIO VII.

De poſtprædicamentalibus.

1 CVM Ariſtotiles ſtructuram operis cathegorici in anteprædicamentalia, prædicamẽtalia, & poſtprædicamentalia diviſiſſet, & de prima, & ſecunda parte egiſſemus, reſtabat pro complemento, huic vltimæ adducere expoſitionem, quam abundé tradit Scotus *á quæſt.* 37. *vſque ad* 44. more ſolito. Ariſtotelicam mentem depromens, vt curioſé inquirenti patebit. Nos autem cum de oppoſitis plura in alijs locis habeamus, hinc brevitatem conſulentes, velocem vertere ſenſum decernemus.

QVÆSTIO VN.

Difficultatum poſtprædicamentalium expenditur notitia.

DE OPPOSITIS.

2 D*Icitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ad aliquid, aut vt contraria, aut vt privatio, & habitus, aut vt affirmatio, & negatio, cap. de oppoſitis*, apud Scotum *in q.* 38. *Prædicam*.

3 Igitur quatuor ſunt oppoſirionis membra, ſcilicet, relariva, contraria, contradictoria, & privativa; per quæ membra oppoſitio realis apud Scotum manet ſufficienter diviſa. Probat; quia oppoſitio, vel eſt vtrumque extremum habens ens, vel eſt aliquod ex extremis habens non ens? Si de primis extremis ſit oppoſitio; aut vnum illorum dependet ad aliud, & ſic eſt oppoſitio relativa, v.g. Paternitas, & filiatio, & ſic de cæteris relativis diſquiparantiæ. Si aliquod illorum extremorum non ſit ad aliud, ſed ſolum habeant diſtantiam ſub eodem genere, tunc eorum oppoſitio erit contraria. Si oppoſitio aliquod extremorum habeat non ens; vel ſic, quod nullum ſubiectum ſibi determinet,

quomodo erit contradictoria ; vel ſic, quod aliquod ſubiectum ſibi determinet, quomodo erit privativa : vltra hos oppoſitionis modos non apparent alij: ergo patet diviſionis ſufficientia.

4 Dicebamus iuxta Scoti literam, oppoſitionem relativam,& contrariam, vtrumque extremum habere ens; quia vtrumque extremum habet aliquod eſſe poſitivum , vt patet diſcurrendo per ſingula. Aliud autem in alia duplici oppoſitione inveniri ſentit Scotus, nam contradictionis extremum eſt negatio, & privativæ privatio, quarum vtrumque, non ens eſſe videtur. Notabat tamen differentiam contradictionis in non determinando ſibi ſubiectum; quia dum album cum negatione albi contradictorié opponitur , non determinat ſibi ſubiectum talis negatio; negatio enim albi prout contradicit albo, non eſt in nigro; quia vt contradicit, eſt dicibilis de ente,& de non ente ; in quovis namque imaginabili negatio albi invenietur. At autem non ens, quod eſt extremum oppoſitionis privativæ, ſibi determinat ſubiectum , cum ſit negatio habitus in ſubiecto, ſibi determinans ſubiectum, ſicuti habitus negatus determinatur; ac proinde negatio habitus non eſt dicibilis de ente ,& de non ente, vt patet de quibuſcumque privativé denominantibus.

5 Vlterius pro prædictarum oppoſitionum intelligentia venit iuxta Scotum exponendum , oppoſitionem contradictoriam, quoad modum afficiendi ens , eſſe omnium ſtrictiſsimam, licet non quoad realitatem extremorum afficientium illud. Quoad primum videtur ſtrictior ; quia ſic eius extrema diſtant, & veluti immensé circumdant , quod nullum ens vnius, aut alterius extremi poſsit fugare præſentiam : nullum namque eſt ens, quod non ſit album, vel non album, Pater aut non Pater, videns, aut non videns. Non ſic in alijs oppoſitionibus , vt patet in contrariæ extremis , inter quæ datur medium, v.g. non album inter album,& nigrum: in relativę extremis, vt lapis, qui nec eſt Pater, nec filius: in privativæ extremis , vt plura non videntia, v.g. lapis ipſe , qui nec eſt videns, nec cæcus, ſed non videns. Verumtamen quoad realitatem extremorum afficientium ens, non eſt omnium ſtrictiſsima, imó omnium diminuta videtur ; quia vnum extremorum oppoſitionis contradictoriæ eſt puré intentionale, & rationis , cum de non ente ſit ſolum dicibile, ſic vt nullum valeat ſignari ſubiectum reale, cui competibile ſit; quod, vt dicebamus, & de ſe ſatis conſtat , non invenietur in alijs. Vnde Scotus , præfatam diviſionem in illa quatuor membra , exiſtimabat convenientem quoad adæquationem ; ſecus autem quoad vnitatem, cum ſit vocis in ſignificationes ; ac proinde æquivoca.

6 Tandem debes advertere , hinc loquutos fuiſſe de oppoſitione reali , & ſimplici; non de formali, & compoſita. Oppoſitio igitur ſimplex , realis , & obiectiva dicitur illa, quæ exiſtit a parte rei inter duplicem formam ſimplicem , realem, & obiectivam, v.g. inter albedinem,& nigredinem, &c. Formalis veró , & compoſita exiſtit inter duas propoſitiones , quarum vna negat , quod altera affirmat ; quæ ſit per actus, ſicuti alia per eorum obiecta. Vbi notat Scotus, quod ſi oppoſitio ſumatur ſecundó intentionaliter , poteſt vnivocé dici de oppoſitionibus, cum ſecunda intentio oppoſitionis poſsit omnibus applicari , licet ſubiecta , quibus applicetur, ſint primó diverſa ; at ſi oppoſita primó intentionaliter ſumantur , nil poteſt eſſe omnibus commune: quod exemplificat per differentiam , quæ ſecundó intentionaliter rebus diverſorum generum poteſt applicari; ſecus autem primó intentionaliter , vt *in qq. Prædicab.* laté diximus.

DE PRIORITATE, ET *Simultate.*

7 P*Rius autem alterum altero dicitur quadrupliciter,&c. cap. de priori*, apud Scotum ſupra, *quæſt.* 43. Secundum poſtprædicamentale ponitur de modis, quibus aliquid prius alio dicitur. Modi namque præeundi plures ſolét eſſe. Primus dicitur temporis , videlicet , quando vnum prius tempore exiſtit. Secundus dicitur naturæ, videlicet, quando vnum in ſuo eſſe dependet ab alio independenti ; quæ prioritas dicitur à quo , cum ſoleat dari inter ea, quorum vnum eſt ab alio , vt inter cauſatum , & cauſans. Hinc ponitur prioritas originis, quæ eamdem ſtructuram ſervat , ac prioritas naturæ peneſſe à quo ; ſolet tamen poni differentia in eo, quod ſic extrema prioritatis originis ſimul tempore coexiſtant, quod vnũ non dependeat ab alio, licet vnũ ab alio ſit. Quare prioritas originis ſervatur divinis, & naturæ ſolis creatis. Vtraque tamen dicitur à quo, præ tẽporis prioritate, quæ dicitur in quo. Tertia prioritas dicitur ordinis, & poſitionis, & datur in illis, quorũ vnũ debet prius alio collocari, v.g. præmiſſæ reſpectu cõcluſionis. Quarta dicitur dignitatis, quę ponitur inter ea, quorum ali-

aliqua ſunt præſtantiora, v. g. inter ſubſtantiã, & accidens Quinta dicitur ſubſiſtendi conſequentia, quę ponitur inter ea, ex quorũ aliquo valet conſequentia ad aliud; ſed non é converſo; quæ iuxta Scotum fuit ſtabilita pro omnibus gradibus prædicamentalibus, Inter quos non fit converſio, v. g. homo, ergo animal, vivens, corpus, ſubſtantia; at ſi é converſo tendat ratio, viam ſubſiſtendi deperdet.

8 Deinde hinc reſtat iuxta Scoti expoſitionem advertendum, quod ſecundum Ariſtotelem *5. Metaph. cap. de priori in initio*, generalis ratio prioris in omnibus modis eſt eſſe propinquius principio: vnde quotcumque modis poſsit ſummi principium, tot modis, ab illo aliquid dicetur prius, cum tot modis poſſit ei eſſe propinquius. Vlterius advertit Scotus, quod licet vltra quatuor modos, quos ſignat Ariſtot. in poſtprædicam. ſint alij modi eſſendi aliquid prius, prout plures ſignavit *5. Metaph. contex.* 10. id nil obſtat, cum hinc non ponantur omnes modi prioris ex intento, ſed tantum illi, qui ſufficiunt ad propoſitum.

9 Circa tertium poſt prædicamentale, quod dicitur eſſe ſimul, ſeu ſimultas, parum reſtat agendum, cum omnibus illis modis, quibus aliquid habet eſſe prius, poſsit & aliud eſſe ſimul Id ſuadet Scotus in initio *quaſt.* 43. dicens: *Quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot & reliquum*; ſed *ſimul* opponitur ei, quod eſt *prius*: ergo. Vbi deinde exponit Scotus circa pluralitatem ſimultatis, quæ ſupra expoſuerat circa pluralitatem prioritatis; quare nil obſtabit, quod hinc ſolum quatuor modos eſſendi ſimul reliquiſſet Ariſtot.

***

DE MOTV.

10 MOtus autem ſpecies ſunt ſex, *&c. cap. de motu*, apud Scotum ſupra, *quaſt.* 44. Quartum poſtprędicamentale eſt motus, cuius ſpecies, ſeu modos tangit Ariſtot. hinc, eo quod in prædicamentalibus ſignaſſet aliqua prædicamenta, ad quæ dabatur motus, quæ iuxta literalem Scoti expoſitionem, ſunt Quantitas, Qualitas, & Vbi. Sed quia de his agendum eſt laté in libris Phyſic. ideo horum notitiam tranſvolamus.

DE HABERE.

11 HAbere autem multis modis *dicitur, &c. cap. de habere*, apud Scotum ſupra in fine. Notandum, inquit Scotus, quod quotcumque modis aliquid dicitur in alio, tot modis poteſt dici illud aliud habere idem, quod in eo eſt. Igitur modi habendi, ad hoc vltimum poſtprædicamentale ſpectantes, octo ſunt. Primo modo dicitur habere qualitatem, v. g. ſcientiam. Secundo modo quãtitatem. Tertio modo habere aliquid circumſcribens, v. g. veſtis. Quarto modo habere partem, ſive ſit integralis, vt pes, ſive eſſentialis, vt corpus. Quinto modo habere aliquid contentum, & non per modum partis, vt vas reſpectu aquæ. Sexto modo habere rem poſſeſſam, vt habere divitias. Septimo modo habere mulierem. Vltimo modo (plures alij poſſunt à quocumque excogitari; nam hinc Ariſt. vt notat Scotus, non enumerat omnes modos *habere*, ſed ſolum famoſiores, & præcipué de numero illorum, qui ſunt ad propoſitum) habere amicum, quem vtinam habeamus Deum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

TIBI, O PVRVM, AVT MARIANVM INSTANS.

LIBER SEXTVS.

IN PERIHERMENIAS.

PRÆAMBVLVM AD LIBRVM, ET EIVS Subiectum.

CIRCA materiam huius Libri,cum plura,etſi compendioſè,in noſtri curſus initijs, reſoluta reliquerimus, hinc, illas ſolummodo quæſtiones,quas principaliter examinare eſt ſolitum apud RR. explicare decernemus ; excitantes eas, quarum, in Logicalium compendio,nullam memoriam habuimus.Illis ibi.

Quod hìc primò à Doctore Subtili diſputatur,eſt præſentis libri ſubiectum : circa quod refert Boetium tenentem, ſubiectum huius libri eſſe interpretationem, quod etiam indicare videtur interpretatio huius nominis Perihermenias. Perihermenias enim dicitur a *peri*, quod eſt idem, ac *de*; & ab *hermenias*, quod eſt idem, ac *interpretatio* : vnde dicitur *de interpretatione*. Sed Scotus,vt dictum Boetij quale ſit,reſolvat, prius diſtinguit, an ratio interpretationis ſit hæc vox articulata cum imaginatione ſignificandi, vel an ſit vox articulata,prolata cum imaginatione ſignificandi,eſſe aliquid, vel non eſſe ? Si primum ſit ratio interpretationis,non videtur eſſe huius libri ſubiectum;quia tunc interpretatio dicetur de incomplexis, & complexis,quod non eſt proprium ſubiectum huius libri, cum liber iſte medium teneat ordinem inter librum prædicamentorum, & librum priorum,quorum alter eſt de his,quæ pertinent ad primam operationem mentis, álter de his,quæ ad tertiam. Nec,ſi interpretatio accipiatur pro ſecundo,erit huius libri ſubiectum;nam nulla pars logicæ eſt de voce,(inquit Scotus) vt de ſubiecto;quia ſubiectis logicæ omnes paſsiones æqualiter ineſſent,nulla exiſtente voce;quo, etiam poteſt aliter prima expoſitio impugnari : ergo (reſolvit Scotus) enuntiatio poteſt hic convenienter poni ſubiectum;at hæc enuntiatio non prout in voce.

Exponitur reſolutio ſic: illud eſt alicuius ſcientiæ ſubiectum, ratione cuius determinantur omnia,quæ in ſcientia determinantur, vtpote, vel quia ſunt eius partes integrales,vel eius ſpeciales paſsiones, &c; ſed omnia quæ hic determinantur, propter prædictam enuntiationem determinantur: ergo. Suadetur minor ex Scoto ; quia propter ipſam determinatur agere de eius partibus integralibus,videlicet, de nomine,& verbo: Deinde de eius genere,quod eſt oratio; necnon de diviſione eius in ſuas primas ſpecies,& conſequenter de eius proprietatibus, opoſitione,ſcilicet,& habitudine,& cæteris huiuſmodi: ergo. Notat deinceps Scotus pro veritate reſolutionis, quod licet prædictæ proprietates inſint enuntiationi in voce , hoc non eſt primo, ſed in quantum vocale eſt ſignum eius enuntiationis,quæ eſt in mente.

Obijcies: ſubiectum ſcientiæ debet eſſe commune omnibus, quæ determinantur in ſcientia ; ſed enuntiatio non eſt ſic communis, cum hic determinetur de nomine, & verbo, de quibus enuntiatio non prædicatur : ergo deficit enuntiationi

com-

Digitized by Google

communitas in ratione ſubiecti. Huic argumento, exactam expoſitionem in *q. q.* de obiecto logicæ, reliquimus. Reſpondet hiuc Scotus, dicendo ad maiorem, quod ſi talis communitas intelligatur de vniverſalitate prædicationis, qualis eſt totius vniverſalis in ſuas partes, falſa eſt maior; quia in omni ſcientia, cuius ſubiectum eſt compoſitum, neceſse eſt determinare de partibus ſubiecti; & tamen de ipſis non eſt prædicabile ſubiectum. Itaque, ſi aliquomodo ſit vera illa maior, debet intelligi, ſubiectum ſic eſſe communiter; quia eius cognitio principaliter quæritur in ſcientia in cognitione omnium aliorum, in quantum illa alia determinantur propter cognitionem principalis ſubiecti; quam communitatem vocavi cum Scoto in *q. q.* de obiecto logicæ, communitatem in obliquo.

Obijcies 2. intendens probare, non dari enuntiationem in mente; quia partes enuntiationis ſunt nomen, & verbum; ſed nomen, & verbum non ſunt partes enuntiationis in mente; quia nomen, & verbum ſunt vox: ergo. Reſpondet Scotus duplici modo huic argumento. Dicit primó, quod ſicut nomen, & verbum in voce ſunt partes enuntiationis in voce, ſic ipſa in mente ſunt partes enuntiationis in mente; quæ enim percipiuntur ab intellectu in prima eius operatione, poſſunt componi in ſecunda. Dicit deinde Scotus, quod dum dicitur, quod tam nomen, quam verbum eſt vox, poſſe id eſſe verum, loquendo de eis, ſecundum quod nobis magis innoteſcunt; quia ſic, vt ſunt voces, debent eorum deſcriptiones aſſignari cum per nomen, & verbum vócale pateat eorum deſcriptio, prout ſunt in mente abſque vlla voce. Itaque, aliud eſt dicere, nomen eſſe vocem, & aliud eſſe in voce; quia vox poteſt eſſentialiter eſſe non in voce, vtpote dum eius quidditas intelligibiliter exprimitur, qua nota, hæc nominis difficultas percipitur.

DISTINCTIO I.

De Signo.

1 CUM Scotus, ſupra primum librum Periherm. Ariſtot. aliqua de ſignificatione nominũ prius introducat, ideo primam huius libri Diſt. circa ſigni naturã proponere decrevimus. Vt ergo circa ſigni notitiam, maiori claritate procedamus, placet prius, eius varias acceptiones, ſine animo litigandi, ſimplici intuitu recitare; vt inde, quæcumque reſolvenda, diſtinctè notificata prævideantur.

QUÆSTIO I.

Communem ſigni varietatem recitans, & ſignum vt ſic deſcribens.

2 DIvidi ſolet ſignum in naturale, & ad placitum. Signum naturale dicitur, quod ex natura ſua aliquid manifeſtat, v. g. ſumus, qui ex propria ſumigantis conditione, ignem aliquem patefacit. Signum ad placitum dicitur, quod ex puro inſtituentis beneplacito aliquid manifeſtat, v. g. ramus, qui dum eſt olivæ, ſumitur, nõ ad ſignificandum oleum, ſed vinum: vnde, vt contrapoſitum naturalitati ſignificationis, poteſt proprius ſignum ad placitum exprimi, per eſſe id, quod liberé aliquid notificat.

3 Deinde ſolent aliqui ponere quædam ſigna, inter naturale & ad placitum media, videlicet, ſigna ex conſuetudine; illud, vtpote, quod ex aſſuetis aliquid manifeſtare relinquit, v. g. adventus canis, qui ſpeciem Domini excitat ex conſuetudine præeundi ante ipſum. Hoc ergo ſignum dicitur intermedium, quia nec poteſt abſoluté dici, quod ſit naturale, cum adventus canis, excitare in ſpeciem Domini, non habeat ex natura ſua; pluries ſiquidem

Digitized by Google

dem domi ſedente Domino advenit canis: & deinde, nec poteſt dici ad placitum, cum tametſi homines, quodcumque de adventu canis in contrarium inſtituerint, hoc nil obſtaret, vt adventus canis præiret ſui Domini adventum. Neque in his plus exiſtimo detinendum; quare abſque lite lentio, poſſe ſatis, tale ſignum admitti, cum aliqua dentur ex conſuetudine, quæ nec videantur eſſe beneplaciti, nec naturæ; quæ poterunt dici ſigna quaſi naturalia, iuxta illud proloquium, *conſuetudo eſt quaſi altera natura*.

4 Hinc etiam ſolent aliqui ponere aliud ſignum, quod vocant mixtum, vtpote illud, quod eſt conflatum ex naturali, & ex beneplacito; quod ſignum conſurget, ſemper, & quando aliqua inſtituantur ad ſignificationem alicuius eventus, cum quo ſuavem habeat proportionem, v. g. iris, oſculum, & ſic alia, pacem ſignificantia: ſimiliter veſtes vivis coloribus ornatæ manifeſtant lætitiam, ſicuti mœſtitiam veſtes luctibus ſolitæ. Præ omnibus tamen huiuſcemodi ſignis, nulla ampliora inter ſenſibilia, quam aqua Baptiſmatis, quæ maculas lavans, puros, formoſoſque relinquit aſpectus; & conſimiliter inter inſenſibilia, nullum aptius, quam gratia, quæ in naturali candore, & pulchritudine, habilem habet proportionem, vt beneplacito pacto Dei coniuncta, ſpecioſam eius amicitiam patefaciat.

5 Dividitur ſecundo ſignum in formale, & inſtrumentale. Signum formale dicitur illud, quod non cognitum poteſt in notitiam alicuius inſtruere; v. g. cognitio, mentem de aliquo obiecto directè informans, & illuſtrans, dicitur ſignum formale ipſius obiecti. Signum inſtrumentale dicitur illud, quod cognitum ducit nos in ſui ſignificati cognitionem, v. g. fumus, quo cognitio ducimur ad ignem; ſicque ſignum huiuſcemodi, duplicem requirit cognitionem; rei ſignificantis vnam, & rei ſignificatæ alteram: vtraque enim prærequiritur; quia ſi fumum non percipio, ignis manebo inſcius; ſicuti, etſi percipiã fumum, ſi ignis cognitionem non habeam, ignis, ex ſola fumi luce, non cognoſcetur. Eſt tamen hinc advertendum, quod dum dixi, etiam requiri cognitionem ſignificati, v. g. ignis, vt ſigno, v. g. fumo, ducamur ad ignem, debet ſic intelligi, quod ante illud tunc, habuiſſet cognitionem ignis; quia foret impoſſibile, quod ignis naturæ inſcius, adhuc viſibili fumo, ignis haberem lucem: non autem debet intelligi ſic, quod in illo tunc requiratur immediata, & ſimul recens cognitio ignis, quia ſic concurſus, & motio ſigni evacuabitur; ſignum enim inſtrumentale offertur menti ad ſupplendam præſentiam obiecti, quod ſi per ſe intellectui offeratur, nil amplius poſſe efferri videtur.

6 In prædictis etiam poteſt adverti, quod etiam ſpecies impreſſa poteſt congruè dici ſignum formale, vt formale dicitur, quod inſtrumentali eſt contrapoſitum. Congruentia deſumi poteſt ex eo, quod ſignum formale ſit ſic, quod non cognitũ habeat ducere in cognitionem alicuius, tametſi illud non præcognoſceretur; ſed ſi habeam ſpeciem ignis, in ignis notitiam veniam, tametſi ignis non præexiſteret cognitio: ergo. Deinde, quod non videatur requiri præcognitio ſpeciei, ſuadet Scotus in *q. 2. lib. 1. Periherm.* quia ſic ſpecies videtur illuſtrare intellectum, ac ſpecies ſenſibilis oculum; ſed vt ſpecies ſenſibilis ducat oculum in viſionem materialem obiecti, non requiritur, quod ſpecies videatur: ergo neque vt ſpecies intelligibilis ducat intellectum in viſionem ſpiritualem illius, requiretur, quod ipſa prius intelligatur.

7 Dividitur tertio ſignum, in ſignum ſui ipſius, & in ſignum alterius ab ipſo. Signum ſui ipſius dicitur illud, quod ſe ipſum manifeſtat: v. g. panis, qui ſe ipſum, & alios vendibiles repreſentat. Signum alterius ab ipſo dicitur è contra; v. g. ramus, qui non ſe, ſed vinum dumtaxat repreſentat vendibilem. Sic etiam ſecundæ intentiones ſignant, quod in ipſis non eſt exercendum, ſignant ſiquidem actualem rei communicationem. E contra vox ſignificat omnes, & ſeipſam; ſic dum definitur definitio, dicitur, quod ipſa definitionis definitio definitur.

8 Dividitur etiam ſignum in rememorativum, pronoſticum, & demonſtrativum. Signum rememorativum dicitur, quod eſt præteriti; pronoſticum, quod eſt futuri: & demonſtrativum, quod eſt præſentis. Sic à nobis ſunt inſtituta ſigna promiſſoria ad ſignificandum noſtrum effectum futurum, & aſſertoria ad præteritum, vel præſentem. Aliæ quamplurimæ ſignorum acceptiones dantur, quas omitto; quia ex terminis ſufficienter diſtinguuntur, v. g. ſigna in actu primo, & ſecundo; proxima, & remota, ſenſibilia, & inſenſibilia; de per ſe, & de per accidens, & ſic alia.

9 Circa ſecundum in titulo petitum exiſtimo, ſtrictam definitionem ſigni, omnibus præ diviſis ſignis communem, non eſſe dabilem; quia nullus conceptus poteſt ex parte obiecti præſcindi ab entibus realibus, & rationis, phyſicis, & moralibus; & vt aliquid per ſe ſit definibile, requiritur, quod de per ſe ſit vnũ, prout iuxta Philoſophi phraſim, toties cum

cum Scoto expoſuimus: ſignum ergo, vt tot ſignorum rationes per aliquem noſtrum conceptum comprehendens, poterit explicari per eſſe id, *quod potentiæ perceptivæ aliquid manifeſtat.* Hac definitione ſufficienter explicari videtur, quidquid aliquomodo ſit ſignum; quia quidquid aliquid manifeſtat, id manifeſtatum ſignat. Vnde iuxta hanc explicationem omnis cauſa, ſive efficiens, ſive inſtrumentalis poteſt dici ſignum; ſiquidem per cognitionem earum, vt in effectus ſe per influxum derivantium, ad effectus notitiam progredimur. Deinde erunt ſigna ſecundum prædictam explicationem omnia illa, quæ aliqua manifeſtent, tametſi formalis ſimilitudo non adſit; v.g. gemitus reſpectu doloris; ſufficit enim connectens, vel inducens motivum.

QUÆSTIO II.

De primo vocum, ſeu nominum ſignificato.

10 ANtequam de ſpecialibus conſtitutivis ſigni naturalis, & ad placitum, atque inſtrumentalis, & formalis, aliquid reſolvamus, placuit de nominum, vocumque ſignificato agere, vt ex hic dicendis, clarius illa colligantur. Quod igitur inquiritur eſt an voces, & nomina, quorum ſignificationibus ducimur ad rerum notitiam, primò, & de per ſe ſignificent rem; an veró ſpeciem intelligibilem rei; ſpeciem, inquam, quæ eſt in intellectu, vtpote, ſimilitudo intelligibilis; ſicuti ſpecies ſenſibilis, quæ eſt ſimilitudo rei ſenſibilis, & eſt in ſenſu, vt in ſubiecto. Sic proponitur præſens quæſtio ab Scoto in 1. *Periherm.q.* 2. quam problematicé defenſat, ſubtilibus rationibus vtramque partem propugnans.

11 Reſolvo, voces primò non ſignificare res, ſed mentis conceptum, ſeu intelligibilem ſpeciem. Prob. 1. ab Scoto ex Ariſtot. hic in litera dicente, *quod ea, quæ ſunt in voce, ſunt notæ*, id eſt ſunt ſigna paſsionum in anima: ergo ea, quæ primó ſunt à voce, non ſunt res. Prob. ex Scoto; quia ea, quæ ſunt ſigna paſsionum in anima, ſunt ea, quæ primó ſunt à voce; ſed res non ſunt talia ſigna, quia res non ſunt in anima: ergo ea, quæ primò ſunt à voce, non ſunt res. Confirmat Scotus rationem Philoſophi, & eam explicat; Philoſophus enim, paulo poſt, ait, *paſſiones animæ ſunt omnibus eædem: quorum primorum* (id eſt, quarum paſsionum primó voces ſunt notæ) *hæ voces ſunt notæ; & res etiam ſunt eædem, quarum, & hæ paſſiones ſunt ſimilitudines.* Ex quibus verbis manifeſté exponit, quid intelligat per paſsionem, nempe, ſimilitudinem: nunc ſic formalizatur Scotus cum Philoſopho; paſsio apud Philoſophum eſt, quod primó ſignificatur per vocem; ergo res non eſt primum à voce ſignificatum. Prob. conſequentia; quia paſsio non eſt res; ſed paſsio eſt, quod primò à voce ſignificatur: ergo res non eſt primum à voce ſignificatum. Prob. maior; quia ex Philoſopho, paſsio eſt ſimilitudo rei; ſed res non eſt ſimilitudo rei, cum non ſit ſui ipſius ſimilitudo: ergo quia paſsio non eſt res: ergo &c.

12 Prædictis, & conſimilibus Philoſophi authoritatibus reſpondet Scotus, ſecundum problematis rigorem, exponendo verba illa, ita, vt dum Philoſophus dicit, quod res non eſt, quod primó ſignificatur, ſed ſpecies, paſſio, ſeu conceptus, debeat intelligi de re, non vt exiſtit, quia ſic per ſe non intelligitur; ſed vt per ſe percipitur ab intellectu. Hęc ſolutio habet exactam doctrinam, tametſi ſubtilem; quare debet exponi, vt perfecté capiatur. Vt igitur eam plené capias, debes ſcire, quod aliud eſt, nomina ſignificare res, prout exiſtunt, & aliud, eas ſignificare, prout per ſpecies intelligibiles percipiuntur. Tunc igitur dicitur, nomina ſignificare res, prout exiſtunt, quando eas ſignificant, prout hic, & nunc ſunt actu; ita vt tunc homo v. g. debeat eſſe in rê poſitum extra cauſas; quia ſi extra cauſas non ſit, hoc nomen *homo* non ſignificabit naturam humanam, vt exiſtentem. Tunc veró res ſignificantur, vt intelliguntur, quando nomina ſignificant eſſentias ſecundum præfixos, & prædefinitos conceptus, ita vt per eamdem ſpeciem cognoſcamus eſſentiam, necnon eamdem ſcientiam habeamus de ea, quando exiſtit, ac quando non exiſtit, iuxta illud Ariſtot. 1. *Poſter. tex.* 20. de his, quæ frequenter ſunt, poſſumus habere demonſtrationem, etiam quando non ſunt; ſicque hæc vox *homo* ſignificans naturam humanam, prout intelligitur, ſic eam ſignificat, quod eamdem ſignificaret non exiſtentem, ac extra cauſas. His ita iuxta Scotum in *q.* 3. *Periherm.*

13 Reſpondetur exacté, diſſolvendo rationes Philoſophi. Dum igitur Philoſophus dicit, quod primò, & de per ſe ſignificatum à vocibus, ſeu nominibus, ſunt paſsiones animæ, (vocat ſpecies, ſeu conceptus, paſsiones animæ, quia ſunt paſsiones intelligentis: vnde Philoſophus dicebat ſupra, quod paſsiones animæ erant omnibus eædem; idem ſiquidem ſunt omnibus, rerum conceptus, & eædem ſunt eſſentiarum ſpecies intelligibiles; per ſpe-

ciem

Digitized by Google

ciem enim hominis, idem omnes intelligimus) vtpote ſpecies intelligibiles, non debet ſic intelligi, quod nomina, ſeu voces primó, & de per ſe ſignificent ſpecies, ſeu paſsiones mentis; ſed debet intelligi, quod ſignificent res, vt intelliguntur à nobis ſecundum præfixum conceptum, vt ſic denotetur, quod res, vt exiſtunt, non ſignificantur. Itaque nimis reſolurus ait Scotus: *Si autem aliquis dicat aliquid manifeſtius pro hac litera Ariſtot. negatur, quia in hoc Ariſt. non exponitur*: ſed de his in quæſt. ſequenti.

14 Prob. 2. ab Scoto ſic: enuntiatio prolata ſignificat illud, in quo eſt veritas, & falſitas; ſed illud, in quo eſt veritas, & falſitas, eſt compoſitio intellectus: ergo enuntiatio prolata, hanc ſolum ſignificat: nunc ſic; enuntiatio prolata ſolum ſignificat compoſitionem intellectus, ita vt enuntiatio compoſita ſolum ſignificet id, quod tantum eſt in intellectu compoſito: ergo & partes enuntiarionis prolatæ, tantum ſignificabunt ea, quæ ſunt in Intellectu ſimplici, cuius modi eſt ſpecies. (Dicitur intellectus ſimplex, quia intellectus partis adeſt abſque compoſitione; quare illæ partes erunt in intellectu ſimplici, ſicque intellectus ſimplex earum dicitur ſpecies, quia ante intellectum compoſitionis ſolom præhabetur ſpecies, quibus fœcundatus intellectus, parturit compoſitionem.) Maior ſyllogiſmi videtur certa; quia veritas, & falſitas, ſolum ſunt in ſermone, vt in ſigno. Minor eſt Ariſtot. cito poſt in litera. Cætera videntur currere in paritate: ergo.

15 Huic rationi reſpondet Scotus ſecundum ſupra expoſitam doctrinam, ſecundum quam concedit maiorem, & dicit ad minorem, quod dum dicitur, quod veritas, & falſitas ſunt tantum in intellectu compoſito, debet ſic intelligi, quod compoſitio in rei veritate ſit illarum rerum, non tamen vt exiſtentium, ſed vt intelliguntur: vnde dicitur, quod veritas, & falſitas Inſint compoſitioni, aut diviſioni intellectus. Itaque dicimus, quod vnio intentionalis, ex qua formatur compoſitio, non ponitur in ſpeciebus, ſed in rebus ſignificatis, in quibus intentionaliter vnitis adeſt veritas, vel falſitas; ſed tamen, cum tales res habeant vnionem intentionalem, necnon veritatem, & falſitatem, prout præfixé à nobis intelliguntur; non autem prout de facto exiſtunt; ideo dicitur, quod veritas, & falſitas, ſignificatæ per vocalem enuntiationem, ſunt in compoſitione ſe tenente ex parte conceptuum, & ſpecierum, prout in intellectu exiſtentium. Vnde, ait Scotus, verum etiam eſſe, quod partes compoſitionis ſunt in intellectu ſimplici, ſed ſunt in intellectu ſimplici, vt cognitũ in cognoſcente; quomodo etiam res ſunt in intellectu, ſicque in intellecto non ſunt ſolæ ſpecies.

16 Prob. 3. ab Scoto ſic: nil Intelligitur niſi per ſpeciem: ergo nil ſignificatur, niſi per ſpeciem: ergo ſpecies magis ſignificatur. Prob. conſequentia ex illa regula, *omne propter quod, &c. illud eſt magis*; ſed nil ſignificatur niſi propter ſpeciem: ergo ſpecies eſt, quod magis ſignificatur. Huic rationi reſpondet Scotus concedendo antecedens, & diſtinguendo primum conſequens: nil ſignificatur niſi per ſpeciem, ex eo, quod nil niſi per ſpeciem intelligatur, ſi ly *per* ſumatur ſolum cauſaliter, & præſuppoſitivé, ſeu vt pura conditio ad effectum æquivocum, eſt verum; ſed ſic non ſequitur, quod ſpecies ſignificetur magis: ſi ly *per* ſumatur in ſpecie, vt in cauſa per ſe, & neceſſaria, vnivocé ſe habens, eſt falſum; quia ſic non ſolum ſignificatur per ſpeciem, quod ſolum per ſpeciem intelligitur. Itaque dicimus, quod licet ſignificare aliquid completé (videlicet ſignificare ita, quod non ſolum nomen ſignificet ſecundum ſe, ſed quod & ſignificatum percipiatur) ſupponat intelligere, ita vt intellectus ſpeciei requiratur ad ſignificationem nominis percipiendam; Inde non ſequitur, quod ſpecies primó, & magis ſignificetur. Ratio exponitur; quia neceſsitas ſpeciei non ponitur ex parte ſignificantis, nec ex parte ſignificati, vt ſignificati; ſed præcisé ex parte percipientis, ſeu intelligentis; ſicque intelligere, licet prærequiratur, vt cauſa, & conditio ad ſignificari, cum tamen reſpectu puré ſignificari, æquivocé ſe habeat, inde eſt, quod tametſi nomen abſque ſpecie non ſignificet mihi, ſed tamen primó, & magis nunquam dicit ſpeciem in ſignificando. Adapto exemplar in imagine depicta, quæ de per ſe ſolum repreſentat imaginatum; non autem ſpeciem intelligibilem imaginati, tametſi abſque ſpecie imaginati ſit imperceptibilis repreſentatio. Similiter exemplificatur in imagine ſpeculi, quæ abſque luce non poteſt repreſentare aliquam figuram; ſed tamen non lucem, ſed figuram repreſentat, quia lux, & conſimilia ſunt requiſita; ſunt tamen æquivoca. Sic pariter accipe Scotum.

17 Sic ergo exponendum eſt illud proloquium Philoſophi, *propter quod vnum quodque eſt tale, &c.* Quod expoſitum relinquam, eo quod pluries opponatur. Vt igitur tale proloquium veram habeat expeditionem, debes ſequentes conditiones obſervare.

Pri-

Digitized by Google

Prima, quod prædicatio, ſeu aſſeveratio eorum, in quibus fit comparatio, conveniat vtrique comparabilium, defectu cuius non ſequitur; homo eſt ebrius propter vinum: ergo vinum eſt magis ebrium. Hinc enim poteſt, vt eamdem applicare conditionem vnivocationis, defectu cuius non ſequitur: nil ſignificatur niſi propter ſpeciem: ergo ſpecies magis ſignificatur. Similiter ſic: intellectio eſt accidens propter intellectum: ergo intellectus eſt magis accidens. Secunda, quod tale prædicatum ſuſcipiat magis, & minus, defectu cuius non ſequitur: Petrus eſt homo propter Patrem ſuum: ergo Pater ſuus eſt magis homo. Tertia, quod vnum illorum, quæ comparantur ad invicem, ſit cauſa totalis, propter quam illud prædicatum conveniat cauſato; ideo non ſequitur, ferrum eſt calidum propter ignē: ergo ignis eſt magis calidus. His ita præiactis ſecūdum vnam problematis partē; ſecundū aliam

18 Reſolvo, voces, nomina, &c. primó ſignificare res; non tamen ſecundum quod exiſtunt, ſed ſecundum quod ab intellectu percipiuntur: quo pacto Ariſtot. 4. *Metaph. contex.* 28. dicit, quod ratio ſignificata per nomen eſt definitio, & definitio veram eſſentiam rei indicat: ergo illa eſſentia ſignificabitur per nomen. Sic literaliter reſolvit Scotus, vbi ſupra. Prob. illam Scotus ex Ariſt. in fine *cap.* aientis, quod verbum ſignificat aliquid; conſtituit enim intellectum, qui dicit: ex quo ſequitur, ait Scotus, quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere. Nunc ſic: illud ſignificatur, cuius intellectus per vocem conſtituitur; ſed prolata voce, non conſtituitur intellectus ſpeciei, ſed rei, vt patet in audiente vocem ſignificativam, qui de intellectu ſpeciei parum curat: ergo non eſt de intellectu ſpeciei, ſed rei, id quod ſignificatur. Dum ab Scoto dicitur, quod ſignificare eſt alicuius intellectum conſtituere, & ſic, quod non ſignificatur intellectus ſpeciei, ſed rei, &c. debes ſcire, quod pro intellectu non percipiatur potentia noſtra intellectiva, ſed intelligitur conceptus quidditativus rei, vt pote ille, qui eſt de his, quæ primó intelliguntur in re; ſicque de his, quæ ſunt de primo rei intellectu; qua phraſi paſsim vtitur Scotus iuxta Philoſophi conſuetudinem.

19 Confirmatur intentum ab Scoto ex alio dicto Philoſophi in 1. *Elench.* vbi tenet, quod pro rebus vtimur nominibus, quia non poſſumus ferre res ad diſputandū; ſed ſpecies intelligibiles poſſumus nobiſcum ferre: ergo voces, & nomina non ſpecierū, ſed rerum eiūt ſigna, ſeu notæ. His, & cōſimilibus rationibus reſpondet Scotus, advertendo in reſolutione quæſtionis, quod ſpecies intelligibilis poteſt dupliciter conſiderari. Poteſt vno modo cōſiderari, in quantum in ſe eſt entitativé, ſeu quidditativé accidens, ſcilicet, informans animam. Poteſt alio modo conſiderari in quantum repreſentat rē; quomodo ſpecies lapidis dicitur lapis, & ſpecies Dei dicitur repreſentativé Deus, tametſi in entitatibus infinita diſparitas reſplendeat. His ita, reſpondet Scotus dicendo, quod omnes Philoſophi rationes, quibus ſuadetur, nomen non ſignificare ſpeciem, ſed rem, &c. debēt intelligi de ſpecie, vt in ſuo abſoluto, & quidditativo eſſe accidentis, informantis animam, conſiderata; quia ſic certum eſt, quod dū per nomen ſignificantur ea, quæ ſunt de primo intellectu rei, non poterit tale eſſe ſpeciei ſignificari: at autem, in quantum ſpecies eſt ſignum ſignati, videtur conſequens, quod vox ſignificans rem, ſignificet immediaté id, quod eſt ſignum rei, *in quātum eſt ſignum*; quomodo etiam ſpecies habet aliquid, imó totum eſſe de his, quæ primó intelliguntur.

20 Deinde ad confirmationem poteſt reſponderi dicendo, quod ſi quia non poſſumus ferre res ad diſputandū, vtimur nominibus, & ex hoc inferatur, quod nomina ſignificent res; etiam poterit inferri, quod nomina ſignificent ſpecies, cū eas, etſi nobiſcum feramus, non antē in ore ferantur à nobis; qui ferendi modus eſt ad diſputandum requiſitus. Deinde, quia ſalva fide Philoſophi, exiſtimo, quod eo modo, quo à nobis feruntur ſpecies, in quantum ſunt ſigna, & ſimilitudines, etiam poteſt dici, quod nobiſcum res feruntur.

21 Prob. aliter reſolutio: nil ſignificatur, niſi, quod intelligitur; ſed ſpecies intelligibilis non intelligitur: ergo ſpecies intelligibilis nō ſignificatur. Oſtēditur argumentum ab exemplari, & à ratione. Ab exemplari; quia ſpecies viſibilis non videtur: ergo neque ſpecies intelligibilis intelligitur. A ratione; quia ſpecies eſt id, quo intelligibile intelligitur; ſed in omnibus circa *primum* differunt, quo eſt, & quod eſt: ergo quod eſt intelligibile, eſt primū, quod intelligitur. Deinde, ſi ſpecies intelligatur, debebit intelligi per aliā ſpeciem; quia cum intellectus ſit virtus paſsiva, nil cognoſcit, niſi quod eſt in actu per ſpeciem obiecti: ergo.

22 His omnibus reſpondet Scotus, & ad primum in minori poſitum dicit, quod etiam ſpecies intelligitur, licet non primo, ſed per reflexionem; ſed cum impoſitio nominis (his præcavet inſtantiam de primo intelligibili circa rem; ex quo dicent, quod res erit primó

ſignificatum) ſit ad placitum, poteſt vox imponi ad ſignificandum illud immediaté intellectum per reflexionem, ſicuti & ad ſignificandum illud primó intellectum, nempé, res; ita vt per eamdem vocem vtrumque ſignificetur, nempé, res, & eius ſimilitudo, quæ eſt ſpecies, etſi immediatius ſpecies, prout habet eſſe ſignum ipſius rei ſignatæ. Ad probationes reſpondet in primis negando ſimile; quia ſenſus, cum ſit ex materialitate virtus turpis, non poteſt ſe reflectere ſupra ſuum actum, neque ſuper id, quo cognoſcit ſuum obiectum: vnde ſpecies ſenſibilis non ſentitur; at autem intellectus, cum ex immaterialitate ſit ſummé velox, & cuicumque ex ſe proportionatus, poteſt tam ſupra actum, quam ſupra ſpeciem, qua cognoſcit obiectum, reflectere; necnon propter idem, poteſt reflectere non ſolum ſupra hæc, ſed & ſupra ſeipſum. Deinde ad rationes probantes, reſpondet dicendo ad primam, verum eſſe, quod ſpecies eſt aliud ab illo, quod cognoſcitur per ipſam; alia enim eſt à primo obiecto per ſpeciem cognito; patet, quia ſpecies, illius eſt ſpecies: ergo eſt aliud ab illo; ſed tamen cum hoc ſtar, ipſam ſpeciem eſſe aliquod intelligibile, aliud à primo obiecto; intelligibilis enim eſt ſpecies, nam ſub ſpeciali ratione ſigni propriam habet intelligibilitatem. Ad ſecundum reſoluté concedit, ſpeciem non cognoſci per aliam ſpeciem; quia ſolum cognoſcitur per ſpeciem in intellectu, quod primo cognoſcitur ab intellectu, ſcilicet, primum obiectum intellectus, quod eſt quid adhuc rei materialis, ſicque ſpecie indigens; at autem omnia alia cognita per reflexionem, & per diſcurſum, non cognoſcuntur per ſpeciem, cum ipſa maneant, prima poſita, aptiſsima pro conditione intelligentis.

23 Prob. alijs medijs reſolutio. Primo; quia omnis propoſitio affirmativa, in qua ſubiectum, & prædicatum cognoſcantur ab intellectu per diverſas ſpecies, erit falſa, v.g. homo eſt animal. Suadetur; quia quod per vocem, ſeu notam hominis ſignificaretur, eſſet ſpecies hominis, & quod per aliam vocē ſignificaretur eſſet ſpecies animalis, quæ ſunt diverſiſsimę, cū diverſa ſit ſpecies, per quā intelligitur homo, & per quā intelligitur animal: ergo cū ſignificaretur veritas per voces in idēptitate taliū ſpecierū, eſſet falſa illa propoſitio, homo eſt animal, & ſic quævis propoſitio affirmativa, ex qua notificaretur, vnā ſpeciē eſſe aliam. Secundo é contra; ſequeretur ſiquidem, quod omnis propoſitio, in qua prædicaretur eſſe ſecundum adiacens, eſſet vera, v.g. Pilatus eſt, ſeu Antechriſtus eſt; quia ſpecies cuiuſcumque ſubiecti, *de qua enuntiamus eſſe, eſt*: ergo cum voces, ſeu enuntiatio prolata ſignificet eſſe ſpecierum, *cum ſpecies ſint*, omnis illa propoſitio eſſet vera.

24 His, & conſimilibus rationibus ſufficientem ſolutionem, in ſua ſpeciali doctrina reliquit Scotus: cui ergo conformes, reſpondemus, negando præſumpta in affirmationibus illis; quia veritas, & falſitas non ſunt in ſigno, niſi per ſignatum: veritas enim ſigni, puta ſpeciei, eſt conformitas eius cum ſignato, puta re, ſeu primo obiecto; & ſic falſitas eſt difformitas cum illo: vnde compoſitio ſpecierum ad invicem, vt ſpecies ſunt ſigna rerum, non eſt iudicanda vera, vel falſa, niſi à ſignatis, puta à rebus: omnis ergo veritas cuiuſcumque propoſitionis referenda eſt ad res; quia illa ſunt vltimó ſignificata, & fixa, nam non ſunt aliquorum aliorum ſigna. Patefacit ſolutio exemplo ab Scoto adducto: hæc enim propoſitio, homo eſt animal, ſcripta non dicitur falſa, licet hæc vox homo, non ſit hæc vox animal; & hoc, non aliunde, niſi quia literæ non ſignificant voces, vt ſunt aliquid in ſe, ſed vt ſunt ſigna aliorum, nempé rerum: ergo à ſimili in omnibus his ſignificationibus recurrēdum eſt ad vltimum ſignificatum; ita vt in veritate, & falſitate cuiuſvis compoſitionis, veritas non ſit iudicanda, niſi penes vltima ſignificata, quæ ſunt res. Quare hęc propoſitio, Antechriſtus eſt, non erit vera; quia licet ſpecies ſit, non tamen res, ſeu vltimum ſignificatum eſt, & ibi ſpecies non ſumitur, in quantum eſt notificata per vocem in ſuo eſſe puré entitativo, ſed in ſuo eſſe, prout verſo, & derivato ad ſuum ſignificatum, quod eſt res; taliter, quod etſi ſpecies ſit immediatum ſignificatum à voce; ſit tamen immediatum ſignificatum, prout ipſa ſpecies eſt ſic ſignum alterius ſignificati, quod eſt vltimum, & fixum, illud vtpote, in ordine ad quod omne eſſe veri derivatur.

25 Inſtabis: in hac propoſitione, hic homo eſt animal, prima ſignificata notantur, ſeu ſignantur eſſe eadem; quia vox, quæ eſt ſignificans, ponit in oratione ſuum primó ſignificatum: ergo notatur, quod hæc ſpecies, nēpé, hominis, eſt eadem cum illa, nempé, animalis; quia ſpecies ſunt prima vocum ſignificata; ſed hoc eſt falſum, quia illæ ſpecies non ſunt eædem: ergo propoſitio pro primo eius ſignificato eſt falſa. Huic inſtantiæ reſpondet Scotus, quod conceſſo, quod ſpecies vniantur in quantum ſunt ſigna rerum, & conceſſo, quod ſpecies non ſint eædē; non ſequitur, illam propoſitionem eſſe falſam; *quia circa ſignum in*

quan-

Digitized by Google

quantum ſignum, nõ eſt nata eſſe veritas, vel falſitas, niſi referendo deſignatum: veritas enim ſigni, ſemper debet ſtare in hoc, quod verum ſit, quod ſignat: ergo licet ſigna vnirentur, nunquam poterit percipi in ipſis alia veritas in quantum ſignis, quam quæ ſit ex ſignatorum vnitione, ita, vt ſigna in quantum ſigna, niſi ad ſignata ſint relata, à veritate ſint præciſa. Vnde reſolvit Scotus, quod ſi illa compoſitio ſignorum aliqualis debeat dici, magis debet dici vera, quia compoſitio ſignatorum eſt vera.

26 Vrget Scotus: dum dicitur homo eſt animal v. g. vna ſpecies in quantum ſimilitudo rei, non eſt alia ſpecies in quantum ſimilitudo rei; quia ſimilitudo humanitatis, ſeu ſpeciei, non eſt ſimilitudo animalitatis, ſeu generis; ſed tales ſimilitudines notantur, ſeu ſignificantur eſſe eædem per ly verbum *eſt* poſitum in enuntiatione prolata: ergo ſi per affirmationem prolatam, ſeu nominalem ſignificentur, aut notentur ſpecies, ſeu ſimilitudines, ſignificabitur primò eſſe eadem, quæ eadem non ſunt: ergo &c. Fatetur Scotus, hanc rationem eſſe vrgentem; ait tamen, quod licet talis ratio ſit difficilis ad ſolvendum, non tamen concludere neceſſarium; quia in alijs, vbi eſt eadem forma arguendi, non eſt ſic difficile, v. g. in hac oratione ſcripta, homo eſt animal, in qua primò vniuntur voces, quia illæ primó ſignificantur; & tamen propter hoc, talis oratio ſcripta non eſt falſa, eo quod voces ſignificatæ, quæ vniuntur, vniantur in quantum ſunt ſignum alterius, ſub qua reduplicatione habentes vnionem, ſolum habebunt veritatem, quia veritatem habent ſignificata per ipſas. Vbi poteſt etiam notare, quod dum illa oratio ſcribitur, etiam inter ſcripta, ſcriptum *eſt* ponitur, & tamen veritas, aut falſitas ex alijs vltra ſcriptum excitatur. Siſtendum eſt in his.

27 Reſponderi tamen poteſt, omnem Scoti doctrinam ſalvando ſic: dum igitur dicitur, quod ſpecies, ſeu ſigna ipſa vniuntur, poteſt dici, quod vniuntur in actu ſignato, ita vt vnio etiam ſignum ſit, ſicque in actu ſignato vniens; quia quæcumque vnio debet ſervare proportionem cum extremis, & ipſorum ſtatu: ergo bené deducitur, quod ſi ſigna, ſolum in quantum ſunt ſigna, vniantur, quod eorum vnio ſolum in actu ſignato talis debeat eſſe. Nunc ſic: quando aliqua ſolum in actu ſignato vniuntur, ſic affirmatio expeditur, quod vnio exercita non ſit in ſignis, ſed in ſignatis; ita, vt quia in ſignatis eſt vnio exercita, valeat in ſignis eſſe præcisé vnio ſignata; id enim quod ſigna ſignant, non in ipſis, ſed in alijs, vtpote in obiectis primis, & rebus, debet per verbum exercitum, nempé, *eſt*, exerceri; aliàs foret imperceptibile, quod ſigna haberent ſignata vlterius. Quare, ſicuti id, quod ſignant ſecundæ intentiones, v. g. genus, &c. non exercetur in ipſis, ſed in ſignatis, quæ ſunt res, & prima obiecta; ſic pariter de ſpeciebus, in quantum ſunt ſigna, eſt diſcurrendum: & ſic, ſicuti ſigna intentionalia ſolum vniuntur intentionaliter, & in actu ſignato, v. g. genus prædicatur de ſpecie, non autem vniuntur in actu exercito, v. g. ſpecies eſt genus; ſic ſpecies prout ſunt ſigna habent ſignaté vniri, v. g. ſpecies hominis, & animalis habent ſignata, quæ ſunt eadem; non autem ſignum hominis eſt ſignum animalis: vel ſic; *ſigna vniuntur in quantum ſigna*, ſeu *ſigna v. g. ſpecies illa ſignificantur vnita*: en quod in hoc actu *vniuntur*; vniuntur tamen ſignaté, vt indicat illud verbum *ſignificantur*, ad modum illius *prædicantur*; non tamen exercité, vt ſupradixi. Vbi nota quod ly *vniuntur* eſt vox ſignata, ſicuti vox *prædicantur*.

EXPENDITVR IVDICIVM CIRCA problema.

28 Poſtquam Scotus ſubtiliter, prout viſum fuit, vtramque partem impugnavit, & propugnavit, in hæc prorumpit: *Iſtarum viarum eligatur, quæ videatur probabilior*: & deinceps in fine quæſtionis ſic format iudicium. *Prima via videtur probabilior ſecundum authoritates: ſecunda ſecundum rationes.* Idem ſentio; quare ſi aliquis ſecundæ cupiat conſentire, hanc rationem Scoti habeat: ſuadet ergo, quod nomina non ſignificent ſpecies, ſed res; quia nomina impoſita ad ſignificandum ſingularia, non poſſunt eorum ſpeciem ſignificare: ergo. Prob. antecedens; quia ſingularia non poſſunt facere ſpeciem in intellectu: ergo nomina illis impoſita non ſignificant in intellectu eorum ſpecies.

29 Sin autem primæ cupiat aliquis aſſentire, habeat contra ſecundam viam, hanc aliam rationem, merito etiam Scoti: Arguit inferendo, quod ſi ſecunda via ſit vera, eſſet falſa, vel fallax omnis propoſitio, in qua denotetur ineſſe ſubiecto aliquis actus, ſeu terminus realis. Suadet illationem; quia ſi nomen ſignificet rem, vt intelligitur, tunc tale prædicatum, ſeu res

attribueretur ſubiecto, vt intelligitur; ſed res, vt intelligitur, non ineſt ſubiecto: ergo. Sic probo, ait Scotus; quia ei, vt intelligitur, ſolum inſunt prædicata intentionalia; ſed res, vt ineſt ſubiecto, eſt actus realis: ergo. Vnde ait Scotus, quod in tali caſu, medium eſſet comparatum ad prædicata intentionalia, & realia, & ſic ſumeretur ſub extraneis rationibus; ſicque ſic ſumendo medium in ſyllogiſmo, ſi concludatur aliquid de ſubiecto, fiet fallacia accidentis.

QVÆSTIO III.

Vtrum facta tranſmutatione circa rem, quæ ſignificatur, fiat tranſmutatio in ſignificatione vocis.

30 VT quæſtionis reſolutio perfecté capiatur, advertendum eſt cum Doctore noſtro ſupra *q. 3. Periherm. §. dicendum ad quæſtionem*, quod dum dicitur, poſſe fieri tranſmutationem in re, non fiat tranſmutatio in voce, debet intelligi tranſmutatio facta in re, ſecundum quod res exiſtit, cuius cauſa ponitur ex eo, quod res non ſignificetur vt exiſtit, ſed vt per ipſam ſpeciem intelligibilem intelligitur; quo pacto, ſive res ſit, ſive non ſit, cum tamen, tam res, vt intelligitur, quam ſpecies intranſmutatæ maneant, facta tranſmutatione in re, vt exiſtit, inde eſt, quod poſſit adhuc tranſmutatio nō fieri in voce. Vide dicta in quæſt. anteced. in ſolutione ad primum.

31 Reſolvo igitur, quod facta tranſmutatione in re, poteſt non fieri tranſmutatio in ſignificatione vocis. Ita literaliter Scotus ſupra citatus. Prob. ex Ariſt. in *lib. Prædicam. c. de ſubſtantia* apud Scotum, aſſerente, quod eadem omnino oratio, quandoque eſt vera, quandoque eſt falſa. Nunc ſic: dictiones orationis quandoque veræ, & quandoque falſæ idem ſignificant; ſed in re, quæ ſignificatur per ipſas dictiones, eſt tranſmutatio, vt patet in hac oratione, ſortes ſedet, quæ dum eſt falſa, fit circa ſedere tranſmutatio: ergo quia facta mutatione in re, in ſignificatione vocis non fit mutatio. Deinde, quia multi ſunt actus, vt dormire, currere, &c. qui quandoque ſunt, quandoque non ſunt; & ſi vox illa ſignificans mutaretur propter mutationem factam in iſtis, vox impoſita iſtis, multoties eſſet non ſignificativa, & iterum foret ſignificativa; ac per conſequens oporteret, ipſam multoties imponi ad ſignificandum: ergo.

32 Prob. vlterius duplici ratione Scoti. Prima infert, quod nullo currente, non eſſet falſa hæc oratio, *aliquid currit*; quia currere non ſignificaret idem, quod ſignificabat, quando curſus erat, eo quod curſu non exiſtente, deberet etiam fieri tranſmutatio in illa voce ſignificante, aliquid currere; ſed non ſignificante idem, non poterat eſſe falſa, cum circa aliud ſignificatum non contradiceret: ergo. Secunda ratio formatur ex Ariſtot. 1. *Poſter. tex.* 1. vbi ait, *quod non entia* contingit ſignificare, & intelligere: ergo non entitas rerum, non infert non entitatem ſignificati vocis: ergo licet ex non exiſtentia rerum fiat ſic tranſmutatio ex ipſis, non debet deduci, quod in entitate exiſtentis vocis debeat fieri tranſmutatio.

33 Obijcies 1: ſi detur res non ſubiecta voci, eſt infallibile, quod vox erit non ſignificativa; ſed dum res erat ſubiecta voci, vox erat ſignificativa: ergo quia ex rei tranſmutatione datur tranſitus in voce. Maior certiſſima videtur; quia vox non ſignificat niſi vnam, aut aliam rem, prout res eſt quid deſignatum pro illa voce: ergo ſi nulla res ſit ſubiecta, aut deſignata voci, eſt infallibile, quod vox erit non ſignificativa. Huic rationi facile reſpondet Scotus, dicendo ad maiorem, verum eſſe, quod ſi nulla res ſit ſubiecta voci ſignificanti, vox ſignificativa non dicetur. Notat tamē, quod in hoc dicto, *ſi nulla res ſit ſubiecta*, ly *ſit* ſumitur ſuperans ſenſum quæſtionis, quia ſumitur ibi res, non tantum pro exiſtentibus, ſed etiam pro re, quæ intelligitur; quomodo verum eſt, quod ſi nulla res ſit ſubiecta voci, ita vt nec ſit de his, quæ exiſtunt, nec de his, quæ intelliguntur; vox ſignificativa non erit; quia ſi nulla res ſit ſignificabilis, clarum eſt, quod nullius rei erit vox ſignificativa; in quo ſenſu non diſputat Scotus, quia ſic, inquit ipſe, hunc ſenſum haberet diſputatio, videlicet, *ſi nil ſignificetur per vocem, vox non dicetur ſignificativa.*

34 Obijcies 2: in tranſmutatione ſubſtantiali res amittit nomen, & definitionem: ergo res tranſmutata non habet nomen, quod prius habuit; ac per conſequens nomen, quod ipſam ſignificavit prius, ipſam non ſignificabit deinceps; ſicque vocis dabitur tranſitus. Huic rationi reſpondet Scotus, ipſum argumentum ſic in proprio ſenſu clarificando: in tranſmutatione ſubſtantiali rei ſingularis, in qua, ſcilicet, abijcitur forma ſubſtantialis, res ſingularis tranſmutata amittit nomen, & definitionem ſpeciei, quia non manet in ſpecie, in qua fuit prius: ergo nomen ſpeciei amittit ſuum ſignificatum: non ſequitur; quia illud

no-

nomen nullum ſuppoſitum ſignificavit; ſed ſolum habuit pro ſignificato ſpeciem vndequaque intelligibilem; quare, ſi illa res amiſerit nomen, non eſt quia nomen amittat ſignificatum; quia quouſque ſpecies maneat intelligibilis, non fiet in nomine tranſmutatio: vnde, ſi illa res amittat nomen, orietur ex eo, quod in ordine ad illam, amittatur ſignificatum nominis, etiam quoad intelligere; quia eſt incompatibile, quod circa eamdem rem, duo intelligibilia in ſpecie diſtincta poſsimus coadunare; ſicque, ſi ſignificatum vocis abſit à rē tranſmutata, etiam quoad intelligere, nil mirum, quod nomen, & ſignificatum amittat; inde tamen non ſequitur vnquam, quod illud nomen vbicumque poſsit exiſtimari, non ſignificet eamdem ſpeciem quoad intelligere, etſi quoad exiſtere corrupta ſit.

35 Obijcies 3: deſtructo vno correlativo deſtruitur aliud, ex *lib. Prædicam. 3. de Relatione*; ſed ſignum, & ſignatum ſunt correlativa: ergo deſtructa re, quæ eſt ſignatum, deſtruetur vox, in quantum eſt eius ſignum. Reſpondet Scotus iuxta ſuam ſtabilitam doctrinam, concedendo maiorem, & minorem, & ita diſtinguens deinde conſequens, quod poſſet etiam admitti; ait enim, quod deſtructo ſignato, deſtruitur etiam ſignum; ſed tamen res, vt exiſtit, non eſt ſignatum, ſed vt intelligitur; quare licet deſtruatur res vt exiſtit, non deſtruetur ſignatum, cum ſignatum ſit res, vt intelligitur; ſicque, nec deſtructur ſignum: quapropter dixi, poſſe etiam concedi conſequentiam; quia verum eſt, *quod deſtructa re, quæ eſt ſignatum, deſtruetur vox, in quantum eſt eius ſignum.*

36 Obijcies 4. intendens probare, quod ſi res ſumatur aliter, ac vt exiſtit, non poterit ſignificari, eo quod in non ens relinquatur. Arguitur ſic: quod non intelligitur, non ſignificatur; ſed non ens non intelligitur: ergo neque ſignatur. Maior ſuadetur ex eo, quod ſignificare præſupponat intelligere: ergo quod non intelligitur, non ſignificatur. Minor ſuadetur ſic: omne intelligibile facit ſpeciem in intellectu; ſed nō ens non facit ſpeciem in intellectu: ergo non ens non intelligitur. Minor prob. eo quod deſtructa cauſa deſtruatur effectus; ſed ſpecies eſt effectus, & res eſt ſpeciei cauſa: ergo deſtructa re, & ſpecies deſtruetur; ac per conſequens non ens, quod eſt res deſtructa, non faciet ſpeciem in intellectu.

37 Reſpondet Scotus, dicendo ad maiorem primi ſyllogiſmi, quod poteſt negari; nō enim repugnat apud Scotum, quod aliquod nomen ſignificet, quod non intelligitur; ſed ex hoc non inferas, quod etiā poſsit ſignificare, quod ſit inintelligibile; quia intelligibilis eſt diſparitas, de quo ſtatim. Deinde ad probationem maioris reſpondet Scotus dicendo, verum eſſe, quod ſignificare præſupponat intelligere; ſed tamen ſignificare ſic præſupponit intelligere, quod omne ſignificatum debuiſſet prius intelligi; quod, propriè loquendo, non eſt præſupponere intelligere, ſed præſupponere, quod intelligebatur, ſeu quod fuit intellectum; quod libenter concedit Scotus, alioquin ei vox non fuiſſet impoſita. Sed licet hoc verum ſit ita; tamen poſtquam vox eſt impoſita, poterit ſignificare illud, ad quod impoſita eſt, licet à nullo tunc intelligatur, neceſſarium etſi eſſet, quod debuiſſet intelligi in illo tunc, in quo fiebat nominis impoſitio. Ad minorem eiuſdem primi ſyllogiſmi reſpondet deinceps Scotus dicendo, etiam poſſe negari, quia vt diximus cum Ariſtot. in vltima ratione concluſionis, non entia contingit intelligere: ergo falſum eſſe poteſt, quod non ens non intelligatur.

38 Vlterius, ad probationem minoris primi ſyllogiſmi reſpondet Scotus dicendo, maiorem eſſe falſam de omnibus intelligibilibus, excepto primo obiecto intellectus, quod eſt quidditas rei materialis; hoc enim cognoſcitur per ſpeciem, quam derivat; reliqua autem alia ſine propria ſpecie cognoſcuntur. Vide dicta *in quæſt. anteced. reſolut. 2. in ſolutione ad ſecundum.* Deinde ad minorem, (illa maiori ſic derelicta) videlicet; ſed non ens non facit ſpeciem in intellectu, &c. reſpondet Scotus dicendo, poſſe negari, ſi pro non ente intelligatur, *quod non exiſtet*; ita tamen, quod in ordine ad conceptum, non ſit non ens, ſicuti non eſt conceptus metaphyſicus cuiuſvis eſſentiæ, etſi ab exiſtentia ſit præciſus: vnde, ait Scotus, (& clarius accipe ſolutionem) quod non exiſtens poteſt intelligi per ſpeciem, non quam facit, ſed quam in intellectu fecit; quæ ſpecies facta poteſt manere eadem in intellectu, ac manſit, quando exiſtebat res, à qua fuit facta; intellectus enim eſt cauſa proportionata ad ſpeciei conſervationem, vt eſt talis cauſa phyſica materialis, à qua poteſt conſervari eadem forma, tametſi deſtruatur efficiens, à quo fuit facta: à ſimili ergo diſcurre; quia prima obiecta ſolum ſunt efficientia, & intellectus cauſa paſsiva, ſive materialis in ordine ad formam, ſeu ſpeciem, à qua intentionaliter informatur. Denique ad vltimam probationem, videlicet, quod deſtructa cauſa deſtruitur effectus, reſpondet

Sco-

Digitized by Google

Scotus claré, & bréviter dicendo, id eſſe verum de eo, quod eſt cauſa rei in eſſe, & in fieri: vnde cum res in q͂antũ exiſtens, ſolum ſit cauſa ſpeciei in fieri, bene poterit, deſtructa re, manere ſpecies; ſicuti manet forma educta, deſtructo educenti, eo quod ab ipſo non pendet in fieri, & in eſſe: ſic ergo, ſpecies non pendet à re vt exiſtenti, niſi in fieri, etſi in eſſe ſit correlata, in quantum ſignum rei, prout intelligitur.

39 Inſurges tamen contra ſtabilitam doctrinam pro hac quæſtione dicendo, quod ſi vox ſignificet idem, re exiſtente, & non exiſtente, deducetur, quod etiam ſignificatum erit idem; ſed hoc eſt falſum, vtpote, quod ſit idem: ergo & quod vox ſignificet idem, re exiſtente, & non exiſtente. Maior videtur certa; quia omnis activa vera poteſt tranſmutari in paſsivam veram: ergo ſi vox ſignificet idem, re exiſtente, & re non exiſtente, etiam ſignificatum erit idem. Minor prob. quia prius ſignificabatur res exiſtens, & deinde, re non exiſtẽte, ſignificatur non exiſtens: ergo eſt falſum, quod ſignificatum ſit idem; aliàs exiſtens, & non exiſtens, quod ſunt ſignificatum, erunt idem. Reſpondet Scotus dicendo, quod ad hoc eſt facilis reſponſio; quia etſi verum ſit, quod dum vox ſignificat idem, quod & idem debeat eſſe ſignificatum; inde tamen non ſequi, quod exiſtens, & non exiſtens ſint idem; quia nec prius, vtpote re exiſtente, ſignificabatur res exiſtens, nec poſterius, vtpote re non exiſtente, ſignificatur res non exiſtens; ſed præcisé ſignificatur res, vt intelligitur, cui, ſecundum quod ſic ſignificat, extraneum eſt exiſtere, vel non exiſtere.

40 Manet igitur ex dictis ſufficienter expoſitum, quod voces, & nomina non tranſmutentur, tametſi in rebus fiat tranſmutatio; quod etiam manifeſtum videtur ex modo loquendi, ſiquidem eumdem intellectum conſtituit, & relinquit vox prolata in nobis, quãdo res ſignificata eſt, ac quando non; alioquin (hanc illationem nota, vt poſsis ſcire, qualiter licet vox ſignificet idem, poſsit actus eſſe verus vel falſus) non diceremus, hanc orationem eſſe falſam, *Cæſar eſt*, Cæſare non exiſtente; quia ſi Cæſare non exiſtente, illa oratio prolata, *Cæſar eſt*, non ſignificaret idem, quod per ly *Cæſar eſt* prius ſignificabatur, non foret talis oratio, primo ſuo obiecto difformis, eo quod cum Cæſare non exiſtente non diſconformetur oratio ſignificans non eſſe, in quod fuit inde tranſmutata ab illo ſuo ſignificato: ergo per vocem idem ſignificatur. Neque ignoro aliquas difficultates, quæ his, & dictis in queſt. antecedenti, imminere videntur, quibus in *Diſt.* 2. occurrere intendam, ibiqué hæc ſpecialius eviſcerabuntur.

QVÆTIO IV.

De differentia, quam habent voces, & litera cum rebus, & earum paſsionibus.

41 CVm Philoſophus hinc inter literas, & voces ex vna parte, & inter res, & paſsiones ex alia, ſignet hãc differentiã, videlicet, quod voces, & literæ nõ ſint eædem apud omnes, ſin autem res & paſsiones; ideo hinc cum Doctore noſtro in *queſt.* 4 difficultatur, an præfata diſtinctio ſit pro rebus, & paſsionibus cum vocibus, & literis, ſufficienter aſsignata.

42 Partem affirmativam reſolvimus cum Scoto, ex quo veritas reſolutionis exponitur; quia eadem paſsio in anima (puta ſpeciem, ſive conceptum) apud quoſcumque concipiẽtes repreſentat eamdem rem: ergo paſsiones in *quantum ſunt ſigna, & res in quantum ſunt ſignificata, eadem ſunt apud omnes.* Antecedens certiſsimum experitur; quia eadem ſimilitudo in mente ſemper eſt eiuſdem repreſentativa, vt patet in ſpecie in quantum eſt ſignum naturæ humanæ; ſic enim ſpecies hominis hominem debet ſignificare in quocumque ſit, & eodem modo patebit diſcurrendo per ſingula. Itaque res, & paſsiones ſunt ſigna naturaliter; apud omnes ſiquidem vniformiter ſignificant, & ſignificantur, nempé, vniformiter ſignificant paſsiones, & ſignificantur res. Secus autem eſt de literis, & vocibus, quę licet in ſe apud omnes ſint eædem, vt patet de literis Alphabeti, nempe, *A. B. C.* &c. & ſimiliter de vocibus, nempé de Sole, Deo, &c. Sed tamen in quantum ſunt ſigna non ſunt eædem apud omnes, quia nec eadem litera apud omnes repreſentat eãdem vocem, ſed vel aliam, vel nullam; nec eadem vox apud omnes repreſentat eãdem paſsionem, ſed aliam, vel nullam; quod patet in his, quæ voces ſignant apud græcos, & confundunt apud nos.

43 Obijcies 1. quod comparatio apud diverſos vtentes, non diverſificat aliquid ſecundum ſe: ergo literæ, & voces apud quoſcumque vtentes ſunt naturaliter eædem. Antecedens videtur manuale in calamo, quo quis vtitur ad ſcribendum, & alter ad citharizandum, & tamen idem ſemper calamus eſt: ergo. Reſpondet Scotus, argumentum hoc nil probare; ſolum enim probat, quod literæ eædem maneant in ſe in comparatione ad quoſ-

quoſcumque vtentes; non autem probat, quod apud omnes maneant ſigna earumdem vocum, ita vt apud omnes ſignificent idem; vox enim, quæ apud aliquas gentes ſignificat bonum, apud alias ſignificabit malum, vel nil ſignificabit. Nec eſt inconveniens, voces ſic variari apud diverſos imponentes, cùm ſiant ſigna ex impoſitione, quæ poteſt eſſe diverſa apud diverſos.

44 Dices: ergo ſi vox eſſet à natura, eſſet quid idem apud omnes; ſed vox ſignificativa eſt ſignum naturale: ergo aliquid idem ſignificat apud omnes. Prob. min. Cuiuslibet virtutis naturalis eſt aliquod inſtrumentum naturale; ſed virtus interpretativa eſt virtus naturalis hominis, cum homo ſit animal ſociale, volens alijs exprimere, quod eſt apud ſe: ergo cum inſtrumentum illius virtutis ſit vox ſignificativa, hæc erit ſignum naturale. Reſpondet Scotus negando minorem. Ad probationem reſpondet negando, quod vox ſignificativa ſit inſtrumentum virtutis interpretativæ in homine; tale enim inſtrumentum ſunt guttur, & pulmo, quæ concurrunt ad formationem vocis. Adaptat Scotus exemplar in homine volente naturaliter fugere nociva: ex quo non ſequitur, quod ſit naturale inſtrumentum omne illud, quo fugit nociva, vtpote veſtimenta, arma, vel huiuſmodi alia; ſed ſolum illa dedit natura, vt inſtrumenta naturalia, quibus homo hæc, vtpote veſtimenta &c. poſſit ſibi præparare, nempè manus, quibus homo veſtimenta &c. poteſt per artem præparare: ſic pariter, ſicuti per manus veſtimenta præparare poteſt, poterit per rationem, & per inſtrumenta naturalia formandi vocem, aliqua imponere, quæ erunt ſigna ad placitum, non autem naturalia, ſive conceptus.

45 Dices, ſemper irrationabile videri, quod in primo mundi exordio, quacumque voce prolata, non devenirent audientes in agnitionem alicuius ſignificati; aliàs homines vociferarentur, quin aliquid perciperent: ergo dicendum venit, ſecundum rectum rationis modum, quod voces aliquod vnum naturale ſignificatum habeant. Reſpondeo, quod tunc prolata voce, intelligerent audientes ſpecialē aliquod ſignificatum; id tamen non procederet ex eo, quod vox foret naturaliter ſignum; ſed quia in primo mundi exordio, fortè Deus internè indiceret Adamo hanc, vel illam impoſitionem voci, quo pacto vox foret in ſignum, ſeu ſignum eſſet in voce, quin inde, vt patet, ſequi valeat, quod voci foret naturale eſſe tale ſignum; quia ſimiliter Deus poterat id providere circa alia, vtpote, quod poſito ramo perciperent videntes, quod prolata voce providit, vt perciperent audientes; & tamen inde non ſequeretur, quod rami ſignificatio foret à natura, ſicuti nec talia forent, quam plurima alia exercitia nūc habita, etſi tunc forent eorum à primo intuitu conſcij: ex quibus infero, quod ſi aliquæ voces forent naturales in quantum ſignant, vt plures exiſtimant de labio hebraico, omnes illis ſignis, & vocibus vteremur, vel perciperemus, tametſi in altera lingua fuiſſemus ab incunabulis edocti; quia quod à natura daretur, à nullo vlterius edocente poſſet impediri, vt patet de alijs naturalibus, & præcipuè de Logica.

46 Obijcies 2. Contra differentiam ex alia parte, vtpote, quod paſſiones, & res differant à vocibus, & literis propter vniformitatem. Si paſſiones apud omnes eſſent eædem, cum ducant in cognitionem rerum, ſequeretur, quod apud omnes eſſent eædem res cognitæ: ergo ſequeretur, quod omnes forent æquè ſcientes. Reſpondetur, quod ſi pro eſſe æquè ſcientes intelligatur, quod quid ex parte rerum, vt ſignificatarum, habetur, omnes illi, apud quos ſigna rerum adſint, erunt æquè ſcientes: vnde, ait Scotus in huius argumenti ſolutione, quod omnis paſſio eadem in ſe, apud cuiuſcumque mentem fuerit, eamdem rem repreſentat. Sin autem pro eſſe æquè ſciētes intelligatur, quidquid ex ſignante, & ex percipiente producitur, iuxta illud *ex obiecto, & potentia, &c.* certum videtur, quod ſic non ſint omnes æquè ſcientes, ſeu intelligentes, cum licet æquales ſint res ſignificatę intelligentibus, non tamen ſic ſint æquales potentiæ intellectivæ, quibus ſignificantur. Exemplificatur hoc in eadē ſpecie Solis, quę in quātum eſt ſimilitudo Solis æquè ſe habet apud Aquilam, & Noctuam; & tamen licet ſint æquè aſſimilantes, non autem ſunt æquè videntes: de quibus in proprio loco.

QVÆSTIO V.

Signi ſpeciales differentias ſufficienter inferens.

47 TAmetſi plurimis differentijs ſignum adſtruatur, at iuxta id, quod in titulo intendimus, ſolum de principalibus ſigni ſpeciebus reſolutiones formare determinamus; videlicet, de ſigno naturali, & ad placitum, de formali, & inſtrumentali; quorum dicenda breviter reſolvemus, vt dicta in quæſtionibus antecedentibus, cum dicendis in Diſt. ſequenti, citò confirmare poſſimus.

SIG-

SIGNI NATVRALIS, ET AD placitum conſtitutiva adaptantur.

48 Signum ergo, vt ex dictis liquet, non debet eſſe res ſignificata, ſed debet eſſe tale, quod licet res non ſit, rei tamen aliquod habeat indicium: vnde dignoſcitur, quod ſignum nil aliud exprimat, quam eſſe index, à quo potentia ducatur in alicuius rei agnitionem, apetiens viā potentiæ intentionaliter deambulativæ, tum radians, & imprimens lucem termini, tum connexivo fulgore, veluti manuducens illam, vt rem inveniat, dum à ſignis informata, rei per viam dederunt notitiam. Nil aliud poſſe eſſe ſignum invenio. Difficultas igitur ſtat pro nunc in hoc, quod eſt conſtituere ſignum naturale, vt ſigno ad placitum contrapoſitum, eorumque proprias rationes diſcernere.

49 Reſolvo ex dictis, ſignum naturale diſtingui à ſigno ad placitum penes hoc præciſé, quod ſignum naturale ſit vniforme, determinatum ad vnum, ſuam rationem de per ſe habens volitivo repugnante, intellectivo manente Eſt literalis apud Scotum, nec indiget probatione; explicabitur tamen. Dicitur vniforme; quia quæ naturaliter ſignant, habēt ſecundum ſe cum ſignatis, vel connexionem, vel conſonantiam; quare cum res ſemper ſint vniformes, & vniſormiter ſe habebit ſecundū ſe connexum, vt fumus, & ſecundum ſe conſonans, vt ſpecies: ex eiſdem dicitur determinatum ad vnum; quia cum ſignum ſit à natura index rerum, illud vnum ſignificatum, quod ſit in rebus, debet in ſignificando eſſe in ſigno. Vbi debes notare, quod dum dicimus, quod ſit determinatum ad vnum, non debet ſic intelligi, quod plura non poſsit ſignificare, quia fumus poteſt ſignificare ignem, & eius catentiam, nempé cineres, & ſic plura alia, & forté diverſa; ſed debet ſic intelligi, quod ita ad illud, quod ſignificat, ſit determinatum, quod in ſtabilitate ſignificandi ſit vnum; quod non habet ſignun ad placitum, quia quod ſignificat bonum vinum, poteſt ſignificare ſolum acetum. Qua propter dicitur volitivo repugnante, quia tametſi nulla adeſſet voluntas, ſpecies hominis non ſignificabit naturam aſini; ſicque ſola manente ratione, vſque ad vltimum actum poſſet ſignum compleri.

50 Ex dictis infero contra aliquos, & noviſsimé contra Dionyſ. Blaſco, vel nil dicere, vel malé reſolvere, ſignum naturale non differre ab ad placitum per independentiam ab omni voluntate; ſed quia ſignum naturale inſtituitur à Deo, vt ab Authore naturæ, & ad placitum inſtituitur pro libito ſuo. Oppoſita videtur reſolutio; quia vel eſt pro libito Dei, quod ſpecies hominis ſignificet hominem, vel non? Si ſic: ergo eſt ſignum ad placitum, ac per conſequens nullum dabitur ſignum naturale. Si non: ergo malé dicitur, quod inſtituitur à Deo; quia ſic etiam poſſet dicere, quod à Deo, vt à definiente, fuit animal rationale inſtitutum, vt hominis definitio, & quod mendacium, odium Dei, &c. fuerūt inſtituta vt mala; quod omne eſt falſum, vel ſummé improprium, cum adhuc independenter à voluntate Dei non poſsit homo non eſſe animal rationale, nec ſpecies hominis in omni dependentia ab illa poſsit ſignificare aſinum, & ſic de alijs: ergo.

51 Infer deinde, qualiter ſint adaptandæ definitiones ſigni naturalis, & ad placitum. Exiſtimo ergo, quod vt quilibet rectam definitionem conſtruat circa vtrumque ſignum, non eſt neceſſe aliud, quam ſupra definitionem ab ipſo pro ſigno vt ſic ſtabilitam, addere ex diſtinctivis ſupra adductis, quæ ſufficere perpendat. Signum igitur naturale poterit explicari, per eſſe id, quod potentiæ perceptivæ aliquid vniformiter ſecundum ſe manifeſtat. Signum veró ad placitum poterit explicari, per eſſe id, quod potentiæ perceptivę nil vniformiter ſecundum ſe manifeſtat. Conſtat ſuperius de horum additorum explicatione. Solum noto hinc, notanter me poſuiſſe *potentiam perceptivam*; quia actus, tam ſenſus interni, quam externi, ſunt etiam ſigna formalia, relinquentes ſuas potentias percipientes obiecta; ſicque ratio ſigni non debet ſalvari ſolum verſus potentias intelligentes; nec etiam extendi tantum, quod alijs à percipientibus competat, vtpote appetitivis, quorū actus potius ſunt impulſus intentionales ad obiecta, quam eorum repreſentationes. Item exiſtimo dicendum reſpectu voluntatis, reſpectu cuius nullum dabitur ſignum, ſaltim in communi Philoſophorum opinione, tenentium, voluntatem eſſe potentiam cæcam; quia reſpectu cæci, nullum poteſt dari ſigni exercitium; cæci inquam, & ſurdi; voluntas enim nec rationaliter videt, nec rationaliter audit, prout communiter circa eam philoſophatur. Sin autem voluntas perceptiva ſit, vt forté defendam in lib. de anima, tunc etiam ſignum circa voluntatem exercebitur. His ita

52 Reſtat nunc pro complemento huius expoſitionis explicare rationem ſpecialiter ſig-

Digitized by Google

ſignum adplacitum conſtruens,vtpote,an ratio ſigni ad placitum ſit ſigno aliquod prædicatum reale,intrinſecum, vel extrinſecum, abſolutum, vel relativum? Circa quod iuxta mentem Scoti in 4.*d*.1.*q* 5. exiſtimo reſolvendum, præexpoſitam rationem ſigni ad placitum, formaliter ſtare in relatione rationis ad rem ſignificatam,derivatam ab actu voluntatis inſtituentis aliquid in ſignum, vt ab efficiente, & actum rationis requirente, vt conditionantem inſtitutum. Ita omnes illi Scotiſtæ, qui in *libro* 1. circa eſſe obiectivum rationis nobiſcum conſenſerunt, quorum,hic, & ibi Antonius Groſſo *Diſſert.* 18. *Elucid. vlt.* Suaderi poteſt reſolutio omnibus illis, quibus in *lib.* 1. feré per totum diximus, quod nullum eſſe permanens in obiectis ab actu intellectus derivatum erat reale: ergo nec reale erit vllum eſſe ab actu voluntatis conſimiliter in obiecta derivatum. Dixi non reale;quia vt recté ibi notat Scotus,eſſe quod tantum habet eſſe ex voluntatis tendentia, nec poteſt proprié dici reale,nec rationis;ſed non reale.

53 Suadetur hinc;quia ab actu voluntatis derivatur aliquid in obiectum, vtpote eſſe ſignom; ſed illud non poteſt eſſe reale: ergo. Maior eſt certa; quia ſi nullus voluntatis daretur actus, nulla ſignatio beneplacita daretur in obiecto. Minor prob. primo; quia id, quod derivatur in obiecta, ſolum habet eſſe à voluntate: ergo illud non poteſt eſſe reale. Prob. anteced. quia non poteſt eſſe reale id, quod tantum habet eſſe in intellectu: ergo neque illud, quod tantum habet eſſe à voluntate. Prob conſequen.ex eo ea,quæ tantum habent eſſe in intellectu, præter actus ipſos intellectus,ſunt entia non realia, quia extra conſiderationem intellectus,nullum relinquitur eſſe; ſed nullum eſſe ſigni ad placitum relinquitur in obiectis extra inſtitutionem voluntatis: ergo.Secundo prob.min.quia in his,quę habent eſſe ab actibus voluntatis, & intellectus, vt à cauſis, illud eſſe dantibus, non poteſt intelligi maius eſſe, quam in cauſis ipſis; ſi enim actus intellectus non habeat eſſe reale in linea cognoſcentis, liberé dicetur, quod obiectum, eſſe reale habeat in linea cogniti; ſed actus ille voluntatis, qui per inſtitutinoem dedit obiecto eſſe ſignom, nullum eſſe reale habet: ergo multó minus ſignum. Prob. min. quia actus ille non eſt à parte rei, ſed fuit: ergo nullum eſſe reale habet, ſed habuit; ſed ſignum non ſolum habuit eſſe ſignum, ſed eſſe ſignum habet: ergo quia licet quod habuit, foret reale,quod habet ſolum poteſt eſſe rationis.

54 Dices,quod actus voluntatis inſtituentis ſignum, manet moraliter; quod ſufficit ad hoc vt realis denominatio ponatur in ſigno. Contra; quia quomodolibet percipiatur illud eſſe morale actus, nunquam poteſt aliter percipi, quam habens eſſe tantum in exiſtimante illud; quia ſi exiſtimaretur contrarium, nil vltra ſignificaret: ergo quomodolibet ſit reale, ſic erit reale, quod ſecum componat ſtrictum eſſe cuiuſvis entis rationis. Deinde, quia poſſet in ſignum, aliquod ens rationis inſtitui, necnon exiſtimari, quod aliquod figmentum, quod Reipublicæ fuit nocivum, adhuc durabat;& tamen illud eſſe moralitatis, nunquam illud ens ab ſtrictiori eſſe rationis abſtraheret:ergo.

55 Itaque diximus, requiri actum intellectus conditionantem inſtitutum; quia ad rationem ſigni ad placitum non ſolum ſufficit voluntas, ſed requiritur de connotato intellectus; quia abſque ratione ex parte exiſtimantis, non haberet ſignum eſſe tale *in actu primo expedibili*, vtpote ſi Princeps aliquid interné inſtitueret in ſignum, tollens deinde quod ad notitiam aliquorum deveniret;quare effici ſolet publica inſtitutionis intimatio, ita vt voluntas maneat,quouſque ipſius exiſtimatio perſeveret; *Sicque ſignum habet eſſe à voluntate exiſtimata*: vtrumque requiritur; quia ſi hodie Matriti inſtitueretur à Principe, quod rami non ſignificent vinum Cæſarauguſtæ, dum anno tranſacto vinum ſignificeare inſtituerit, rami erunt Cæſarauguſtæ ſigna, quia etſi detur hodie contraria voluntas, non tamen exiſtimatur: requiritur ergo voluntas, exiſtimationem connotans, modo ſit voluntas efficiens, & exiſtimatio, conditio. Debes etiam hinc præcavere, quod vt ſignum ad placitũ tale ſit, ſufficit *negativa exiſtimatio*, hoc eſt, qood licet non ocurrat ipſa inſtitutio, vt dum viſo ramo ſignificatur nobis vinum, inſtitutionis immemores, necnon omnibus hominibus conſopitis; ſed tamen ſufficit, quod nec nobis occurrat poſitiva inſtitutionis derogatio, quæ dicitur non contramotio, quæ ſufficit ad alia maioris vtilitatis, v.g. ad actum fidei, cui ſufficit, apud aliquos, non contramotio voluntatis.

56 Deinde, quod tale eſſe rationis, ſeu non reale ſit relativum, ſatis claré deducitur; quia totum eſſe ſignificantis, vt tale, eſt in ordine ad ſignificatum; non enim poteſt ab aliquo aliqua ratio ſigni intueri, quin concernat aliud, vt patet in omnibus indicibus, à quibus ſi concernentia auferatur, auferetur & indicatio: ergo cum ſignum ſit rerum index, formaliter ſtabit in relatione, quam dicit

Digitized by Google

ad rem, quam indicat. Et ſi non, diſcurrat aliquis, qualiter ablata, & non intellecto reſpectu poterit ex vno duci in agnitionem alterius, quicumque ille reſpectus ſit. Notandum tamen eſt hinc, quod ſignum ad placitum poteſt conſiderari in ordine ad actum inſtitutionis beneplacitæ, & in ordine ad ſuum ſignificatum: ſignum formaliter conſideratum, conſtituitur per ordinem ad ſuum ſignificatum; effectivé veró per ordinem ad actum inſtitutionis. Expoſitio huius diſtinctionis ſatis deducitur; quia ſignum debet habere ſuum efficiens, ſicuti quodlibet aliud, & ipſius efficiens, ſolum actus inſtituens poteſt eſſe; ſed nil in ſuo eſſe formali conſtituit per ordinem ad efficiens, vt patet de forma, & quocumque alio, inſpecto in ordine ad agens: ergo. Confirmatur totum in actu intellectus, non habentis formaliter eſſe expreſsivum obiecti ab intellectu, à quo vt ab agenti producitur: ergo neque ſignum habebit formaliter eſſe ſignificativum ab actu, à quo, vt ab efficienti, inſtituitur. Alia quam plurima ſolent hinc excitari; parum conſultó curo, quia vel de nomine, vel inutilia.

SIGNI FORMALIS, ET INSTRVmentalis conſtitutiva adaptantur.

57 Communiter ſolet ſignum inſtrumentale diſtingui à formali ex eo, quod iſtud non cognitum ducat in cognitionem ſui ſignificati, & aliud, ſolum prius cognitum ducat in illud; cui applicatur illa Auguſtini definitio, videlicet, *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit nos aliud cognoſcere.* Circa quod exiſtimo, quod licet talia ſint ſigna formalia, & inſtrumentalia, prout prædictis definitionibus explicantur; re tamen bené inſpecta, nunquam à priori exponitur ratio, ex qua vnum ſignum habeat eſſe inſtrumenti, & aliud eſſe formalitatis; dicere enim præcisé, ſignum inſtrumentale eſt quod cognitum, & ſignum formale eſt quod non cognitum, videtur ſine vlteriori combinatione terminorum, grata, & libera ſignorum diſtinctio: requiritur ergo, quod exponatur primum, & proportionale motivum, à quo inſtrumentaliter, & formaliter ſigna denominantur.

58 Sentio igitur, quod ſignum nominari inſtrumentale, debet, ſi apté, & proprié philoſophetur, deduci ex ipſa ratione principij inſtrumentalis, ita vt ex eo, quod ſignum inſtrumenti ſequatur proportionem, ſigni ratio per inſtrumentalem differentiam contrahatur. Inſtrumentum igitur ſolet communiter dici, quod etſi iuvet, & tendat ad effectum, non tamen per vim propriam, ſed per virtutem alterius, ita vt licet abſque inſtrumento non perveniret agens ad poſitionem operis, ſeu effectus, ſed tamen dignoſcitur, quod in effectu nil correſpondeat inſtrumento, ſed virtuti propriæ, vel clarius, cauſæ formali: Sic ergo philoſophando, (permiſſa nunc voce cōmuni inſtrumenti, quia ſi exacté ſit eius ratio examinanda, plures difficultates conſumi deberent) aliquod ſignum dicitur inſtrumentum, v.g. fumus, qui licet ſit requiſitum, & medium neceſſarium, vt agens intellectivum producat intellectionem ignis, ita vt tunc ſine illo non poſſet pervenire ad poſitionem operis intellectualis; ſed tamen dignoſcitur, quod fumus ſit inſtrumentum repreſentationis ignitæ, eo quod per virtutem propriam ipſius non producatur effectus ſignificati cognitio, ſed producitur per virtutem fumo formaliter alienam, nempé, per virtutem ſpeciei ignis, à fumo, veluti ab inſtrumento, motam; cui ſoli ſpeciei correſpondet deinde effectus ſignificatus, quin eius aliquid directé fumo correſpondeat.

59 Quod enim fumus ſolum in virtute principalis (idem diſcurre circa quæcumque alia inſtrumentaliter ſe habentia) influat in cognitionem ignis, convincitur; quia ſi aliquis ignitæ naturæ foret inſcius, ita vt ab ipſa nullam derivatam ſpeciem habuiſſet in anima impreſſam, certiſsimum eſt, quod in fumo nulla foret lux à qua intellectus illuminatus poſſet in cognitionem igniti devenire: ergo dum intellectus cum fumo in igniti cognitionem devenit, certiſsimum videtur, id provenire ex eo, quod fumus inſtrumentalizat ex motu connexionis, ſpeciem ignis, in cuius propria virtute dumtaxat in cognitionem ignitam devenitur. Patet; quia ſi aliunde intellectui ſpecies ignis vniatur, ſufficit virtus ſpeciei comprincipio intellectivo, vt ad ignis cognitionem formalem perveniat: ergo ſi fumus virtute propria, veluti cauſa principalis, cum intellectu concurreret, foret indefectibile, quod tametſi ignis natura non cognoſceretur tunc, deveniret tamen intellectus ex fumi vnione in cognitionem illius.

60 En ex quo, vt à priori, dici poteſt, quod ſignum inſtrumentale eſt, quod cognitum ducit, ſecus autem ſignum non inſtrumentale; cum enim ſignum non inſtrumentale habeat in ſe vim propriiſsimam, & deinde ſit in

in virtute hac ipſum ſignificatum, quia ſignificatio expreſſa eſt virtualiter eadem v. g. cum impreſſa, ſiquidem in ipſa relucet ipſa; inde eſt, quod non cognito ſigno non inſtrumentali, ſed intellectui intentionaliter vnito, eſtó intellectus producat aliquid ex illo, cum effectus ab ipſo ſigno productus ſit ipſius rei ſignificatæ expreſsio, debet ſine illius cognitione in notitiam ſignificati devenire. At veró cum ſignum inſtrumentale, v.g. fumi ſpecies, in virtute propria non contineat directé ignem, ſed naturam fumi, inde eſt, quod non cognito fumo, ſed tantum eius ſpecies vnita intellectui, ſolum deveniet in fumi cognitionem, reſpectu cuius, ſpecies fumi non erit inſtrumentale ſignum; ſed deinde poſita cognitione fumi, excitatur ſpecies ignis, in cuius virtute, vt inſtrumentum, ducit in cognitionem ignis. Et ratio eſt; quia illa exigua, & diminuta præſentia principij, qua producitur proprium, quia in illa præſentia principij eſt iam viſceraliter impreſſum, & incluſum, non debet produci, & ex illo præſentiæ modo deduci etiam extraneum; aliàs foret æqué proprium: quare cognitio expreſſa fumi v.g. cùm non poſsit produci, & haberi alia leviori, & minori præſentia principij, quam ſic, quod principium, vtpote ſpecies fumi, influat non cognita, ſed ſimplici modo intellectui vnita, dum nil minus requirat effectus proprior, qui eſt cognitio fumi, effectus extraneus, & non ſic proprior, qui eſt cognitio ignis, aliquid plus requiret; ac per conſequens, ſi non cognito fumo devenitur in fumi cognitionem, erit neceſſarium, quod cognito fumo deveniatur in cognitionem ignis; & ſimiliter non requiretur, quod cognito ſigno formali ignis, in ignis cognitionem deveniatur.

61 Tota præexpoſita diſtinctio deducitur præcisé ex ipſis rationibus inſtrumentorum, & principalium; ex maiori enim, vel ex minori vniformitate cum effectibus, maior, vel minor cognitionum expreſsio derivatur. Hoc omne recté agnovit D. Auguſt. dum exponendo ſignum inſtrumentale dixit, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit nos *aliud* cognoſcere. Aliud enim eſt ab inſtrumento, quod ab inſtrumento derivatur; quæ alietas non ſic ab alijs deducitur; quia licet aliquomodo poſsit dici, quod ſpecies expreſſa ſit alia ab impreſſa, ſed tamen non poteſt congrué loquendo dici, quod id, quod cognoſcitur, ſit aliud ab eo, quod imprimitur; at ſic aliud poteſt dici reſpectu cauſæ inſtrumentalis; quia ignis cognitus, alius eſt à fumo, à cuius cognitione depromitur.

62 Ex dictis ergo manifeſté infertur, qualiter circa rationes ſpeciales ſigni formalis, & inſtrumentalis ſit philoſophandum. Itaque dico, ſignum inſtrumentale poſſe explicari per eſſe id, *quod potentiæ perceptivæ aliud in virtute alterius manifeſtat, ſeu quod nil mediaté potentiæ perceptivæ ingerit*, ſeu *quod cognitum in alius cognitionem ducit.* Quælibet prædictarum explicationum ſufficit, & iuxta ſuperius expoſita, validé poteſt adaptari. Deinde ſignum formale é contra congrué explicari valebit: in cuius explicationis ſenſu debes notare, ſpeciem impreſſam, & quodcumque aliud principium, cuius vnio cum intellectu ad notitiam effectus immediatam ſufficiat, poſſe dici ſignum formale, vt ſigno inſtrumentali ſtricté contrapoſitum.

63 Dubitabis, an ſignum formale poſsit ſortiri rationem ſigni inſtrumentalis, etiam reſpectu rei, quæ ipſius ſigni formalis fuit inſtrumentum? Reſponderi poteſt affirmativé ſecundum ſuperius dicta; quia ſicuti fumus immediaté ſolum ducit in cognitionem eius, & ex connexione ad ſpeciem ignis, ducit mediaté in ignem; ſic ſpecies ignis, quæ immediaté ducit in ignis cognitionem, poterit ex aliqua connexione ad fumum, in fumi cognitionem ducere; ſicuti enim ad inferendum ignem ex fumo requiritur, quod fumus cognoſcatur prius, ſic ad inferendum fumum ex igne requiritur, quod ignis prius cognoſcatur; & ſicuti dum per fumum cognoſcitur ignis, fumus ſolum excitat ſpeciem, in cuius virtute ignis ſplendor exprimitur, ſic dum per ignem cognoſcitur fumus, idem virtutis modus in concurrendo percipitur: ergo ſpecies ignis, quæ eſt ſignum principale reſpectu igniti, poterit intelligi vt inſtrumentale reſpectu fumigantis.

64 Nec obſtare videtur aliquid reſponſio aliquorum RR. quibus conſentire innuit Mag. Diony. vtpoté, principium, quod eſt cauſa, eſſe id, ex quo à priori cognoſcitur aliud, & principium, quod eſt effectus, eſſe id, ex quo à poſteriori aliud cognoſcitur, v.g. ignis ex fumo cognoſcitur à poſteriori, & fumus ex igne cognoſcitur à priori: vnde dicitur, quod ſolũ illud, ex quo à priori cognoſcitur aliud, ſit ſignũ, v.g. cauſa; & é contra dicitur ab alijs, quod illud ſolũ ſit ſignum, ex quo aliud à poſteriori cognoſcitur; ac proinde aliqui negant, quod cauſa, v.g. ignis poſsit eſſe ſignũ; alij veró id de omnibus effectibus vniverſaliter repugnant. Sed hæc ſolatio nil profectó obſtat, vt in vtribuſque ratio ſigni

intelligatur; quia quod vnum ſit medium, & movens à priori, & aliud à poſteriori, non impedit, vt vtrumque ſit medium; ſed ſolum expedit, quod vnum ſit medium à priori, & à poſteriori aliud: ergo dum tam ſignum formale, ſeu cauſa, valeat eſſe inſtrumentum reſpectu effectus, & effectus id eſſe valeat reſpectu cauſæ, ita vt primo cognito cognoſcatur ſecundum, & ſecundo cognito cognoſcatur primum, non impedier, vt vtrumque ſit inſtrumentum, etſi à priori vnum, dum à poſteriori aliud. Sic etiam datur differentia inter ſigna, & motiva formalia, vtpote, quod ſint ad invicem media, etſi vnum à priori, & aliud à poſteriori; v. g. riſibile eſt medium à poſteriori ad inducendum rationale, & é contra rationale eſt medium à priori; ſed id nil obſtat, vt vtrumque ſit motivum formale intellectus: ergo nec aliquid obſtabit, vt idem dicatur de inſtrumentis ad invicem, etſi dicatur à priori de vno, & à poſteriori de altero.

DISTINCTIO II.

De ſignificato nominum ad enuntiationem comparato.

1 EGIMVS in præcedentibus de ſignificato nominum ſecundum ſe, & ſecundum ſimplicem ſignificationem rerum, an, ſcilicet res, vel paſsiones ſignificarentur, abſtrahendo ab abſoluta copulatione eum ſuppoſitis: nunc ergo inquirimus de ſignificato nominum prout ad ſuppoſita, & vnionem ad ipſa comparato; videlicet, quo pacto in enuntiando terminum ſignificatum de ſubiecto, debeat intelligi enuntiationis formatio, vt veræ, vel falſæ quamplurimæ propoſitiones dignoſcantur.

(?)

QVÆSTIO I.

De veritatis enuntiativa conſiſtentia.

2 ETſi ab hac quæſt. præſentem diſt. nos incepturos fuiſſe videatur; tamen cum ex nominum, vocumque ſignificato, præcipua puncta veritatis enuntiativæ dependeant, ideo conſulto plures Scoti ſpeciales doctrinas prævidere decrevimus, vt illis expoſitis, circa hoc non parum tenebroſum quæſitum, aliquam habere lucem poſſemus.

3 Quod igitur hinc examinare intendimus eſt, in quo conſiſtat propria, & ſpecialis enuntiationis veritas. Diximus *enuntiationis veritas*, vt intelligatur, quod de veritate tráſcendentali non alloquamur; ſed ſolummodo de veritate formali, vtpote de illa, quæ datur in ſignificatione ipſorum actuum intentionalium, prout ex mentis determinatione tendunt ad ipſas res in ſe intrinſecé veras, eas intelligibiliter attingendo: ex quo reſultat inde in actibus, ſeu attingentijs, quod veri, vel falſi dicantur intentionaliter, & formaliter, cum ſic non ſint veri, vel falſi ex his, quæ in ſe intrinſecé habent, vel non habent; ſed ſint veri ex his, quæ habentur, vel non habentur ab alijs: vnde talis veritas ex eo dicitur enuntiationis, quia actus non ſunt formaliter, & intentionaliter veri in eſſendo, ſed in enuntiando; non enim ſic ſunt veri ex eo, quod ſunt in ſe, ſed ex eo, quod eſſe in alijs enuntiant; quapropter talis veritas dicitur veritas ſignificationis, intentionis, & repreſentabilitatis; ſolum ſiquidem ſignificando, & cognoſcendo poterat aliquid eſſe verum ab illo, quod non eſt ipſum, ſed imó eſt aliud ab ipſo; tranſcendentaliter enim, & intrinſecé nullum ens eſt verum, niſi ab eo, quod in ipſo eſt intrinſecé vnum; quod derivatur ex eo, quod nullum poſsit eſſe aliud ab illo, quod eſt ipſum, ſin autem poſsit repreſentare, quod ſit aliud ab ipſo. Ideo igitur veritas formalis eſt veritas ex correſpondentia ad aliud, quod ſignat, intelligit, intentionalizat, &c. & vt vnico verbo dicam, ſic de hac veritate eſt philoſophandum in enuntiatione, ſicut de vnitate vniverſali fuit philoſophatum in nomine, vtpote de illis, de quibus fuit dictum, quod non in eſſendo, ſed in ſignificando vniverſalia reſpiciebantur.

4 His ita, præcipua quæſt. difficultas ſtat in examine veritatis prædictæ conſiſtentiæ: circa quod varij ſunt exponendi modi. Aliqui exiſ-

exiſtimant, veritatem formalem, ſeu repreſentationis ſtare in conformitate cum intellectu divino, ita vt tunc ſit cognitio noſtra formaliter vera, quando dijudicet de re, ſicuti intellectus divinus; quia conformitas noſtræ voluntatis cum divina eſt eius bonitas: ergo & conformitas noſtræ cognitionis cum divina erit eius veritas. Alij exiſtimant, veritatem enuntiativam non ſtare vniverſaliter in ordine ad aliud, quod ſit res, cum teneant, veritatem enuntiationum prolatarum ſtare in conformitate ad mentem; veridicus enim dicitur, qui mentis ſuæ conceptum ſine fictione explicat. Alij dicunt, nil debere in hoc immorari, ſed firmiter reſolvendum, quod ad veritatem cuiuſvis enuntiationis ſufficiat illud eſſe, quod ipſa ſignificat. Alij verò firmiter ſtabiliunt, quod veritas enuntiationis ſtet in conformitate cum re, quàm enuntiat; ſed in hoc vero dicendi modo, magna viget controverſia; videlicet, an veritas enuntiationis ſtet formaliter in conformitate conceptus obiectivi, & repreſentati cum conceptu phyſico, reique ſtatu, quem habet extra intellectum; an verò ſtet in conformitate cognitionis, ſeu actus formalis cum re cognita, & repreſentata, vt repreſentata.

5 Vt ergo capiatur difficultas ex his vltimis dicendi modis, debet notari, quod tenentes veritatem formalem cognitionis ſtare in conformitate obiecti intentionaliter exiſtentis cum ſe ipſo, vt exiſtente a parte rei, aſſerunt, quod actus intelligendi non aſsimilatur obiecto externo in eſſendo, vt de ſe patet, ſed nec in repreſentando; quia cum ipſe ſit quædam actio phyſica, non repreſentat obiectum externum, ſed repreſentare convenit ideæ, ſeu idolo, & verbo formato ab actu intelligendi, quia hoc ſolum intentionaliter eſt ipſum obiectum: vnde inferunt, quod veritas ſolum conſiſtit in conformitate talis verbi cum obiecto externo; ita vt veritas primariò, & de per ſe ſolum ſit in conceptu obiectivo, & repreſentato, eſtó iſte ſit conformis cum re, quæ exiſtit extra animam, eiuſque eſſe phyſico. Tenentes verò aliam partem, aſſerunt, quod veritas noſtræ cognitionis primariò, & de per ſe conſiſtit non in conformitate conceptus obiectivi, & repreſentati cum phyſico, & externo; ſed in conformitate ipſius cognitionis cum re ſibi obiecta. Pro prima opinione ſunt Durandus in 1. *diſt.* 19. *q.* 5. Herveus *quodl.* 3. *q* 1. *art.* 2. & 3 Vazquez *tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 16. *art.* 2. & noviſsimé Dion. Blaſco *lib.* 6. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 4. §. 3. vbi etiã literalem adducit ſuum Doctorem Reſol. Pro altera extãt D. Thom. Caietan. Ferrariẽ. Ægid. Soncin. Albert. Mag. Suarez, & plures alij, quos citat, & ſequitur Lynceus Ieſuita *lib.* 10 *trac.* 1. *c.* 2. Circa quos dicendi modos exiſtimo, non eſſe parum de nomine, vel de æquivoco: vt ergo eos veritate reſtringam, Scotum conſulã, cuius menti præſtabo fidem, & ex pluribus ipſius reſolutionibus veritatem formalis veritatis inferendam, relinquam.

ART. I.

IVXTA VERIOREM SCOTI doctrinam formantur reſolvenda.

6 RESolvo 1. Vrritatem noſtræ cognitionis non ſtare in conformitate eius cum intellectu divino. Eſt expreſsé Scoti in locis infra citandi. Suadetur 1. quia veritas noſtræ cognitionis eſt ab eo, quod res eſt ex Philoſopho *c. de ſubſtant. & in poſtpræd. c. de priori.* ſed ſi cognitio foret vera ex conformitate cum intellectu divino, non foret vera ab eo, quod res eſt, ſed ab eo, in quo res eſt, ſeu ab eo, à quo res cognoſcitur: ergo. Secundo; quia veritas debet à priori ſtare in conformitate illius, à quo vltimó, & eſſentialius quieſcit actus verus; ſed facta reſolutione per locum intrinſecum, intellectus divinus non eſt vltima quies actus veré tendentis; ergo. Prob. min. quia ſi non repugnaret, quod intellectus divinus cognoſceret rem aliter ac eſt in ſe, adhuc tendentia noſtræ cognitionis haberet terminum, in quo veré poſſet quieſcere, ita vt rei conformis, nunquam poſſet verior eſſe: ergo. Exponitur veritas ſuppoſitionis; quia ſi cognoſcimus de facto, & per locum veritati extrinſecum, quod noſtra cognitio ſit vera, quia divinæ conformis, deducitur ex eo, quod intelligamus, divinã cognitionem cognoſcere rem vt eſt: ergo cognoſcere debemus, quod eſſe rei eſt à priori, & per locum veritati intrinſecum, vltimum quieſcens, in quod veritas reſolvitur. Tertio; quia circa id enuntiatio debet eſſe vera, circa quod eſſe, vel non eſſe enuntiat; ſed nullus enuntians hoc, vel illud eſſe, attingit, ſignificat, aut repreſentat divinam cognitionem: ergo. Quarto; quia non eſt infallibiliter verũ, quod entia rationis ſint in intellectu divino; ſed eſt infallibile, quod poſſum veré tendere circa ens rationis, habens eſſe in meo: ergo Quinto; quia voluntatis actus non ſunt ab intrinſeco recti ex conformitate ad voluntatem divinam, ſed ad tranſcenden-

dentaliter bonum: ergo nec actus intellectus erunt intrinſecé veri, niſi ex conformitate ad tranſcendentaliter verum. Vnde ad illud, quod cõformitas noſtræ voluntatis cum divina eſt eius bonitas, dicitur ita eſſe, ſi de bonitate morali intelligi queant. Tandem confirmando ſecundum; quia is actus eſt verus, v.g. *ſi elicerem actum rei conformem, etſi non conformem menti divinæ, verum actum elicerem*; iſte verò eſſet falſus: *ſi elicerem actum conformem menti divinæ, & non rei, verum actum elicerem*. Sic Scotus *in* 1. *Prior. q.* 3. conformat veritatem eorum, quæ non ſunt, ſed eſſent, imó & impoſsibilium; nullum enim eſt ens, quod ab aliqua regula non metiatur.

7 Reſolvo 2. Opinionem tenentem, veritatem enuntiationis ſtare in eius conformitate ad mentem, eſſe vniverſaliter falſam. Ita propenſius Scotus tam *in* 1. *Periherm. q.* 2. *&* 3. *quam in* 1 *Prior q.* 3. Prob. in primis, omnibus illis, quibus ſupra in *diſt.* 1. *q.* 2 & alibi iuxta Scoti problema propugnavimus, quod nomina, non actus, & ſpecies mentis, ſed res ſignificabant. Secundo ex eo, quod verior propoſitio poſſet eſſe falſa, v.g. ſiquis exiſtimaret firmiter vt Arrius, quod Verbum non erat Deus, & diceret Verbum non eſt Deus, hæc propoſitio foret vera, quia mentali conceptui conformis: ergo. Tum etiam; quia adhuc veritas fidei noſtræ non ſolum ſalvatur penes nudam conformitatem ad mentem divinam, vtpote prout fallere non poteſt; ſed requirit vlterius, quod nec poſsit falli, hoc eſt, quod rem vt eſt in ſe percipiat: ergo multò potius ad veritatem noſtræ cognitionis requiretur, quod non ſolum ad mentis conceptum, ſed ad obiecti realitatem vertatur. Itaque ſatis clarum videtur, quod aliud ſit orationem eſſe veram, & aliud, eſſe veracem; vera enim ſemper eſſe debet à re, ſicuti verax à mente: vnde infertur, quod veracitas ſit affectio ſeparabilis à veritate, & é contra; quia poterit aliqua propoſitio eſſe vera abſque veracitate, ſicuti & eſſe verax abſque veritate.

8 Reſolvo 3. opinionem tenentem, enuntiationem eſſe veram ex conformitate ad rem, quæ eſt eius terminus, eſſe vniverſaliter verá. Eſt Scoti expreſſa, & vſque adhuc infertur ex reſolutione ſecunda, & ſine alia reſtrictione communiter amplectitur. Suadetur breviter; quia ſive veritas ſtet formaliter in cognitione, ſive in eſſe obiectivo rei, debet dicere conformitatem, vt cognitio, vel eſſe obiectivum ſit formaliter, ſeu intentionaliter verum; ſed neutrum poteſt dicere conformitatem ad aliud, quin tale aliud ſit obiectum, vel cognitionem, vel eſſe obiectivum terminans: ergo. Maior videtur certa; quia ablata conformitate à cognitione, ſive ab eſſe obiectivo, nil vltra manet, quod verum tranſcendentaliter non ſit, cum iam non ſit verum ex eo, quod repreſentando conformat, ſed ex eo, quod eſſendo habet: ergo conformitas cum alio eſt veritatis formalis requiſitum. Minor etiam deducitur; quia cognitio eſtó conſideretur ex conformitate ad aliud vera, nullum aliud poteſt habere aptius, cum quo conformetur, quam illud, ad cuius normam & conformitatem fuit producta, & expreſſa; ſed nullum aptius quam eius obiectum, ad quod tendit, poteſt ad id ſignari: ergo. Idem eſt dicendum de eſſe obiectivo, ſeu repreſentato, prout obiecto externo conforme. Sed difficultas ſtat, in ſignando, quale ſit illud eſſe obiecti, ex cuius conformitate vera, vel falſa dicitur enuntiatio; cuius reſolutionem, aliis Scoti præveniam.

9 Reſolvo 4. quod ad veritatem propoſitionis cathegoricæ non requiritur, nec ſufficit illud eſſe, quod ipſa ſignificat. Hæc reſolutio eſt literalis apud Scotum in 1. *Prior. q.* 3. Suadetur ex ipſo quoad primum; quia hæc propoſitio, v.g. nulla chimera eſt hyrcocervus, eſt vera, & tamen non eſt illud, quod ipſa ſignificat: ergo. Suadetur quoad ſecundum, vtpote quod non ſufficiat; quia iſta propoſitio, Ariſtoteles fuit homo, eſt vera, & tamen non eſt illud, quod ipſa ſignificat, cum Ariſtot. non ſit: ergo ad veritatem propoſitionis non requiritur, nec ſufficit illud eſſe, quod ipſa ſignificat.

10 Reſolvo 5. quod ad veritatem propoſitionis non ſufficit, quod ita ſit, qualiter ipſa ſignificat. Ita literaliter Scotus, id probans in propoſitionibus de præterito, de futuro, & de poſsibili, necnon de aliquibus propoſitionibus neceſſariis, quæ omnes ſunt veræ, & tamen non eſt ita, qualiter iſtæ omnes ſignificant. Sed vt intenta reſolutio Scoti nulli perfecté philoſophanti opponatur, eſt exponenda cum regulis ab ipſo Scoto adductis. Regulat primo, quod ad veritatem propoſitionis cathegoricæ affirmativę, & de præſenti, necnon de ineſſe, requiritur, & ſufficit, ita eſſe, qualiter ipſa ſignificat eſſe: v.g. ad veritatem iſtius propoſitionis, *homo currit*, ſufficit ita eſſe, qualiter ipſa ſignificat eſſe. Regulat 2. quod ad veritatem propoſitionis affirmativæ de præterito, ſufficit ita fuiſſe, qualiter ipſa ſignificat fuiſſe; vbi nunc noſces, quod non de-

debet ita *eſſe*, qualiter ipſa ſignificat, quia *ita eſſe*, dicit actũ eſſendi, & quod eſt, non examinbitur ab illo, quod ſignificat fuiſſe: vnde, ait Scotus, non requiritur ita *eſſe*, qualiter ipſa ſignificat; ſed qualiter ipſa ſignificat, requiritur, ita *fuiſſe*. Similiter regulat 3. quod ad veritatem propoſitionis affirmativæ de futuro, non requiritur ita eſſe, ſed ita fore, qualiter ipſa ſignificat; v.g. ad veritatem iſtius, *Antechriſtus curret*, non requiritur ita eſſe, ſed ſufficit, quod ille curret, qualiter ipſa ſignificat fore. Sic regulat 4. dicendo de poſsibili propoſitione, quod ex eo eſt vera, quia poteſt eſſe, qualiter ipſa ſignificat poſſe eſſe, v.g. *aliquid poteſt eſſe, quod nunquam erit*, ad cuius veritatem non requiritur ita eſſe, nec ita fore, nec ita fuiſſe, ſed ſufficit, poſſe eſſe qualiter ipſa ſignificat. Sic tandem regulat 5. quod ad veritatem propoſitionis de neceſſario, ſi ſit de præſenti, requiritur ſic eſſe de neceſsitate, qualiter ipſa ſignificat neceſſe eſſe; & ſi ſit de præterito, requiritur, ſic de neceſsitate fuiſſe; & ſic de alijs.

11 Notat deinde Scotus, quod, cum cuilibet propoſitioni affirmativæ contradicat vna negativa, eadem erit cauſa veritatis affirmativæ, & falſitatis propoſitionis negativæ, vtpote contradictoriæ, vnde ad veritatem propoſitionis negativæ de præſenti, & de inesse, ſufficit non ita eſſe, qualiter per affirmativam ſibi contradictoriam ſignificatur eſſe; & ſic eſt ſimiliter philoſophandum circa veritatem propoſitionis affirmativæ, vel negativæ de præterito, ſive de futuro &c. Patet igitur (inquit Scotus) vnde aliqua propoſitio eſt affirmativa, & vnde negativa; & vnde propoſitio habet cauſam veritatis, & falſitatis. His ita expoſitis, & reſolutis, reſolvendum venit vltimo, quodnam ſit illud, ex cuius conformitate, vel difformitate oratio ſit dicenda vera, vel falſa.

12 Circa hoc Scotus tam ſupra, quam in *q.* 2. 1. *Periherm.* iuxta propenſiorem mentis intelligentiam reſolvit, quod veritas, & falſitas non ſunt in ſigno niſi per ſignatum; veritas enim ſigni eſt conformitas eius cum ſignato, & falſitas difformitas: compoſitio ergo ſpecierum, vt ſunt ſigna rerum, non eſt iudicanda vera, vel falſa niſi à ſignatis: omnis ergo veritas cuiuſcumque propoſitionis, referenda eſt ad res, quia illæ ſunt vltimo ſignificatæ, & non ſunt ſigna aliquorum aliorum. Hæc Scotus, id probans ex eo, quod hæc propoſitio ſcripta, homo eſt animal, non dicitur falſa, licet hæc vox homo, non ſit hæc vox animal, & hoc, ex eo, quod tametſi literæ ſignificent voces, non tamen vt ſunt aliquid in ſe, ſed vt ſunt ſigna aliorum, & ita in omnibus his ſemper oportet recurrere ad vltimum ſignificatum. Per hoc patet, (inquit ipſe) quod veritas non eſt iudicanda, niſi penes vltima ſignificata, quæ ſunt res. Ex quibus infero, quod ſi Authores tenentes, quod veritas orationis ſtat in conformitate actus cognoſcentis cum re ſibi obiecta, pro re obiecta intelligant eſſe cognitum obiecti, ſeu ipſum intentionaliter exiſtens, non videtur vera dicere, quia eſſe illud obiectivum non videtur vltimum eſſe rei. Prob. vnica ratione, efficaci tamen; quia poteſt dari aliqua propoſitio conformiter ſe habens ad obiectum intentionaliter exiſtens, & tamen eſſe falſa: ergo. Prob. anteced. in hoc actu, *Petrus currit*, vbi etſi Petrus non currat, tamen eſſe obiectivum Petri currentis datur; quia curſus eſt cognitioni obiectus, & ſic eſt conformis cognitioni curſum repreſentanti, ac ſi foret verus: ergo. Id ipſum ſuaſit Scotus dicẽs, quod eſſe rei vt intellectum, ſemper manet; ſed eſſe rei, vt extra eſſe intellectũ conſideratum, poteſt variari: ergo oratio cõformis ad eſſe intellectum, ſeu obiectivum, poſſet eſſe falſa, cum in ſuo vltimo eſſe poſſet aliter eſſe. Vide dicta in *diſt.* 1. *quæſt.* 2. & 3.

13 Reſolvo igitur, veritatem formalem, ſeu enuntiationis ſiſtere in relatione ſigni ad rem in ſe, ſeu ad vltimum, quod ſignatum eſt; ita vt tunc debeat quævis enuntiatio dici vera, quando in re ſit id, quod enuntiatio ſignificat; & è contra, tunc debebit dici falſa, quando aliud ſit in re ab illo, quod eſt in ſigno, ſeu in annuntio. Ita literaliter Scotus vbi ſupra. Prob. in primis, quod ſit relatio; quia verum formale eſt ab eo, quod non eſt in ſe, iuxta Philoſophi phraſim: ergo eſt formale verum in ordine ad id, quod eſt in alio; ſed hic ordo eſt abſque reſpectu imperceptibilis: ergo. Prob. deinde poteſt ex his, quæ diximus in reſolutione 3. Quod ſit relatio ſigni, ſuadetur; quia verum formale non eſt verum in eſſendo: ergo eſt ſolum verum in ſignificando, quod eſt verum in eſſendo. Tum etiam; quia verum formale, ſolum eſt verum attingendo, quod in ſe eſt tale; ſed nec voces, nec actus mentis poſſunt attingere res, vt ſunt in ſe ſecundum ſuas entitates; quia nec vocalis, nec vitalis entitas poteſt Petrum currentem attingere, vt de ſe patet: ergo ſolum res attingent, quia eas ſignificant, & repreſentant. Enuntiatio itaque eſt ſignum formale obiecti, ſicque erit vera, ſi ſit ſignum infallibile; & è contra eſſe falſam, nil aliud erit, quam eſſe ſignum fallẽns; ſicuti

ex

ex eo quod fallat, vel non, ſignum inſtrumentale dicitur verum, vel falſum.

14 Dixi etiam in reſolutione, *ad rem in ſe, ſeu ad vltimum ſignatum*, ita vt pro vltimo ſignato intelligamus id, quod vlterius iam non eſt ſignum; quo pacto illa propoſitio, quę tantum habeat eſſe obiectivé in intellectu, poterit eſſe terminus veræ enuntiationis, v.g. chimera non eſt hyrcocervus; quia licet non ſit abſoluté res, quæ ſignificatur, ſufficit tamen, quod ſit vltimum ſignificatum, ex qua ratione vltimi, æquivalet ad veritatem enuntiationis omnibus illis rebus, extra animam enuntiationes formales verificantibus. Ratio eſt; quia firmitas veritatis, ex conformitate infallibili alterius deſumpta, debet tendere vſque ad illud, in quod vltimo reſolvitur; aliàs ſemper poſſet manere dubius intellectus de his, quæ enuntiat, vt ſæpé manet dubius de re non cognita in ſe, etſi in motivo obiecto cognoſcatur; dubitat enim, an ſit in ſe, ſicuti in motivo: ergo ſicuti veritas quieſcit in re, prout in ſe, quia eſt vltimus finis motus veridici, & primum principium veri intrinſeci, & tranſcendentalis; ſic dum aliqua enuntiatio tendat ad res, quæ in ſe non ſunt extra intellectum, dum tamen intra illum habeant vltimum eſſe ſignificatum, poterunt ſimiliter eſſe menſura plurium formalium enũtiationum. Hæc nota propter dicta in *q.* 1. & forté dicenda in *art.* ſequenti, videlicet, pro aliquibus propoſitionibus, quarum extremà, etſi termini reales ſint ex ſe, ſed tamen vt in prædicatione comparantur, ſunt abſtractione, & forma rationis informata; de quo dedi exemplar in natura vniverſali, vt poſitivé dicibili de omnibus; quo pacto eſt vltimus terminus poſitivus, & ab ipſius ſigno enuntiatus. Vide dicta ſupra in *q.* 1. *art* 3. in ſolutione ad 2. *verſ. & quia à primo intuitu, &c.*

15 His ita, circa vltimum, vtpote, an relatio ſigni ſit conformitas rei, vt exiſtentis in intellectu, cum ſe ipſa, vt exiſtente à parte rei, ita vt veritas formalis debeat eſſe in propoſitione eſſe obiectivum habente, non ſic clarum invenio Scotum, etſi eum Fr. Antonius Groſſo in contrarium exponere videatur *ex 6. Metaph. q. 3. & ex 1. d. 3. q. 3.* & alibi, necnon intentum probet aſſerendo, quod veritas propoſitionis obiectivæ, non ſit propria veritas, quæ ipſi competat ratione affirmationis, vel negationis peculiariter, taliter, vt à prædicato ſpecifico affirmandi, vel negandi deſcendat. Dat rationem; quia conformitas, & veritas propoſitionis obiectivæ conſiſtit in hoc, quod obiectum ſit in ſe, ſicuti habet eſſe obiectivum in propoſitione; & falſitas in hoc, quod non habeat eſſe, ſicuti habet eſſe obiectivum in propoſitione; ſed talis conformitas, vel difformitas non deſcendit peculiariter ab actu affirmandi, vel negandi, taliter, quod ſimiliter non deſcendat à quocumque alio actu repreſentativo, etſi affirmativus, aut negativus non ſit: ergo veritas propoſitionis obiectivæ, non eſt proprietas propoſitionis. Min. prob. quia obiectum ex eo, quod in ſe ſit, ſicuti per apprehenſionem repreſentatur, & ſicuti per picturam, ſeu imaginem, tam bené conforme dicitur illi eſſe obiectivo, quod habet per apprehenſionem, viſionem, aut imaginẽ, ſicuti poſsit dici conforme obiectum propoſitionis obiectivæ reſpectu habito ex illo, quod realiter eſt, ad illud eſſe obiectivum, quod habeat in propoſitione: ergo &c. ac per conſequens veritas, ſeu conformitas, quæ eſt proprietas propoſitionis erit in ipſa propoſitione formali, non veró in obiectiva.

16 Formata ratio non diſplicet ex motivo, deduci ſiquidem poteſt ex illo Scoti ſupra annotantis, quod cum cuilibet propoſitioni affirmativæ contradicat vna negativa, eàdem erit cauſa veritatis affirmativę, & falſitatis negativæ, &c. in quibus ſufficienter innuit Scotus, quod veritas, & falſitas enuntiationis, de quibus loquimur, debeant formaliter, & de per ſe percipi in illo eſſe, in quo de per ſe datur ſignum affirmandi, vel negandi; penes hoc enim differt conformitas, & veritas enuntiativa ab alijs conformitatibus ſimplicibus, & à forma diſcretionis, ſeu iudicij abſtrahentibus: ergo ſi validé ſubſiſtat, quod præfata ratio intẽdebat, vtpote, quod eſſe obiectivum, & repreſentatum, æqué ſe habeat ad obiectum prout in ſe in conformitate, ſive eſſe repreſentatum ſit apprehenſionis, ſive enũtiationis, recté deducetur, quod ſolus actus formalis ſit ſignum, in quo veritas enuntiativa conſiſtat, cum ſolum actus formalis ſit ſignum affirmans, vel negans. Dicent tamen, quod illud eſſe obiectivum, ex cuius conformitate ad obiectum externum enuntiatio dicitur vera, etiam diſtincté ſe habet reſpectu eſſe obiectivi imaginis, apprehenſionis &c. eo quod non ſit eſſe repreſentatum, & obiectivum vtcumque, ſed ſit eſſe obiectivum enuntiationis, & actui iudicativo correſpondens, ſicque aliqualiter innovatum, prout actus affirmans eſt fundamentum ad illud; quod ſufficit, vt eſſe derivatũ diſtinguatur ab eſſe obiectivo reliquorum ſignorum, vtpote apprehenſivi, inſtrumentalis &c.

17 Lynceus Ieſuita, citatus ſupra, id ipſum

Digitized by Google

ſum aliter ſuadet;ait enim exD.Thoma,Suario, & alijs,illud Ariſtot. *ab eo quod res eſt, &c.* expendentibus, quod ſi veritas non eſſet conformitas cognitionis cum re ipſa, ſed conceptus obiectivi,& repreſentati cum phyſico,& reali, ſola res cognita prout talis diceretur primarió, & de per ſe vera, & cognitio noſtra ſecundarió, quod eſt difforme dicto Ariſtot. *ab eo,quod res eſt,vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa*; deberet enim dicere, ab eo,quod res eſt vera, vel falſa, propoſitio denominatur vera,vel falſa; quod dictum foret contra Ariſtot. intentum. Deinde id ſuadet; quia conceptus obiectivus, & repreſentatus non diſtinguitur à phyſico, & reali; quod enim eſt phyſicé, & à parte rei, id eſt, & non aliud, quod cognitio noſtra repreſentat. Tum etiam; quia imago Cæſaris v.g. eſt vera, quia eſt conformis prototypo ſuo; non veró ex eo, quod eſſe aliquod repreſentatum Cæſaris, ab eo diſtinctum, quodam modo ſit ipſi ſimile,& conforme:ergo &c.

18 Prædictæ rationes,tametſi recto dictamine videantur expoſitæ, ſolventur facilé; quia extra eorum intentum. Dicent ad primam, quod ex eorum intento nunquam ſequitur illa Ariſtot. expoſitio;quia etſi eſſe obiectivum ſit id,in quo ſtet veritas,cum tamen eſſe obiectivum ſit verum, & non ab eo, quod eſſe phyſicum, & externum ſit verum, ſed ab eo, quod externum ſic *ſit*; ſolum ſequetur, quod eſſe obiectivum ſit verum ab eo, quod res eſt:itaque ipſi non ponunt aliam veritatem enuntiativam,quam veritatem conceptus obiectivi;qui conceptus non eſt res in ſe,ſed res in repreſentatione, ita vt hoc eſſe rei repreſentatum,ſit præcisé verum formaliter ab eo, quod res eſt externé. Vnde non bené philoſophavit Lynceus in ſecunda ratione, exiſtimans,quod conceptus obiectivus, & repreſentatus, non diſtinguatur à phyſico, & externo; quia conceptus obiectivus poteſt exiſtere intentionaliter tantum, & conceptus externus poteſt exiſtere extra omnem intentionem. Similiter non currente Petro à parte rei, datur eſſe obiectivum Petri currentis; quia ſi hic actus, Petrus currit, Petrum currere repreſenter, dabitur Petrus currens repreſentatus, & obiectus: ergo. Deinde dicent ad tertium, quod imago Cæſaris, vel ſumitur entitativé,vel repreſentativé? Si entitativé;dicent, quod non erit formaliter vera, cum ſic,nec ſit conformis;ſi repreſentativé; dicent,quod ſi ſit conformis, erit ex eo,quod in ipſa ſit eſſe repreſentatum, ex quo formaliter habet, eſſe Cæſari ſimilem.

19 Pro altera parte probatur intentum; (meo videri, ſolum in diſtincta nominis acceptione diverſum)quia veritas eſt adequatio, & conformitas cum obiecto externo; ſed ſolum eſſe intentionale obiecti adæquatur, & conformatur cum obiecto externo, non veró actus intellectus:ergo quia veritas ſolum ſtat in conformitate obiecti intentionaliter exiſtentis cũ ipſo externé. Minor prob.quia actus intelligendi non aſsimilatur obiecto externo in eſſendo,vt patet:deinde nec in repreſentando,quia ipſe non repreſentat obiectum externũ,cum ſit quædam actio phyſica;ideoque repreſentare convenier ideæ,ſeu verbo formato ab actu intelligendi; quia hoc ſolũ intentionaliter eſt ipſum obiectum:ergo. Tum etiam id ſuadet cõmunis modus ſignificandi;dicimus enim,*hoc, vel illud eſt verum, aut falſum*, in quo ſignamus ipſa obiecta, vt cognita, non autem ipſom actum intelligendi, qui ſolũ eſt cauſaliter, ſeu materialiter verus. Ex quibus deducitur ab hac opinione,quod cũ veritas ſtet formaliter in eſſe intentionali, & obiectivo rei,& hoc eſſe obiectivum, (in hoc cõſentit Scotus expreſsé in 1.*Perihermq.2.in ſolutione ad oppoſita vltima partis problematis)* ſeu intentionale, non ſit in intellectu ſubiectivé,vt accidens, ſed obiectivé, vt cognitum in cognoſcente,cõſequenter,& veritas nõ erit ſubiectivé in intellectu, ſed obiectivé, ſicuti res,quæ intentionaliter exiſtit in illo.

20 Formata ratio,ſimili facilitate,ac præcedentes, poteſt etiam ſolvi, & quæcumque aliæ ex eodem intento formatæ: dicent enim, verũ eſſe, veritaté eſſe adæquationem,& conformitatem cũ obiecto externo; negabunt tamen, quod ſolum illud eſſe intentionale, vt à contrarijs intentũ,adæquetur, & cõformetur cũ obiecto externo. Primũ;quia licet tale eſſe obiectivum paſsivé intellectum detur, id nil impedit,quod ipſamet cognitio habeat eſſe activé repreſentãs,& exprimens obiectum; ipſemet enim actus intellectus non eſt actio phyſica,vt putant,ſed eſt terminus formalis actionis phyſicæ,quam dictionem vocamus: ergo cum cognitioni non poſsit deficere *cognoſcere,vt quo*, nec poterit ei deficere *cognitũ* ſignificare: quod ſufficit, vt vera ſit formaliter, cum ad id ſufficiat,quod formaliter ſit veritatis in eſſendo ſignum. Suadetur; quia illud eſſe obiectivum, dicitur eſſe repreſentatum, ſicuti & eſſe cognitum:ergo ſupponit ſignũ in linea intentionali, à quo ſit ſignatum; ſicuti & eſſe cognitũ ſupponit ſignũ in linea cognoſcẽdi,à quo habeat indicari cognitũ,vtpote actus ipſe cognitionis;ac per cõſequens in ipſo actu dabitur ſignũ, quod ſufficiat, vt præcisé ſit rei in-

index;nec plus eſſe petit verum,quod tale eſt, quia id, quod eſt, nuntiat, ſeu eſſe ſignat. Id exemplificari poterũt in ſigno inſtrumentali, vtpote in fumo, qui veré ſignum eſt, tametſi eſſe obiectivum ignis requiratur intentionaliter exiſtens; quin ob hoc,fumi ſignificatio ſtet in conformitate eſſe obiectivi ignis cum ipſo igne externé exiſtente, ſed in ſpeciali ſignificatione fumi, ſoli exiſtenti igni conformis: ergo à ſimili.

21 Secundum;quia etſi ſignificare obiectum,& rem externam ſit extra entitatem phyſicam cognitionis,dicẽt tamen, quod illud eſſe repreſentationis, & ſignificationis ſe habebit ex parte entitatis actus, ita vt ex entitate actus, & ex ratione repreſentandi conſurgat quoddam concretum, quod totum dicatur ſignificans per modum actus, & tendentiæ; non autem per modum obiecti, & repreſentati, quod derivaretur ex entitate actus cui veluti fundamento proprio adeſſet formalitas repreſentationis: ergo tametſi repreſentationis formalitas ſit extra entitatem actus, ſemper tamen poſſet habere rationem repreſentãdi, vt rationem repreſentandi, non per modũ obiecti, ſed per modum ipſius actus; ſicque ſignum formale ſemper dicetur ex conformitate actus, & formæ per modum actus. Id exemplificatur,& explicatur in albedine,quæ etſi per formam ſuperadditam dicatur alteri ſimilis, ita vt ratio ſimilandi ſit ab entitate albedinis diſtincta,tamen ex albedine,& ſimilitudine efficitur quoddam concretum eiuſdẽ ſignificationis,v.g. *Simile*, ita vt prout entitas albedinis ſumitur vt fundans relationem, dicatur ſimilis,& referens;& prout eſt terminus alterius dicatur ſimilata,& relata. Similiter, & propriùs id patet in ſpecie impreſſa, cuius entitas alia eſt à repreſentatione, & tamen ſi ratio repreſentandi intelligatur ex parte entitatis ſpeciei, ſumit denominationem activæ, v.g. *repreſentans*; ſin autem intelligatur ex parte termini, ſumit contrariã denominationem, v.g. *repreſentatum*, quod provenit ex eo, quod etſi tales formæ ſint ab eſſe principiorũ diſtinctæ, ſunt tamẽ in proportione ad illas,veluti ſubiecta, antequã reſultant.

22 Deinde ad illud, quod dũ dicitur hoc, vel illud eſt verum,intelligitur obiectum, ipſumque ſignificatur; reſpondetur in primis, peti principium;quia ſi loquamur de vero formali,ſolum tali,quia eſſe obiectorũ ſignante, non obiecta,ſed actus, veritatem ſigni habere intelligemus. Sic enim dicimus videndo imaginem alicuius, *hæc eſt vera*, & tamen non intelligimus,verũ eſſe repreſentatum,ſed veram eſſe imaginem repreſentati,ita vt de ipſo ſigno, verum eſſe explicemus. Deinde, quia,vt rectè Scotus, cum ſigna non habeant veritatem,niſi prout referuntur ad vltima ſignificata, per illas ſignificationes ſæpé intendimus attingere,non ipſam veritatem formalem,ſed ipſum terminum, à quo ipſum ſignum habet eſſe falſum,vel verum.

23 En circa hoc punctum duplicem opinandi modũ: vtrũque probabiliter poſſe, imó & defenſari deberi exiſtimo ſecundũ formatũ problema à D. Subtili ſupra in *d.* 1.*q.*2. vbi iuxta ipſum,ad vnum, & alterum ſignavimus fundamentũ:dum igitur ibi Scotus dixit,quod veritas, & falſitas non ſunt in ſigno, niſi per ſignatum; veritas enim eſt conformitas ſigni cum ſignato,& falſitas difformitas;poteſt ſufficienter intelligi,quod pro conformitate ſigni cũ ſignato intellexit conformitatem ſigni per modũ actus, & activi repreſentantis, cum ipſa re in ſuo vltimo eſſe; non autem conformitatem rei obiectivé exiſtentis, ſeu eſſe paſſivé repreſentati cum ipſa re prout in ſe ſic ſe habente.Ratio eſt;quia Scotus in *q.*3. docuit, quod omnis vera paſsiva inducit verã activã; & deinde tam ibi, quã in *q.*2.& infra, docuit iuxta vnam problematis partem,quod eſſe repreſentatum,& ſignificatũ eſt vera paſsiva;ergo inducit in linea ſignandi activam veram. Dices,quod res in ſe,& externé exiſtẽs erit repreſentata, paſsiva vera, & ipſa vt obiectivé exiſtens in mente erit vera activa,ita vt aliud ſignum,& repreſentans nõ detur.Contra;quia dum Scotus dixit,quod ſignificatũ erat paſsiva vera,docuit,quod ſignificatum erat res,non vt exiſtẽs,ſed vt intelligebatur,quod eſt eſſe obiectivum: ergo reſpectu huius eſſe ſignificati obiectivi, adhuc eſt ſignanda activa ſignificatio, & ſic diſtincta ab ipſo, vt diſtinguitur activum à paſsivo; ac per conſequens activum, quod ſit in eſſe ſigni habiliter conformabile ad id,quod res eſt:ergo,&c.

24 Deinde Scotus pro altera parte eximium reliquit fundamentum,dicens in ſolutione ad aliud, quod compoſitio eſt illarum rerum, non tamẽ vt exiſtentium,ſed vt intelliguntur;& ſtatim ait,quod veritas,& falſitas dicitur circa compoſitionem, & diviſionem intellectus; quia illa compoſitio ab intellectu cauſatur, & eſt in intellectu, vt cognitum in cognoſcente,non autem,vt accidens in ſubiecto: hæc ibi Scotus:ex quibus ſufficiẽter infertur,quod veritas ſolũ ſtet vbi compoſitio; ſed cõpoſitio, vt ipſe etiam notat, ſolũ poteſt eſſe rerũ in eſſe intellecto,& repreſentato;hoc eſt, rerũ menti obiectarũ, cũ nec actuũ intellectus,

nec

nec ſpecierum poſsit dari compoſitio:ergo veritas ſolum in eſſe repreſentato, & obiectivo rerum poterit eſſe, vt in ſigno. Deinde infertur, quod ſit ſatis expreſſum apud Scotum, intentum ſecundæ opinionis, vtpote, quod veritas non eſt in intellectu ſubiectivé, vt eſt actus ipſius intellectus, ſed obiectivé, vt eſt ipſum eſſe intentionale, & obiectivum, in quo eſt, veluti in ſigno. Infertur ergo ſatis claré ex Scoto; quia ſolum eſt veritas, vbi intentionalis compoſitio obiectorum, & rerum; ſed talis compoſitio nõ eſt in intellectu, vt eſt accidens in ſubiecto phyſico, ſed vt cognitum in cognoſcente: ergo veritas ſignificativa, de qua loquimur, ſolum ſic erit apud Scotum. Vtraque via eſt probabilis, exiſtimo tamen, tam apud Scotum, quam apud rationes, probabiliorem eſſe vltimam, vtpote, quod veritas formalis, & ſignificationis enuntiativæ ſtat in conformitate rei exiſtentis intentionaliter cum ipſa id in ſe habente. Vt hæc plené capias, vide dicta in *diſt.* 1.

ART. II.

ALIQVA OBIECTA SOLvuntur.

25 Contra hinc reſoluta ſolum ſentio, duo nobis poſſe excogitari oppoſita: primum contradicés reſolutioni exhibitæ in quæſt. antecedenti, vbi diximus, quod illæ propoſitiones, Cæſar eſt homo, homo eſt animal, & conſimiles, verum habebant ſenſum, tametſi non exiſterent obiecta. Secundum oppoſitum deſumetur ex ipſa oppoſitione ſignificati, iuxta ea, quæ diximus in *diſt.* 1. *q.* 3. & alibi ſupra, reſolventes, quod ſignificatum nominis erat res, prout intelligebatur. Proponam difficultatem, tametſi ei plené ſatisfacere non valeam, vt ad minus altioris ingenij vim habentibus, maneat vincenda oppoſitio, nota.

26 Igitur contra primum opponetur, me cum Scoto reſolviſſe in præcedentibus, quod aliquæ dabantur orationes, quarum termini, tametſi non eſſent, id tamen nil obſtabat, vt oratio tendens ad eos foret vera, quamvis oratio ſigno præſenti, eos ſic eſſe, ſignificaret; ſed hinc manet reſolutum, quod taliter debet eſſe res, qualiter eſſe ſignificatur: ergo nulla earum orationum erit vera, cum termini, qui ſignificantur eſſe, non ſint, neque exiſtant. Huic primæ rationi reſpondebitur conformiter ad dicta in *quæſt.* 1. ſicque dicetur, quod termini habent eſſe, ſicuti ſignificantur, quia per prædictas, & conſimiles orationes non ſignificatur, quod exiſtit, ſeu quod eſt *verbaliter*, id eſt, extra cauſas, iuxta temporis præſentiam; ſed ſolum ſignificatur, quod eſt *connexivé*, & ex neceſſaria habitudine vnius ad aliud, vt hominis ad animal, & Cæſaris ad hominem, quod eſſe dicitur *nominale*, vt laté expoſuimus: vnde dicetur, quod tametſi non ſit Cæſar, nec pro Cæſare intelligatur individuum exiſtens, & ſtans actu, ſed pro Cæſare capiatur natura humana concepta, *vt hæc*, id ſufficiet, vt res ſit, vt ſignificatur, quamvis eſſe rei ſit eſſe aliqua mentis intentionalitate contractum, & ab eſſe exiſtentiæ phyſicæ præciſum, vel abſtractum; id enim ſufficiet, vt ab eo, quod ſic ſunt, oratio ſignificans ſic eſſe, ſit vera; poteſt namque intellectus per eam orationem ſignificantem, nil amplius de eſſe ſignificati præfigere, in illis nempé rebus, quæ, vbicumque apprehendantur, eſſentiæ, & neceſſitatis conceptum non variant, vt ſunt illæ, & conſimiles orationes.

27 Dicetur tamen contra hoc, nos hic reſolviſſe, iuxta firmiorem doctrinam Scoti, quod veritas enuntiativa ſtabat in conformitate ſigni ad vltimum ſignificatum, vpote illud, quod alterius iam non manebat ſignum, quia omnia vnicam firmam, & vltimó ſtabilem debent habere menſuram, quæ, vtporé radix cæterorum, à nullo vlterius menſuretur; prima ſiquidem principia, & regulæ non ex alijs, ſed ex ipſis omnia, &c. prout à naturali ſcientifico expenditur; ſed eſtó aliqua entia conſiderétur vbicumque, & ſic prout eſſe conceptus habentia, veluti Cæſar, qui ſumitur, vt natura concepta, vt hæc, & homo vt natura concepta, vt dicibilis de pluribus, &c. non ſunt vltimo ſignificata; quia vltimum ſignificatum eſt vltra purũ rei conceptũ: ergo vel reſolutio hinc habita eſt alteri, aliunde habitę, contradicens, vel illæ propoſitiones non erũt veræ, vt ab eſſe ſimpliciter, & exiſtentiali præciſæ.

28 Huic rationi, forſan bené poſſet aliquis exiſtimare reſponſionem dicendo, quod veritas prædictorum, & ſimilium actuum, cum ſit terminorum æternorum, & invariabilium, non requirit reſultare ex conformitate ad vltimum ſignificatum, quia non eſt, nec poteſt eſſe aliter vltimum ſignificatum, quam purus conceptus obiectivus eius, ſicque eſtó vnus conceptus poſsit aſſeverari de alio, id ſufficiet, vt nil vltra referendo, detur veritas reſultans ex conformitate actus ad eſſe illud obiectivum. Non diſplicet reſponſio ex his, quæ principaliter intendit, ſed ex alijs, vtpote, nil referre, quod non reſultet veritas ex conformitate ad vltimum ſignificatum, dum ſupponit reſponſio, quod extra eſſe, etiam ratione formatum, datur di-

directé vltimum ſignificatum vltra illud. Ratio eſt; quia tametſi vera ſit intentio doctrinæ ex invariabilitate rerum, & ſic, ſic prodeſſe ad veritatis neceſsitatem quilibet conceptus, ac quælibet realitas extra mentem exiſtens; ſed tamen, eſtó vltimum ſignificatum recté, & directé ſupponatur, ſemper videtur, ab illius eſſe, orationem ſignificantem, veram debere dici; quia in formatione veritatis, ſemper videtur debere recurri vſque ad vltimam reſolutionem terminorum, vt Theologi ſic recurrunt, fidei certitudinem examinantes: ſi ergo tam actus ille, quam eſſe apprehenſum, habent immutabilitatem, quam habent res in vero intrinſeco, & tranſcendentali conſideratæ, necnon habent ſemper veritatem, quam actus cæteri, vtpote contingentium, non habent, id à priori ex primo eſſe rei, quod eſt in ſignificando vltimum, derivatur; quod enim eſt primum in eſſendo, eſt quia tale, vltimum in ſignificando.

29 Exiſtimo ergo reſpondendum, vtrãque à nobis ſtabilitam reſolutionem eſſe compatibilem, & abſque contradictione veram; ſicque, veras eſſe prædictas, & conſimiles orationes, tametſi earum extrema, aliquo eſſe conceptus informata, ſubſiſtant; quia dum cum Cæſare vnitur homo intentionaliter per hanc orationem, Cæſar eſt homo, etſi pro Cæſare ſumatur natura concepta vt hæc, & pro homine natura concepta, vt communiter vna, tunc tales termini poſſunt dici vltimó ſignificati directé, prout poſitivé comparantur, & vnum de altero dicitur. Rationis expoſitio ſiſtit in hoc, quod quilibet illorum terminorum habeat, in primis, eſſe, non vtcumque, ſed ſecundum gradum requiſitum pro æternitate, & immutabilitate talium, & ſimilium actuum; quia iſte actus, v. g. homo eſt animal, non poteſt eſſe æternus, & immutabiliter firmus prout terminos reſpicit abſoluté exiſtentes, cum homo ab hoc ſtatu præciſus, & poſito in ſtatu poſsibilitatis ſimili firmitate erit id, de quo dicatur animal, v.g. homo eſt animal: ergo firmitas illius actus non ſtat in reſpectu ad exiſtentiam non firmam. Similiter nec firmitas illius actus videtur ſtare in pura, & abſoluta poſsibilitate terminorum; quia homo poſitus extra ſtatum poſsibilitatis, non minus firmiter erit id, de quo poſsit dici animal: ergo firmitas, & æterna veritas illius actus ſtare debet in firmo, æternoque ſtatu, vtpote ille, qui ſupponens non repugnantiam prædicatorum, cuicumque ſtatui compatibilem, ſumatur pro ſtatu veræ, & eſſentialis connexionis abſtracté, & nota vniverſali, nempé, *vbicumque ſit, & apprehendatur.*

30 Quod talis ſtatus firmiter poſsit percipi, ſuadetur; quia eſſe nominale, & intrinſecum rei, ſecundum ſuum formaliſsimum conceptum, non dicit poſsibilitatem, nec phyſicã actualitatem; aliàs, ſi eſſe hominis in ſtatu poſſibilitatis præcisé, diceret animal rationale, in ſtatu actualitatis illud eſſe non diceret; & é contra, ſi eſſe intrinſecum hominis ſolum actualitatem diceret ſecundum tale eſſe, in ſtatu poſsibilitatis eſſe animal rationale repugnaret; quia eſſentia hominis opponeretur homini, ſicuti ſtatus ſtatui, in quo præcisé dicebatur eſſentia: ergo illud eſſe, prout intrinſecé connexum, poteſt conſiderari ſecundum ſe neutrum dicens, ſicuti animal reſpectu oppoſitorum differentiæ ſtatuum: ergo poterit intellectus cum fundamento, veré, & abſque figmẽto attingere illum gradum connexivum eſſentiæ, & illa vnitate abſtractionis informare, vtpote vbicumque ſit homo, vel vbicumque concipiatur, homo eſt animal; ita vt ſicuti natura abſtracta vniverſaliter eſt veré dicibilis in omnibus individuis, ſic & illa in omnibus ſtatibus; & ſic ſicuti de vera natura, tametſi abſtracta, philoſophatur circa quodcumque individuum, ſic pariter de vero, & dicibili eſſe philoſophetur circa quemcumque ſtatum; non enim minus repugnat, quod abſque figmento poſsit abſtrahi à duplici individuo diverſo, natura realiſsimé identificata cum quolibet, & cum quolibet exiſtens, quam poſsit abſtrahi abſque figmento *eſſe* cum diſtincto ſtatu diverſimode idemptificatum. Eſt mihi certum, vel omnis abſtractio eſt abijcienda. Vnde ſicuti, etſi poſitivé Petrus non ſit niſi homo Petreus, & Paulus, homo Pauleus, & tamen, ſi natura vera abſtractione informetur, valet dicere, quod Petrus eſt homo, quin homo ſit de ſingularis conceptu, & ſic de cæteris; quia homo poteſt ſecundum ſe ſalvare connexionem eſſentiæ abſque quolibet ex ſingularibus; ſic, licet homo poſsibilis abſoluté non ſit niſi animal poſsibile, & homo actualis, non ſit niſi actuale, tamen poterit propter idem, verum eſſe hominis, ſi abſtractione informetur, dici de quocumque ſuppoſito, ſalvando connexionem prædicatorum in ſtatu abſtractionis, à quocumque ſtatu ex illis vnivocé abſtrahente.

31 His ita expoſitis, ad rem deinde veniendo, dico, quod dum Cæſar intelligitur natura concepta vt hæc, & homo natura concepta vt de pluribus, tunc iſti termini per orationem ſignificati habebunt directé, & poſitivé

fir-

firmum eſſe, quod poſsit dici, & intelligi vltimum reſpectu orationis, & enuntiationis ſignificativæ. Habebunt firmum, & verum eſſe intrinſecé, quia formaliſsimé imbibent non repugnantiam intrinſecam prædicatorũ, quæ eſt veluti tranſcendens omnem ſtatum; quia ſi homo actu eſt animal, non repugnat, quod actu ſit animal; ſi homo poſsibiliter ſit animal, non repugnat, quod id ſit ſic, &c. Deinde cũ hoc eſſe verũ, & firmũ habeat quodlibet individuum ſpeciei, ab hoc, vel illo ſtatu exiſtendi præciſum, ſicuti ſua ſpecies illud habet, abſtrahit intellectus Cæſarem v.g. ab omni eſſe, tẽporis circunſtantiam connotante, & relinquit præciſé veram natoram conceptam vt hanc; & ſimiliter abſtrahens hominem, relinquit veram naturam conceptam vt de pluribus dicibilem; qui termini ſunt vltimi, ita vt ab ipſis poſsit enuntiatio dici vera, tametſi eorum eſſe intrinſecum ſit aliquo eſſe abſtractionis, & rationis informatum; & hoc, quia poſito tali eſſe, vtpote concretum ex vero eſſe ſuppoſiti, vel naturæ, & ex conceptu, ſeu forma rationis conſtitutũ, niſ relinquit vltra ſignificatũ, cum totum illud eſſe concreti, eſſe obiectivum habentis, ſit, ſeu exprimat, eſſe naturam veram, conceptam vt dicibilem de omnibus individuis, ſive exiſtentibus, ſive non exiſtentibus, ſed præciſé de quocumque individuo, cuius eſſe verum individui ſiſtat in hoc, quod ſit natura concepta vt hęc. Vide igitur, ſi extra omne eſſe obiectivum, & intentionale poſsit dari aliquod eſſe, ſive naturæ, ſive individui, quod in ſe ſit poſitivé, & phyſicé, quidquid abſtracté ab omni ſpeciali circunſtantia exiſtentiæ, vel temporis exprimitur per illud eſſe ſic concretum? Sed hæc ſequenti inſtantia exponentur.

32 Dices, quod eſtó illud eſſe, conceptu completum, ſit verum, & vnam, aut alteram non repugnantiam eſſendi extra eſſe obiectivum, & conceptum ſupponat, debet tale eſſe ſuppoſitum, eſſe vltimum ſignificatum, à quo oratio debeat dici vera, ac per conſequens ſignificatum, ad quod relatio ſigni enuntiativi referatur, erit illud eſſe poſsibile, vel exiſtens: ergo ex conformitate ad illud eſſe, etiam obiectivum, vtpote abſtractione formatum, nũquam oratio vera dicetur, ſed debebit vlterius fieri veritatis reſolutio. Reſponderi poterat, quod eſſe ex connexione prædicatorum immutabile, valebat percipi ex puro eſſe obiectivo, tametſi nullum eſſe vltra ſupponeret, vt patet in ente rationis ſic connexo cum ſua eſſentia, vtpote, quod tantum habet eſſe obiectivé in intellectu, ac foret connexum, ſi extra eſſe obiectivum haberet eſſe. Sed nec iſta requiruntur; qua propter

33 Reſpondendum ſentio, ſic diſcurrendo de prædictis propoſitionibus, ac diſcurſatum fuit de propoſitionibus naturarum vniverſalium reſpectu ſuorum individuorum. Itaque pone exemplar in natura humana, quæ prædicatur de Petro; v.g. Petrus eſt homo; vt hæc propoſitio ſit prædicati, ſeu termini vniverſalis expedité, requiritur, quod ly *homo* ſit abſtractus, vel præciſus ab illo, vel alijs, cum quibus realiter idemptificatus exiſtebat: vbi invenies, quod etſi vera natura dicatur de Petro, dicitur tamen vera natura vnitate abſtractionis informata, & in eſſe obiectivo, ſeu intentionali completa, ita vt terminus dictus, ſeu enuntiatus non ſit vera natura ſecumdum ſe præciſé, ſed vera natura poſitive, & expedité communis cuicumque ſuppoſito individuo: nunc ſic: non poteſt negari, quod illa natura abſtractione informata ſupponat eſſe aliquod, quod ſecundum ſe habeat; quia debet dari fundamentum à parte rei, vt expedita, & poſitiva communitas, quæ non poteſt poni in aliquo ſingulari, poſsit poni in natura; ſed tamen, id non impedit, quod terminus, à quo illa propoſitio eſt vera, ſit natura eſſe obiectivo, & intentionis concreta, quin ſit terminus natura ab hoc eſſe obiectivo præciſa; quia natura, vel poteſt conſiderari, vt poſitive eſt à parte rei, & ſic eſt ſingularis, vel iuxta ea, quæ de ſé dicit, & ſic, etſi non ſit ſingularis, quia diſtincta ex natura rei à ſingularitate, ſed nec eſt vniverſalis, quia ad vniverſalitatem requiritur poſitiva abſtractio, quæ excludat idemptitatem realem; ſicque, vt illa propoſitio de termino expedité communi ſit vera, debet pro termino habere naturam, quæ ſit eſſe obiectivo informata; quia ſi conſideretur aliquo ex illis duobus modis, erit falſa propoſitio, cum terminus non ſit, quod ſignificatur, vtpote, vniverſalis.

34 Igitur his ſuppoſitis, & diffusé propugnatis in *lib.* 3. reſolvat nunc intellectus veritatem illius propoſitionis vniverſalis: profecto terminus directæ, & poſitivæ conformitatis, nec erit natura ſecundum ſe, nec natura vt exiſtens individua, quia primo modo deficit, & ſecundo modo ſuperat: erit ergo terminus, ex cuius conformitate propoſitio ſit vera, natura concepta, ſeu vera natura, eſſe obiectivo completa; nec id impediet, quod illa natura communis ſupponat non repugnantiam ſecundum ſe, vt in eſſe non repugnanti ſit poſitivé communis; quia illud eſſe nõ eſt propoſitioni, ſeu ſignificationi forma-

li directum, nec vnivocé conforme, ſed ſolum negativé, & materialiter ſe habens; quia propoſitio formaliter, & directé non commenſuratur cum illo, etſi illud præſuppoſitivé ſe habeat ad illud eſſe, ex cuius conformitate propoſitio eſt vera. Itaque directé, poſitivé, & vniformiter illud eſſe, concretum ratione, eſt vltimum ſignificatum propoſitionis, ita vt nil vltra illud poſsit ſignificari, prout à propoſitionis habenda conformitate exigitur. Noto etiam, quod nec illud eſſe deficit in obiecto propoſitionis, etſi modificatum ratione, quod poſſet ſufficere, vt ex omni parte illud obiectum propoſitionis conformabilis ſit vltimum.

35 Ex dictis ab exemplari facilé alterius propoſitionis normam percipies. Itaque dicimus, quod in hac propoſitione, homo eſt animal, vel Cæſar eſt homo, abſtrahitur à Cæſare, qui fuit vera ratio ſuppoſiti humani, & ſic ab omni ſtatu abſtrahitur vera natura humana, quæ vnitate abſtractionis informata, nec dicet potius ſtatum exiſtentiæ, quam poſſibilitatis; ſed omnes ſtatus vniformiter, quoad connexionem prædicatorum concernit: vnde, illud eſſe poſitivé, & realiter, non poteſt eſſe cuicumque ſtatui commune, quia vel debet eſſe ſolum poſsibile, vel ſolum actuale; ſed tamen abſtractum à quolibet, erit verum, & ſic in quocumque verificabile, vt ſupra diximus de natura. Reſolvat igitur intellectus veritatem huius propoſitionis, homo eſt animal; equidem vltimus terminus conformitatis erit natura ab omni ſtatu præciſa, & omni ſtatui per comparationem communis; quia ſi reſolvatur, quod eius determinatus terminus ſit ſolum homo exiſtens, præciſa exiſtentia non erit verum dicere, quod homo eſt animal, quod eſt falſum ex dictis ſuperius; ſimiliter eſt diſcurrendum, ſi alius ſtatus determinaté reſolvatur: ergo debebit dici, quod terminus vltimæ conformitatis illius propoſitionis, eſt terminus omni ſtatui communis, ita vt ratio ſpecialis ſtatus, ſit illi termino extranea, vt diximus in *q* 1.

36 Similiter hæc propoſitio, Cæſar eſt homo, dum Cæſar ſumatur pro natura concepta vt hæc, ſubiectum illius propoſitionis erit verum eſſe ſuppoſiti Cæſarei, ab omni differentia exiſtendi abſtracti. Fiat inde reſolutio; terminus, à quo oratio dicebatur vera, erit eſſe verum ſuppoſiti, eſſe obiectivo informatum; quin id aliquid impediat, quod tam eſſe ſuppoſiti, quam eſſe naturæ enunciatæ ſupponat non repugnantiam extra eſſe obiectivum; quia tametſi indirecté, difformiter, & negativé, illa non repugnantia ſit id, in quod poſsit fieri vltima reſolutio; ſed poſitivé, directé, & prout attinet ad id, quod propoſitio vniformiter exigit, vltimus terminus reſolutionis erit illud eſſe obiectivum, & præciſione informatum; & ne moleſtus inficiar, habe præ oculis prædictum exemplar, & hæc, & plura alia ad illius normam philoſophare curabis. Idem philoſophabis ex fide theologica apud tenentes, eſſe certam ab authoritate aſſertoria, & revellatione, vt ab vltimis obiectis formalibus, ita, vt ſi fiat reſolutio certitudinis, non fiat in Deitatem ex conformitate actus, etſi Deitas ſit radix, à qua illa obiecta dimanant; quia ſic Deitas ſolum ſe habet vt quid materiale, nô de fidei requiſito quoad aſſeverari; ſed de requiſito præſuppoſito ad obiecta fidei, quoad materialiter eſſe. Nota hæc, quia ſunt ſimilia. Neque ex his inferas, quod ſimiliter poſsit philoſophari de eſſe contingentium in eſſe obiectivo completo; quia eſt diſpar ratio, vt in *queſt.* 1. abundé diximus; abſtractio enim vim veritatis ſolum retinet in ſuppoſitis, ad ſuum eſſentiale commune comparatis, vt recté notavit Scotus ibi.

37 Secundum oppoſitum, quod contra ſtabilitas reſolutiones poteſt adduci, deſumitur ex ſignificato enuntiationis erga contingentia. Dicetur ergo, quod dum enuntiatur, quod Petrus currit v. g. hæc propoſitio nunquam poterit eſſe vera, nec falſa, ſi veritas, vel falſitas ſtet in conformitate ſigni ad rem ſic ſe habêtē; quia res, vt in ſe habetur, v.g. Petrus prout exiſtit cum curſu, non attingitur per illum actum; quia quod attingi poteſt, eſt, quod eſt ab illa oratione ſignificatum; ſed exiſtentia curſus in Petro, vel curſus, vt in re exiſtens, non eſt ſignificatum illius orationis; quia aliàs Petro non currente, illi orationi deficeret ſignificatum, cum deficeret exiſtentia curſus in Petro: ergo id, quod in ſe eſt terminus illius actus, non attingitur, ac proinde non erit falſus, nec verus. Exponitur, & confirmatur difficultas ex eo, quod in his, & conſimilibus enuntiationibus, earum ſignificatum ſit ſemper idem; quia ſignificatum, ſi ſemper idem non foret, ſed variaretur ex exiſtentia, vel non exiſtentia obiecti externi, ſequeretur, quod Petro externé non currente, non foret falſa hæc propoſitio, v.g. Petrus currit, quia cum, Petro concurrente, varietur ſignificatum, vtpote illud, quod erat Petro currente, *Petrus currit*, foret oratio conformis Petro non currente, quia ſignificatum huius orationis, Petrus currit, cum foret diverſum non currente Petro, non diſconformaretur cum Pe-

Petro non currente: quare dicitur ab Scoto, citato in *diſt. 1. q. 2. & 3.* quod vt oratio poſſit dici vera, vel falſa ex conformitate, vel difformitate ad rem, vt eſt, vel non eſt, debet oratio idem ſignificate, ſive res ſit, ſive non; aliter enim, eadem oratio non poſſet quandoque eſſe vera, & quandoque eſſe falſa, vt ex Philoſopho recitat ibi Scotus: ergo ſignificatum non eſt res vt eſt, ſed res vt intelligitur, & obiectivé exiſtit; quia ſolum ſic res eſt ſemper idem ſignificatum: ergo conformitas orationis ex relatione ſigni ad ſignificatum, non eſt conformitas orationis cum eo, quod phyſicé res eſt, vel non eſt.

38 Reſpondebis, quod dum dicitur, ſignificatum eſſe ſemper idem, tunc pro ſignificato intelligitur eſſe obiectivum, & intentionaliter exiſtens, ex cuius eſſe ſignificati conformitate ad rem vt eſt, oratio dicitur vera: vnde ſignificatum, quod eſt idem, ac eſſe obiectivé exiſtens, ſemper eſt idem; cum quo cõpatitur, quod oratio ſit determinaté vera, ſi ſit in ſe, vt ſignificatur eſſe; & determinaté falſa, ſi vt ſignificatur eſſe, in ſe nõ ſit. Fateor, ſic debere orationem eſſe determinaté veram, vel falſam, ſed tamen inſtat oppoſitio; quia ſi ſignificatum, quod ſemper eſt idem, ſit illud eſſe obiectivum, ſeu res vt intẽtionaliter exiſtens, inquiro, illud eſſe obiectivum, vel eſt vltimum ſignificatum, vel non? Si non ſit vltimum ſignificatum: ergo quia res prout exiſtens ſignificatur ab illo eſſe obiectivo; ſed res vt exiſtens non poteſt ſignificari; quia in tali caſu, facta tranſmutatione in exiſtentia rei, quæ erat ſignificatum fieret tranſmutatio in oratione ſignificante, quæ redderetur non ſignificans, cum ſignificatum non daretur: ergo Si illud eſſe obiectivum ſit vltimum ſignificatum: ergo res, vt externé exiſtens extra illud eſſe obiectivum, non eſt id, quod ſignificatur; ac per conſequens veritas non poterit eſſe in relatione ſigni ad vltimum ſignatum.

QVÆSTIO II.

An propoſitiones de futuro contigenti debeant eſſe determinatè falſa, vel vera.

39 SVpponendum eſt ex Doctore noſtro in *quodl. 14.* in pręſenti quæſtione loqui de propoſitionibus futuri contigentis ante omne divinum decretum; quia quocumque Dei decreto poſito, ſi efficaciter formetur, adhuc circa eventùm maioris contingentiæ, vna, aut altera pars illius debebit decreto determinaté correſpondere; quod ſufficiet, vt ab eo quod res erit, vel non erit determinaté, oratio eam fore, vel non fore ſignificans, vera, vel falſa dicatur. Loquimur ergo de contigenti ante omne decretum efficax, ſive abſolutum, ſive conditionatum: & loquimur de contigenti futuro: non de præſenti, quia de præſenti, vna, aut altera pars debet eſſe vera, dum in propoſitionibus exprimitur contradictio, quod radicatur in illo principio, *omne quod eſt, quãdo eſt &c.* & écontra, *omne quod non eſt, quãdo nõ eſt, neceſſe nõ eſt*, quę recté expẽduntur à præclariſsimo noſtro Antonio Andræa ſupra *1. Perther. in expoſit. vlt. verſ. exponit dictã propoſ.* qui pauló infra id ipſum exponens ait, quod cũ ſit certum, quod ſicut res ſe habet ad eſſe, ſic & ad verificari, quod ſi ſit actualiter in pręſenti, in ſe ipſa habebit, à quo ſit veritas; & é cõtra futurum contingẽs, cum in ſe ipſo nõ ſit, ſed in cauſa, & in cauſa, quæ non magis ſe habet ad eſſe, quam ad non eſſe; quare ab eo, quod habet, neutra erit oratio, cum tam in ſe, quam in cauſa ſit neutrum ab eo quod eſt. His ita expoſitis, & in ſolutione argũm. exponendis adhuc.

40 Reſolvo, propoſitiones, ſive futurum contigens affirmantes, ſive negantes, nec habere determinatam veritatem, nec falſitatem, ſed eſſe neutras. Formatam reſolutionem genuinam eſſe apud Scotum, abſque dubio exiſtimavi, dum vidi noſtrum Celeberrimum Scotiſtam Antonium Andræam, tam Ariſtoti, quam Scoto fideliſsimum. Infertur etiam ſatis literaliter ex Scoto in *quodl. 14* tenens, propoſitiones contigentes ante decretum divinum eſſe neutras. Nec aliquid iuvare videtur pro altera parte expoſitio noſtri Antonij Groſſo, qui in *differtat. 19. elucid. 6.* aſſerit; quod determinatio veritatis poteſt deſumi, vel ex parte obiecti, vel ex parte noſtri actus; ſi ex parte obiecti, erit propoſitio determinaté vera, vel falſa: ſicuti ſi ex parte actus noſtri, erit neutra, & dubia, cum quoad nos decreti inſcios, nullum poſsit dari motivum, ex quo determinatæ reſolutionis ſimus conſcij: quare dum Scotus ait, neutras eſſe, debet exponi quoad nos; non autem quoad realitatem obiecti. Miror tam levem expoſitionem apud Ingenium tam eximium. Primum; quia vſque adhuc, ſemper, & quando Scotus fecit de veritate ſermonem, nunquam determinationem veritatis ad nos retulit, ſed *ad ſicuti rerum* videantur tot à nobis ſuperius expoſita. Secundum; quia ſi neutralitas deberet quoad nos intelligi, inconſideraté diceret Scotus, quod

an-

Digitized by Google

ante omne decretũ erant neutræ, cum quoad nos adhuc efficaciori decreto poſito, neutræ ſint, cum & decreti efficacis poſitionis ſimus inſcij; & deinde adhuc talis poſitionis conſcij, verſus quam partem tendat poſitio, maneamus ignorantes. Exiſtimo ergo, ſic Scotum reſolviſſe difficultatem, ſicuti de facto dubitatur à nobis: de facto enim neutralitas quoad nos, à nemine dubitatur; ſed neutralitas ex parte obiecti, eſt adhuc dubia apud omnes, cum nec ipſi, nec nos poſsimus habere evidentiam, & illam fidei certitudinem, circa quæſiti reſolutionem; an ſcilicet, affirmatio de contingenti, ex conſonantia ad obiectum, determinatam veritatem, vel falſitatem inducat? ergo.

41 Reſolutio, tametſi nullo melius, quam argumentorum ſolutione ſit propugnanda, & clarius exponenda, poteſt tamen ſuaderi; primo ex illo Ariſtot. 5 *Ethic. c. 6. & 8.* vbi conſiderans contingentium futuritionem, veluti ſi à decreto Dei foret nobiſcum præciſus, ait, quod ſi in propoſitionibus futuri contigentis eſſet determinaté veritas, aut falſitas, omnia evenirent de neceſsitate; & ſic non oportet conſiliari, aut negotiari; ac per conſequens, quod tota humana politica eſſet fruſtra; ſed hoc eſt falſum: ergo illud, vtpote eſſe indeterminatum, eſt verum. Corroboratur ariſtotelicum dictum; quia ſi propoſitio de ſuturo contingenti ante divinum decretum eſſet vera, Deus decerneret neceſſariò, & non liberé, illud obiectum; ac per conſequens veritas illius propoſitionis tolleret divinam libertatem, cum ante decretum foret vera propoſitio: ergo.

42 Reſpondebis ſtatim, & noviſsimé cum Groſſo, dicendo, quod illud obiectum eſſet indeterminaté extiturum, non autem determinaté; ait enim, quod exiſtentia obiecti futura, determinatur à divino decreto; ſed ad veritatem propoſitionis non requiritur determinata exiſtentia, neque futuritio obiecti pro illo tunc, pro quo propoſitio fit, ſed pro illo tunc, pro quo copula ſignificat. Quod, inquit, patet; quia non implicat, quod ante divinum decretum, hæc propoſitio ſit vera: *Mundus erit futurus, aut mundus determinabitur*, quæ non important actualem determinationem. Sed contra; quia quomodolibet ſit, indubitatum eſt, quod abeo, quod res eſt, oratio dicitur vera; ſed apud ipſum exiſtentia rei eſt indeterminata: ergo & indeterminata erit veritas orationis. Contra deinde; ad veritatem propoſitionis non requiritur determinata exiſtentia pro illo tunc, pro quo propoſitio fit, ſed pro illo tunc, pro quo copula ſignificat: ergo vel pro illo tunc, pro quo propoſitio fit, nil propoſitio ſignificat, vel ſignificat pro illo tunc, quod exiſtentia ſit indeterminata; aliàs ſi quod ſit determinata ſignificet, idem ſignificabit, dum fit, ac id, quod pro tunc copulæ ſignificat. Tum etiam; vel pro illo tunc, pro quo copula ſignificat, datur decretum, vel non? Si ſi: tollitur difficultas. Si non: ergo vel pro illo tunc, pro quo copula ſignificat, non ponitur determinatio futuræ exiſtentiæ, quæ requiritur; vel cum decreti præciſione, poteſt compari rei exituræ determinatio.

43 Contra 4. ex eo, quod prædicta ratione nunquam ſolvatur noſtra poſita ratio, vtpote, quod poſita determinata veritate, Deus liberé formet inde exiſtentiæ decretum. Suadetur ex ipſa propoſitione Groſsi; quia ſi ante poſitionem divini decreti hæc propoſitio, *mundus erit futurus*, eſſet veræ, hæc altera propoſitio, *mundus non erit futurus*, eſſet falſa; ſed ex quo hæc eſſet falſa, ignoro: ergo & ex quo illa eſſet vera. Suadetur minor; quia vt illa negativa eſſet falſa, requirebatur, quod eſſet mundi futuri determinatio; ſed ante determinationem non datur determinatio, aliàs vltra primam Deitatis determinationem procederemus: ergo ex quo eſſet falſa, recté ignoro. Deinde propoſitum directé ſuadendo, ſic contra arguo: ſi illa propoſitio, *mundus erit futurus*, eſſet ante decretum vera: ergo eadem illa propoſitio ante decretum non poſſet eſſe falſa; ſed vt poſsit non eſſe falſa, requiritur, quod oppoſitum illi futuritioni non poſsit decerni a Deo, quod eſt falſum: ergo. Convincitur falſitas; quia ante decretum præſcinditur Deus in ſua voluntate liberrimus; aliàs, non forent decepti, qui mundi neceſsitatem defenſarunt, cum & ipſius decreti poſitionis, Catholici neceſsitatem deſenſent: ergo. Quod ſi ante decretum illa propoſitio ſit vera determinaté, non poſsit eſſe falſa, convincitur etiam; quia ſi poſſet eſſe falſa, eſſet, quia ante decretum poſſet contradictoria futuritio decerni: ergo dum ante decretum eſt vera, id eſt, dum non eſt de futuritione mundi decretum, ſed eſt ſolum poſſe ponere mundi futuritionem, eſt dicendum, vel quod ante decretum non poteſt eſſe falſa; vel ſi poſsit eſſe falſa, eſt dicendum, quod ſicuti poteſt eſſe falſa, quia poteſt non futuritio poni, ſolum ſimiliter erit vera, quia poteſt poni futuritio: ex quo ſequitur intentum, vtpote, quod determinaté nec eſſet vera, nec falſa, cum ſic eſſet vera, ſicuti poſſet eſſe falſa; quod

eſt

eſt idem ac dicere, quod eſſet vera, quia dabatur ſola expeditio virtutis indeterminatæ, & indifferentis.

44 Poteſt deinceps pluribus alijs probari reſolutio. Primum; quia non minus eſſe, debet ſupponere abſoluta, & determinata veritas noſtrorum actuum, quam ſuppoſitum ab actu abſoluto divinæ cognitionis; ſed actus abſolutus divinæ cognitionis, vt eſt ille, qui dicitur viſionis, ſupponit eſſe rei determinatum à decreto: ergo. Secundum; quia propter quod vnumquodque eſt, illud magis eſt; ſed eſſe verum orationis eſt propter eſſe rei, v. g. voluntatis, & hæc in ſuo principio non habet determinatum eſſe erga effectum: ergo actus ab illo eſſe denominandus in eſſe veri, non habebit magis determinatum eſſe erga veritatem illius. Tertiũ; quia inſpecta voluntate ſecundum ſe, ſolum eſt verum dicere, *quod amabit, vel non amabit*; & ſolum eſt falſum dicere, *quod nec amabit, nec non amabit*: ergo nec dicere tantum, *quod amabit*, erit determinatè verum; nec dicere tantum, *quod non amabit*, erit determinatè falſum. Vel melius ſic: ergo dictum vnius partis earum, nec erit verum, nec falſum, cum vtrumque, modo dicto, requiratur, vt determinatè ſit falſum, vel verum. Quartum; quia ſi eſſe futurum comparetur ad cauſam contingentem, non magis eius poſitio, quam non poſitio eſt debita contingentiæ cauſæ, quam ſit debita poſitio proprietatis, vel eius non poſitio reſpectu eſſentiæ in illo priori indeterminationis ad proprietatem; ſed in illo priori, nec eſt determinatè verum, nec determinatè falſum, quod eſſentia hominis v. g. ſit riſibilis, vel non riſibilis; quia eſt in ſtatu præciſionis: ergo à ſimili in alijs, cum ſint in eodem ſtatu. Sed hæc omnia ſolutione oppoſitorum melius explanabuntur.

SOLVUNTUR OPPOSITA, EX quibus melius reſolutio adaptatur.

45 Obijcies 1. ante omne decretum divinum, hæc diſiunctiva eſt vera, *vel mundus erit, vel non erit*; ſed nequit eſſe vera per omnimodam conformitatem cum obiecto; quia implicat, quod ſecundum vtramque partem obiectum ſit conforme: ergo ſecundum alteram partem debet eſſe conformis; ſed neceſſaria veritas illius diſiunctivæ nequit pendere, niſi à contradictione vtriuſque extremi, ex qua contradictione fit, vt alterum ex illis poni debeat: ergo ſimiliter à contradictione duarum propoſitionum, neceſſariò manebit veritas vnius, & falſitas alterius; quia eſſe, & non eſſe, non magis admittunt medium inter duas propoſitiones, quam in vnica complexa. Confirm. quia ſuppoſito, quod prædicta propoſitio poſſet proferri ante omne decretum divinum, etiam poſſet intellectus reflectere ſupra illam propoſitionem, & alius iudicare illam veram ſecundum partem affirmativam, alius verò iudicare veram ſecundum partem negativam: tunc iſtæ propoſitiones reflexæ eſſent determinatè veræ, aut falſæ; ſed quælibet earum terminaretur ad ſolum vnicum obiectum, & ad alteram partem propoſitionis diſiunctivæ contradictoriæ: ergo propoſitio terminata ad ſolam vnam partem contradictionis ante omne decretum divinum eſt determinatè vera, vel falſa.

46 Reſpondendum ſentio, concedendo maiorẽ, & diſtinguẽdo minorem; nequit eſſe vera per omnimodam conformitatem indeterminatam cum obiecto, negatur; per omnimodam conformitatem determinatam, conceditur. Conſequens deinde diſtinguo: ſecundum alteram partem debet eſſe conformis indeterminatè, conceditur; determinatè, negatur. Itaque dico, quod illa propoſitio eſt vera, imò & neceſſariò vera, cum etſi ſola vna pars ſemper deberet eſſe infallibilis, ſicuti quod homo eſt animal rationale, foret verum dicere, quod mundus erit creandus, vel non creandus; ſicuti nunc, etſi homo non poſsit non eſſe animal rationale, eſt verum dicere, quod homo, vel eſt animal rationale, vel non eſt animal rationale; ſed tamen eſt hæc differentia, quod etſi illam propoſitionem eſſe veram concedamus, nõ tamen eam concedimus veram ex aliqua parte determinata, ſed determinatè ex indeterminata; quo pacto, nec affirmativa determinatè eſt vera, nec negativa determinatè eſt falſa; ita vt in nulla determinatè ſit veritas, vel falſitas, ſed eſt determinatè veritas in vtraque indeterminatè, hoc eſt, vel in vna, vel in altera. Vnde diximus, quod illa propoſitio erat vera per omnimodam cõformitatem cum obiecto; quia veritas illius propoſitionis, non eſt veritas huius, vtpote, *mundus erit*; nec eſt veritas huius, vtpotè, *mundus non erit*, ſed eſt veritas huius, vtpotè, *vel mundus erit, vel non erit*, cuius propoſitionis veræ obiectum, *non eſt futurum eſſe mundi, nec futurum non eſſe mundi*; ſed eſt vtrumque indeterminatè, vtpotè, *futurum eſſe mundi, vel futurum non eſſe mundi*; hoc enim totum, eſt obiectum, cui conformatur tota illa propoſitio, vtpotè, *vel mundus erit, vel mundus non erit*. Sic nec poteſt dici verum, quod voluntas amabit,

Digitized by Google

nec poteſt dici verum, quod voluntas non amabit; eſt tamẽ verum, quod voluntas amabit, vel non amabit; quia ſic, indiviſibilis indifferentia ad vtrumque eſt obiectum.

47 Et ratio pro hoc reſpondendi modo poteſt eſſe, quia in talibus propoſitionibus iam mutatur ſenſus quæſtionis: exiſtimo quidem, quod ipſæ non ſunt contingentes; ſicuti nec contingens eſt earum obiectum, quod eſt neceſſariſsimum, ita vt talis veritatis obiectum ſit metaphyſicum; non autem phyſicum, & dependens à cauſis efficientibus, vt eſt eſſe futuri contingentis, circa quod propoſitionum veritatem indagamus. Quod enim ſit obiectum metaphyſicum, & infallibilis, atque eſſentialis connexionis, deducitur ex pluribus. Deducitur primó ex eo, quod omnibus cauſis repugnantibus, imó & prima, eſſe illius obiecti non deficiet, eſtò ſtatus poſsibilitatis non deficiat; imó & ſtatu poſsibilitatis deficiente, erit verum, *quod erit*, *vel non erit*. Deducitur ſecundó, quod illud eſſe ſit incontingens ex eo, quod illa propoſitio debeat eſſe vera, *quidquid fiat*; ſicuti quidquid fiat erit verum, quod homo, vel eſt animal, vel non eſt animal; quæ connexio eſt ſignum metaphyſici ſubiecti, vt laté diximus ſupra. Deducitur tertió ex diſtinctione notabili à propoſitionibus veris cõtingenter; licet enim hæc propoſitio, Petrus curret, ſit vera, quia efficaciter determinata a Deo; ſed tamen vna, aut altera potentia ad contrarium ſolet permitti, ſive remota, ſive thomiſtica, vt in actu phyſicé præmoto, ſive logica, &c. Sed in illa altera propoſitione, vtpote, *vel mundus erit*, *vel non erit*, nulla potentia in contrarium eſt excogitabilis, ſicuti in prædicatis metaphyſicé connexis: ergo. Quartó, quia licet non ſit determinatum, quod mundus erit, nec ſit determinatum, quod mundus non erit, vt ante omne decretum, & determinationem exiſtimo debere dici ab omnibus, eſt tamen determinatum, quod mundus erit, vel non erit, ita vt circa hoc eſſe obiectum, non procedat Deus liberé, ſed neceſſarió, ſicuti vt homo ſit animal, vbicumque ſit homo: ergo datur diverſitas in his, & ſimilibus propoſitionibus ab his, de quibus loquimur; necnon variatur ſenſus quæſtionis, cum hinc loquamur de obiecto ab omni determinatione præciſo.

48 Itaque exiſtimo, poſſe reſolvi, noſtram concluſionem illæſam manere; quia licet non ſit verum, quod mundus erit, nec quod mundus non erit, quia neutrum habet eſſe determinatum pro aliqua temporis differentia; ſin autem erit verum quod mundus erit, vel non erit, quia pro omni temporis differentia habet eſſe determinatum, etiam pro hoc nunc, in quo eſt. Similiter dico, quod licet hæc propoſitio, *mundus erit*, & ſic quævis alia contingens de eſſe non determinato, nec ſit vera, nec ſit falſa, erit tamen verum, quod *vel erit falſa*, *vel vera*; ſicuti & erit verum dicere de illa propoſitione, quod *nec ſit vera*, *nec falſa*. Idem dico de illis propoſitionibus, quæ non ſint complexæ, eſtó eſſe, & non eſſe circa indiviſibile reſpiciant.

19 Dices: ergo quod *mundus erit*, determinaté eſt verum, vel non eſt verum. Dico, quod hæc propoſitio, *mundus erit*, nec eſt vera, nec non eſt vera; nec id ſequitur ex dictis. Ratio eſt; quia obiectum ſignificatum per illam propoſitionem, *mundus erit*, non habet eſſe determinatum; quia nec eſt determinatum, quod erit, nec eſt determinatum, quod non erit; & ſic, nec eſt verum, quod erit, nec eſt falſum, quod non erit, ſeu nec habet eſſe non verum: ex dictis ergo ſolum infertur, quod ſit verum dicere, quod eſt verum, quod illa propoſitio nec ſit vera, nec ſit falſa, ſeu non vera; quia obiectum talis dicti eſt determinatum; quia eo ipſo, quod non determinetur hæc propoſitio, *mundus erit*, determinatur obiectum illius alterius, vtpote, quod hæc propoſitio, *mundus erit*, nec ſit vera, nec non ſit vera; ſicque ab hoc obiecto determinato eſt verum dicere, quod illa propoſitio nec eſt determinaté vera, nec falſa, ſeu non vera; reſpectu cuius dicti eſt determinatum obiectum, propoſitio illa, quæ erat obiecti indeterminati.

50 Dices aliter: in alijs propoſitionibus, quævis ſola eſt determinaté vera, quin ad veritatem earum requiratur obiectum habens eſſe ex connexione metaphyſica per poſitionem vnitivam alterius intrinſicé determinatum: ergo & ſola propoſitio de contingenti futuro erit ſimiliter vera, v. g. *mundus erit*. Anteced. patet in hac propoſitione, *mundus eſt*, & ſimilibus, v. g. *Petrus convertitur*. Hæc inſtantia facilé ſolvitur; quia propoſitiones de præſenti ſignificant obiectum præſens, quod ſi non ſit, affirmans erit determinaté falſa, & negans determinaté vera; at autem propoſitiones de futuro ſunt de obiecto nõ determinato, & ſic, de obiecto, quod forté erit; quare propoſitio negans non poteſt adhuc dici vera; ſicuti ex eo, quod ſit de obiecto, quod forté non erit, non poteſt adhuc altera dici falſa; & é contra, neutra falſa. Itaque ad propoſitiones de præſenti,

vt

Digitized by Google

vt de obiecto determinato, non requiritur ad veritatem complexio earum, determinationem metaphyſicam inducens; ſin autem ad propoſitiones de futuro, cum determinationem à principio, & eſſe phyſico non habeant. His ita.

§ 1 Reſpondeo ad confirmationem dicendo, illam reflexionem non poſſe negari ſupra quamlibet illarum propoſitionum; exiſtimo tamen ambas propoſitiones reflexas, eſſe determinatè falſas, ſic intellectas, v.g. affirmat aliquis, *quod mundus erit*, & aliquis, *quod mundus non erit*, & deinde primus reflectens ſupra primam, ipſam habens pro obiecto, aſſerit per reflexam, *vera eſt propoſitio affirmativa*, & ſic alter aſſerit per aliam, *quod vera eſt negativa*, in quo caſu videtur poſſe dici, quod vtraque reflexa eſt falſa; quia prima reflexa affirmat, quod affirmativa directa eſt vera, quod eſt falſum, quia prima directa nec eſt vera, nec eſt falſa, & ſic aliter ſe habet in ſe, ac affirmatur eſſe, ſiquidem quod nec eſt verum, nec falſum, non eſt determinatè verum. Similiter ſecunda affirmans, quod negativa eſt vera, videtur falſa propter idem: vnde ſimiliter debet dici, quod eſſet falſa ſi affirmaret, quod aliqua ex directis foret falſa; quia quæcumque ex directis nec eſt vera, nec eſt falſa: ergo affirmare, quod aliqua erit falſa, eſſet falſum, prout ſic intenderet affirmare, eſſe falſum id, quod nec erat verum, nec falſum.

§ 2 Deinde adverto, quod ſi per reflexionem affirmaretur de futuro, neutra reflexa foret vera, nec falſa, v.g. ſiquis diceret, *propoſitio affirmans mundum fore, erit vera*, quia hinc non ineſt dictum obiecto ſibi præſenti, ſed refertur ad obiectum adhuc non determinatum, ſicque, nec poteſt dici, quod determinatè ſit verum, nec falſum, ſed quod indeterminatè eſt vtrumque, & quod determinatè erit aliqua pars ex vtraque. Necnon ſi alia cupias, poteris ad prædicta reſpondere, ſicuti noſter Antonius Andræas ad hanc propoſitionem, *te fore album, eſt verum*, reſpondet; dici poteſt, quod determinatè nec eſt vera, nec falſa, quia, vt rectè Scotus prævidit in *quaſt.* 2. *Periherm.* veritas enuntiativa eſt menſuranda, & inferenda ex vltimo ſignificato: vnde quando aliquid eſt ſignum alicuius, quod aliquod eſt adhuc ſignum alterius, ab hoc altero, quod nullius eſt ſignum, eſt omnium præcedentium ſignorum inferenda veritas; quare cum propoſitio reflexa ſit ſignum enuntiativum directæ, & directa ſit ſignum enuntiativum ipſius rei, quæ nil vlterius ſignificat, ſed eſt vltimum obiectum, ab iſtius eſſe eſt inferenda veritas directæ, & reflexæ ad ipſum tendentes; ſicque, ſiquis dicat, *Petrum fore album*, & deinde alius reflectat, *verum eſt, Petrum fore album*, hæc propoſitio etiam erit indeterminatè vera, cum ſit etiam relata ad vltimum deſignatum, cuius eſſe eſt indeterminatum; quare non poterit dici, quod ſit vera, quia fortè non ponetur albedo; nec poterit dici falſa, quia fortè albedo ponetur, & ſic illud dictum manebit verum. Elige, quod malueris; quocumque electo ſatisfacies; ſerva tamen in electione intentum contra te arguentis.

§ 3 Obijcies 2. ante decretum divinum ſi poſſet dici, Deus faciet decretum de creando mundo, illa propoſitio foret vera: ergo ſimiliter propoſitio affirmans obiectum decreti ante ipſum decretum eſſet vera. Patet anteced. quia divinum decretum non habet eſſe futurum ab alio decreto, vt ſupra diximus: ergo propoſitio affirmans decretum ante ipſum decretum, quod quidem poſtea re vera fieret, non penderet ab alio decreto ad ſui veritatem, ſed ſolum à ſola poſitione decreti: ergo ſimiliter propoſitio affirmans obiectum. Cõfirm. quia veritas non eſt conformitas cum cauſa ipſius obiecti, neque aliam cauſam requirit, niſi obiectum ſecundum differentiam temporis importatam per copulam; ſed obiectum ſupponimus, (inquit noviſsime Groſſo) quod ſecundum differentiam temporis importatam per copulam, eſt conforme, aut difforme: ergo propoſitio illa eſt vera, aut falſa ante omne decretum divinum.

§ 4 Reſpondendum ſentio negando antecedens; quia adhuc ex ſuppoſitione, quod illud dictum foret expedibile, neſcio ex quo determinatam veritatem poſſet habere, cum poſt inſtans, quod concipitur, poſſet Deus mundi creatioem non decernere: vnde illud dictum non foret verum. Sin autem pro facere decretum percipiatur, præciſè decernere, ſive creationem, ſive non creationem, tunc verum erit illud dictum; ſed illud, vt iam dixi, habet obiectum eſſe metaphyſici, & neceſſarij, ita vt Deo non ſit liberum, cum Deus decernere debeat, præcipuè apud tenentes, quod nõ datur ſuſpenſio divini actus; necnon tenentes, quod aliquod poſsibile, manere tantum poſsibile, procedat ex decreto ſupra eſſe poſsibile, addens ly *tãtum*; de quo in proprio loco. Itaque dico, quod etſi decernere ſit determinatè neceſſariũ, quia Deus ſuſpẽſus, & ab omni decreto præciſus non poteſt manere, ſaltim in ſentẽtia communiter negãte in tẽpore decreta; ſed tamẽ

Digitized by Google

decernere creationem eſt indeterminatum, & ſic indeterminata veritas, & ſimiliter eſt, indeterminatum non decernere illam.

55 Ad confirmationem reſpondeo dicendo, verum eſſe, quod veritas non eſt conformitas cum cauſis ipſius obiecti, ſed cum ipſo obiecto, quod in ſe eſſe, enuntiatio ſignificat; ſed tamen obiectum ſecundum ſe contingens, & ad vtrumque indifferenter apprehenſum, nullum eſſe habebit determinaté, niſi ſupponatur eius indifferentia per alicuius cauſæ actionem, vel determinationem reſoluta, & contracta, vt ab eius iam firmo eſſe, firmam habeat veritatem enuntiatio. Itaque dico, quod veritas, etſi non ſit formaliter conformitas cum cauſis, eſt tamen præſuppoſitivé, cum requiratur, quod cauſa ſit neceſſario, ſeu efficaciter determinata ad eſſe obiecti, vt poſſit inde reſultari veritas ex conformitate cum illo. Ex quibus infertur, quod eſſe contingens, & indeterminatum, & deinceps ab omni decreto præciſum, necnon ſolum cauſas etiam contingentes præſupponens, non habebit, vnde poſſit eſſe terminus, à quo oratio poſſit dici determinaté vera, vel determinaté falſa. Et ad illud, vtpote, quod obiectum ſupponitur ſecundum differentiam temporis, importatam per copulam, eſſe conforme, vel difforme; dico, quod ſupponitur probandum, quia ſupponitur eſſe, vel non eſſe determinatum, ſeu ſupponitur obiectum, quod eſt falſum, quia eſſe obiecti eſt adhuc indeterminatum pro tempore importato per copulam, pro quo ſolum eſt verum, quod erit, vel non erit determinatum.

56 Obijcies 3. nunc mundus v.g. eſt determinaté exiſtens, ſicque, & oratio mundum exiſtere ſignificans eſt determinaté vera: nunc ſic; ſed nil poteſt eſſe determinaté exiſtens, quin ſaltim in illo priori ad exiſtentiam haberet determinatum eſſe futurum: ergo nil erit futurum, ex cuius eſſe determinato deſinat oratio illud ſignificans, eſſe determinaté vera. Relictis aliquibus, quæ diffuſé occurrunt, breviter reſpondendo, concedo maiorem, & nego minorem, prout intendit argumentum, vtpote, quod foret determinaté futurum, illud idem, quod eſt exiſtens. Neque hæc reſponſio poteſt ſcandalū excitare; quia decreta divina extiterunt abſque futuritione, dum ipſa decreta divina potuerunt non exiſtere non minus, ac quodlibet eſſe mendicatum. Hoc dico, ne diſparitatem inquiras. Deinde, ſi ab æterno Deus aliquam creaturam extra cauſas produceret, foret exiſtens, quin futuritionem præeuntem ibi exiſtimem. Tum etiam, quia ex hoc, in nullo, quod ſciam, minuitur dependentia, nec perfectio rerum, quæ de facto ſunt.

57 Obijcies 4. hæc propoſitio, Petrus mané convertetur, eſt difformis ſuo obiecto, ſi obiectum indifferenter futurum ſit: ergo ex dictis, nunquam poſſumus vitare, quod propoſitio de futuro contingenti ſit determinaté falſa. Prob. antec. quia vt propoſitio ſit falſa, ſufficit, quod eius obiectum ſit aliter, ac ſignificatur; ſed propoſitio ſignificat, mané Petrum eſſe convertendum, & hoc determinaté, quia non converſionem Petri non ſignificat, dum tamen obiectum ſic non ſe habet, cum converſio Petri ſit indifferenter extitura: ergo ſemper eſt difformis ſuo obiecto. Id confirmari poteſt ex eo, quod ſi ad converſionem craſtinam Petri præiret decretum efficax, id non augeret determinationem ſignificationis huius propoſitionis, Petrus mané convertetur, ſed idem ſemper ſignificaret; ſed obiectum foret in ſe diverſum: ergo quia nunc eſt aliter, ac ſignificatur.

58 Pro ſolutione huius argumenti revoca in memoriam, quæ diximus cum Scoto ſupra *q. 1. art. 1. reſol. 5.* vtpote, quod ad veritatem propoſitionis de futuro non requiritur, quod obiectum ita ſit ſicuti ſignificatur, ſed requiritur ita fore. Revoca ſimiliter in memoriam quæ diximus *diſt. 1. q. 2. & 3.* vtpote, quod oratio idem ſignificat re exiſtente, & non exiſtente: quibus ibi. Reſpondeo argumento negando antecedens. Ad probationem reſpondeo concedendo maiorem, & dicendo ad min. verum eſſe, quod propoſitio ſignificat, Petrum mané convertendum, & hoc determinaté, prout determinaté ſignificare, eſt idem ac dicere, quod ſignificatio ſermonis eſt immutabilis; ſignificatū enim idē eſt, ſive res exiſtat, ſive non exiſtat, ſive extitura ſit, ſive non ſit; inde tamen non ſequitur, quod ſic determinaté ſignificet, quod vltimum ſignificatum ſignificet, tunc iam eſſe determinatum; quia illius determinatio accidit orationi ſignificanti, vt determinaté ſignificet; quin ex hoc poſſit inferri difformitas, ſeu falſitas; quia etſi oratio habeat determinaté ſignificare converſionem mané extituram, & hæc determinaté non ſit extitura; ſed tamen cum falſitas, & difformitas ſolum debeat eſſe ab eo, quod erit, & determinabitur, non debebit oratio dici falſa, quouſque in tempore debito, quod ſit ſignificato determinaté contrarium, determinetur.

59 Deinde id confirmatur ex ipſa confirmatione in contrarium; quia poſito decreto

non

Digitized by Google

non determinatur amplius, quod ſignificat oratio; non aliunde, niſi quia oratio non habet determinaté ſignificare à decreto; aliàs iſto ablato, nil determinaté ſignificaret; quod eſt falſum: ergo quia determinatio rei accidit determinationi ſignificationis: & ad illud, quod obiectum foret diverſum, poteſt ſimiliter dici, quod eſſe obiectivum, & ſignificatum non foret diverſum, quia ſignificatum eſt res, vt intelligitur, & hæc ſemper eſſet eadem; ſicuti diximus, eſſe idem ſignificatum, re exiſtente, & non exiſtente. Dico itaque, orationem illam ſignificare determinaté, converſionem fore; non autem ſignificare converſionem determinatam, quod eſt diverſum; dum enim affirmo, Petrum eſſe convertendum mané, hodie ſolum ſignifico determinaté futuram converſionem; ſed vel mané determinandam, vel hodie à determinatione præciſam; quia quod converſio ſit indifferenter futura, non impedit, quod non ſit futura, ita vt falſum non ſit dicere, eam foré: ergo abſque falſitate, eam foré, poteſt determinate affirmari.

60 Et quia ſcio, quanta ſit prædicti argumenti machina, illud inſtare intendam in propoſitionibus de præſenti; dum enim affirmo, quod Petrus eſt albus, ſic determinaté ſignificatur, Petrũ eſſe album, ac ſignificetur, Petrum eſſe animal, dum affirmo, quod Petrus eſt animal; & tamen, Petrus non eſt albus, ſicuti eſt animal, quia eſt albus contingenter, & animal neceſſarió Nunc ſic: tam neceſſarió illa oratio, Petrus eſt albus, ſignificat, Petrum eſſe album, ac illa altera, Petrum eſſe animal: ergo erit falſa, quia quod eſt contingenter, ſignificatur, veluti quod eſt neceſſarium. Vel ſic: ſignificatio eſt neceſſaria; ſed obiectum eſt contingens: ergo aliter ſe habet, ac ſignificatur. Nec valet, ſi dicas, quod omnis oratio contingenter ſignificat; quia arguam ex hac oratione, Petrus eſt animal, cuius obiectum eſt neceſſarium, & tamen ſignificatur contingenter: ergo non eſt in ſe, vt in ſignificatione. Quidquid dicant, dicam.

61 Obijcies 5. ſi propoſitio affirmans, Petrum foré convertendum, nec eſſet vera, nec falſa, ſequeretur, quod veritas, & falſitas non eſſent paſsio neceſſarió conſequens orationem affirmantem; ſed hoc videtur inſolitum, imó & repugnans, cum abſque veritate, vel falſitate ſit impoſsibilis affirmatio: ergo. Reſponderi poteſt dicendo ad maiorem, non repugnare, quod ſimiles affirmationes abſque veritate, vel falſitate determinaté formentur. Ratio eſt; quia ſimiles affirmationes non poſſunt dici ſimpliciter, & determinaté tales, ſed ſolum ſecundum quid; non enim affirmatur abſoluté, ſed affirmatur ita, vt ſit affirmatio de re nõ determinata; quare cum affirmatio ſit de obiecto, cuius eſſe adhuc eſt ſub indifferentia cauſarum pro tempore, pro quo affirmatur, conſimilem veritatem, & falſitatem habebit, vtpote indeterminatam, quæ poterit dici veritas ſecundum quid; ſicque nunquam illa affirmatio abſque veritate proportionata intuetur. Poteſt planius reſponderi dicendo, quod nulla eſt propoſitio, quæ pro tempore ſignificato per copulam non ſit determinaté vera, vel falſa: vnde, cum oratio de futuro contingẽti ſignificet actionem exercendam in tempore futuro, non autem in præſenti, conſimiliter, ſolum tempore futuro erit determinaté vera, vel falſa; non vero tempore præſenti, in quo formatur propoſitio de futuro.

62 Inſtabis ex oratione, quæ etſi ſit de præterito, v. g. Petrus fuit converſus, non habet veritatem de præterito, ſed de præſenti; non enim poteſt dici, quod nunc formata propoſitio fuit vera, vel falſa, ſed quod nunc eſt determinaté falſa, vel vera: ergo à ſimili eſt philoſophandum circa orationem de futuro, vt etiam habeat veritatem de præſenti. Reſpondeo negando inſtantiæ paritatem. Ratio eſt; quia propoſitio de præterito non poteſt habere indeterminatum obiectum; eam enim omnem determinationem debet habere, quam habuit de præſenti, ſeu illam ſupponere; impoſsibile ſiquidem eſt, quod Petrus determinaté non fuerit converſus, vel non converſus, ſicque ab eo, quod determinaté fuit, poterit oratio vera eſſe, ſicuti & poſſet vera eſſe de præſenti abeo, quod foret, ſi etiam decretum firmiter eſſet; quare, cum ſupponamus, neque in ſe, neque in cauſis obiectum habere determinationem, neque illam poteſt habere veritas.

63 Obijcies 6. omni decreto præciſo, certó cognovit Deus, an Petrus craſtina die liberé ſit convertẽdus, vel non; ſed illa cognitio divina de converſione nõ fuit indifferẽs, ſed determinaté vera; & vera non ſolum pro tempore converſionis, ſed ab æterno: ergo & vera ſimiliter erit quævis propoſitio noſtra illud idem ſimiliter affirmans. Huic argumẽto reſpondent aliqui, permittentes, quidquid ad Deum ſpectat, & negantes quidquid ad nos. Diſparitas ponitur in eo, quod intellectio divina comprehendat omnes cauſas ſecũdas, quantumvis contingentes, & eorum effectus, cognoſcens partem, ad quam ſe determinabit voluntas, vel in ipſa determinatione, li-

libera, vel in eminentia ſuæ comprehenſionis, vel in alio medio, nobis ignoto; at veró propoſitio noſtra de converſione furura libera non habet de præſenti, vnde poſsit determinatam veritatem trahere, quia omnia media vndequaque ſunt contigentia. Sic noviſsimé intendit etiam reſpondere Diony. Blaſco *lib. 6. diſt. 24. q. 2. ar. 4.*

64 Sed contra præfatam reſponſionem, eximiam ſentio violentiam; quia eſtó cognitio divina ſit vera, debet eſſe vera, quia ſic ſe habet terminus veritatis, ſicuti cognoſcitur: ergo eſt impoſsibile, quod ſie, etiam quævis alia aſſirmatio de eodem termino non ſit etiam vera. Videantur dicta circa hoc, ſupra in *quæſt 2. reſol. 1.* quod enim non eſt, neque in Deo poteſt contineri; imó perfectio divinæ eminentiæ ſplendet penés verum continendi modum, nil continens, neque repreſentãs niſi ſervando ipſius eſſe veritatem; aliàs futurum indeterminatum, non foret in Deo contentum. Poſsibilia ergo, nec à Deo videntur vt futura, nec futura videtur exiſtentia; ita vt ſolos illos gradus percipiamus habere divinam viſionem, quos decretum veluti auget. Aliud enim eſt, quod nos non cognoſcamus veritatis medium, & aliud, quod eſtó ſit medium, affirmationi noſtræ deficiat. Non cognoſcere, an ſit verum, quod aſſirmamus, poteſt ſubſiſtere; non autem, quod non ſit verum, dum adſit determinatum conformabile, ſive ſit cognitio divina, ſive eminentia, ſive quodvis aliud.

65 Fateor, quod de facto punctum contingentiæ controvertentes, non levem relinquunt ſcrupulum in Deitatem; quia, etſi iuxta robur noſtræ formatæ teſolutionis poſsit, & debeat reſponderi, quod ſecluſo omni decreto, ſolum cognoſcit futura contingentia contingenter, ita vt hoc honeſtemus dicendo, quod ſi Deus contigenter ſcit, eſt, quia vult contingenter ſcire, cum velit res illas abſque decreto, ſed ſolum in ſuarum cauſarum contingentia; ſed tamen duriſsimum videtur, quod Deus ab æterno non cognoviſſet determinaté omnes contingentiæ ſuturos eventus, dum de danda gloria, ſeu de infligenda pæna infallibilem habuiſſet reſolutionem; quæ non foret tanti Numinis, ſi pœnam determinaret contra indeterminatós defectus.

66 Reſpondeo ergo, me præfatam reſolutionem formaſſe, ibi annotando reſolutionis modum, videlicet, ex ſuppoſitione, quod effectus futurus ita ſit contingens, & indeterminatus, quod nullum eſſe poſsit ex aliqua cauſa percipi determinatum, ſed omnes eſſe contingentes, etiam primam. Hoc modo dico, quod nec Deus poſſet affirmare converſionem ſic contingenter futuram, quin etiam eius affirmatio foret indeterminaté vera; nec id inconveniret; quia dum forté aliud eveniret, illa Dei affirmatio ceſſaret, ſicque nũquam mentiretur; ſed nec determinaté diceret verum ante eventum determinatum, ſed daretur in Deo actus à veritate, & falſitate præciſus, ſicuti Scotiſtæ relationes divinas ab imperfectione, & perfectione præciſas ſignamus, quouſque eas formaliter intuemur; dum tamen eas realiter intelligimus, ceſſat præciſio, & intrat determinata perfectio. Si enim non repugnat, quod in Deo detur formalitas, quę determinaté, nec ſit mala, nec bona; nec repugnabit formalitas, quæ nec ſit vera, nec falſa. Hæc ſentio; itaque ſi de facto, ſic omne decretum excludatur, idem ſentire de facto debeo; exiſtimo tamen, ſic non eſſe res contingenter futuras; quia tam Thomiſtæ, quam Scotiſtæ componimus ſufficientiam libertatis cum infallibilitate decreti: ergo quomodolibet effectus ſit de facto liber, decretum infallibile connotat, ita vt ille effectus, & non alius ſit eventurus, in quo eventu, quæſtionem ceſſare videtur. Non ſic ceſſare videtur difficultas adhuc, ſub illa ſuppoſitione quæſtionem capientes, ſed ſemper plura vincenda reſtant.

QVÆST. III.

An eadem propoſitio poſsit tranſire de vera in falſam.

67 ANte quæſtionis reſolutionem ſolet ſupponi, hinc non loqui de propoſitione neceſſaria, ſicuti nec de impoſsibili; quia cum quælibet ſit in veritate æterna, & æternum ſit immutabile, eſt imperceptibile, quod propoſitio mutetur, ſicuti eſt impoſsibile, quod mutetur impoſsibile, & quod neceſſarium non ſit tale neceſſarió. Quæſtio igitur procedit de propoſitione contingenei, vtpote de illa, quæ neque ſemper eſt, vt neceſſaria, neque eſt vnquam, vt impoſsibilis, v. g. Petrus currit, Chriſtus naſcitur, &c. Hinc etiam prævenitur ab alijs, quæſtionem debere procedere, non de actu intuitivo, qui movetur ab ipſa præſentia obiecti, ſed ſolum de actu abſtractivo, qui cognoſcit rem per ſpeciem alienam, v.g. dum cognoſco Romam, propter humanam revellationem, quæ mihi Romam repreſentat. Exiſtimó tamen, hanc notam non requiri

vni-

Digitized by Google

vniverſaliter, cum inutilis videatur ad veritatem propoſitionis ſcriptæ, ad cuius determinationem illud motivum extraneæ revelationis non requiritur: vnde ſi requiratur, erit ad propoſitiones interné formatas, quæ non poſſunt formari intuito obiecto, contra eius intuitionem; de quo dixi ſatis in *lib. 1. q. 1* & alibi.

68 Reſolvo igitur, eamdem propoſitionem formalem poſſe tranſire de vera in falſam. Ita expreſsé, & literaliter Scotus in 1. *Periherm q. 3* citans Ariſtot. *in lib. Prædicam. cap. de ſubſtan.* dicentem, *quod eadem omnino oratio, quandoque eſt vera, quandoque eſt falſa, &c.* Ex quibus arguit Scotus: oratio idem ſignificans poteſt quandoque eſſe vera, & quandoque eſſe falſa; ſed oratio ſignificativa eſt propoſitio, ſeu enuntiatio formalis, de qua loquimur: ergo propoſitio, ſeu enuntiatio ſignificans poteſt eſſe, idem ſignificans, quandoque vera, quandoque falſa. Maior eſt literalis apud Ariſtot. prob. tamen ab Scoto; quia oratio idem ſignificat re exiſtente, & re non exiſtente; ſed re non exiſtente, v.g. ſortes ſedet, ſorte non ſedente, eſt oratio falſa, & ſorte ſedente, eſt oratio vera: ergo oratio idem ſignificans, poteſt, quandoque eſſe vera, quandoque eſſe falſa. Quod oratio idem ſignificet, facta quacumque tranſmutatione in re, pluribus rationibus ſubtiliter probat ibi Scotus; vide dicta ſupra in *d. l. 1. q. 3.* Deinde reliqua ex maioris probatione vnicé pendent; illa enim propugnata, infertur manifeſté eiuſdem orationis tranſitus; quia veritas enuntiativa, & formalis ſiſtit in ipſa oratione vt in ſigno: ergo cum hoc, idem ſit, ſive ſit verum ex eo, quod ſit, quod ſignat; ſive ſit falſum ex eo, quod aliter ſit, quod ſignatur; ſequitur, quod eadem oratio ſignificativa poſsit de vero in falſum habere tranſitum.

69 Probari poteſt etiam ex aliquarũ propoſitionum exemplari, v.g. ſiquis ante adventum Chriſti formet hanc propoſitionẽ *Chriſtus naſcetur*, quæ perſeveret vſque adhuc, erit vera ante Chriſti nativitatem, & falſa poſt illam: ergo. Sic plures aliæ propoſitiones formari ſolent. Reſpõdetur, & noviſsimé à Dionyſ. Blaſco *diſt. 24. q. 2. art. 5.* quod omnis propoſitio ſignificat, non ſolum actionem, ſed etiam tempus, in quo exercetur, ratione verbi ſignificantis cum tempore; ideo illa, & ſimilis alia propoſitio, v.g. Petrus currit, vel à principio ſignificant toto tempore, quo ipſæ perſeverant, nativitatem futuram, & curſum Petri, vel in aliqua parte determinata, vel indeterminata illius horæ. Si primum; à principio fuerunt falſæ; quia affirmant futuritionem rei, tempore quo iam exiſtit. Si ſecundũ; vel in illa parte horæ verificantur, vel non? Si primum, ſemper fuerunt veræ: ſi ſecundum, falſæ: ſic omnes profetiæ modo ſunt veræ, v.g. Chriſtus naſcetur, quia ſemper ſignificant nativitatem Chriſti futuram reſpectu temporis, in quo Propheta illas ſcripſit, quia non poſſunt variare obiectum.

70 Huic reſponſioni aliqua eſt exhibenda ſatisfactio; ſed in primis arguo ſic: illud idem, de quo in hoc inſtanti eſt verum dicere, quod fuit verum, non poteſt nunc eſſe verum; ſed ſervata perfecta intentione prophetiæ poteſt definire Eccleſia, quod illa propoſitio, Chriſtus naſcetur, fuit vera: ergo quia eadem propoſitio, vera non eſt nunc. Maior debet eſſe certa, loquendo de vero terminato ad obiectum tempore informatum; quia ſi hæc propoſitio v.g. *inſtans, A, præterijt*, ſit vera nunc in inſtanti *B*, nõ potuit eſſe vera in inſtanti *A*; & é contra, ſi hæc *propoſitio inſtãs A, præſens eſt*, fuit vera, impoſsibile eſt, eſſe verum, quod inſtans *A.* præſens ſit; & à ſimili invenies in quacumque propoſitione de obiecto tempore ſic informato: ergo ſi illa propoſitio de futuro fuit vera de præſenti, eadem propoſitio tempore nunc præſenti debet eſſe falſa.

71 Deinde, quia vt illa propoſitio ſit vera, debemus nos conſiderare in tempore, in quo fuit Propheta, & in illo eodem tempore conſiderare propoſitionem: ergo ſi in hoc reali tempore conſideremus propoſitionem, cum id poſsimus, propoſitio erit falſa. Quod id conſiderare poſsimus, ſuadeo evidenter; quia poſſumus conſiderare nunc, illam propoſitionem ſcriptam perſeverare, & deinceps debes conſiderare, quod illud tempus Prophetæ, non poſsimus conſiderare, perſeverare nunc; aliàs tempus foret de conſideratione continui permanentis: ergo conſiderare poſſumus, illam propoſitionem perſeverare nunc, quin iuxta talis perſeverantiæ conſiderationem, poſsimus conſiderare, eam nunc eſſe veram.

72 Tum etiam; quia ſi illa propoſitio ſit vera, quia poſſumus, & debemus eam conſiderari in tempore, quo fuit ſcripta à Propheta, ſeu ab illo prædicata, ſequeretur, vix vllam propoſitionem poſſe eſſe falſam; quia ſi aliquis dicat, *Chriſtus naſcitur*, poterit ſe conſiderare in nocté nativitatis Dominicæ, & in tempore Iſaiæ, ſi dicat, *Chriſtus naſcetur*, & hac conſideratione, nil dicet, quod verum non ſit. Dices, ita eſſe; quia propoſitio illa tũc ab eo ſic intenta, foret propoſitio mentalis,

con-

Digitized by Google

conformis cum obiecto. Sed contra; quia ſaltim propoſitio ſcripta erit difformis, cum ſignificet de futuro, quod eſt de præterito. Suadetur hoc; quia illa propoſitio ſcripta abſque vlla conſideratione ſignificabat tunc nativitatem futuram, & abſque vlla conſideratione erat tunc vera: ergo abſque vlla conſideratione idem nunc ſignificat, & abſque vlla conſideratione erit nunc falſa. Prob. anteced. quia etſi Propheta, ignorans miſterium, & nil de tempore conſiderans, eam ſcriberet, foret vera: ergo ſignificativa penes nudam ſcripturam: ergo ſcriptura perſeverante nunc, nunc idem ſignificat: ergo & nunc ſignificat abſque conſideratione, quod erit poſt nunc, in quo ſignificat; ſed hoc ſignificatum, conſideratione non reſtrictum, eſt falſum: ergo &c.

73 Dices, quod in tali caſu, iam non foret eadem propoſitio, cum non foret in prophetiæ conſideratione. Contra; quia voces, & ſcripta non ſignificant ex conſideratione alicuius, ſed ex impoſitione, qua poſita ſignificabunt, vt patet de ſigno ad placitum, ramum enim ſi videam, de ſignificatione vini non ero dubius, tametſi dubius ſim, an ſit ibi, quod ſignificat. Tum etiam; quia ſi originalis propoſitio Prophetæ inveniretur, certé definiret Eccleſia ſic: *hac eſt eadem numero propoſitio, quam ſcripſit Propheta*; & ſi ab Eccleſia rogaretur ſic: *hac tunc fuit vera?* reſponderet affirmarivé. Cur? *quia Chriſtus non dum venit, erat tamen venturus*: ergo ſi nunc rogaretur, *nunc eſt falſa?* reſpondere deberet affirmativé; quia nunc eſt verum, quod venit, dum nunc ſignificat, eſſe venturum. Meo videri, non falleretur Eccleſia, etſi vlterius definiret, quod actus conſiderationis Prophetæ ſcribentis non erat realiter in propoſitione ſcripta: ergo ex conſideratione inconſideraté ſumitur veritas; aliàs etiam philoſophicé diſcurrentes, deberemus dicere cum Ariſtot. ab eo quod res conſideratur, vel non conſideratur, ſignificatio dicitur vera, vel falſa; non autem ab eo quod res eſt, vel non eſt.

74 His ita propugnatis, reſpondendum eſt nunc ad illud argumenti, vtpote, quod ſi illa propoſitio, à principio ſignificet nativitatem futuram, toto temporé, quo ipſa perſeverat, à principio foret falſa. Dico ergo, nil minus ſequi; quia etſi illa propoſitio ab ipſo inſtanti formationis, tunc, nunc, & ſemper idem ſignificet, non ſequitur, quod ſit falſa ſemper; niſi ſemper, & quando ipſa ſit, & perſeveret, & non ſit, & perſeveret in eſſe, quod ipſa ſignificat. Tunc in principio ſignificat Chriſtum venturum; tunc erat venturus; tunc erat vera. Dices, quod affirmat etiam futuritionem Chriſti tempore, quo iam exiſtit: ergo erat falſa. Dico, aliud eſſe, propoſitionem illam affirmare Chriſtum eſſe extiturum, in ipſo tunc, in quo ſit exiſtens, ita, vt affirmet, quod Chriſto exiſtente, ſit extiturus; & aliud eſſe affirmare, Chriſtum eſſe extiturum, etiam exiſtente propoſitione in tempore, in quo Chriſtus ſit exiſtens. Dum enim propoſitio affirmet, Chriſtum eſſe extiturum pro omni tempore, pro quo exiſtat propoſitio, non affirmat, Chriſtum exiſtentem, eſſe Chriſtum extiturum; quia propoſitio non poteſt affirmare, quod non ſignificat, & ipſa non ſignificat vnquam futuritionem, & exiſtentiam; ſed ſolum ſignificat futuritionem, quam, exiſtente Chriſto, affirmabit propoſitio, ſi exiſtente Chriſto, exiſtat propoſitio; quæ tunc erit eadem; falſa tamen, quia aliud eſt ab illo, quod ſignificat, cum ſignificet tunc, fore, quod tunc eſt. Itaque propoſitio ſignificabit idem, pro omni tempore, pro quo eadem perſeveret; ſi tunc erat, tunc ſignificabat; ſi nunc ſic, nunc idem ſignificabit; ita vt, etſi ſemper idem ſignificet, non tamen ſit vera ſemper. Sed ſemper nota, quod ſupra, vtpoté propoſitionem illam ſemper ſignificare, Chriſtum venturum; non autem ſemper ſignificare, Chriſtum venturum ſemper, ita vt ſignificet, quod etiam dum venit, ſit venturus; propoſitio enim in omni tempore ſignificabit Chriſtum venturum, ſed non ſignificabit in omni tempore Chriſtum venturum in omni tempore; ſed Chriſtum, ſolum de tempore futuro exiſtentem, ſignificabit propoſitio in omni tempore, in quo ipſa exiſtat, licet exiſtat propoſitio exiſtente Chriſto.

75 Objicies cum Bachonio: veritas conſiſtit in quadam indiviſibili adæquatione propoſitionis cum obiecto externo, qua ſemel poſita, iam non poteſt non conformari illi: ergo nec poteſt amittere veritatem. Confirmatur: propoſitio ſemel vera non poteſt eſſe falſa in ordine ad obiectum, cum quo fuit confirmata, niſi tale obiectum deſinat fuiſſe, aut propoſitio mutet obiectum, tendendo ad aliud, cum quo non conformetur; ſed neutrum eſt poſſibile: ergo. Non primum; quia res ex ſuppoſitione, quod ſit, impoſſibile eſt, non fuiſſe. Non ſecundum; quia cum propoſitio mentis ſit ſignum naturale, non poteſt mutare obiectum; nam eo ipſo propoſitio eſſet diverſa, quia ſpecificatur ab obiecto, & vbi datur diverſum ſpecificativum, datur etiam diverſum ſpecificatum: ergo &c.

Huic

Digitized by Google

76 Huic argumento reſpondeo concedendo antecedens quoad primum, & quoad aliud dico, quæ, ſemel poſita tali adæquatione, & nunquam ablata, non poteſt non conformari illi, eſt verum; ſed id eſt contingens, ſicuti fuit contingens, quod poneretur obiectum, ex cuius poſitione fuit poſita conformitas; non autem fuit poſita orationis ſignificatio; aliàs imperceptibilis foret veritas in aliqua oratione, cum vſque dum non poneretur eſſe obiecti, non poneretur ſignificatio propoſitionis. Nego deinde conſequentiam. Ad confirmationem reſpondeo concedendo maiorem, & negando minorem; res enim, etſi ſit, poteſt inde non eſſe, eſtó ſit ita, quod contingenter ſit. Nec valet, quod non poſsit mutare obiectum; quia etſi, vt laté expoſuimus in *diſt.* 1. cum Scoto, non poſsit mutare obiectum motivum, ſeu intentionale, quin ipſa mutetur, quia facta tranſmutatione in re, prout intelligitur, debet fieri tranſmutatio in ſignificatione enuntiativa; at veró, quin ipſa mutetur, poteſt fieri tranſmutatio in eſſe rei, quod vocatur ab Scoto vltimus terminus, ex cuius conformitate dicitur vera enuntiatio ſignificans illud. Id omne ſubtiliter prævidit Scotus, huic rationi innixus: dum non currente Petro, dicitur, quod hæc oratio, Petrus currit, eſt falſa, & currente Petro, dicitur vera, debet dici, quod eadem oratio, quæ fuit falſa, eſt, quæ dicitur vera; quia ſi non currente, varietur ſignificatum, non datur motivum, vt ſit falſa, ſiquidem diſtinctum ſignum, non erit, Petro non currente, difforme: ergo ſi eſt difforme tunc, & nunc conforme, oritur ex eo, quod variato, & difformato obiecto, non variatur ſignum.

77 Neque dicimus, quod propoſitio mutet obiectum, in quo non parum ſiſtere videtur Dionyſ. ſupra relatus; propoſitio enim non mutat obiectum, cum obiectum mutetur, quia contingens, & propoſitio non det obiecto contingentiam, ſed ad ſummum ſignificat eſſe obiecti, quod contingenter habet à cauſis; iſtæ ergo ſunt principia à quibus pēdet obiectum in eſſe contingenti; ita vt obiectum à cauſis habeat tranſmutationem, qua poſita, variatur eſſe, quo variato, transformatur propoſitio; ſemper tamen in eodem enuntiationis eſſe perſeverans.

78 Dices, ſemper videri, propoſitionem eſſe diverſam, ſiquidem diverſum videtur eſſe, quod eſt verum, ab eo quod eſt falſum: ergo eadem propoſitio non poteſt eſſe falſa, & vera. Reſpondeo, verum eſſe, verum, & falſum diverſificari; inde tamen nil infertur contra noſtrum intentum; nos enim non dicimus, verum reduplicativé, & in ſenſu compoſito poſſe eſſe falſum, ſed ſpecificativé, & in ſenſu diviſo, quod diverſiſsimum eſt, prout etiam in his ſenſibus eſt diverſum dicere, frigidum poſſe eſſe calidum; in vno enim ſenſu, idem eſt ac dicere, qood eadem aqua, quæ eſt frigida, poteſt eſſe calida, quod eſt verum; & in alio ſenſu, idem ac dicere, quod aqua inſimul frigida poteſt eſſe calida; vel iuxta reduplicationem formæ, quod frigus poteſt eſſe calor, quod eſt falſum, ſicuti quod veritas poſsit eſſe falſitas; vbi non datur ſubiectum, reſpectu cuius poſsit dari tranſitus.

79 Dices, ſuperius ſtabiliſſe, quod illa propoſitio, *Chriſtus veniet*, ſemper, & quãdo exiſtat, ſignificabit Chriſtum exiturum; ſed ex hoc poſſet ſequi, quod eadem oratio inſimul foret falſa, & vera: ergo. Prob. minor ſupponendo, quod Chriſtus foret venturus iterum, vel quod venturus ſit, vt eſt venturus in die iudicij, iuxta illam Angelorum propoſitionem in Aſcenſionis die, *ſic veniet* &c. in hoc caſu illa propoſitio, Chriſtus veniet, erit vera nunc, quia ſignat Chriſtum venturum, quod, ita determinaté erit: deinde in eodem nunc erit falſa; quia Chriſtus iam venit, & eum venturum nuntiat: ergo. Huic illationi ſentio breviter reſpondendum, eam cõcedere, nil inconvenire; quia veritas eſt relatio conformitatis, & falſitas eſt relatio difformitatis, & non videtur inconvenire, quod per duas diſtinctas relationes eadem enuntiatio ſit falſa, & vera; vera per relationem conformitatis ad Chriſtum venturum, & falſa per relationem difformitatis ad Chriſtum, qui iam venit. Sic nõ inconvenit, quod eadem albedo ſit ſimilis, & diſsimilis; ſimilis per relationem ad id, quod eſt album, & diſsimilis per relationem ad id, quod iam eſt nigrum.

80 Reliqua argumenta directé intendunt probare, quod propoſitiones contingentes non tranſeunt eædem de veris in falſis, cũ totum tempus indeterminaté non ſignificent; circa quod aliqua expoſuimus ſupra pro orationibus de futuro, vtpote *Chriſtus veniet*; nũc veró reſtat pro complemento aliqua exponere pro orationibus de præſenti, vtpote *Petrus currit*. Dices igitur, quod hæc oratio, *Petrus currit*, non ſignificat Petrum ſemper currere, ſed ſolum ſignificat currere tempore prolationis: ergo ſignificat tempus determinatum. Reſponderi poteſt, id eſſe verum de oratione, quæ ſolum durat, dum prolatio du-

Digitized by Google

rat; quia ſi magis duret, indefinité, & indeterminaté ſignificat tempus totius durationis, ταliter, quod neque debeat explicari coniunctivé, nec diſiũctivé; quia *Petrus currit*, ſi propoſitio duret per totam horam, non eſt idem, ac dicere, *Petrus per totam horam currit*, quod eſt certum; quia hæc oratio non eſt ſignificatio præſentis temporis, ſed collectio præſentis, preteriti, & futuri; ſub quo ſenſu illa propoſitio, *Petrus currit*, eſſet abſoluté falſa, cum Petrus per aliquam partem horæ nõ curreret. Sic, nec illa propoſitio eſt explicanda, quod Petrus, vel in hac parte horæ currit, vel in hac, vel in illa, quia tunc non eſſet ſignificatio de præſenti, ſed collectionis temporis, vt dictum manet.

81 Dicimus itaque, quod oratio de tempore præſenti ſignificat eventum rei præſentem pro tempore illo, quo præſens ipſa ſit, ita, quod hæc oratio *Petrus currit*, ſi duret per horam, ſignificet curſum Petri præſentem pro quocumque inſtanti indéfinité, & indeterminaté: vnde, vt oratio ſignificans tempus indefinitum, & indeterminatum ſit ſic vera, non requiritur, quod in omni inſtanti importato per copulam ſit vera; ſed ſufficit, quod ſit vera in aliquo inſtanti importato per illam: ratio eſt; quia oratio indefinita, tota terminatur ad quodcumque inſtans, ſicuti hæc oratio indefinita, *homo eſt albus*, tota terminatur ad quodcumque individuum. E contra veró, ſi oratio importaret tempus determinatum, requireretur ad eius veritatem, vt in omni inſtanti importato eſſet vera; aliàs ſequeretur; quod pro eodem tẽpore determinato eſſet falſa, & vera. Hæc ſunt aliqua nota præcavenda, vt aliqua oppoſita facilé diſſolvantur.

82 Dices contra illa; ſi actus ſupernus, terminatus ad hoſtiam conſecratam, aſſerens, *Criſtus eſt ſub ſpeciebus panis*, duraret per integram horam, in qua accidentia corrumperentur, poſſet tranſire in falſum, ſi tempus præſens ſignificaret indefinité, & indeterminaté: ergo cum implicet, quod actus ſupernus ſit falſus, implicabit, quod ſignificet tempus indefinitum, & indeterminatum. Huic argumẽto duplex poteſt adaptari ſolutio, quarum ſecunda ſit in primæ corroborationem. Reſponderi poteſt primó, dicendo, quod ſi actus eſſet ſupernus, deſtructis accidentibus, deſtrueretur & actus; quia cum Deus non poſſit eſſe cauſa ſpecialis deceptionis, & talis foret, ſi motivum ſupernum ad eliciendum actum falſum præſtaret, deberet ex hoc, motivum ſupernum illius actus deſtruere; ſicuti vt ne deficeret in dictis, ſi poſſet nũc revocare pactum eſſendi ſub ſpeciebus, deberet impedire, ne aliquis Sacerdos debita intentione verba conſecratoria proferret; vel deberet, derogatum pactum vniverſis manifeſtare. Hæc autem ſolutio eſt intelligenda, ſi ipſum motivum ſupernum non determinaret tempus aliquod, quia ſi tempus determinaret, pro illo tempore, abſque dubio duraret præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus; qui actus poſſet durare in perpetuum, quin falsó ſubeſſet, cum in tempore importato per copulam ſemper ſit obiectum conforme, ac per conſequens idem actus ſemper verus.

83 Reſponderi poteſt aliter primam reſponſionem confirmando, & exponendo. Dicimus ergo, quod tametſi actus ille ad tempus indefinitum determinetur ex motivo, & pluries eveniat in naturalibus, quod actus ex obiecto motivo determinatus ſit falſus, quia terminus poteſt eſſe realiter, ac ad illius eſſe movetur; id tamen adhuc in naturalibus evenire non poteſt, quando obiectum motivum excitat ad rem æterné veram; quia tunc eſt tam impoſsibilis variatio apud movens, quam apud terminans, vt laté diximus. His ita, dicimus, quod actus ſupernus non poteſt, ſubeſſe falſo, quia ſe habet motivum in ſimili proportione, ac ſe habet motivum naturale circa rem æterné veram. Congruentia deſumi poteſt ex eo, quod tametſi actus ſupernus excedatur à naturali neceſſario ex materia, ſed tamen actus naturalis neceſſarius exceditur à ſuperno ex ſtatu, & cauſarum elevatione, ita vt licet ex materia ſit contingens, & defectibilis, ſed ex ſtatu motivo, & fine, ex quo formatur, redditur infallibilis, & neceſſarius, cum in tantum percipiatur vltimo fini, & primo veritatis principio proximus, in quantum ex materiæ fallibilitate, & contingentia poſſet veritati percipi contingens, & remotus. Vnde congruit, quod ad Deum ſpectet, ſic eſſe conformia termino, quæ ex ſuperno, & ſibi propinquo motivo determinantur, ac congruit, ſic eſſe termino conformia, quæ ex motivo neceſſarió naturaliter decernuntur.

(?)

QVÆS-

QVÆSTIO IV.

An veritas, & falſitas ſuſcipiant magis, & minus?

84 QVod inquiritur in præſenti, eſt, an vna propoſitio vera poſsit eſſe verior alia, & alia falſior, vna falſa? Vtramque partem probabilem exiſtimo, nec pro vtraque deficere probabilitatem apud Scotum præſumo; ni fallor tamen, pars negativa probabilior apparet iuxta plura ſuperius viſa in Scoto: quare

85 Partem negativam reſolvendam ſentio. Ita Scotus *ſupra 1. Periherm. q. 2.* vbi ait, veritatem eſſe relationem ad vltimum deſignatum; ſed relatio non ſuſcipit magis, aut minus: ergo. Nec his obſtare videtur reſponſio Groſsi dicentis, quod licet relatio non ſuſcipiat magis, aut minus ratione ſui, ſin autem ratione fundamenti; non enim obſtare videtur, quia id ſolum eſt dicere, quod fundamentaliter ſuſcipit magis, & minus, quod libenter admittemus cum pluribus exceſſum materialem admittẽtibus in mendacijs. Deinde, quia vel relatio eſt indiviſibilis, vel diviſibilis? Si primum; nunquam in fundamento diviſibiliori poteſt dari fundamentum; vt ſit magis, vel minus. Si ſecundum; nunquam poterit dari fundamentum, vt de relatione dicatur, quod magis, aut minus non ſuſcipit. Infertur etiam ex doctrina Scoti ſupra *quæſt. 8. Vniverſal. verſ. ad aliud dico*; vbi docet, quod licet genus ad plura extendatur, non eſt magis vniverſale, quam reliqua, ſed quodam modo maius, quia extenditur ad plura, quemadmodum quaternarius eſt maior numerus binario, non magis: ergo à ſimili, licet ex maiori, vel minori affirmatione poſſet deduci inæqualitas extenſiva in vero, vel falſo, ab illis dimanantibus, non autem intenſiva; ſicque qui diceret, nullam Trinitatis perſonam eſſe divinam, extenſius mentirẽtur, quam qui diceret, vnam ſolam divinam non eſſe; quia licet actus ille foret falſus circa plura, non tamen foret falſus circa plus: ſic pariter, aliud eſt de pluribus affirmare, & aliud eſt affirmare plus.

86 Probari etiam poteſt ſatis directé ex his, quæ Scotus adducit ſupra 2. *Periherm. q. 9. verſ. Item ad principale*, vbi ait, quod propoſitio vna habet vnam contradictionem, &c. & etiam ex his, quæ adducit ſupra *lib. 1. Prior. quæſt. 3. verſ. & notandum*, vbi ait, quod cum cuilibet propoſitioni affirmativæ contradicat vna negativa, eadem erit cauſa veritatis affirmativæ, & falſitatis negativæ, ſcilicet, contradictoriæ: ex quibus arguam contra aliquos tenentes, falſitatem poſſe ſuſcipere magis, & minus, ex eo, quod hic actus, *viginti homines currunt*, magis diſtet à vero, quam ſi nullus, aut ſolum vnus currat, quam ſi decem, & novem currant. Sic noviſsimé Dionyſ. Blaſco in *6. diſt. 24. quæſt. 2. art. 5.* Arguam ſic; quando aliquis actus habet ſtrictam contradictionem cum actu ei oppoſito ſummé veró, nullus actus poteſt eſſe magis falſus; ſed ille actus, viginti homines currunt, habet ſtrictam contradictionem cum actu, qui eſt ſummé verus: ergo ſive vnus currat, ſive decem, nullus poteſt eſſe illo falſior. Maior videtur certa; quia ſi duo ſint contradictorié oppoſita, id debet habere vnum in eſſe veri, quod aliud in eſſe oppoſito. Min. formo ex illo principio Scoti ſic: etſi decem, & novem currant, iſta ſunt ſtricté contradictoria: *viginti homines currunt, viginti homines non currunt*; ſed hæc oppoſita eſt ſummé vera: ergo altera debet eſſe ſic ex oppoſito falſa. Suadetur; quia eſtó ex viginti affirmatis in curſu, vni ſoli deficiat curſus, non minus eſt formabilis contradictoria, quam ſi nullus curreret, ſiquidem contradictoria illi, vtpote, *viginti homines currunt*, eſt directé hæc, *viginti homines non currunt*; ſed eſtò ex viginti, vni ſoli curſus deficiat, eſt veré formabilis iſta; *viginti homines non currunt*: ergo &c. Eamdem arguendi formam circa quaſcumque alias propoſitiones ſervabis.

87 Probari etiam poteſt reſolutio aliquibus rationibus. Primum; quia, vt expoſuimus, hoc quod eſt eſſe verum, vel falſum, vnicé deſumitur ab eo, quod res enuntiata eſt, vel non eſt; ſed eſſe intrinſecé verum non eſt in vllo magis, aut minus: ergo eſtó illud eſſe enuntietur eſſe, nec poterit enuntiatio eſſe verior; nec poterit eſſe falſior, eſtó non eſſe illud, quod eſt, enuntietur. Secundum; quia adhuc in indiviſibili quantitativo, eſtó ſit verum, quod tangatur ab aliquo, à nullo poteſt tangi magis, & eſtó non tangatur, à nullo poteſt tangi minus: ergo eſtó indiviſibile eſſe rei attingatur per actum intentionalem, à nullo attingetur magis, & eſtó non attingatur, à nullo attingetur minus. Tertium; quia inter nullius ſphœræ actus, eſt excogitabilis maior inæqualitas,

quam inter actum divinum, & meum; ſed formaliter non eſt adhuc actus divinus verior meo:ergo. Prob. minor in actu, quo ego aſſentior, me non eſſe Deum, & in actu, quo Deus, me non eſſe Deum, aſſentit; necnon in actu, quo aſſentior, Deum eſſe Deum: ergo. Tum etiam; quia non poteſt Deus eſſe magis quod eſt, quam poſſum ego eſſe, quod ſum: ergo quilibet actus, qui quod ſum affirmet, erit ſic verus, ac quicumque divinus, qui ſic affirmet, quod ſum, ac affirmat, quod eſt. Quartum, & vltimum efficax eſt contra tenentes, veritatem eſſe indiviſibilem formalitatem; efficaciter enim argueretur contra tenentes, quod albedo erat indiviſibilis, quod eſtó vnus homo foret albus, nullus albior ipſo eſſe poſſet, nec vllus Deo gratior, ſi gradus non haberet gratia. Nec ignoro reſponſionem illorum, qui adhuc dicerent, quod tametſi veritas foret indiviſibilis, poterat tamen vna formalitas eſſe verior alia penes maiorem radicationem in ſubiecto intellectivo. Non enim id ignoro; ſed præterquam quod id eſt ſuo loco examinandum, propugnatum manet in *quæſt.* 2. quod veritas enuntiativa, dum ſtet in eſſe objectivo, & intentionali, non ſtat in intellectu, vt accidens in ſubiecto, ſed vt cognitum in cognoſcente.

88 Obijcies: veritas formaliter conſiſtit in repreſentatione obiecti ſicuti eſt in ſe; ſed vna repreſentatio poteſt eſſe intenſior, & perfectior alia: ergo & vna veritas. Hoc aſſumptum pluribus confirmatur. Primò confir. quia vna propoſitio poteſt eſſe certior, & evidentior alia: ergo & verior. Secundó, quia vna propoſitio poteſt eſſe intenſior, ſeu perfectior affirmatio, quam alia: ergo poterit habere perfectiorem veritatem vna quam alia, maximé cum veritas, & falſitas ab affirmatione, & negatione oriantur. Prob. anteced. quia qui credit revellationi divinæ, intenſius, perfectius, & innixius affirmat, quam qui credit revellationi humanæ: ergo affirmatio poteſt ſuſcipere magis, & minus. Suadetur amplius; quia dubitatio opponitur iudicio, quod eſt conceptus communis ad affirmationem, & negationem; ſed dubitatio ſuſcipit magis, & minus: ergo & determinatio, ſeu actus iudicativus. Confirmatur 3. quia ratio generica cognitionis ſuſcipit magis, & minus: ergo & ratio ſpecifica. Prob. conſequentia; quia ratio ſpecifica cognitionis etiam eſt qualitas, cuius proprium eſt ſuſcipere magis, & minus; ſed iudicium eſt ratio cognitionis ſpecifica: ergo ſuſcipit magis, & minus.

89 Reſpondẽdum ſentio ad argumentum concedendo maiorem, prout repreſentare obiectum, idem exprimit, ac eſſe illi conforme, ſub qua expreſsione neganda eſt minor. Dixi, maiorem ſub illa expreſsione eſſe veram, quia ly *repreſentare*, poterat forté ab aliquo ſumi in ordine ad ipſum intellectum, prout ipſum illuminat; quo pacto repreſentatio non ſolum conſiſtit in conformitate, & certitudine obiectiva, ſed etiam ſubiectiva, & adhæſiva intellectus; ſicque poteſt dici, vnam repreſentationem eſſe intenſiorem alia, prout ſic nil plus exprimitur, quam eſſe clariorem, & illuminatiorem alia; quod, vt claret, non eſt ad veritatis intentum, cum actus prolatus de ignoto, & confuſſo apud nos, poſſit eſſe veriſsimus, cum ipſe, prout verus, nil habeat præter ſecundum ſe totum referri ad obiectum. Reſpondendo ad primam confirmationem, dico circa evidentiam, quod ſuppoſito, quod vna propoſitio ſit evidẽtior alia, (forté id aliquis non concedet, ſed dicet, quod vſque dum aliqua propoſitio poſsit aliam evidentiorem habere, ipſa non habebit indiviſibile evidentiæ complementum, & ſtatum, ac per conſequens, quod non erat evidens) adhuc eſt maxima diſparitas, vt ſit etiam alia verior; quia etſi evidentia ſit de obiecto, dicit tamen reſpectum ad intellectum, prout hinc excogitatur exceſſus; in quo hæc eſt diſparitas, quod intellectus eſt quid elevabile, & in altiori penetratione terminorum ponibile, ſicque compatibile cum principijs ipſum augentibus; at autem veritas præcisé, & nudé dicit eſſe reſpectum ex conformitate ad eſſe rei, quod in omni ſtatu idem eſt, invariabiliter ſe habens, nec elevationem, nec diminutionem admittens; ita vt tale eſſe, cum quovis alio permixtum, aliter ac eſt, relinquetur, ac per conſequens cum vt attactum ab actu ſit firmum, à nullo alio actu poterit aliter eſſe, quoad eſſe verius, penetrari. Nec aliter poſſum percipere, quod vna propoſitio ſit evidentior alia, quam penes promptam mentis penetrationem, quæ non eſt regula generalis, cum nil ſit reſpectu alicuius evidentius, quam quod reſpectu omnium eſt incertum, & dubium; ſi enim omnes vndequaqué haberent mentem in prompta penetratione, nil verteretur in dubium.

90 Dices, non poſſe negari, quod evidentia, claritas, & quæcumque alia illuminativa dicant reſpectum ad potentiam, ita vt ſaltem in parte ſe teneant ex parte eius; ſed tamen, nec poteſt negari, quod ſecundum ſe id habeant; ſed id nil obſtat, vt admittant intenſionem: ergo. Reſpondeo, ſemper eſſe diſparitatem;

tem;quia,etſi à poſteriori,propter effectus tamen, dicebat Philoſophus, diſtinguenda eſſe principia; ſicque philoſophando dicimus, quod etſi illuminare habeant ſecundum ſe, ſed tamen id exigit, quod diſtinctam entitatem habeant, ac reliqua, quæ ad potentiam nullam dicunt adhæſionem, vt nullam dicunt, quæ ſunt vera, ſiquidem ab omni ratione, claritate, & evidentia abſtrahunt, vt patet, ſi in flore appareret hæc propoſitio ſcripta, Deus paſſus, vel in aliquo torrentis lapide, ſeu in ore alicuius avis loquacis; foret enim vera, ita vt mens, & omnia alia accidant, cum ſuum eſſe formale tendat ad ſic eſſe rei; quod nõ poteſt philoſophari in alijs, vt patet in gloriæ lumine, tale ſecundum ſe, ſed admittit intenſionem, quia omnis illuminatio, claritas &c. ſunt natæ potentijs; quare ſunt in ipſis, vt accidens in ſubiecto; quo pacto nunquam eſt veritas, vt dixi. Itaque reſolvo, quod ſi à propoſitionibus evidentibus omnem reſpectum ad intellectum abſtrahas, difficile invenies, quod in ſe non ſit quævis propoſitio evidentiſſima.

91 Ad illud de certitudine reſpondendum ſentio, quod prout hinc loqui intendimus, negari debet, quod vna propoſitio ſit alia certior, eſtò ſit ſuo obiecto conformis. Si enim aliquando dicimus, certius eſſe, Deum eſſe vnum, quam Petrum eſſe album, ita vt contrarium affirmare non audeamus; non quia certius ſit, ex ſuppoſitione quod Petrus ſit albus; ſed quia nunquam nobis certum eſt, quod ſic Petrus ſit albus; quia etſi videamus albedinem in Petro, iuxta noſtri judicij fallibilitatem, nollemus, quod in veritate illius actus nobis daretur gloria, vel infernum, cum fortè circa illud, quod videremus, penſaremus, an ſic eſſet, & ſic vacillaremus, vt ſolet; at autem ſi in rei veritate Petrus foret albus, tam certum foret dicere, Petrus eſt albus, ac Deus eſt vnus; quod ſi nunc tam certum non dicatur, debet intelligi, non de certitudine, de qua loquimur, vtpote de infallibilitate conformativa ad obiectum, ſed de certitudine quoad nos, & ex parte noſtrì miſeri modi intelligendi; quo pacto veritas cum certitudine pugnare valet, cum nulla propoſitio verior, quam *verbum eſt Deus*, & menti Arrianæ nulla incertior.

92 Ad ſecundam confirmationem eſt ſimiliter reſpondendum, dicendo, quod affirmatio, ex qua ſumitur reſpectus ad rem, prout eſt in ſe, non intenditur; quia ſic affirmare, non eſt aliud, quam poſitivè rem, prout eſt, ſignare; quo pacto dicimus affirmari, quod abſque mentis conſideratione ſignificatur, vt patet in ſcripto, ex quo veritas reſultat, prout non menti, ſed puro eſſe rei conforme; & tamen ſcriptum non affirmat, prout intendit argumentum, cum ibi non detur actus vitalis; affirmat verò, prout ex ipſius ſignificatione poſitiva datur fundamentum, ex quo veritas, vel falſitas poſſunt dimanare; v.g. in hac propoſitione ſcripta, *Petrus currit*, ſeu ab amente, vel dormiente prolata, in qua pro reſultantia veri formalis ſufficiens affirmatio datur. Itaque ſi aliquid intenſius dicatur affirmari, erit quoad nos, cum ex maiori & clariori cognitione terminorum ſecuriores reddamur, & ſic ex parte noſtri maior videtur affirmatio, quæ maior non foret, ſi ſic rem cognoſceremus, ſicuti actus cum ipſa conformatur; qui affirmandi modus etiam ſiſteret in indiviſibili, ſicuti ipſa res; quia affirmatio foret ab eo, quod eſſet; nunc autem eſt ab eo, quod movet; quod longè diverſum eſt, cum eſſe vt movet, ſit dubium; eſſe autem prout in ſe, certiſſimum.

93 Deinde ad illud de revelatione divina reſpondeo dicendo conſimiliter, quod ſi intenſius affirmetur, quam affirmetur revellationi humanæ, talis inæqualitas non eſt propter veritatem, ſed propter veracitatem; quia ſi ſic in omnibus dicentibus daretur veracitas, ſicuti in omnibus dictis datur veritas, eſtó ſint obiecto conformia, ſicuti dicimus, quod hæc propoſitio, *Petrus currit*, eſt tam vera, quam *Deus eſt vbique*; ſic diceremus, quod dicto Petri non aſſentiremus remiſſius, quam dicto Dei; ergo ſi nunc firmiorem aſſenſum præbeamus alicui dicto revellato à Deo, quam ab homine, id ſumitur ex parte noſtri, eo quod ignoremus, an homo dicat rem ſicuti eſt; quia ſi eam ſic diceret, æquè ipſi, ac Deo aſſentiremus. Patet hoc; quia Deus per revellationem alicuius propoſitionis non dat ei veritatem, nec eam facit infallibilem; ſed ſolum nobis, eam eſſe veram, manifeſtat, ita vt revellatio ſolum ſit connexio actus cum obiecto quoad nos; quare cum hæc deficiant cuicumque alteri revellationi, nunquam perfectè aſſentimus, ſed cum formidine; & quod ex parte noſtri actus detur inæqualitas, nil ad intentum prodeſt, vt patet in Aquila, quæ eadem indiviſibili ſpecie intenſius videt, quam Noctua; nunquam enim datur in obiectis infirmitas, & indifferentia potentiarum; obiecta ſiquidem in ſe ſemper ſunt infallibilia, & vnum infallibile non eſt maius alio: vnde ſi quæ ſe tenent ex parte potentiarum, ſe teneant adæquatè ex obiectis, omnem etiam infallibilita-

tem

tem habebũt, cum ſolum verſus id, quod ſunt, adſit indiviſibilitas. Sic Apoſtoli *quead ſe* rogarunt fidei augmentum, dicentes *adauge nobis fidem*; non autem prudens aliquis poſſet rogare, quod veritas circa eſſe Deum augeretur. Similiter eſt reſpondendum ad illud de dubitatione; quia dubitatio eſt accidens ſe tenens ex parte noſtri intellectus, & in intellectu datur habilitas ad magis, & ad minus; at veritas tota ſtat ex obiecto, quod nec poteſt eſſe minus, nec magis: ergo idem habebit, quod ei ſit conforme; aliàs non foret vera conformitas.

94 Ad vltimam confirmationem poteſt reſponderi, quod veritas, & falſitas non poſſunt dici ſpecies cognitionis, ſed accidentia, & ſic licet cognitio intenderetur, non poterat inde ſequi, quod & intenderentur ipſæ. Tum etiam; quia etſi conceptus veritati, & falſitati indifferens foret ſpecies cognitionis vt ſic, dicerem, quod de conceptu cognitionis vt ſic, non foret intrinſeca intenſibilitas, ſed de conceptu contracto, & ſpeciali. Et ſi non, talem intenſionem explicet, & tunc diſparitatem aptiorem adducemus, ſi iam ex dictis non deducatur.

95 Obijcies 2. intendens probare, quod ſaltim in falſitate poſsit dari magis, & minus: id ſuadebis ex eo, quod falſitas ſit receſſus à veritate, ſeu ab adæquatione cum obiecto; ſed vnus actus poteſt magis, vel minus recedere à tali adæquatione; ſicuti qui adæquatur totaliter cum puncto ſpatij, non magis adæquatur alio, poteſt tamen magis recedere ab illo, quam alius: ergo ſimiliter poterit vnus actus eſſe falſior alio; nam quando vnum contrarium ſtat in indiviſibili, aliud habet latitudinem, & ampliationem, quia conſiſtit in receſſu ab illo puncto indiviſibili; ac proinde hic actus, *viginti homines currunt*, magis diſtabit à vero, & adæquatione, ſi nullus currat, quam ſi decem & novem currant.

96 Præfatum, & conſimile aliud argumentum ſolum probant materialiter intentum, & vt certius eſt, mutando ſuppoſitionem ſenſus formalis; quia hinc dubitatur intenſio de quacumque propoſitione formata, prout in illo formationis ſtatu exiſtens, & perſeverans; quo pacto non datur latitudo in receſſu, vt patet in eſſe in fieri, & in facto eſſe, prout vnumquodque in ſuo eſſe, & ſtatu concipitur; ſic enim non magis recedit eſſe, quod non dum ſit, ab eſſe in facto eſſe, quam recedat ab eſſe in facto eſſe eſſe in fieri; quia licet eſſe in fieri ſit proximius, vt tranſeat ad eſſe in facto eſſe; ſed tamen ſi in propoſitionibus non fiat tranſitus, vtrumque eſſe æquè diſtat ab eſſe in facto eſſe, prout formaliter vnumquodque in ſuo eſſe concipitur, quia quod eſt impoſsibile circa vtrumque, circa vtrumque habet æqualem receſſum; à nullo enim poteſt aliquid magis recedere, quam id, quod dicit eſſe impoſsibile, quod recedat; ſed eſt impoſsibile, quod eſſe in fieri ſit eſſe in facto, & non minus id eſſe repugnat, quam quodvis aliud eſſe, quod adhuc non eſt in fieri: ergo vtrumque æquè recedit. Idem dicitur de magis propinquo ad centrum, quod etſi ſit propinquius, & minus diſtans à tranſitu, hoc eſt, vt deperdat ſtatum, in quo propoſitionem contradictoriam terminabat; ſed tamen prout tunc terminat illam propoſitionem, v.g. *eſt in centro*, eumdem illum ſtatum habendo, non magis diſtat per vnum palmum à centro, quam per mille, cum ſic ſit impoſſibile, quod ſit in centro adæquatè, qui palmariter diſtat, ac qui infinitè diſtat: ſic vtrumque eſt impoſsibile, & vtrumque æquè recedit, ita vt non detur latitudo, ſed indiviſibilitas, vtpotè *non adæquatio*; quare eſt mihi certum, quod ſicuti vna adæquatio non poteſt eſſe intenſior alia, nec vna non adæquatio poterit, tametſi ſit in propinquo, vt ſtatum non adæquandi deperdat, & vt tranſitum habeat, quod ſolum probat efficaciter argumentum; ſed hoc eſt materiale, & extra formalitatem veri, vel falſi, vt patet in eo, qui probaret, quod vna propoſitio vera de contingenti poterat eſſe verior alia, quia minus ſubiecta defitioni; v.g. hæc propoſitio, *Petrus eſt albus*, ſi probaretur verior, quam iſta, *Ioannes eſt albus*, dum Petrus foret albus vt octo, & alius vt quatuor. Similiter etiam ſolum inæqualitatem materialem probaret, qui probaret, verius eſſe, Petrum eſſe hominem, quam eſſe album; quia etſi albedo eſſet, erat tamen in propinquo ad receſſum; ſed ſic nil ad intentum, cum formaliter infinitus ſit tranſitus, vt eſt *de non eſſe ad eſſe*, quod æquè pugnat; tametſi vna propoſitio ſic eſſet vera, quod poſſet tranſire in falſam, & alia ad id tranſire non poſſet: ex quo nunquam probaretur, quod illa, vtpote de obiecto neceſſario, eſſet verior.

97 Denique opinio tenens, vnum actum verum non poſſe eſſe veriorem, ſin autem falſiorem poſſe eſſe vnum actum falſum, quia actus falſus eſt receſſus à vero, impugnatur vnico verbo, vtpote, quod etiam actus verus poterit dici per receſſum à falſo, & ſic idem habebit. Alia quamplurima argumenta ſolent hinc adduci, quorum in prædicto habes normam,

mam, & pro exactiori ſolutione nota illam receptam doctrinam de infinito maiori materialiter, nec non de numero finitorum maximo, cui ſi vnum vltra adderetur foret infinitum, & tamen licet ſola vnius diſtantia medìet, erit tam falſum dicere de eo, quod eſt infinitum, ſeu non finitum, ac erit falſum id dicere de numero, feré omnes eius vnitates minus habente.

QVÆST. V.

Aliqua dubia breviter reſolvens.

98 Dvbitab. 1. quid ſit affirmare, vel negare? Ante reſolutionē nota, quod propoſitio formalis dicitur communiter actus intellectus prout affirmans, vel negans; & ſic propoſitio obiectiva dicuntur obiecta ipſa prout affirmata, vel negata. His ita, exiſtimo, poſſe reſolvi, affirmationem non ſiſtere in nuda cognitione idemptitatis inter duo extrema, ſed vltra requiri cognoſcere, idemptitatem apprehenſam ita ſe habere in ipſis rebus. Suadetur breviter quoad primam partem; quia hinc pro affirmare intelligimus, quod ex voce ipſa percipitur, id eſt, firmum aſſertum formare; ſed id non formatur ex ſola idemptitatis apprehenſione: ergo. Prob. quia qui præcisé apprehendit idemptitatem ſyllogiſticam, non ſyllogizat; nam apprehendere diſcurſum non eſt diſcurrere, aliàs ſimplex apprehenſio foret diſcurſiva: ergo neque qui apprehendit idemptitatem extremorum, ea intentionaliter idēptificat, nec firmum aſſertum format: ergo &c. Nec valet, ſi dicas, quod ex eo, quod intellectus cognoſcat idemptitatem extremorum, cognoſcit, vnum nō eſſe aliud: ergo. Non valet, cum idemptitatem non cognoſcat aſſertivé, ſed apprehenſivé; ſicuti ob idem non valet dicere, quod diſcurrat, ſeu quod vnum ex alio inferat, qui vnum ex alio illatum apprehendat. Infertur ergo, quod affirmatio, prout intenditur, requirat cognoſcere, idemptitatem apprehenſam ita ſe habere in ipſis rebus. Dixi affirmare, prout hinc intenditur, quia ſi quæſtionem de nomine non quæramus, hinc intenditur affirmare, prout idem exprimit ac iudicare.

99 Dub. 2. an veritas formalis in ſola propoſitione reperiatur? Poteſt affirmativa pars reſolvi, quia ſtricté verum videtur terminari ad rem ſicuti eſt in ſe, ad quod non videtur ſtricté ſic apprehenſionem terminari. Suaderi poteſt; quia ſimplex apprehenſio, & ſimiliter omnes potentiæ intentionales ſenſitivæ attingunt obiectum, ſicuti relucet in motivo, ſeu in ſpecie; ſed ad verum formale ſtricté intellectum requiritur vltra, quod actus terminetur ad obiectum ſicuti eſt in ſe: ergo. Nec id plus ſuadere intendo, cum id ex grata inſtitutione multum pendere agnoſcam; quare, qui prædictæ ſuaſioni diſſentiat quieſcere, ſed velit aſſeverare, quod hæc oratio, *animal rationale*, eſt non minus conformis ſuo obiecto, quam quævis alia, difficilé poterit à ſua aſſeveratione averti; in quo ſenſu teneretur concedere, quod etiam ſenſationes, & apprehenſiones non compoſitæ forent veræ, & ſic imaginem Cæſaris eſſe veram, &c. qui modus verificandi, vt improprius, eſt communiter viſus: elige quod malueris, & cum grata inſtitutione tuum aſſertum compone.

100 Dubitab. 3. an propoſitio ſit vna ſimplex qualitas? Prout ad præſens attinet, ſentio, partem affirmativam eſſe reſolvendam. Suaderi poteſt ex eo, quod vnico indiviſibili motu intellectus formetur propoſitio; ergo propoſitio formata eſt qualitas indiviſibilis. Prob. quia ſi motus affirmationis non foret vnicus, ſed multiplex, cum affirmatio iudicium ſit, non poſſet vnica formari propoſitio, quin pluribus iudicijs intellectus moveretur; ſed id videtur imperceptibile: ergo. Suadetur, & ad id ſupponamus vnicum iudicij motum abſque alterius ſucceſsione; tunc videtur imperceptibile, quod motus iudicialis non ſit inter duos terminos; necnon videtur imperceptibile, quod non ſit inter illos iuxta ſuæ quidditatis conditionem, vtpote iudicando, ſeu iudicium inter eos exercendo; ſed eſt imperceptibile, quod hoc, quantumvis indiviſibili, & vnico exercitio, non ſit formata propoſitio: ergo. Nec multum valebit, ſi dicas, quod iudicium indiget cognitione rerum iudicandarum, vt inde circa ipſas exerceatur; ac per conſequens, quod ex pluribus cognitionibus componetur. Non enim valet, cum illis ſolum præſuppoſitivé, & fundamentaliter indigeat, non autem formaliter: licet ergo triplici apprehenſione attingantur ſubiectum, copula, & prædicatum antecedenter ad iudicium; at autem vnico iudicio inde formantur, quæ anté triplici apprehenſione attinguntur; aliàs nulla vis ſplenderet in nexu, & vinculantis conditione; ex quo enim poſſent dici vnum, ſi non vnum, ſed plura eſſet id, à quo vnum facere, illæ apprehenſiones haberent?

Du-

101 Dubitab. 4. an veritas, & falſitas ſint de eſſentia propoſitionis? Circa hoc forma vi reſolutionem in Logicæ compendio; vide illa, etſi forté tibi placeat, poteris dicere, quod ſolum videntur illius accidentia, cum ſine illius corruptione poſsint adeſſe, & abeſſe, prout diximus ſupra, eamdem propoſitionis eſſentiam poſſe tranſire de vera in falſam. Deinde, prout ſupra diximus etiam, propoſitionem poſſe exiſtere intentionaliter, quin nec determinaté ſit vera, nec falſa, poteſt inferre in quam parum veritas, & falſitas ipſi determinaté proſint, cum tunc detur propoſitio, quin detur verum, aut falſum.

TIBI, O PVRVM, SEV MARIANVM INSTANS.

LIBER SEPTIMVS

DE PRIORI ANALYSI.

PRÆAMBVLVM ARGVMENTVM.

EGIMUS in præcedenti libro de ſignificationum interpretatione, prout ad ſecundam mentis operationem conducebat; nunc ſpectat agere de Analyſi, prout ipſa mentis potentia ex opere diſcurſivo manet fœcunda, & ad ſublimiorem actum elevata. Diximus agere de Analyſi, qua voce, idem intelligitur, ac reſolutio, ſeu reductiva combinatio partium ad principia, & partes, ex quibus extitit conflata. Dicitur vna Analyſis prior, & altera poſterior: (in libris de priori Analyſi agitur de ſyllogiſmo vt ſic; ex quo valet dici *prior*; ſicuti quia in libris de poſteriori Analyſi agitur de ſyllogiſmo particulari, vtpoté de demonſtrativo, valebit dici poſterior.) Iſta dicitur ea, quæ eſt reductio ſyllogiſmi ad ſuas partes ſecundum materiam, proponendo conſequentis bonitatem, ſeu veritatem, ex connexione, quam habet cum præmiſsis veris, cauſa materiæ, quæ dicitur Analyſis poſterior: illa verò dicitur ea, quæ eſt reſolutio ſyllogiſmi ad ſua principia ſecundum formam, oſtendendo conſequentiæ bonitatem ex ſuis pręmiſsis, iuxta hanc, vel illam diſpoſitionem; de qua egir Philoſophus per duos libros, & ſupra illos, alios duos expendit Scotus, conſumens triginta, & ſeptem quæſtiones ſupra primum, & octo ſupra ſecundum; quorum aliquam notitiam reliquimus in eorum compendio; quare hinc, ſolum illa, quæ principalis eruditionis ſint, exponere curabimus.

***

DIS-

DISTINCTIO VN.

Quæ ad principalem ſyllogiſmi vt ſic intelligentiam ſpectant, reſolvens.

1 CVM in *diſt.* compendij, huic libro correſpondente, aliqua de ſyllogiſmo, tam ratione formę, quam materię dixerimus, ideo hinc, ſolum, quæ ad plenam eius notiam agere reſtabant, examinare decernimus.

QVÆSTIO I.

Diffinitionis Ariſtot. doctrina Scoti, expoſitiva.

2 POſtquam Doctor noſter reſolvit, ſubiectum huius libri eſſe ſyllogiſmum in communi, infra in *q.* 5. inquirit, an ſit vera illius diffinitio, prout ab Ariſt. tradita, nempè, *oratio, in qua quibuſdam poſitis ab his, quæ poſita ſunt, aliud accidit de neceſſitate, eo quod hæc ſunt* Circa quod pluta argumenta contrariat, etſi genuina expoſitione, ea omnia diſſolvat. Vt igitur reſolutionem de quæſito formet, aliqua notat, ſed hęc inter alia, videlicet, quod duplex eſt diffinitio; vna eſt diffinitio *quid rei*, & altera *quid nominis*. Rurſus diffinitio *quid rei* in duplici differentia ſignatur, vna enim exprimit, quid res ſit, per verum genus, & differentiam formalem ſine explicatione alicuius additi extraneæ conditionis, id eſt, quod diffinitio non exprimat, nec illud à quo res eſt, nec illud in quo eſt, nec illud cuius gratia ſit, quę omnia principia, vt patet, ſunt extraneę conditionis ad eſſe abſolutũ, & metaphyſicum rei, de qua ſolum debet exprimi quid ipſa ſit; qui modus diffiniendi ſolum datur de ſubſtantia cõpoſita, vt patet ex 1. *Metaphy*. apud Scotum ſupra. Secunda diffinitio *quid rei*, dicitur illa, quę nõ ſolum exprimit, quid res ſit, ſed inſimul cum eſſeitatis quidditate explicat aliquid extraneę conditionis ad eam; v.g. vt diffinitio accidentis ſit bona, debet exprimere ſubiectum, & ſic in diffinitione materiæ debet exprimere formam, quę diffinitorum quidditatibus extraneantur. Deſinitio verò *quid nominis*, quod eſt alterũ membrũ, propriè dicitur deſcriptio, & dicitur illa, quę exprimit explicitè ſignificationem implicitam termini diffiniti: ad cuius deſcriptionis bonitatem, tres ſufficere conditiones, notat Scotus. Prima eſt, quod ſit convertibilis cum diffinito. Secunda eſt, quod exprimat explicitè ſignificationem implicitam diffiniti. Tertia tandem eſt, quod ſit ſine nugatione. His ita

3. Reſolvit Scotus, quod diffinitio ſyllogiſmi nõ eſt ſimpliciter quidditativa. Probat; quia diffinitio ſimpliciter quidditativa non eſt niſi ſubſtantiæ compoſitæ; ſed modo ſyllogiſmus non eſt ſubſtãtia compoſita: ergo modo ſyllogiſmi diffinitio non eſt quiddativa. Reſolvit ſecundo Scotus, quod nec prædicta diffinitio eſt *quid rei*, iuxta modum ſupra expoſitum. Probat; quia in diffinitione accidentis, quæ eſt quid rei, debet explicari ſubiectum; ſed in iſta non explicatur, dum ſyllogiſmus eſt accidens: ergo prædicta diffinitio, nec eſt quid rei. Reſolvit tertio, quod prædicta diffinitio eſt *quid nominis* bona diffinitio Prob. quia prædicta diffinitio exprimit explicitè, quod hoc nomen ſyllogiſmus ſignificat implicitè, nec non, convertibiliter, & ſinè nugatione: ergo eſt bona. Suadet breviter antecedens; quia de ratione, ſyllogiſmi eſt habere plures præmiſſas, & vnam concluſionem, & quod ſit neceſſaria illatio cõcluſionis ex pręmiſſis; ſed ſic exprimuntur præmiſſæ in prædicta diffinitione per id, quod dicitur, *quibuſdam poſitis*; & ſimiliter concluſio per id, quod dicitur, *aliud ab his, quæ poſita ſunt*; necnon exprimitur illatio per id, quod dicitur, *accidit neceſſitate, eo quod hæc ſunt*: ergo &c. Sed hęc omnia exactius, & ſigillatim exponit Scotus, ipſaque expoſitione ſolvit argumenta.

4 Dicitur in primis *oratio*, tanquã genus, ad differentiam terminorũ incomplexorum, ſicque eſt genus proximũ; debet tamen intelligi, quod ſit oratio, non cathegorica, ſed hypothetica, facta ex pluribus cathegoricis, mediãtibus pluribus cõiunctionibus, quarum vna eſt inter præmiſſas, & alia inter præmiſſas, & cõcluſionem. His pręcavet Scotus hoc argumentum, videlicet, quod ſyllogiſmus non eſt oratio, ſed orationes, cum ſyllogiſmus ſit maior, minor, & cõcluſio, quę plures ſunt orationes. Hoc igitur pręcavet dicendo, quod eſt plures orationes cathegoricę, vna tamẽ hypothetica.

5 Ponitur ſecundo, *in qua quibuſdam poſitis*, ad differentiam conſequentiæ, in qua

ex vna propoſitione infertur alia, cuiuſmodi eſt converſio, æquipollentia, & huiuſmodi aliæ, quarum aliquæ ſunt conſequentiæ formales, & aliquę materiales. His præcavet Seorus hoc argumentom, videlicet, quod in ſyllogiſmo ponitur vna ſola oratio, ſcilicet, copulativa, ex qua infertur concluſio: ergo malé fuit poſitum in ſyllogiſmi diffinitione, *quibuſdam poſitis.* Hoc igitur præcavet Scotus dicendo, quod ly *quibuſdam poſitis*, fuit poſitum in diffinitione ad differentiam præciſé prædictarum conſequentiarum, in quibus nec adhuc cathegoricé ſunt plura, quæ ponuntur ad inferendum vnom ex alio; ſin autem in illo ſenſu ſunt plura in ſyllogiſmo; etſi hypotheticé ſint vna, ita vt ly *oratio* efficiat ſenſum diviſum in ſyllogiſmo, cum ly *in qua quibuſdã poſitis*, vtpoté, *oratio hypothetica, in qua quibuſdam poſitis cathegoricè &c.*

6 Ponitur tertio, *aliud ab his, quæ poſita ſunt*, ad differentiam conſequentiæ, quæ eſt à copulativa ad alteram eius partem; quia in tali conſequentia infertur idem per idem. Similiter ad differentiam conſequentiæ, quæ eſt ab exponentibus ad expoſitam; quia exponentibus, & expoſitæ correſpondet idem in mente conceptus, ac per conſequens in tali conſequentia infertur idem per idem.

7 Ponitur quarto, *de neceſsitate accidit*, ad denotandum, quod ſi præmiſſæ ſint veræ, & concluſio formetur, neceſſe eſt, concluſioné eſſe veram. His præcavet Scotus hoc argumentum, videlicet, implicare contradictionem, *quod concluſio adſit de neceſsitate, & quod accidat de neceſsitate*, quia accidentia nõ ſunt neceſſaria, vt patet *ex* 1. *Poſter.* ergo. Hoc igitur præcavet Scotus dicendo, nullam implicare contradictionem iuxta expoſita, vtpoté, per illam diffinitionis particulam denotari præciſé, quod ſi præmiſſæ ſint veræ, & concluſio formetur, neceſſe ſit, veram eſſe concluſionem.

8 Ponitur quinto, *eo quod hæc ſunt*, ad differentiam inductionis; quia in ſyllogiſmo concluſio, ſi formetur, eſt vera, propter hoc, quod præmiſſę ſũt veræ; ſed propter hoc, quod ſingulares inducentes ſunt veræ, non ſequitur concluſio vniverſalis, niſi cointelligatur vna alia propoſitio connexionem formãs ad vniverſalis illationẽ. Quare Scotus in *q. 7. Prior.* recté prævidit, quod inductio non ſit conſequentia evidens; quia ſingulares, ex quibus infertur vniverſalis, nõ ſignificant, omnes eas eſſe ſingulares iſtius vniverſalis: ergo ad ipſas non ſequitur vniverſalis evidenter.

9 His ita expoſitis, duplex inde argumentum proponit, & diſſolvit Scotus. Primum argumentum format ſic. prædicta diſſinitio non convenit cuilibet ſyllogiſmo: ergo non eſt bona. Conſequentia tenet ex 6 *Topic.* Antecedens apparet; quia ex 1. *Poſter.* enthymema eſt veré ſyllogiſmus; ſed prædicta diſſinitio non competit enthymemati: ergo. Huic argumento reſpondet Scotus vnico verbo, exponendo Philoſoph. dicens, quod enthymema veré eſt ſyllogiſmus, id eſt, veré poteſt fieri ſyllogiſmus, quomodo percipiendus eſt Philoſophus. Nec valet, ſi dicas, nil eſſe, quod veré non poſsit fieri ſyllogiſmus, ac proinde diminuté manere expoſitum: non enim valet, quia ſic de enthymematé dicitur, poſſe fieri ſyllogiſmum, quod iam propé ipſum foret, ita explicité implicité contentus in entymematé, vt ſine vlla ſubſtantiali eius mutatione, poſsit veré ſyllogiſmus fieri. Sic enim de aliqua imagine Sancti Patris noſtri Franciſci poteſt aliter dici, quod poſsit veré fieri imagó Chriſti, ac poſsit dici de quocumque trunco in diſtanti ſtatu conſiderato.

10 Secundum argumentum format Scotus cõtra illam particulam, *eo quod hæc ſunt*; quod format ex eo, quod tametſi illæ ſint, vtpoté præmiſſæ, ſed tamen non ſunt ſufficientes cauſæ ad illationem neceſſariam concluſionis ex illis, nempé ex præmiſsis: ergo concluſio non accidit ex neceſsitate, *eo quod hæc ſunt*, nempé præmiſſæ Suadet incẽtum in ſyllogiſmis ſecundæ, & tertiæ figuræ, vbi præter præmiſſas requirunt converſionem, & tranſpoſitionem præmiſſarum, aut converſionem per impoſsibile; quod etiam confirmat ex eo, quod quando ſunt præmiſſæ, nondum eſt cõcluſio: ergo præmiſſæ non ſufficiunt; ac per conſequens, ex eo, quod præmiſſæ ſunt, nõ ſequitur concluſio. Huic argumento reſpondet Scotus dicendo, ipſum diſſolvi ab Ariſtot. in ipſa litera; cui conformis ait, quod ſyllogiſmus ſecundæ, & tertiæ figuræ non indiget aliqua propoſitione totaliter diverſa à præmiſsis, quę ſũptæ ſunt; ſed preciſé indiget converſione alicuius ipſarum aſſumptarũ: quod, vt patet, longé aliud eſt, cum ſemper ſalvetur, quod illud ſequatur ex eo, quod illæ ſint.

11 Tandem contra omne eſſe definiti aliud ſic format argumentum: ſolius incomplexi eſt diffinitio; ſed ſyllogiſmus eſt quid complexum: ergo ſyllogiſmi non eſt diffinitio. Maiorem, vt propriam Ariſtot in *7. Metaphy.* reputat Scotus, tam in 1. *Prior. q. 5.* quam in 1. *Poſter. q. 5.* Huic argumento reſpondet Scotus, in vtroque loco citatus. Ait in primo, quod diffinitũ accipitur dupliciter.

Vno

Vno modo pro termino, cuius ſignificationem implicitam exprimit definitio explicité, & ſic attribuuntur diffinito tres conditiones. Prima eſt, quod diffinitum ſit terminus communis incomplexus. Secunda eſt, quod diffinitum ſit convertibile cum diffinitione. Tertia, quod nullum ſingulare diffiniatur. Alio modo accipitur diffinitum pro re ſignificata per terminum convertibilem cum diffinitione; & ſic dicit commentator *in Proœmio de Anima*, quod diffinitiones ſunt ipſorum ſingularium extra animam exiſtentium. Si primo modo accipiatur diffinitio, tunc diffinitur iſte terminus ſyllogiſmus, quia ſic eſt terminus communis, incomplexus, convertibilis cũ diffinito. Si accipiatur ſecundo modo, tunc diffiniuntur omnes ſyllogiſmi de mundo, quia cuilibet ſyllogiſmo competit prædicta diffinitio.

12 Præfata expoſitio quoad incomplexionem ſyllogiſmi perficitur ex ſecunda in *q. 5. Poſterior.* poſita, vbi ait Scotus, quod etſi quid complexum ſit ſyllogiſmus, poteſt tamen conſiderari, ſecundum quod eſt complexum, ſub ratione complexi acceptum; quo pacto nec habet quid, nec diffinitionem. Poteſt alio modo conſiderari, ſecundum quod eſt quoddam complexum, ſub ratione incomplexi acceptum; quo pacto habet quid, & diffinitionem: ſic enim ſignificatur per vocem incomplexam, v. g. per hanc vocem *ſyllogiſmus*, & ſic concipitur ab intellectu noſtro; quo modo præcognoſcitur de ſyllogiſmo *quid eſt.* Neque præſens expoſitio extraneari videtur, quia ſub his rationibus, abſque figmento plures habemus conceptus; æquivoca enim definimus, & tamen terminus ſignificatus, convertibilis cum diffinito, accipitur ſub ratione vnivoci. Sic etiam datur diffinitio ſingularitatis, ita vt hæc, non ſub ratione ſingulari, ſed ſub ratione communi accipiatur, prout laté diximus in *diſt. de ſpecie*: ergo à ſimili de complexo ſub ratione incomplexi accepto.

13 Debes tamen pro plena huius ſcoticæ expoſitionis notitia ſcire id, quod ſupra dicebat Scotus, vt poté, quod ſi diffinitio ſumatur pro re ſignificata per terminum convertibilem cum diffinitione, erunt diffinitiones ipſorum ſingularium; quod percipies revocando in memoriam, quæ diximus in *diſt.* 1. nempé, quod ſignificatum vltimum nominis eſt ipſa res prout in ſe, ita vt ſic, etiam res, quæ à parte rei exiſtit, ſignificetur; ac per conſequens ſingulare poterit ſic eſſe ſignificatum ab illo termino, nec nõ diffinitio ipſi competere. Sed tamen ſignificatum invariatum, & ſemper idem, ſive res exiſtat, ſive non, eſt terminus ſignificationis, *prout intelligitur*, & ſic eſſe intentionale, & obiectivum habens; quo pacto nullius ſingularis eſt diffinitio, ſed termini communis, cuius ſignificationem implicitam (dicebat Scotus) exprimit explicité diffinitio.

QVÆSTIO II.

An cognitis præmiſsis, ſimul cognoſcatur concluſio?

14 Conſultó præſentem quæſtionem propono, vt ex eius examine, cum litera ipſa Scoti informato, præviam aliquam lucem, circa quæſtiones inferius reſolvendas, habeamus. Quod igitur inquiritur, eſt, an cognitis præmiſsis, debeat inſimul cognoſci concluſio? Ante cuius dubij reſolutionem debet eius difficultas in duplici ſenſu diſtingui. Sub primo ſenſu examinare intendimus, an illa cognitionis ſimultas debeat eſſe temporis? Sub ſecundo veró, an etiã debeat eſſe naturæ? His ita

15 Reſolvendum eſt circa primum, quod cognitis præmiſsis in ratione cauſæ, ſimul tempore debet cognoſci concluſio; ſecus autem cognitis tantum præmiſsis in ſe, vt in ratione cauſę non applicatis. Ita literalem exiſtimo eſſe Scotum in 1. *Poſter. q.* 8. per totam. Prob. ex ipſo quoad primum; quia ex Ariſtot. 2. *Metaphyſic.* eadem ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi; *ſcire enim maximé proprié*, eſt rem per cauſam cognoſcere, vt recté expendit, & diſtinguit Scotus in *q.* 10. *Poſter.* ſed præmiſſæ in ratione cauſæ ſunt principium eſſendi concluſionis, & inſimul tempore cum illa: ergo cognitis præmiſsis in ratione cauſæ, inſimul tempore cognoſcetur concluſio. Maior eſt Ariſt. Minor videtur certa; quia præmiſſæ in ratione cauſæ dicunt identitatem extremorum cum medio, quod eſt præmiſſorum principiorum applicatio ad effectum, qui eſt identitas extremorum inter ſe; ſed videtur imperceptibile, quod poſito medio ad effectum, ſaltim tempore non ponatur effectus, eſtó ex illo medio adſit vrgentior principiorum applicatio, ſeu determinatio: ergo & eſt imperceptibile, quod præmiſſæ in ratione cauſæ non ſint principium eſſendi concluſionis, inſimul tempore cum illa.

16 Prob. deinde quoad ſecundũ ab Scoto ex ipſo Ariſt. 2. *Prior.* vbi ait, quod contingit cognoſcere, omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam; & tamen ignorare, hanc eſſe ſterilem; ſed hoc non aliunde contingit cognoſcere apud Ariſtot. niſi quia deficit

Digitized by Google

præmiſſarum applicatio, per quam principiorum præmiſſorum entitates in ratione cauſæ conſtituuntur: ergo quia cognitis præmiſsis in ſe, & in ratione cauſæ non applicatis, non oportet inſimul cognoſcere concluſionem. Confirmat id, ſuperius dictum; quia vis ſyllogiſtici principij tunc intelligetur abſque vi ad cognoſcendum effectum ſyllogiſticum, quando intelligatur ſine vi ad illud cauſandum; ſed ablata ratione cauſæ à præmiſſis, aufertur vis ſyllogiſtica ad concluſionem cauſandam: ergo & ad eam inſimul cognoſcendam.

17 Itaque Doctor noſter, vt circa ſyllogiſticæ ſabricæ cognitionem recta erigat fundamenta, prævenit, quod ſcire contingit multipliciter; ſed ad rem, contingit ſcire in vniuerſali, & in particulari; & quolibet ex his modis adhuc contingit ſcire actu, & habitu. Tum igitur aliqua concluſio ſcitur in vniuerſali, quando cognoſcitur maior, quin cognoſcatur minor, nec concluſio ſecundum ſe; quia dum cognoſcitur per ſe hæc propoſitio, *omnis mula eſt ſterilis*, ſolum in vniuerſali cognoſcitur, quod ſit ſterilis hæc mula. Tum cognoſcitur aliqua concluſio in particulari, & habitu, quando cognoſcitur maior, & minor, ſed tamen tunc non conſideratur, quod minor actu ſit ſub maiori; quo etiam modo non ſolum prius natura, ſed prius tempore cognoſcuntur præmiſſæ, quam cognoſcatur concluſio; quia etſi tunc ſit maior, & minor, ſed abſque applicatione; & præmiſſæ ſecundum ſe ſolum attingunt identitatem ſui prædicati cum ſuo ſubiecto, quin adhuc vna dicat habitudinem ad aliam, cum actu non ſit adhuc vna intra conſiderationem alterius. Tunc verò cognoſcitur concluſio actu, quando cognoſcitur maior, & minor, & inſimul cognoſcitur, minorem eſſe actualiter ſub maiori: quo modo, inquit Scotus, fit applicatio præmiſſarum in ratione cauſæ; ita, vt ſic ſit impoſsibile, quod præmiſſæ cognoſcantur prius, quin ſimul tempore cognoſcatur concluſio. Sed hæc, ſolutione argumentorum confirmabuntur, & clarius exponentur.

18 Obijcies 1. præmiſſæ ſe habent in ratione cauſæ efficientis reſpectu concluſionis: ſed efficiens non continet effectum niſi in virtute, & nil agit vltra ſpeciem ſuam: ergo præmiſſæ ſolum in virtute faciunt cognitionem concluſionis; ſicque cognitis præmiſsis, ſimul tempore non cognoſcetur concluſio. Sub propria, & determinata ratione, ſed tantum in pura potentia, & virtute. Huic argumento reſpondet Scotus dicendo, verum eſſe, quod præmiſſæ continent concluſionem in virtute; non tamen ſic eam in pura virtute continent, quod requiratur aliquod agens, per quod præmiſſæ faciant ſcientiam de concluſione in actu; ſed præmiſſæ, vt aplicatæ, ſic continent concluſionem in virtute, ſicuti efficiens iam diſpoſitum continet effectum: vnde ſicuti tale efficiens ponit effectum in omni materia diſpoſita, ſic præmiſſæ determinatè iam applicatæ, vt ſupra diximus, faciunt ſcientiam de concluſione in actu.

19 Obijcies 2. præmiſſæ ſe habent ad concluſionem in ratione cauſæ materialis; ſed quando cauſa materialis facit cognitionem de effectu, prius tempore cognoſcitur cauſa, quam effectus, vt patet ex exemplo Ariſtot. 7. Metaphy. vbi ait, quod ſubſtantia præcedit omne accidens cognitione, diffinitione, & tempore: ergo præmiſſæ prius tempore cognoſcuntur, quam concluſio. Reſpondet Scotus dicendo ad maiorem, verum eſſe, quod præmiſſæ habent rationem cauſæ materialis reſpectu concluſionis, ſed tamen non ſolum eam cauſæ rationem habent, cum habeant etiam rationem cauſæ efficientis, ita vt ipſæ præmiſſæ poſsint ſufficienter de ſe cognitionem de concluſione facere ſub propria, & determinata ratione; & ſic non oportet, quod prius tempore cognoſcantur concluſione.

20 Obijcies 3. ex Ariſtot. in 2. *Priorum*, vbi ait, quod contingit cognoſcere, omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam, & tamen dubitare, an aliquid habeat in ventre; in quo dubitationis caſu ignoraretur concluſio: ergo cognitis præmiſsis contingit, quod inſimul tempore cognoſcatur concluſio. Huic argumento facilè reſpondet Scotus ex ſuperiori doctrina, iuxta quam ait, quod oppoſita ratio ſolum probat, contingere cognoſcere illas præmiſſas non applicatas ad invicem, ignorando concluſionem; quod ſolum intellexit Ariſtot. non autem probat aliquid contra intentum, quia ſi præmiſſæ applicentur ad invicem, & minor cognoſcatur eſſe ſub maiori, tunc (inquit Scotus) non cognoſcis præmiſſas, & concluſionem ignoras. Itaque requiritur applicatio cauſæ ad effectum, aliter enim, non cognoſcetur niſi in vniuerſali, vel in habitu, vt dicebamus, ſed non in actu, prout argumentum dicit.

21 Obijc. 4. multa ſimul, ratione qua multa ſunt, non poſſunt inſimul intelligi ab intellectu; intellectus enim non intelligit niſi vnum intelligibile ſimul; ſed præmiſſæ, & con-

concluſio ſunt multa intelligibilia: ergo nequeunt inſimul cognoſci ab intellectu. Reſpondet Scotus cum diſtinctione, ad maiorem dicens, verum eſſe, quod multa non poſſunt intelligi ab intellectu ſub ſpecie multorum; falſum veró, quod non poſsint intelligi multa ſub ſpecie vnius, vtpoté ſub ſpecie habitudinis. Itaque dicimus, non negare, præmiſſas, & concluſionem eſſe multa; ſed tamen, dum dicimus, quod inſimul cognoſcuntur, tunc non aſſerimus, quod ſub proprijs ſpeciebus cognoſcantur, prout ſcilicet vnaquæque propoſitio diviſam, & propriam conformitatem dicit ex ſuo prædicato ad ſpeciale ſubiectum; quia ſic, cum ſint multa abſque connexione applicationis rectæ, certum eſt, quod ſub talis multitudinis ſpecie non poſsint ab eodem intellectu percipi. Dicimus veró, quod omnia illa multa cognoſcãtur inſimul ſub ſpecie habitudinis; quia eo ipſo, quod eiuſdem medij fiat applicatio, manet ad omnia applicationis extrema, habitudinis nexus, ſub cuius ſpecie, omnia illa multa inſimul ad mentem conducuntur. Sic Petrus, qui eſt Pater, & Paulus qui eſt filius, ſunt qua homines multi; poſſunt tamen ſub ſpecie habitudinis Patris ad filium inſimul cognoſci. Sic etiam, ad propoſitionem tres poſſunt conſiderari apprehenſiones; ſed tamen ſub ſpecie motus iudicialis, vnico ſimultaneo ictu attinguntur: ergo à ſimili.

22 Inſtabis dubitando: vnde proveniat talis habitudinis ſpecies? prædicta enim habitudo, nunquam fecit ſpeciem in ſenſu: ergo nec in intellectu. Reſpondet Scotus negando conſequentiam; quia bené poteſt aliquid facere ſpeciem in intellectu, quod non fecit ſpeciem in ſenſu. Subſtantia enim non facit ſpeciem in ſenſu, & tamen facit ſpeciem in intellectu: ſimiliter vniverſalitas, & quam plura alia: ergo ſic pariter poſſumus dicere, quod prædicta habitudo præmiſſarum ad concluſionem facit ſpeciem in intellectu, per quam intelligitur, & etiam per quam præmiſſæ ſimul tempore intelliguntur. Deindé ad id, quod dubitabatur, vtpoté, quid cauſat talem ſpeciem? Reſpondet Scotus dicendo, quod ſicuti hæc habitudo ſecundum ſe ab intellectu cauſatur, cum ſit habitudo ex præmiſſarum comparatione, ſic poſsibile eſt, quod & ipſa ſpecies, per quam intelligitur, ab intellectu cauſetur. Intellectus enim operatur omnes intentiones, & ſpecies, per quas intelliguntur.

23 Obijcies 5. intellectus in ſyllogizando diſcurrit ſucceſsivé a præmiſsis ad concluſionem: ergo ſucceſsivé intelligit, præmiſſas, ſcilicet primo, & concluſionem poſtea; quia intelligit diſcurrendo: ergo ſimul non cognovit præmiſſas, & concluſionem. Huic argumento, ſic reſpondet Scotus, quod ex eius reſponſione, duplex, niſallor, reſpondendi modus poſsit interpretari. Reſpondendo igitur iuxta literam, & rigoroſum ſenſum eius, dicitur, quod intellectus in acquirendo cognitionem concluſionis per præmiſſas, prius tempore cognovit præmiſſas, quam concluſionem; & ſic procedendo, quodam modo tempus, in quo cognovit concluſionem, ſuccedit tempori, in quo cognovit premiſſas: tamẽ alio modo ſimul cognovit iſta, vtpote, ſic ſimul tempore, quod inter hoc tempus, & illud non cadat tempus medium: vnde ait Scotus, ſi acquiſierit cognitionem de concluſione, in illo acquiſito eſſe intelligit præmiſſas, & ſimul tempore concluſionem; ita, quod non ſit alia ſucceſsio temporis, in quo cognovit præmiſſas.

24 Exiſtimo ergo, quod iuxta vnum ſenſum, ſic poſsit adaptari ſolutio, quod dicatur, præmiſſas, & concluſionem ſimul tempore cognoſci; tametſi tempus, in quo cognoſcitur concluſio, ſuccedat tempori, in quo cognoſcuntur præmiſſæ; quia eſtó nullum tempus medium ſuccedat, id ſufficere videtur, vt cognita ſimul tempore dicantur, cum immediato tempore cognita valeãt dici. Sic dicimus, quod tempus eſt continuum, etſi ſciamus, quod continuum dicatur illud, cuius extrema ſunt vnũ; & ſic contiguum dicitur, cuius extrema ſunt ſimul: ergo licet illo modo concluſio ſuccedat præmiſsis, dum nulla temporis diſtincta ſucceſsione tollatur immediatio, poterit dici, quod cognitio præmiſſarum, & concluſionis, vel ſunt in tempore vnum, vel ſunt in tempore ſimul. Deinde poteſt alius ſenſus pro ſolutione interpretari, dicendo, quod licet in *acquirendo cognitionem*, cognitio præmiſſarum prius eſſe videatur, quam cognitio concluſionis, quia tunc adhuc non adeſt firmus ſenſus applicationis; non tamen talis prioritas dabitur *in eſſe acquiſito*, cum ſic ſit prompta habitudo, quæ per modum vnius relinquit cognoſcenda quoad ſimulitatem.

25 Obijcies 6. ſi ſimul, ac cognoſcuntur præmiſſæ, cognoſcatur concluſio, difficilé in illationibus falleremur, cum habitis præmiſsis, adhuc in paralogiſmo accidentis, ſtatim haberetur concluſio: ergo. Reſpondet Scotus dicendo, quod ex his, quæ de ſimultate cognitionis reſolvimus, non ſequitur, quod aliquis per fallaciam accidentis non poſsit falli; quia licet in fallacia accidentis, alia concluſio ſequatur neceſſarió ex præmiſsis, v.g. illa, in

qua

quatanta idemptitas, & non maior concluditur in concluſione, quanta prius fuit in præmiſsis; ſed tamen adhuc cognoſcens concluſiones, poſſet etiam falli, *ex eo, quod non applicat*: vnde dicit, *quod facta recta applicatione, ſimul tempore cognovit, qua concluſio ſequatur, & qua non, & cætera.* Itaque reſolvimus, quod ſi recté fiat præmiſſarum applicatio, eſt imperceptibile, quod poſsit dari deceptio in concluſionis illatione, cum ſit imperceptibile, quod ex principijs recté applicatis, non ſequatur applicatorum rectitudo; ac proinde, ſi ſit compatibile, quod concluſio recta ignoretur in illatione, id orietur ex eo, quod recta applicatio fuit ignorata in præmiſsis; aliter enim incompatibilis erit fallax ignorantia.

SVB SECVNDO SENSV EXPENDItur quæſtionis difficultas.

26 Circa ſecundum, circa quod inquiritur, an illa cognitionis ſimultas debeat eſſe in eodem inſtanti naturæ, ſic Scotus reſolutionem format: *ad quæſtionem dicitur, quod notis præmiſsis in ratione cauſæ, ſimul natura cognoſcitur concluſio, in ratione effectus: tamen præmiſſæ, quæ ſunt cauſa concluſionis, non conſideratæ ſub ratione intentionis cauſalitatis, priores ſunt natura concluſione, & prius natura cognoſcuntur.* Vt igitur reſolutionem D. Subtilis percipias, debes notare; quod dum dicitur, quod cognitio cauſæ, & effectus ſunt ſimul, poteſt cauſa dupliciter conſiderari. Poteſt primó cõſiderari pro ipſa formalitate, ſeu formali ratione cauſalizandi; quo pacto, hæc formalitas *cauſa*, & hæc formalitas *effectus*, dicuntur ab Scoto formalitates intentionales, ita vt ſint intentionis nomina, illis realitatibus, quæ ſunt cauſæ applicatæ, vt paſsim memorat in *qq. Vniverſ.* quo pacto ait Scotus, quod in eodem perceptibili, & ſtrictiori mentis, & naturæ apice, in quo intelligitur cauſa, debet etiam intelligi effectus, eo quod intelligibiliter, & in eſſe, quod intentionis habent, ſic ſint connexa, & æqué quoad eſſe, & cognoſci prima, quod penes hoc non magis dependeat cauſa ab effectu, quam effectus à cauſa.

27 Poteſt aliter conſiderari cauſa, vtpoté pro ipſa realitate principij, quod eſt cauſa, prout ſcilicet ad eius reale, & poſitivum eſſe ſequitur eſſe reale, & poſitivum effectus; non ita nudé, quod ſolum eſſe phyſicum cauſæ conſideretur, nec ita abſtracté, ſeu reduplicatorié, quod ſolum ſub eſſe intentionis cauſalitatis percipiatur; ſed ita modificaté, quod etſi non conſideretur pura cauſalitatis intentio, conſideretur tamen entitas, ſeu eſſe, quod eſt cauſa, ita quod illud eſſe ſit tale, quod poſſit de ſuo eſſe reali dici, quod ſubiacet intentioni cauſæ: vel tale, quod ſit in illa vltima realitate, quæ ſufficiat, vt intentio cauſæ ſit ei applicabilis; quo pacto, ait Scotus, entitas effectus dependet ab entitate cauſæ, ad quam ſequitur realiter effectus; non autem ſic entitas cauſæ dependet ab entitate effectus, cum illud, quod eſt cauſa, non ſequatur veré, & realiter ad illud, quod eſt effectus, ſed imó potius eſſe effectus ab eſſe cauſæ derivatur. Vnde Scotus reſolvit, quod ſi præmiſſæ in ratione cauſæ conſiderentur, ſimul natura cognoſcitur concluſio *in ratione effectus*; ſin autem præmiſſæ non conſiderentur ſub ſtricta intentione cauſalitatis, ſed prout habent illud eſſe, ad quod primó intentionaliter, & in realitate dependet eſſe, quod eſt effectus, priores natura ſunt, & priores natura cognoſcuntur. Sic percipiendus eſt Scotus, vt in argumentis videbitur. Idem, ſi bené diſcurras, invenies in eſſe, quod eſt genus, & quod eſt ſpecies; prout enim purum eſſe intentionis conſideratur, non eſt intentionalitas ſpeciei poſterior, tametſi ab eſſe, quod eſt generis, conſtituatur, ſed eſt æqué ſimul, & prima, cum ſic, non minus ex ſpecie ſequatur genus, quam ex genere ſequatur ſpecies; etſi aliter, non ſic eſſe generis dependeat ad ſui conſtitutionem ab ſpecie, ſicuti é contra ſpecies in ſui conſtitutione ſequitur ad genus. His ita expoſitis.

28 Prob. Scotus primam partem reſolutionis: cauſa, prout eſt ſub intentione cauſæ, ad aliud refertur; ſed relativa ſunt ſimul natura, & ſecundum cognitionem naturalem; quia vnum non poteſt, cognito altero, non cognoſci, & via verſa; quare ſic, vnum non dependet magis à cognitione alterius, quam é contra: ergo cum ſic præmiſſæ habeant vltimam, & formalem rationem relativi, ſub ratione cauſæ ſimul natura cognoſcentur cum concluſione. Prob. deinde Scotus ſecundam reſolutionis partem; quia præmiſſæ ſecundum illud, *quod ſunt*, faciunt cognitionem de concluſione; quo pacto concluſio, quoad cognitionem, dependet ex cognitione præmiſſarum, cum præmiſſæ ſic non dependeant à cognitione concluſionis; ſicuti illud, quod eſt cauſa ab effectu non dependet, ſed magis é contra; ſed quando vnum dependet ab altero, & non é contra, illud à quo dependet, eſt

prius

prius natura illo, quod dependet: ergo licet cognitis præmiſsis ſub formali intentione cauſæ, ſimul etiam natura cognoſcatur concluſio ſub formali intentione effectus; cognitis tamen præmiſsis, quæ ſunt cauſæ concluſionis, non oportebit ſimul natura cognoſcere concluſionem.

29 Obijcit Scotus: ſi cognitis præmiſsis non cognoſceretur concluſio in eodem inſtanti naturæ, ſequeretur, quod in ea prioritate naturæ cognoſceretur cauſa, & ignoraretur cauſatum; ſed ignorato cauſato ignoratur cauſa, cum ſint relatiua: ergo in illa prioritate cognoſceretur cauſa, & ignoraretur: ergo oportet dicere, quod cognitis præmiſsis in ratione cauſæ, ſimul natura cognoſcitur concluſio. Deinde inſimul obijcit: cognitis præmiſsis in ratione cauſæ, cognoſcitur applicatio præmiſſarum ad concluſionem; ſed ſimul natura debent cognoſci applicata; quia cum applicatio ſit relatio, cognoſci non poteſt ſine extremis: ergo &c.

30 Prædictis, & conſimilibus argumentis reſpondet Scotus vniformiter, dicendo, quod efficaciter ſolum probant primam partem noſtræ ſtabilitæ reſolutionis, prout eius expoſuimus intelligentiam. Dicit itaque, verum eſſe, quod applicatio non poſsit intelligi ſine applicatis; quia ſunt naturaliter ſimul quoad cognitionem, ideoque ſi cognoſcantur præmiſſæ ſub ratione applicati, neceſſe erit ſimul natura cognoſcere, cui applicantur; ſed tamẽ *quod applicatur, ſimul natura cognoſci, non infertur*, cum in aliquo priori, tam id, quod applicatur, quam eius cognitio debeat percipi ad id, cuius eſſe, & cognitio prærequirit, quod ipſius principia applicentur. Exiſtimo etenim, quod dum applicantur præmiſſæ, non eſt adhuc natura inſimul concluſio; quia dum illarum eſſe applicatur, adhuc eſſe formale, & completum applicati non percipitur; ſed eſt in promptu ad infallibilem poſitionem: ſicuti dum principium applicatur ad effectum cauſandum, non videtur poſſe dici, quod ſit cauſatus, tametſi ſit prompta, in alio naturæ inſtanti, cauſati conſequutio. Vnde Scotus reſpondendo ad vltimum ait, quod prius natura, quam concluſio, cognoſcuntur præmiſſæ, *quando applicantur.*

31 Sed contra hæc arguit Scotus: ſi cognitis præmiſsis, in eodem inſtanti naturæ non cognoſceretur concluſio, poſſet tunc intellectus intelligere præmiſſas, & ceſſare ab intelligentia concluſionis; ac proinde, ſi non ſit neceſſarium, quod præmiſſæ ſimul natura cognoſcantur cum concluſionibus, poſsibile erit, quod etiam prius tempore intelligantur, quod eſt contra Ariſt. vbi ſupra: ergo &c. Reſpondet Scotus firmiter negando, poſſe vnquam ſequi, quod inſimul tempore non cognoſcantur; & ſimiliter reſpuit, poſſe vnquam ſequi, quod in illo priori naturæ, in quo intellectus intelligit præmiſſas, poſsit pauſare, & ſic non intelligere concluſionem in eodem tempore, ſed prius tempore præmiſſas: negat igitur, hoc ſequi; quia in eodem inſtanti temporis ſunt duo inſtantia naturæ, in quorum priori intelligit principia, in poſteriori concluſionem, & tamen ſimul tempore concluſionem, & principia. Ratio eſt; quia præmiſſæ cum rectè applicentur, ſunt cauſa efficiens, & neceſſaria inferendi, & cognoſcendi concluſionem, & ſic in eodem tempore intelliguntur præmiſſæ, & concluſio, quin detur cognitio ſecundum prius, & poſterius tempore, licet detur ſecundum prius, & poſterius natura. Neque id debere extraneari videtur, vt patet iuxta ſenſum communem cauſarum, iuxta quem dicitur, quod entitas principij, dum rectè applicatur, eſt inſimul tempore cum effectu, ita vt ſit valdè tritum, ſimultatem temporis cauſę diuidere per correſpondentiã ad duplex naturę inſtãs, in quorum primo intelligitur cauſa, & in poſteriori effectus; quin ſequatur inde, quod contingat cauſæ, poſſe pauſare in illo priori naturæ ad effectum, & ſic ab illius poſitione ceſſare, ita vt prius tempore valeat intelligi: ergo a ſimili.

32 Obijcit 2. Scotus, intendens impugnare reſolutionem ex oppoſito, videlicet, quod adhuc ſub intentione cauſæ debent præmiſſę eſſe in aliquo priori ad concluſionem. Arguit ſic: cauſa prior eſt ſuo effectu in ſua natura: ergo cum præmiſſæ ſint concluſionis cauſæ, poterunt in ratione cauſæ prius cognoſci, quam concluſio. Reſpondet Scotus cum expoſitione antecedentis diſſoluendo argumentum; ait enim, quód cauſá prius natura cognoſcitur, quam effectus, *ſi cauſa accipiatur pro eo, quod eſt cauſa*; ſin autem cauſa accipiatur *ſub intentione cauſæ*, inſimul natura cognoſcitur cauſa, & effectus.

33 Inſtat Scotus: cauſa eſt, *ad cuius eſſe ſequitur aliud eſſe*; (prædictam diffinitionem eſſe diffinitionem cauſæ, inquit Scotus) ſed diffinitio competit diffinito, ſecundum proprian rationem: ergo ſecundum propriam rationem cauſæ, cauſa eſt prior natura ſuo effectu; ac per conſequens pręmiſſę ſub ratione cauſæ præcedent natura concluſionem. Reſpondet Scotus conformiter ad ſupra expoſita, dicens, quod hæc diffinitio, cauſa eſt,

ad

Digitized by Google

ad cuius eſſe ſequitur aliud eſſe, eſt diffinitio *illius, quod eſt cauſa*, quod ſcilicet ſubiacet intentioni cauſæ; non autem eſt diffinitio huius intentionis, quæ eſt *cauſa*; quia loquendo de his, & ſimilibus intentionibus, vel de aliquo, vt accepto ſub iſtis, non magis ad cauſam ſequitur effectus, quam ad effectum ſequatur cauſa. Vide illa, quæ in initio reliquimus annotata. Nec ignoro, aliqua imminere non parum difficilia, ea veró pro nunc ſuſpendere decerno, quia ad ſpecialem librum eorum ſpectat exacta notitia.

QVÆSTIO III.

In quo formaliter ſyllogiſmus conſiſtat.

34 CVm ſyllogiſmus ſit oratio pluribus permixta, quorum aliqua habent intelligi vt priora, & principia, & alia veluti poſteriora, & dimanata, ideo de ipſius formali conſiſtentia movetur dubitatio; an ſcilicet ſyllogiſmi quidditas ſtet in præmiſsis: an veró in concluſione? Circa quod, non parum nominalem eſſe controverſiam, ſentiunt aliqui, & meritó; quia omnes ad ſyllogiſticam formalitatem ſtabiliunt, requiri præmiſſas, & concluſionem, tametſi aliqui eſſentiam ponant in ſolis præmiſsis connotando concluſionem: alij in ſola concluſione connotando præmiſſas: alij ſub alia expreſsione ponunt in ſolis præmiſsis eſſentiam, integritatem veró in præmiſsis, & concluſione; & alij, id aliter explicantes, decernunt, ſyllogiſmum ſtare in aggregato ex præmiſsis, & concluſione; diſcurſum veró ſtare in ſola concluſione ſecundum aliquos, vel in ſolis præmiſsis ſecundum alios.

PRINCIPALES DICENDI MODI euiſcerantur.

35 ALiqui, quorum noviſsimus Dionyſ. Blaſco exponens Bachonium in 1. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 3. reſolvunt, ſyllogiſmum formaliter conſiſtere in ſola concluſione, dicere tamen præmiſſas, tanquam cauſam illius. Prob. aſſumptum ex definitione ſyllogiſmi: *oratio, in qua, quibuſdam poſitis, aliud ſequitur*: ſyllogiſmus ergo non eſt tota oratio aggregata ex illo, quod ſequitur, & ex quibus ſequitur, ſed ſolum id, quod ſequitur: quaſi dicat, *ſyllogiſmus eſt oratio, quæ ſequitur ex præmiſſis*; aliàs, ſi præmiſſas, & concluſionem in recto diceret; ſic eſſet definiendus: *oratio ex præmiſſis, & concluſione compoſita*. Confirm. id ex Ariſt. hic *cap.* 1. dicente, *præmiſſæ ſunt principia ſyllogiſmi*; ſed ſolum ſunt principia concluſionis: ergo. Confirm. 2. ſic: ſyllogiſmus pertinet ad tertiam operationem intellectus; ſed ſola concluſio pertinet ad illam; quia ipſa ſola eſt ratiocinatio, & diſcurſus: ergo ſola concluſio eſt ſyllogiſmus. Alia adducit, quæ infra diſſolventur.

36 In primis vide qualiter reſolvat, quod ſyllogiſmus ſiſtat in ſola concluſione, & tamẽ qualiter requirat præmiſſas, quod poſſet melius reſolvere, ſyllogiſmum, ſolum ſiſtere in præmiſsis. Neque ignoro vim connotantium; non tamen percipio, cur dum concluſio ſit, quod ſequitur ex alio, vt ex principio eſſentialiter requiſito, potius circa ſyllogiſmum, æqué vtrumque requirentem, debeat quod ſequitur, dare eſſentiam in recto, quam det id, ex quo ſequitur, dum ſyllogiſmus, & ratiocinatio dicat *ſequi vnum ex alio*? Non videtur facilis expoſitio. Dices, quod relatio reſultat, & ſequitur ex extremis, & tamen formaliter non ſiſtit in eorom entitatibus. Contra; quia etſi relatio non ſtet in eorum entitatibus, ſed tamen ſecundum ſuum eſſe, vtrumqué ſtricté exprimit; ita vt ſi ſit ab vno, ſic ſtricté ſit ad aliud, & é contra. Contra 2. quia, vt dicemus, ſi relatio requirat duo, vt reſultet, dum non ſiſtat formaliter in entitate vnius, nec ſiſtet formaliter in entitate alterius: ergo dum ſyllogiſmus requirat duo, dum non ſiſtat formaliter in entitate vnius, nempé præmiſſarum, nec ſiſtet formaliter in entitate alterius, nempé concluſionis. Sed his ita [illegible]

37 Expellere intendam omnem vim formatam. Dico ergo contra primũ, quod ſi ſyllogiſmus non ſit oratio aggregata ex illo, quod ſequitur, & ex quibus ſequitur, inſertur, quod dum Ariſtot. ſyllogiſmum definivit, eum per orationem diſgregatam definivit; nec non abſque recta terminorum copulatione fuiſſe intellectam. Tum; quia ſi inferatur, quod Ariſtot. voluerit definire, quod ſyllogiſmus ſit *oratio, quæ ſequatur ex præmiſsis*, & ſic in concluſione ponere eſſentiam intendant; ſimili licentia poſſet aliquis dicere, quod ſyllogiſmus apud Ariſtot. erat *oratio præmiſſa, ad quam ſequebatur concluſio*, & ſic poſſent ponere eſſentiam in præmiſsis. Nec prima confirmatio aliquid probat; quia quod præmiſſæ ſint principia concluſionis, non infert, quod tota ſyllogiſmi eſſentia ſtet in illa, cum ablato eſſe formali principiorum ſic

au-

auferatur fabrica formalis ſyllogiſmi, ſicuti auferretur, ablato eſſe formali principiati. Si enim adæquatum eſſe lineæ intellectivæ definiretur, poneretur æqué principium intelligendi, quin eſſe principium auferret, ſpectare ad illius totius conſtitutionem. Similiter dum definitur cauſa, ponitur principium, ad quod ſequitur aliud, quin ob hoc ratio principij ſit extra eſſentialem lineam cauſandi: ergo ſimiliter debet dici de linea ſyllogiſtica, dum ſecundum ſe requirat, quod ponatur plura, & quod ex ipſis ponantur alia.

38 Dices, eſſe valdé tritum, in explicatione aliquorum entium eſſentiam ponere, non in toto compoſito, ſed in aliquo eius termino; ſic terminus formalis compoſiti eſt ſola forma; terminus formalis motus, ſolus terminus ad quem; & ſic dicitur, quod forma propoſitionis ſtat in vnione, ſeu, vt alij, in prædicato: ergo à ſimili. Dico, aliud eſſe loqui de termino formali, ſeu de forma alicuius entis, & aliud eſſe loqui de eſſentiali eius conſtitutivo. Etſi enim terminus formalis compoſiti ſit forma; ſed tamen eſſentia eius, etiam in alio principio ad formam priori, ſiſtit: ſic etiam, etſi forma propoſitionis ſit vnio; á nullo tamen dicetur, eſſentiã propoſitionis eſſe vnionem: ſic pariter, etſi dicatur, quod motus ſumit ſpeciẽ ab hoc, vel illo termino; ſed tamen motus formaliſsimé ſumptus, eſt relatio, vtrumque terminum æqué dicens: ergo à ſimili eſt dicendum de ſyllogiſmo, dum eius formaliſsima conſtitutio, & vis ſtet in ordine, quem habent termini inter ſe, & cum vno tertio. Nec valet, ſi dicas, quod concluſio determinat præmiſſas; quia prę terquam quod non eſt verum apud plures, etiam forma phyſica determinat materiam, & metaphyſica determinat genus; & tamen neutrum compoſitum ponit ſuam omnem eſſentialitatem in illis.

39 Nec ſecunda confirmatio, quæ maioris videtur vis, habet pluſquam apparientiam. Verum enim eſt, ſyllogiſmum pertinere ad tertiam operationem; falſum eſt autem, ſolam concluſionem pertinere ad illam; diſcurſatio enim non eſt concluſio vtcumque, ſed concluſionis cognitio, pręmiſſarum cognitioni eſſentialiter connexa: ergo diſcurrere dicit inſimul ordinem, & pręmiſſarum connexionem habere. Suadetur; quia præciſa informatione præmiſſarum, intuitu concluſionis, intellectus præciſé indicat; poſita informatione præmiſſarum, intellectus diſcurrit: ergo difficulter poteſt probari, quod diſcurſatio non ſiſtat æqué in præmiſsis. Tum etiam; quia caſu, quo compulſus faterer, quod diſcurſus ſtabat in ſola concluſione; dicerem ſemper, quod in ſola concluſione non ſtabat ſyllogiſmus; quia ſyllogiſmus deberet dicere non ſolum diſcurſum, ſed & aptum diſcurrendi principium; ita, quod etſi totus diſcurſus foret ſola concluſio; non autem totus diſcurſus diceretur totus ſyllogiſmus eo modo, quo ſola concluſio, totus ſyllogiſmus dicitur. Tum; quia non poſſet dici ſyllogiſmus, quod omnem vim ſyllogiſticam non haberet; ſed omnem vim ſyllogiſticam non haberet concluſio: ergo. Patet minor; quia hoc principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, vim ſyllogiſticam habet; ſed vis eius etiam habetur ab habente tertium, quod non eſt concluſio: ergo nunquam poſſet dici, quod omnem vim ſyllogiſticam haberet concluſio.

40 Alter principalis dicendi modus eſt aliorum, qui é contra defendunt, ſyllogiſmum formaliter in ſolis præmiſsis conſiſtere, taliter, quod concluſio ſit ſyllogiſmi proprietas, non veró eſſentia. Ita noviſsimé noſter Antonius Groſſo, qui id pro viribus ſuſtinet in *differt. 20. elucid.* 1. Prob. aſſumptum; quia illud totum eſt adæquaté eſſentialiter conſtitutum, quod eſt potens emanare ſuas perfectiones; ſed pręmiſſæ ſunt potentes emanare perfectionem, & proprietatem concluſionis: ergo.

41 Hæc ratio, iuxta reſponſionem ab ipſo Groſſo adductam, plures patitur inſtantias; qua propter exiſtimo, poſſe ſatisfieri dicẽdo, veram eſſe maiorem; ita tamen, quod illud totum ſit in eſſe principij adæquaté totum; de quo ſtatim. Dico deinde, poſſe permitti minorem, & ad conſequentiam dici, quod tametſi concluſio derivetur ex præmiſsis, ita vt præmiſſæ ſint eſſentialiter conſtitutæ in eſſe totius, debet tamen ſic intelligi, quod ſint conſtitutæ in eſſe totius præmiſsi, & principii, non autem in eſſe totius ſyllogizati; quia etſi totum præmiſſum, & principiativũ dicat ſolas præmiſſas, totum veró ſyllogiſticũ dicit præmiſſas, & concluſionem, cum ſecundum ſe totum, dicat principia, & principiatum. Vnde debet nimis præcaveri, quod præmiſſæ poſſunt habere omnem rationem principij verſus vnum effectum; non tamen eam omnem rationem habere poſſunt verſus alium. Si enim præmiſſe conſiderentur verſus concluſionem dumtaxat, certum eſt, quod ſicuti ſola concluſio eſt effectus, quod ſolę præmiſſæ ſunt principium; at veró, ſi præmiſſæ con-

conſiderentur verſus omnē eſſe ſyllogiſticū, non ſunt ſolæ præmiſſæ principium conſtitutivum; ſiquidem ſic, etiam concluſio eſt illius totius conſtitutiva, cum in ipſa adſit vis illius principij, *ſunt eadem inter ſe.* Id ſatis claré poteſt ſuaderi; quia ſolet dici, quod *vis ſyllogiſtica* ſtat in illo principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; & tamen illud principium nō ſtat in ſolis præmiſsis, vt pateti ergo quia etſi præmiſſæ ſint tota vis reſpectu extremorum in vno tertio, quod habet eſſe præmiſſum, tamen reſpectu totius eſſe ſyllogiſtici, tota vis per modum vnius principij connexi ſtabit in præmiſsis, & concluſione.

42 Inſtabit Groſſo: præmiſſæ ſaltim in eſſe præmiſſo præintelliguntur ad concluſionem, & ita, quod concluſio intelligatur extra eſſentiam illius totius conſtitutivi pręmiſſarum: ergo nunquam cōcluſio poterit ſpectare eſſentialiter ad illud eſſe, ad quod præmiſſæ. Hæc inſtantia poteſt diſſolvi dicendo, quod etſi concluſio ſit extra eſſentiam pręmiſſarum, inde tamen non licet inferri, quod ſit extra eſſentiam ſyllogiſmi; aliter enim comparantur partes ad partes, ac ad totum: ſic enim, etſi forma ſit extra eſſentiam materiæ primæ, non tamen extra eſſentiam totius entis phyſici. Deinde dic, quod etſi materia prima pręintelligatur ſaltim natura ad formam, ſed tamen reſpectu totius, poſita vnionis vi, inſimul illud adæquant: ergo à ſimili de præmiſsis in natura præintellectis ad concluſionem. Tum etiam adapta, quod materia prima, etſi verſus aliquam eductionis conſiderationem habeat pro effectu formam ipſam, & tamen verſus aliam conſiderationem compatitur, quod forma, quæ erat effectus reſpectu materiæ, ſit etiam entis naturalis compoſitiva; ſic ſervatis ſervandis, poterunt compati, quæ ſupra de præmiſsis, & de earum effectu diximus verſus totum eſſe præmiſſum, & totum eſſe intentionale, ſeu ſyllogiſticum.

43 Inſtabis nervoſé cum Groſſo, dicendo, quod totum, neque per ſe, neque per accidens reſultat ex cauſatis in genere cauſę efficientis; ſed reſultat ex cauſatis in genere cauſæ materialis, & formalis; id eſt, ſi aliqua pars totius ſit cauſa alterius, debet eſſe cauſa materialis, aut formalis; non veró cauſa efficiens; ſed præmiſſæ ſunt cauſæ efficientes concluſionis, aut ſaltim conditio ſine qua non, quæ etiam ad genus cauſæ efficientis reducitur: ergo cauſalitas, quam habent præmiſſæ ad concluſionem, excludit omnem compoſitionem tam totius per ſe, quam per accidens ex pręmiſsis, & concluſione. Ante ſolutionem huius inſtantiæ, in qua Groſſo, & alij feré pęnitus inſiſtunt, eam æquali vi inſtare intendam ex eo, quod totum eſſentiale ſyllogiſticum in præmiſsis conſtituant; ſed non minus difficilé partem materialem, & formalem inveniet in præmiſsis ſecundum earum eſſe, quam in præmiſsis, & concluſione: ergo non minus difficilé combinabitur eſſentialitas in toto præmiſſo, quam in toto ſyllogiſtico. Quidquid dicant de entitate vnius præmiſſæ reſpectu alterius, dicam de ipſis reſpectu concluſionis.

44 Sed deinde reſpondendo ad inſtantiam poteſt dici in primis, quod non eſt cōtra aliquam mentem Scoti, quod præmiſſæ etiam in genere cauſæ materialis concurrant ad vltimam ſyllogiſmi formam, nempé ad concluſionem. Videatur ſupra expoſitus in *q. 2. in ſolutione 2. argumenti*, vbi ait, quod præmiſſæ habent rationem cauſæ materialis, & etiam efficientis; & ſic, quod poſſunt ſufficienter *de ſe* cognitionem de concluſione *facere*. Sed quidquid de hoc accipiendum ſit, poteſt aliter reſponderi dicendo, quod totum ſyllogiſticum, vt in ſuo eſſe formali conſideratum, non debet, proprié loquendo, attendi ex re, quæ ſit materia, & ex re, quæ ſit forma, ſicuti id attenditur (vide Scotum ſupra expoſitum in initio *quæſt. 1.*) in toto ſubſtantiæ, quod ex propria materia, & forma conſtat, propter quod habet diffinitionem *quid rei.* Syllogiſmus ergo, vt conflatum ex pręmiſsis, & concluſione dicitur vnum per modum habitudinis, & dicitur totum ex illis omnibus per modum puræ, & formalis connexionis; quo pacto, vt ſit totum neceſſarió illa omnia continens, impertinenter quęritur, an aliquod illorum ſit materia, & an aliud ſit forma.

45 Ratio poteſt deduci ex eo, quod ſyllogiſmi eſſentialitas ſiſtat de per ſe in pluriū connexione, ex habitudine, quam dicunt inter ſe; id enim ad totum diſcurſivum requiritur; quare, eo ipſo, quod illud totum ſit ex connexione vnius cum alio conflatum, accidit inde, quod vnum connectatur, vel ex formalitate efficientis, vel ex formalitate materialis. Dixi etiam, quod etſi ſyllogiſmus dicat plura diverſa, tamen per modum habitudinis, habere vnitatem, & connexionem poterant; quomodo reſolvi in *quæſt. 2.* quod etſi tres propoſitiones ſyllogiſmi ſint multa, poterant inſimul cognoſci; quia poſita recta earum applicatione, reſultabat habitudo inter illas, & ſic multa per modum vnius valebant cognoſci. Vide dicta in *quæſt. 2. argum. 4.* Vnde ſic pariter dico,

quod

quod etſi major, minor, & concluſio ſint in entitatibus multa, nec non totum non conſtituentia; ſed tamen prout præcisé attenditur habitudo earum, & eſſe ſtrictum ex applicatione connexum, poterit dici, quod aliquod totum ex connexione reſultat, ſic vnitatem habens, ſive entitas ſit materiæ, ſive efficientis. Id adapta ex ſimilitudine duarum albedinum: circa quod, ſi inquiratur, in quo ſiſtat eſſentialiter tota ſimilitudo? Reſpondebitur, quod in illa duplici relatione; & tamen, etſi ibi detur *vnum*, nec vna albedo eſt materia, aut forma reſpectu alterius, nec id eſt aliqua relatio ex illis: ergo à ſimili. Tum etiam vide dicta in *q.* 1. vbi cum Scoto expoſuimus, quomodo ſyllogiſmus ſit totum, & definitũ; nec non quomodo poſsit incomplexé accipi, dum ex tot diverſis complexum ſit.

RESOLVTIO QVÆSTIONIS formatur.

46 RESolvendum ſentio, ſyllogiſmi conſtitutionem ſtare in eſſe connexo ex præmiſsis, & concluſione. Ita percipio Scotum in *quæſt. 5. lib. 1. Prior.* vbi in expoſitione definitionis Ariſtot. ait, eius definitionem eſſe bonam; *quia de ratione ſyllogiſmi eſt habere plures præmiſſas, & vnam concluſionem.* Et paucis interiectis, ſupra definitionem ſyllogiſmi ait: *in definitione* (puta ſyllogiſmi) *primò ponitur oratio tanquam genus ad differentiam terminorum incomplexorum, & debet intelligi, quod ſit oratio, non cathegorica, ſed hypothetica, facta ex pluribus cathegoricis, mediantibus pluribus coniunctionibus, quarum vna eſt inter præmiſſas, & alia inter præmiſſas, & concluſionem.* Arguo ſic iuxta Scotum: id omne eſt eſſentialiter ſyllogiſmus, quod per idem genus, & differentiam intelligitur eſſe definitum; ſed ſic æqué intelligitur definitum apud Scotum, eſſe coniunctum inter præmiſſas, ac coniunctum inter præmiſſas, & concluſionem: ergo.

47 Prob. reſolutio; quia ſyllogiſmus eſt oratio, *in qua quibuſdam poſitis, aliud ſequitur*, id eſt, *quædam ponere, & quoddam inferri, debet exerceri in ea vna oratione, quæ eſt ſyllogiſmus*: ergo quia æqué habetur ſyllogiſmus ab his, quæ ponuntur, & ab his, quæ inferuntur ex poſitis. Prob. quia id requiritur de per ſe ad ſyllogiſmum, quod requiritur, vt adæquaté diſcurratur; ſed vt adæquaté diſcurratur, vtrumque ſimul requiritur: ergo. Prob. minor, quia ſi aliquis poſſet præcisé componere idemptitatem extremorum cum vno tertio, quin vlterius tranſiret, adæquatum diſcurſum non haberet, vt patet ex ſuppoſitione huius actus, *omnis mula eſt ſterilis, & hæc eſt mula.* Similiter non diſcurreret, qui abſque medij coëxiſtentia, poſſet veré, vt Deus, vel vt Angeli, attingere per actum ſimplicem, idemptitatem duorum inter ſe, vt etiam patet ex ſuppoſitione iſtius actus, *hæc mula eſt ſterilis*: ergo.

48 Dices, quod in præmiſsis iam viget concluſio, ita vt eam non cointelligere ſit imperceptibile; ac proinde, quod in præmiſsis tota diſcurſatio ſalvatur. Contra; quia vel diſcurrit, dum viget concluſio, vel dum non? Si primum; habeo intentum, cum ex eo in præmiſsis ſiſtat diſcurſus, quia in præmiſsis ſiſtit concluſio; ac proinde ipſis conveniemus; quia pro eodem reputamus, quod ſyllogiſmus ſtet in præmiſsis, & concluſione; ac quod ſtet in præmiſsis abſque concluſionis vigore imperceptibilibus. Si dicatur ſecundum: ergo poterit intellectus diſcurrere, ab illatione, & curſu rationis præciſus. Dices, ſufficere, quod concluſio ſolum in virtute præmiſſa ſit. Contra; quia ſic debet diſcurri de illa prævia, & vltima virtute, in qua continetur vis extremorum cum tertio, ac de illa, in qua continetur vis extremorum inter ſe; ſicuti enim ad actum formalem extremorum inter ſe, præcedit virtus, in qua actus prævié continetur virtualiter; ſic ad actum formalem extremorum cũ tertio, vna, aut altera diſpoſitio vltima rei debet præire, ex qua immediaté derivetur; omnia enim gradatim à primo apprehenſionis ictu, vſque ad vltimum mentis decurſum formantur; ſed quod idemptitas extremorum cum tertio in aliquo immediaté prævio virtualiter contineatur, non ſufficit, vt adhuc partialiter conſtituatur in ſphera diſcurſus: ergo nec quod in vnitate tertij ſtet virtualiter vnitas extremorum inter ſe, ſufficiet, vt formalem, & adæquatam ſpheram diſcurrendi conſtituat.

49 Dicent é contra alij, quod vt vndequaque oratio diſcurſiva, & ſyllogiſtica ſalvetur, ſufficit, quod concluſio connotet præmiſſas. Fateor difficilé poſſe impugnari, cum ex connotato ponatur, quidquid neceſsitatis poteſt eſſe à præmiſsis; inſimul tamẽ fateor, quod ſic etiã difficilé poſſet impugnari, quicumque pro libito ſuo vellet omnia connotativé explicare: v.g. qui diceret, quod omne conſtitutũ ſtabat eſſentialiter in parte formali, reliqua connotáte; & ſic, quod propoſitio ſtabat in prędicato

connotando ſubiectum; definitio in differentia connotando genus; totum phyſicum in forma connotando materiam: & ſic quod riſibile dimanabat à ſolo rationali connotando animal; & ipſo modo poſſet quæcumque pro libito deducere, quod non videtur rectũ, dum aliqua ſpecialis vis in comparte reluceat, vt relucet in concluſione, illa idemptitatis inter ſe, & in præmiſsis, illa idemptitatis cum tertio.

50 Obijcies 1. Concluſio eſt proprietas præmiſſarũ, dato, quod non ſit proprietas ſyllogiſmi propter iam dicta à nobis; ſed nil poteſt intelligi conſtitutum ex ſubiecto, & ex proprietate: ergo. Reſpondeo in primis dicendo, quod proprié loquendo non poteſt dici, quod concluſio ſit præmiſſarum proprietas, cum præmiſſæ non habeant illud ſtrictum eſſe ſubiecti quidditativé conſtituti, ad quod paſsionis dimanatio ſequitur; quare percipies, eſſe imperceptibile, cognoſcere præmiſſas, & ignorare concluſionem, dum ignoratis paſſionibus contingit ſæpé cognoſcere eſſentias. Tum; quia nunquam poteſt dici paſsio rei id, quod, etſi derivaté, exercetur intra lineam rei, eam adæquaté conſtituens; & concluſio intra lineam diſcurſivam exercet vim, cum illatio ad diſcurſum ſpectet: ergo.. Id ſuadetur in riſibili, quod totaliter à linea diſcurſiva abſtractum exercetur, ſic diſcurſui extraneũ, quod ex riſu non poſsit metiri diſcurrẽs: ergo dum in linea diſcurſiva percipitur concluſio, perfectam connexionem ſervans, bené poterit aliquid cum præmiſsis per modum connexionis conſtituere.

51 Inſtabis, quod ſive concluſio ſit paſſio, ſive nõ, dependet à pręmiſsis: nec non pręmiſſæ in aliquo priori, ſaltem naturæ, præintelliguntur ad concluſionem: ergo ſyllogiſmus difficilé poterit intelligi ex præmiſsis, & concluſione inſimul cõſtitutus. Reſpondeo in primis dicendo, quod ſyllogiſmus poteſt percipi vt ens de genere ſucceſsivorum; quo pacto non debet intelligi contra eius eſſentiam, quod vna pars ſit altera poſterior, prout ipſi ſuccedens, vt patet in ente habente continuitatem cum ſucceſsione. Deinde poteſt reſponderi, quod dum aliqua ſic conſtituunt totum, quod ex ipſis alia ad compoſitionem requirantur deduci, parum prodeſt, quod in aliquo priori præcedant, cum ſic præcedant, vt inde verſus totum, ſimultatem habere requirant: quod patet in forma, quæ etſi ſit poſterior, & dependens à materia, tamen verſus totum, ſummam ſimultatem, & æqualem dependentiam conſervat. Tandem, ſi nimis vrgeant, reſpondebis, quod vnitas ſyllogiſmi eſt vnitas integritatis per vim connexionis; ac proinde, non repugnare, quod ex cauſa efficienti, & ex effectu conſtituatur totum integrale, vt ſit totum integrale ex ſubſtantia nutriente, & nutrita.

52 Obijcies 2. invariatis præmiſsis, ſi concluſio varietur, ſolum accidentaliter, & numericé variatur ſyllogiſmus; at veró ſi præmiſſæ varientur, & concluſio ſit eadem, variatur eſſentialiter ſyllogiſmus: ergo eſſe formale ſyllogiſmi eſſentialiter adæquaté conſiſtit in præmiſsis Anteced. prob. quia ſyllogiſmus in *Barbara*, & ſyllogiſmus in *Baralypton*, ſolum accidentaliter differunt, & tamen concluſio vnius eſt directa, & formalis, & alterius eſt indirecta. Deinde hic ſyllogiſmus, *omnis homo eſt animal; ſed aliquod individuum eſt homo: ergo aliquod individuum eſt animal*, qui eſt factus in *Darij*, differt eſſentialiter ab hoc alio, qui eſt factus in Datiſi, *omnis homo eſt animal; ſed aliquis homo eſt individuum ergo aliquod individuũ eſt animal*. Et ſic in omnibus alijs ſyllogiſmis, in quibus ſola variatione medij termini forma ſyllogiſtica variatur, & nihilominus manet eadem concluſio: ergo.

53 Reſpondendum ſentio, dicendo, poſſe negari maiorem, quia quod pluſquam numericé diſtinguantur ſyllogiſmus in *Baralypton*, & in *Barbara*, patet, cum vnus ſyllogiſmus in *Baralypton* plus diſtinguatur ab alio ſyllogiſmo in *Barbara*, quam ab alio in *Baralypton*; & ab alio in Baralypton numericé ſaltem diſtinguitur, cum *alius* dicatur. Deinde dico, poſſe teneri, quod etiam eſſentialiter diſtinguatur ſyllogiſmus in *Barbara* à ſyllogiſmo in *Baraplyton*; quia aliud eſt, quod accidat indirectio præmiſsis, & aliud eſt, quod accidat ſyllogiſmo; ſicuti aliud eſt, quod accidat materię habere hanc formam, & aliud eſt, quod hanc formam habere accidat huic compoſito. Sic etiam iſtæ propoſitiones, *homo eſt animal, & animal eſt homo*, diſtinguuntur eſſentialiter, & tamen tam homini, quam animali, eſſe loco ſubiecti, accidit. Tũ etiam; quia ſi dicatur accidentaliter differre, quia facilé vnus poteſt reduci ad alium, nullus alterius figuræ ſyllogiſmus differret eſſẽtialiter, cum omnis debeat, & poſsit reduci. Tum poteſt etiam reſponderi, quod ſi ex invariatione medij, tota machina ſyllogiſtica invariata intelligatur, potius noſtrum intentum perficietur, cum ſic concluſio ſit præmiſſis in eſſentialitate connexa, & conformis, quod quid diſtinctum non conſtituat. Et ad illud,

Digitized by Google

illud, vtpoté, quod concluſio, etſi ſit eadem, poteſt compati cum medijs diſtinctis, reſpondeo id negando ex Scoto, expoſito in *q.* 2. vbi ait, id provenire ex imperfecta medij comprehenſione, quia ſi aliquis recté præmiſſas percipiat, & percipiet inſimul concluſionem, ſolum cum ipſis coëxiſtendam.

54 Obijc. 3. per illud determinatur propoſitio ad eſſe tertiæ operationis, per quod primo extrahitur ab eſſe ſimplicis propoſitionis, & ſecundæ operationis; ſed per connexionem præmiſſarum primo extrahitur propoſitio ab eſſe ſimplicis propoſitionis: ergo per connexionem præmiſſarũ determinatur propoſitio ad eſſe tertię operationis. Reſpondebis, quod non extrahitur formaliter per præmiſſarum connexionem, ſed ſolum diſpoſitivé, aut efficienter, quia nempé cauſat, vel diſponit ad concluſionem. Sed contra inſtabis: diſpoſitio, aut cauſa efficiens, ante introductionem formæ, nõ extrahit materiam à forma præhabita; neque ante introductionem novæ formæ, licet ſint diſpoſitiones introductæ, tranſit ſubiectum de non eſſe novę formæ, ad illud eſſe; ſed per illam connexionem propoſitiones tranſeunt actualiter de eſſe ſimplicis propoſitionis, & de eſſe ſecundæ operationis ad eſſe tertiæ operationis: ergo illa connexio non ſolum eſt diſpoſitio, aut cauſa efficiens tertiæ operationis, ſeu ſyllogiſmi, ſed eſt ipſum eſſe actuale, & formale tertiæ operationis, & ſyllogiſmi.

55 Reſpondendum eſt ſemper diſtinguẽdo maiorem; per illud determinatur ad eſſe tertiæ operationis vialis, & incompleté, per quod extrahitur vialiter, & incompleté ab eſſe ſecundæ operationis, eſt verum; aliter eſt falſum: & ſic minorem, & conſequens diſcerno. Itaque dico, quod etſi verum ſit, quod à ſtatu ſimplici extrahãtur propoſitiones, extrahuntur tamen, prout ſunt intra viam diſcurſus, ita vt non poſsit dici, quod intellectus diſcurrat completé, ſed quod ad completum diſcurſum ſit motus, & tendens, illo modo, quo in ſtatu ſimplici non erat ante præmiſſarum connexionem. Sic dum forma (ſolvitur inſtantia) *vnitur, & educitur*, non poteſt dici, quod materia ſit extracta ab eſſe alterius formæ; exiſtimo tamen, poſſe dici, *quod extrahitur*; quia ſi dum eſt educta, & vnita, altera manet ſeparata, & extracta; dum vnitur, & educitur, altera ſeparabitur, & extrahetur. Quod dum vnitur forma nova, extrahat materiam aliquo modo, & ſic etiam dum educitur, patet; quia de non eſſe in via vnitiva, & eductiva, per modum tendentiæ intelligitur in illa, ſiquidem poteſt dici, *quod vnitur, & educitur*; quod in aliquo priori foret falſum dicere. Quod illa diſtinctio extrahendi vialiter, & completé poſsit congrué admitti, ſuadetur etiam; quia dum forma educitur, non eſt educta, nec vnita dum vnitur; aliàs dum eſſet educta educeretur, & vniretur, dum eſſet vnita; ſed eſt verum, quod primó extrahitur, per quod primó in illa linea vniendi, & educendi intelligitur, quod eſt viale, & incompletum; ergo eſt verum, quod per viam extrahendi diſcurſivé, à ſimili de ſyllogiſmo diſcurrebatur.

56 Debes itaque ſtare in hoc, quod ſic vialiter, adſunt lineæ diſcurſivæ præmiſſæ; quibus poſitis, inſimul cum concluſione, reſultat vtriuſque connexionis relatio, per quã forma ſyllogiſtica, & completé diſcurſiva conſtituitur adæquaté. Si veró nunc dubitare velis, an illa forma ſit indiviſibile quoddam; an veró ſit duplex forma connexa? Exiſtimo, poſſe reſponderi, non repugnate, quod ſicuti duplex eſt connexio terminorum, quod & duplex ſit formalitas, eſtò vna ſit alteri ſubordinata, & ad vnam lineam diſcurſus adæquati cõſtituendam neceſsitatę. Sic graves Theologi non renuunt concedere, quod obiectum formale fidei theologicæ ſit connexum ex duplici formalitate, vtpote ex authoritate aſſertoria, & ex revellatione applicante; & hoc, etſi etiam vna formalitas ab alia derivetur, in aliquo priori originis eam ſupponens: ergo à ſimili poteris, ſi mavis, philoſophare.

57 Obijcies 4. Intendens probare, ſolum in concluſione ſyllogiſticam quidditatem ſiſtere. Dices ergo, quod ratio formalis motus convenit ſoli productioni termini ad quem; ſed ſyllogiſmus eſt motus à premiſsis in concluſionem: ergo in ipſa concluſione ſiſtit. Hoc argumentum forté poteſt verti in contrariorum intentum; quia ſi motus ex termino ad quem ſumat quidditatis argumentum, ſic cõcluſionem percipit intellectus, quod adhuc in contrariorũ opinione, cognitio concluſionis diſcurſivé formetur, prout ad cognitionem præmiſſarum verſa, dicens totum ſuum eſſe in ordine ad illas, eaſque habens pro ſuæ connotationis termino: ergo ſic perfecté motus intellectus, potius ex præmiſsis, quam ex concluſione terminum diſcurſivæ formalitatis deducet.

58 Sed præter ſupetius dicta, reſpondendo ad argumentum poteſt dici, quod ſeppoſito, quod motus ab ipſis intentus, ſolum in termino ad quem ponat rationem formalem,

non

Digitized by Google

non autem ſic debet diſcurri de ſyllogizationis motu. Ratio eſt; quia in ſyllogiſmo datur duplex terminus formalis, & ad quem, nempé, idemptitas extremorum cum tertio, & idemptitas extremorum inter ſe; prima idemptitas, vtpote tertij, eſt terminus ad quē tendit intellectus, dum primo extrahit propoſitiones ab eſſe puro entitativo ſecundæ operationis, & ſimplicitatis: altera idemptitas, vtpoté eorum inter ſe, eſt terminus, ad quem tē-dit intellectus, non vt eum ſolum acquirat, ſed vt eo inſimul acquiſito, omnem formalem diſcurrendi lineam habeat, ita vt pro termino adæquato, vtramque connexionem intendat. In alijs veró motibus, cum duplex terminus ad quem non adſit, tota mobilis ſpecificatio ab vno ſolum deſumitur; omnes enim partes, & connexiones motus ſunt ſimiles, & eiuſdem rationis, nec non ad eumdem terminum tendentes, quin ante ipſum vltimum terminum detur in aliqua motus acquiſitione diverſitas; quia ſi hæc daretur, etiam motus diſtinctum eſſe formale haberet, vt plures dicunt de cane à turri proiecto, & in medio viæ mortuo. Tum, quia vltimus terminus naturæ metaphyſicæ eſt ſingularitas; & tamen in concreto ex ſpecie, & individuatione, formalitas principalior non videtur exiſtimari in ſingularitate.

59 Objicies 5. dum concluſio elicitur, exiſtit ſyllogiſmus adæquaté; ſed tunc non exiſtunt præmiſſæ actualiter: ergo quia ſyllogiſmus in ſola concluſione conſiſtit. Minorem intendit probare Diony. per totum *art.* 4. *in diſt.* 25. *quæſt.* 2. exiſtimo tamen totum eius robur poſſe ſufficienter diſſolvi, ſi recté videas, quæ ex Scoto adduximus *in quæſt.* 2. præcipué in ſolutione *ad 4. argum.* Reſpondendo hinc, dico, quod data minori, abſque dubio eſt neganda maior; quia nil falſius, quam quod exiſtat ſyllogiſmus adæquaté, præmiſsis non exiſtentibus. Vnde, ſi dicat, quod vel habitu, vel æquivalenter, vel quocumque modo, maneant præmiſſæ; dicam, illud eſſe tantæ vis, quod ſi poſsit dici, quod ſyllogiſmus adſit, id valebit, quia illud præmiſſum eſſe adeſt.

60 Dubitab. pro complemento, an ille reſpectus vnius connexionis ad aliā, vtpoté præmiſſarū ad concluſionē, ſit realis, vel rationis? Reſpondere debes cum diſtinctione; quare dices, quod ſi præmiſſæ, & concluſio intra eumdem intellectum coexiſtant, tunc relatio erit realis prædicamentalis; ita tamen, quod pro coexiſtentia præmiſſarum, ſit intelligenda coexiſtentia ipſorum actuum intellectus, quorum connexio, realis poteſt dici. Si n autem defenſare cupias, quod nec inſimul tempore coëxiſtunt præmiſſæ, & concluſio, tunc ſi realem relationem ponas, eam debes ponere tranſcendētalem, vtpote, reſpectum idemptificatum præmiſsis, & concluſionis terminum poſtulantem. Deinde, ſi loquaris de relatione, quæ reſultat ex actibus intellectus cō-parantibus obiecta præmiſſarum cum obiecto concluſionis, debés dicere, quod reſpectus ille ex tali comparatione reſultans, eſt intentionalis, & rationis, prout diximus laté loquendo de alijs Logicæ ſecundis intētionibus. Sic philoſophare graves Scotiſtas, invenies. Vide Mauritium de Portu in *expoſit. q. 3. Univer.* vbi ait iuxta Scotum: ſyllogiſmum ſecundo intentionalem appello *reſpectum rationis habitus premiſſarum ad concluſionem*; vel *ſigni complexi diſcurſivi ad ſuum ſignificatum*. Et ſecundum alios Ariſtot. definitioni adhærentes, ſic: ſyllogiſmus eſt *quædam relatio rationis, quæ ex multis connexio, aliquid aliud inferri cognoſcitur.*

QVÆSTIO. IV.

De neceſſitate præmiſſarum circa concluſionis aſſenſum.

61 QVod in præſenti inquiritur, eſt, an poſitis præmiſsis, poſsit intellectus non ſolum ſuſpendere concluſionalis obiecti aſſenſum, ſed etiam ei diſſentire; quod dicitur, nec eſſe determinatum quoad individuum, nec quoad ſpeciem. Circa quod breviter eſt advertendū cum D. Subtili *in 1. Poſter. q. 8.* quod hinc non loquitur de præmiſsis propoſitionibus ſecundum ſe acceptis; quia ſic, vt ſupra dicebam in *q. 2.* obiectum concluſionis non habet ex præmiſsis neceſsitatem, cum contingat cognoſcere, omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam, & ignorare, hanc eſſe ſterilem. Quæſtio igitur militat de præmiſsis recté applicatis, ita vt minor (inquit Scotus) cognoſcatur eſſe ſub maiori; quo pacto hæc reſolvit Scotus: *ſi tamen præmiſſæ applicentur adinvicem, & minor cognoſcatur eſſe ſub maiori, tunc non cognoſcis præmiſſas, & ignoras concluſionem.*

62 Reſolvo igitur, quod poſitis præmiſsis, recté applicatis, non poteſt intellectus, nec obiecto concluſionis diſſentire, nec actum ſuſpenſionis circa aſſenſum formare. Ita Scotus, prout ſupra, vide Scotum in 1. *d.* 1. *quæſt.* 4. §. *ad argum.* Tum etiam feré tota

Digitized by Google

hæc quæſtio manet propugnata ex his, quæ propugnata reliquimus ſupra in *q.* 2. ſed hinc eam innovamus propter aliquorum addita. Eſt communis Scoti aſſertio, cui noviſsimé contrariatur Mag. Dionyſ. in Synopſi Bachonica *lib. 7. diſt. 25. q. 3. art. 1. §. 3.* vbi reſolutionem, quoad ſecundam partem negat. Quoad primam partem facilis eſt veritatis præſumptio; quia ſi poſitis pręmiſsis, veré applicatis, adhuc non vigeat neceſsitas conformis aſſenſus ad concluſionem, multo minus vigebit motivum, ex quo poſsit intellectus diſſenſum concluſionis producere. Suadetur, & exponitur id; quia vel diſſentit ex motivo pręmiſſarum, vel non? Si ſi: habeo intentum; diſſentire ſiquidem habet, quia moventibus præmiſsis ad diſſenſum. Si non: ergo diſſentit abſque motivo; quod dici, erit abſque motivo. Si dicas, non habere intellectum perfectam præmiſſarum cognitionem, ex quo poteſt oriri aliquod motivum ad diſſenſum. Contra; quia abſque motivo deſtruitur quęſtio; ſuppoſuimus enim, quod pręmiſſę ſint recté applicatę, & poſita recta mentis applicatione, implicat mala cognitionis applicatio. Vide dicta in *lib. 1. q. 1.* vbi diximus, eſſe imperceptibile, quod intellectus diſſentiat, dum ad cōtrarium adſit principiorum determinatio.

63 Prob. ergo quoad ſecundam partem reſolutio aliquibus rationibus. Primo, quia in divinis ſi omnimodé non ſequitur, quod quæ ſunt eadem vni tertio, non ſunt eadem inter ſe, id provenit, quia cognoſcitur, quod mediū non eſt aptum, vtpoté commune: ergo vbicumque medium aptiſsimum ſit, implicabit, quod omnimodé non ſequatur; omnimodé, id eſt, etiam quoad mentaliter inferri. Prob. & præcavetur communis reſponſio: ſic eſt voluntas divina efficax quoad ea, quæ ſunt, ac poteſt eſſe noſtra quoad ea, quæ cognoſcūtur; ſed dum medium illud foret aptum, nec à voluntate divina poſſet impediri eſſe idemptitatis inter ſe: ergo dum intentionaliter ſit aptum, nec intentionalis idemptitas inter ſe poterit impediri à noſtra.

64 Secundó ſuadetur ex ipſa penetratione præmiſſarum, recta applicatione connexarū, qua recté inſpecta, adhuc ſenſibiliter videtur ſubſequens illatio; quod, ni fallor, claret in his, v.g. *omne totum eſt maius ſua parte; ſed hoc eſt totum:* vbi debes notare, quod ſi recta adſit appliceatio, debet, vt ex Ariſt. notavit Scotus, minor intelligi ſub maiori; ſed illa minor ſub maiori intellecta, neceſſariſsimé movet ad attingentiam concluſionis: ergo. Expoſitione ſuadetur; quia minor illa ſub maiori intellecta, relinquit in penetratione mentis id omne, nempé, *omne totum eſt maius ſua parte; ſed hoc totum eſt totum illorum, ſeu illius, quod eſt maius ſua parte;* vbi in ipſa connexione tertij, connexionem extremorum, neceſſariſsimé penetrandam proponit: ergo.

65 Tertio ſuaderi poteſt ſupponendo intentum contrariorum, vtpoté, non ſequi neceſſarió concluſionem: ergo ſi aliquis id intendat probare, neceſſarió ſequetur, poſitis præmiſsis, quod, vel neceſſarió ſequatur ſuſpenſio, vel quod neceſſarió non ſequatur concluſio. Patet; quia ſi dicas, neutrum ſequi neceſſarió, præterquam quod id difficilé cōpones, ſemper infero, quod ex illis præmiſsis inferet, quod ſequetur neceſſarió, neutrum in probatione ſequi neceſſarió.

66 Quarto ſuaderi poteſt ex illis omnibus, in quibus ſupra expoſuimus, quod diſcurſus erat motus, quod & ipſe Dionyſius docet, ſicuti & docere debet, quod terminus *ad quē*, eſt cōcluſio; ſed eſt imperceptibile, quod poſsit abſque termino ad quem percipi motus, ita vt in nullius potentia ſit, quod aliquid moveatur abſque termino: ergo & erit imperceptibile, quod poſsit dari motus intentionalis a præmiſsis abſque concluſione. Nec valet, ſi dicas, quod ante concluſionem non movetur intellectus: non enim valet; quia ante terminum *ad quem*, expeditur motus; ſed concluſio eſt terminus ad quem, cum in ipſa concludatur diſcurſivus motus: ergo. Itaque hinc debes advertere, quod nec debet diſcurri ante concluſionem alius motus, qui ſit extra illum præmiſſarum; aliàs daretur aliud medium, per quod etiam poſſet moveri intellectus.

67 Vltimo probatur ex his, quæ movit Scotus, videlicet, quod præmiſſæ ſunt principia, & applicata; ſed voluntas non poteſt impedire effectum potentiæ naturalis ſemel applicatæ: ergo. Solet iam ſuaderi; quia etſi voluntas poſsit, impedire applicationē potentiæ, non autē poteſt impedire, quod ſemel applicata non operetur, vt patet in potentia viſiva, cui poteſt impediri viſio per non applicationem apertionis oculorum; ſemel tamen apertis, non poteſt iam impediri: ergo cum mentis oculi ad vidēdam concluſionem ſint pręmiſſæ, iſtis ſemel applicatione intentionali apertis, non poterit inde concluſionis viſio impediri. Corroboratur; quia adhuc quando voluntas decerneret concluſionis viſionem, non poterat eligere aliud medium, vt intellectus eam haberet, quam ipſum præmiſſarum medium; ſed tale medium iam habebat ſummopere intel-

lec-

Digitized by Google

lectus; aliàs deſtruetur difficultas: ergo dum voluntas nec medio, nec intellectui det vllam habilitatem, non poterat intellectus non videre per illud. Confirmo dicta; quia ſi voluntas divina nil poneret extra ea, quæ iam erant in ipſa virtute cauſæ ſecundæ, determinationem eius quoad individuum nō tribueremus cauſæ primæ, ſed in eadem difficultate ſiſteremus: ergo ſi determinativū inſit præmiſsis, & deinde nullus adſit voluntatis concurſus, ex quo ad determinandam concluſionem ad voluntatem recurritur?

68 Mag. Dionyſ. illi argumento potentiæ viſivæ reſpondet dicendo, intellectum ſolum eſſe potentiam neceſſariam reſpectu ſimplicis notitiæ, ſeu apprehenſionis; ſic enim immitatur naturam oculi, & ſenſuum, qui poſitis requiſitis, ſimplici intuitu, neceſſarió feruntur in obiectum: at vero reſpectu compoſitionis requirit notitiam convenientiæ, vel diſconvenientiæ extremorum, ideo poteſt ſuſpendere iudicium ad nutum voluntatis. Deinde ibidem, huic rationi, ſic formatæ: voluntas non poteſt impedire in ſe actum electionis poſita intentione efficaci; ſed maius dominium habet in ſuos actus, quam in concluſionem intellectus: ergo &c. Reſpondet, quod ex intentionis efficaci ratione, ſolum convincitur, quod poſitis præmiſsis, neceſſarió excitetur in intellectu apprehēſio de obiecto concluſionis, non veró iudicium.

69 Sed contra prædictam ſolutionem arguo ſic: ex eo poteſt intellectus ad nutum voluntatis ſuſpendere concluſionem, quia reſpectu eius requirit convenientiam, vel diſconvenientiam extremorum; ſed id requiſitum, ante concluſionē habet: ergo & quidquid requiritur, vt non ſuſpēdatur. Prob. minor; quia in primis datur convenientiæ medium in præmiſsis, cui ſunt eadem extrema, vnitatem, & convenientiam habentia, prout ab ipſo principio ſatis exprimitur: v. g. *quæ ſunt eadem tertio vni*: ergo dantur, quæ ibi idemptitatem, & vnitatem habent. Tum etiam ſuadetur ex eo, quod adſit vna præmiſſa vniverſalis, & ſub eius natura connexivé, & idemptificé contēta alia; ſed id abſque convenientia, vel diſconvenientia extremorum repugnat: ergo. Prob. minor; quia ſi tunc præmiſſæ conſiderarentur in ſtatu ſimplicis apprehenſionis, nec ad nutū voluntatis poſſet intellectus formare concluſionis illationem in illa prima vi præmiſſarū, eo quod tunc nulla præmiſſa attingeret pluſquam ſuum ſimplex obiectum; quia abſque connexione cum alia præmiſſa, nil vltra poſſet attingere, & poſita connexione, iam ab illo apprehenſionis ſtatu recederet; ſed præmiſſæ ſimpliciter, & ſecundum ſe conſideratæ, vt ſpeciale obiectum attingunt, repugnat, quod ſint principia pro conditione iudicij inferendi ſufficientia, vt ipſe Dionyſ. concedebat: ergo. Tum poteſt argui; quia in præmiſsis exercetur vis illius principij *dici de omni, dici de nullo*; ſed abſque convenientia, & compoſitione, de nullo poteſt aliquid dici: ergo.

70 Contra ſecundum, omnia prædicta poſſunt opponi: argui tamen poteſt; quia iuxta Diony. doctrinam, etiam datur proportionatus modus inferendi vnum ex alio in linea volitiva; ſed præmiſſa intentione efficaci, repugnat illatio alterius actus, quam efficaciſſimi in voluntate: ergo & præmiſsis iudicijs formalibus, connexione formatis, repugnabit illatio alterius actus, quam iudicialis in intellectu. Tum; quia ſi intellectus ſyllogiſmū apprehenderet converſus ſic à præmiſsis in concluſionem, adhuc repugnante voluntate, haberet ad minus apprehenſionem de concluſionis obiecto: ergo cum poſitis præmiſsis in vigore ſyllogizationis, vtporé formaté connexis, tam in ipſis, quam in mente corroboratior, & ſolicitior vis ſplendeat, aliquid plus, quam illud minus apprehenſionis deducetur, quod nil poteſt eſſe minus, quam iudicium, quod eſt apprehenſione maius. Tum; quia non minus viget naturalitas in principio recté applicato ad diſcurſum, quam in recté applicato ad apprehenſionem; ſed in recté applicato ad apprehenſionem non eſt impeditiva voluntas ad intuitum: ergo & in recté applicato ad diſcurſum, non erit impeditiva ad compoſitionem, ſeu iudicium. Confirmantur omnia; quia in omnibus actibus voluntas eſt libera: ergo poſita recta applicatione, in omnibus erit intellectus neceſſarius. Neque id opponitur imperio voluntatis, imó eius libertas eluceſcet, dum ſic ſit abſque libertatate intellectus, quod nec à voluntate poſsit affectum liberi ſuſcipere; & aliter, non poſſet in contraria opinione vitari, quod ſaltim paſsivé foret liber, cum poſita applicatione, poſſet adhuc ſuſpendi: ergo &c.

SOLVUNTUR ARGUMENTA contraria.

71 OBijcies 1. ex eodem antecedenti poſſunt inferri plura, quæ ad ipſum ſequuntur; ſed non poteſt intellectus ſimul habere plures cōcluſiones, nec determinari à ſe ad vnā potius,

quam

quam ad aliam, quia omnes repreſentantur æqué veræ: ergo determinatur à voluntate liberé; ac proinde poterit voluntas ad nullam determinare, & ſic nullam eliciet. Hoc argumentum ex Bachonio à Dionyſ. formatum, ni fallor, eximias patitur difficultates, quæ validé inſtari poſſunt ex eo, quod ſi intellectus non ſit ex ſe determinatus quoad individuum, exiſtimo, quod nec voluntas erga plures eiuſdem rationis actus: ergo ſi voluntas quoad individuum non ſit determinata erga ſuos actus, minus erit erga actus intellectus. Tum; quia ad hoc vt voluntas determinet actum eliciendũ ab intellectu, requiritur, quod ab ipſo intellectu proponatur: ergo dũ huius precedat cõſcius intellectus, potius à ſe, quam à voluntate determinabitur. Tum; quia ſi plures concluſiones inſimul intellectus non poſsit habere, difficilé poterit in illo imperceptibili diſcurſus motu, ab aliqua ex pluribus à voluntate determinari.

72 Reſpondendo deinde argumento, dici poſſunt plura. Primum, quod deberet determinari neceſſarió à Deo ex ſuppoſitione concurrendi cum cauſa ſecunda ad effectum in vltima diſpoſitione poſita; & ita ſi mavis, quod etſi foret Deo liberum non concurrere ad applicationem, ſecus tamen, poſita applicatione, non concurrere ad conſequentia. Tum etiam poteſt reſponderi, dando Dionyſio minorem, vt poté; quod intellectus plures concluſiones inſimul habere non poſsit; quia ſi plures habere non poſsit, eam inferet; quæ ab intellectu ex præmiſsis recté applicatis habeatur. Deinde, poteſt aliter reſponderi dicendo, quód ſi ex abundanti vi præmiſſarum plura inferenda poſsint ipſi proponi, omnia inferet; ita vt ſicuti notabat Scotus, eſſent plura per modum vnius habitudinis, & tertij; quo pacto non repugnaret illatio, in ò ea plura non inferre repugnaret, cum ex vi principij præmiſsi ea omnia intellectui inferenda offerantur. Denique; quia, vt recté prævidit Scotus ſupra in *queſt.* 2. poſitis his numero præmiſsis, & debita iam applicatione determinatis, difficilé poteſt ſuaderi, quod ignoretur, quæ concluſio ſequatur, & quæ non. Sic enim debes præcavare aliud argum. dicendo, quod poſitis præmiſsis in *Barbara*, non adeſt indifferentia ad concluſionem in *Baralyptom*; quia ſi recté applicentur, ad directam concluſionem determinabunt.

73 Obijcies 2. ex ipſo Bachonio: præmiſſæ non exiſtunt, dum concluſio elicitur; ſed neque concurrunt effectivé: ergo non poſſunt neceſsitare ad concluſionem, licet poſsint determinare, non renuente voluntate. Hoc argumentum ſibi etiam opponit difficultatem; quia ſi impedimenti vim, vt præmiſſæ determinent concluſionem, ponat in eo, quod dum concluſio elicitur, præmiſſæ non exiſtunt, idem impediens pro voluntate ſubſiſter, cum non exiſtentibus præmiſsis, non poſsit determinare, quod eliciatur cõcluſio. Deinde; quia ex eo, quod præmiſſæ non exiſtant, dum concluſio elicienda ſit, ſumitur pro nobis roboris argumentum, ſiquidem ſic probatur expeditio neceſſaria effectus, quod principiũ non exiſtat, dum illius inexiſtentiam, ad lui exiſtentiam effectus petat. Denique, poteſt reſponderi negando maiorem, iuxta doctrinam Scoti propugnatam in *queſt* 2. ſecundum quam, minor ſyllogiſmi etiam eſt tenenda vt falſa.

74 Obijcies 3. à paritate concluſionis probabilis: poſitis præmiſsis probabilibus evidenter repreſentatur, eſſe poſsibilem, vel contingentem connexionem extremorum inter ſe; & tamen poteſt intellectus non iudicare poſsibilitatem, ſeu probabilitatem concluſionis evidenter propoſitam: ergo etiam poterit non iudicare neceſſariam connexionem extremorum, licet ſit evidenter propoſita per præmiſſas evidentes; quia tam evidenter proponitur per præmiſſas probabiles probabilitas concluſionis, quam per evidentes neceſsitas eiuſdem. Reſpondendum ſentio diſtinguendo antecedens; evidenter repreſentatur eſſe contingentem connexionem extremorũ inter ſe, ex præciſo eſſe connexionis cũ tertio diſcurſivé formato, negatur; aliunde, conceditur: & diſtinguo conſequens; poterit non iudicare neceſſariam connexionem extremorũ, licet ſit propoſita evidenter per præmiſſas evidentes, ſi ſit propoſita in virtute præmiſſarum diſcurſivé formatarum, negatur: ſi aliunde, & per modum, qui vim formaliter illativam non habeat, conceditur.

75 Dicimus ergo, quod licet evidenter proponatur probabilitas concluſionis, inde tamen non debetur inferri, quod tunc debeatur aſſenſus, evidentiæ probabilitati; quia illa evidentia probabilitatis propoſita à præmiſſis, non eſt propoſita ab ipſis, vt diſcurſivé ad id connexis; medium ſiquidem illud, non ſumitur ad diſcurſivé probandum evidentiam probabilitatis, ſed ad probandum probabilitatem prædicati de ſubiecto; quare, etſi proponatur probabilitatis evidentia, proponetur à præmiſsis, vt ab apprehenſis propoſitionibus; quo pacto non manebit vis ad inferendum evidentiam

per formalitatum aſſenſum, ſed per ſimplicem notitiam. Sic dicimus etiam, quod licet neceſſarió connexio proponatur per præmiſſas evidentes, non tamen debetur inferri, quod iudicium illatum ſit de neceſsitatis evidentia; quia licet hæc proponatur à præmiſsis, non veró vt à vim diſcurſivi principij habentibus; nam etſi abſque vigore diſcurſivo intellectus apprehenderet præmiſſas, nec non totum ſyllogiſmum, illud ipſum evidenter repreſentaretur, quin poſſet congrué dici, quod ex apprehenſionis forma, aliquid diſcurſivé cognoſceret: ergo quia, quod illud ſic repreſentetur, accidit præmiſsis, qua diſcurſivé formatis, ita vt nil debeat mirari, quod non ſequatur notia evidentiæ iudicativa, cum non derivetur ex principijs, vt in ſyllogiſtica vi, illam cauſantibus.

76 Deinde poteſt vim prædicti argumẽti breviter infringere, ſi advertas, aliud eſſe iudicare, eſſe probabilem connexionem extremorum; & aliud eſſe, connectere extrema probabiliter, ſeu formare iudiciũ probabiliter de extremis: vt probabiliter aliquid iudicetur idem cum alio, ſufficit actus directus iudicij; at veró, vt formetur actus iudicativus de evidentia probabilitatis, requiritur actus vlterior, qui in virtute alterius tertij diſtincti formetur, vtpoté in virtute tertij reflexi; quare ille actus dignoſcitur incomparibilis, quia cum inferre evidentiam probabilitatis iudicij probabiliter illati, ſeu inferendi, ſupponat extrema probabiliter iudicata, colligitur, quod inter illos actus detur tam ſtricta ſucceſsio, quod ſimultatem ex vi vnius medij ſyllogiſtici habere repugnent. Idem eſt dicendum de connexione neceſſaria, ita vt aliud ſit connectere extrema per præmiſſas evidentes, & aliud formare iudicium de connexionis evidentia, cum ad hoc requiratur formare connexionem de extremis connexis: quare, cum iſti actus ſint ſucceſsivi abſque habitudinis ſimultate, & deinceps ex vi primi medij, primum, & directum iudicium debeat formari; vel in virtute talis medij ſyllogiſticé formati, non repreſentatus actus reflexus, vel etſi repreſentetur, ſic ſe habebit repreſentatio, ex pura apprehenſione, quod ſit inutilis ad illationem, cum ſolius primi actus debeatur illatio, ita vt alterius adſit ex primo incompatibilitas pro tunc. Neque ob iſta volo negare, quod ſupra dixi, vtpoté, plura poſſe inſimul cognoſci, & inferri; hoc enim eſt diverſum, cum omnes illæ concluſiones contineantur in eodem medio, & ad eamdem lineam directam, & ad eiuſdem permanentiæ conditionem ſpectent.

77 Obijcies 4. omnis potentia, quæ ſe ſola operatur ſuos actus, independenter ab obiecti immediato concurſu effectivo, aut determinativo, ſubijcitur voluntati in exercitio illorum; vt patet in potentia loco motiva, & appetitu ſenſitivo, cuius actus poteſt voluntas reprimere, non tamen actus ſenſus interni, aut externi, qui immediaté dependent ab ſpecie obiecti externi, determinante illos, vel effectivé concurrente; ſed intellectus ſolus reſpectu iudicij eſt cauſa adæquata effectiva, nec dependet immediaté ab obiecto, ſed à ſola apprehenſione obiecti, quæ nec determinat, nec neceſsitat: ergo reſpectu iudicij ſubditur voluntati, poteritque ab illa impediri. Reſponderi poteſt huic argumento, permiſſa maiori, negando minorem; quia, vt expoſuimus in *quaſt.* 2. exiſtimavimus cum Scoto, quod præmiſſæ effectivé concurrant ad concluſionem. Deinde, etſi nec obiectum, nec eius ſpecies concurrat cum intellectu ad productionem iudicij, ſed concurrat extremorum apprehenſio, eſt nimis probabile, quod apprehenſio obiecti concurrat cum intellectu, ſupplendo vices obiecti, ſicuti ipſa ſpecies, vt erudité propugnat noſter Antonius Groſſo *Diſſertat.* 20. *Elucid.* 3. apud quẽ & Maſtrius *diſp.* 11. *Log. quæſt.* 3. *num* 23. Tum etiam; quia etſi ex præciſa vi apprehenſionum poſſet ſic cohiberi intellectus ad illationem, ſicuti potentia loco motiva ad curſum; ſecus tamen, dum adſit medium movens, forti connexionis vi formatum, & ad aliud omnimoda curſus applicatione propenſum; non minus, ac ſi aliquis foret à turri protectus, quo medio iam poſito, eſſet inimpedibilis à voluntate, etſi ab hac, medij poſitio penderet: ſic ergo poſito medio à præmiſsis in concluſionem, vis rationalis, & diſcurſiva proijcitur.

78 Obijcies 5. ſi præmiſſæ neceſsitarent, maximé, quia repreſentant claré obiectum concluſionis; ſed hoc eſt falſum, & eo dato, non obſtat: tum, quia apprehenſio antecedens ad quodlibet iudicium claré repreſentat totũ obiectum illius, & tamen non neceſsitat ad illud; tum etiam, quia hæc propoſitio hypothetica: *Petrus, & animal ſunt idem cum homine, vel ſunt homo*, non minus repreſentat claré, idemptitatem extremorũ inter ſe, quam iſtæ præmiſſæ: *omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo*; & tamen illa non neceſsitat: ergo neque iſtæ. Reſponderi poſſet dicendo ad maiorem (non intendo negare claram

pre-

præmiſſarum repreſentationem, cum ipſæ poſsint efficienter ad concluſionem, vt cauſæ principales concurrere) quod vis illa principiorum, vt neceſsitans, nõ tantum ſtat in clara repreſentatione, quantum in modo repreſentandi; ſeu non tantũ ſtat in vi repreſentativa, quantum in vi connexiva, quæ ſummæ illationis eſt. Sic Pater eſt pro illatione filij ſublimioris conditonis; & tamen non ſtat tantum illatio in clara expreſsione filij, quantũ in habitudinis neceſsitate; ſiquidem alter homo, qui eius Pater non ſit, poterit eſſe perfectior, & repreſentatior imago. Certum eſt enim, quod ſi connectere, repreſentare vocent, quod omne connexum repreſentat, cum ad connexi notitiam inducat, repreſentat veró diſparaté, hoc eſt, excitans notitiam in virtute connexionis: v.g. fumus, qui, prout putat argumentum, ſolum fumum repreſentat, ſed prout hinc intendi poſſet, ſic repreſentat ignem, ſicuti fumum; cum etſi ignem non repreſentet, connectatur tamen cum ſpecie, illius repreſentativa. Vnde appehenſio clara habet repreſentare obiectum ex directa ſimilitudine; præmiſſæ verò habent id, & repreſentare ex connexione, ſicuti creatura ſe habet reſpectu Dei.

79 Ad ſecundum poteſt reſponderi, quod ſi ſic proponatur intellectui connexio extremorum cum tertio in hypothetica illa, ſicuti ſolet proponi in præmiſsis, ſic ex hypothetica inferet idemptitatem extremorum, ſicuti ex præmiſsis. Quare dico, quod ſi idemptitatem extremorũ non inferat ſic prõpté, ac ex premiſsis, id orietur ex diverſa figuratione, & modo connectendi; ſic enim adhuc in ſyllogiſmis aliarum figurarum à prima, magis videtur intellectus fatigari circa idemptitatis intelligentiam.

80 Obijcies 6 ex iſtis præmiſsis de fide: *quidquid Deus revellat, eſt verum; ſed Deus revellavit, ſe eſſe Trinum*; ſequitur hæc concluſio de fide: *ergo Deus eſt Trinus*; quia eſt aſſenſus Trinitatis, propter medium verbum revellationis; ſed nulla propoſitio de fide eſt neceſſaria: ergo neque iſta concluſio. Hoc argumentum omnem vim elevat ex fide noſtra, quæ debet eſſe meritoria, ac proinde non neceſſaria. Sed antequam diſſolvatur, vellem inſtare ſic: aſſenſus ille ex prædictis præmiſsis non habet connexionem neceſſariam? ergo illa extrema ſolum defectibiliter, & probabiliter erunt connexa; ac proinde non poterit infallibiliter hæreticus argui.

81 Reſpondendo igitur argumento, exiſtimo poſſe dici, quod licet illa concluſio ſit neceſſaria, prout elicita in virtute illius medij, ſic ſyllogiſticé figurati; inde tamen nil obſtare videtur contra fidei meritum, cum aſſenſus vtilis, & ad meritum proficuus non dependeat ab illo modo formalitatis; quo modo ablato, ſeu præciſo poterit quilibet aſſentire, prout oportet, liberum aſſenſum eliciendum. Quod illo connexionis ſyllogiſticæ modo præciſo, poſsit quilibet prout oportet, aſſentire, congruere videtur; aliás nunquam ruſtici, imò & vix literati, vtilem aſſenſum formarent, cum vim ſyllogiſticam non perciperent; ſed vnicé credunt, quia Deus dicit; vel vt alij; quia Eccleſia proponit, quin ad præſtandum fidei obſequium plura vlterius ſcrutentur.

82 Tum etiam poteſt reſponderi, quod illa connexio extremorum cum tertio eſt aliquomodo difformis, quia eſt connexio præmiſſarum, quarum vna habet vim phyſicé evidentem, & alia ſolum moralem: vnde nunquam illa mixtio, ſeu connexio poteſt erga aſſenſum ex parte noſtri formandum, ſic propendere ad terminorum penetrationem, ac propenderet, ſi connexio ex duplici præmiſſa phyſicé formaretur. Hoc deduci videtur, tam ex fidei merito, quod profecto nullum foret, ſi ſic proponeretur intellectui minor illius ſyllogiſmi, ac proponitur maior; quam etiam ex hæreſum diſſenſu; mihi enim certiſsimum videtur, quod a nemine poſſet negari Trinitas, ſi ſic moveret minor, ac movet maior: ergo dũ à nemine negetur, Deum eſſe verum, & veracem in dictis; & tamen ab id concedentibus negetur, illud dictum non eſſe Dei, ſignum eſt, quod in illis præmiſsis non datur æqualitas connexionis, quæ datur in his, de quibus diſputamus.

83 Pater Mag. Dionyſ. prædictum argumentum noviſsimé corroborat, aliquas ſolutiones adducens, & eas omnes eruditè propugnans, vt inde inferat, quod licet propoſita præmiſſarum applicatione, neceſsitent ad apprehenſionem obiecti concluſionis; non tamen ad iudicium illius: quod exẽplificat in prędicti ſyllogiſmi præmiſsis, ad quarum connexionem ſolum ſequitur neceſſariò, *apprehenſio Trinitatis*; ſecus veró iudicium. Sed re bené inſpecta, exiſtimo, eamdẽ difficultatem ex ſuo opinandi modo ſequi; quia in primis meritum fidei noſtræ, non videtur præcisé ſtare in libertate contradictionis, ſed etiam in libertate contrarietatis; non enim meritũ noſtrum (aliud diſcurrere,

Digitized by Google

erit vtile in Chriſti privilegium) ſolum elucet in elicientia fidei, dum potuit ſuſpendi; ſed potius, dum per actum poſitivum potuit reprobari, iuxta illud, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus &c. ideo ſtabilita ſunt bona &c.* Deinde poſita neceſsitudine illius apprehenſionis, meritum prædictum etiam ſuffocaretur; quia vt diſſenſum non poſſet formare, ſufficeret neceſsitudo apprehenſionis in contrarium, vt patet in veré apprehendente eſſentiam hominis; nec non ſi aliud eveniret, omnis iudiciorum formatio corrueret, vt dixi in primis *q.q. s. libri*: ergo eſtó illa apprehenſio ſit neceſſaria poſt præmiſſas apud Dionyſ. bené etiam apud ipſum poterit eſſe neceſſarium iudicium.

QVÆSTIO V.

De concurſu præmiſſarum ad concluſionem.

84 PRæſentis quæſtionis controverſia, de principali ſolum videtur ſtare in concurſu per modum cauſæ efficientis, & per modum cauſę illuminatis; quia aliqui defenſant, quod premiſsę illuminant, & non efficiunt; alij veró, quod efficiunt, & illuminant. Circa hoc igitur, vnum ex his duobus principalibus propugnabimus, pręſcindentes pro nunc, in quantum poſsimus, ab illis, quæ in libris de Anima ſpecialem eviſcerationem requirunt.

85 Reſolvendum ſenſio, præmiſſas efficienter ad concluſionem concurrere. Ita quã plurimi ex Antiquis, & ex recentioribus, pro omnibus ſufficiat noſter Magiſter Scotus in *Prologo quæſt. 1. §. contra iſtud. Verſ. præterea*, & ibidem *quæſt. 3. 4. & §. laterali. §. ſed oppoſitum. Verſ. quia diſcurſus.* Videatur etiam in *quæſt. 8. lib. 1. Poſter §. ad primam dico*, vbi ait: *præmiſſæ ſic applicatæ continent concluſionem virtute, ſicut efficiens diſpoſitũ continet effectũ.* Et immediaté ibi in ſolutione ad ſecundũ ait: *Sed habent rationem cauſæ efficientis, ſic quod poſſunt ſufficienter de ſe cognitionem de concluſione facere.* Exhibita reſolutio eſt etiã contra plures, quorũ noviſsimus Mag. Dionyſ. *in 7. diſt. 25. quæſt. 3. art. 1. §. 2.* in Bachonij Sinopſi.

86 Prob. 1. diſtincto modo concurrunt præmiſſæ cum intellectu ad concluſionis veritatem, ac voluntate concurrit intellectus ad concluſionis bonitatis impulſum; ſed ad hanc, ſolum illuminativé concurrit intellectus: ergo ad illam etiam effectivé concurrunt præmiſſæ. Suadetur maior; quia id, quod concurrit cum intellectu, ipſum illuminans, debet & illuminationis vi ipſum reddere fœcundum: deinde debet illud tale, vel eſſe obiectum, vel eius vices agens; ac proinde ex illo, & ex intellectu fęcunda pari notitia: quod omne valdé alienum eſt à concurſu intellectus cum voluntate, vt patet, ſed ſic illuminant præmiſſæ intellectum, quod ipſum modo dicto fęcundent: ergo diſtincto modo concurrunt &c. Reliqua inferuntur.

87 Reſpondebit Dionyſ. dicendo, verum foré medij intentum, ſi pręmiſſæ concurrerent illuminando potentiam, quod eſt falſum; quia concurſus ille eſt obiectivus, qui non eſt effectivus, ſed formalis, nam ſolum concurrit illuminando, non potentiam, ſed obiectũ, quo illuminato, potentia ſe ſola poteſt tendere in illud. Sed contra; quia in primis, actus productus ab intellectu, quia aliqua lux foret recepta in ipſo, nil poſſet vltra virtutem intellectivam repreſentare, & exprimere, quod falſum eſſe, cognoſcitur: ergo quia aliqua obiecti pręmiſſa luce intellectus fęcundé diſponitur. Prob. antecedens; quia actus intellectus eſt imago virtualitatis ipſius, nec non mentis verbum, quo ſolum dicit, quod intra ipſius labio ſilebat; ergo ſi aliqua lux obiecti non eſſet concauſa recepta in ipſo, nil poſſet vltra virtutẽ ſuam exprimere. Tum etiam; quia ſi ſolũ haberet obiectum eſſe illuminatum, ita vt non maneret illuminata potentia, corrueret illud communiter dictum, vtpoté, quod obiecta veniunt ad intellectum, dum voluntas fertur ad illa; intellectus enim, ſola ſua virtute, ad obiectum illuminatum tenderet. Si dicas, quod iã in intellectu adeſt innata lux, & ſic non eget tendentia ad lucem obiecti. Contra; quia vel habes lucem illius obiecti innaté, vel non? Si ſi: ergo ſicuti Angelis, ſic ipſi fuerunt concreatæ obiectorum luces. Si non: ergo quæcumqué innata lucé indifferenter poſita, nil de obiecto producet, quouſque phyſicé, & realiter ab eius ſpeciali luce fęcundetur. Tum, quia de quæcumque ſpecie poſſemus idem dicere, & ſic inferre, quod ſpecies non vnitur realiter intellectui, ſed quod illuminato obiecto, à ſolo intellectu notitia gignitur.

88 Confirmantur dicta: non poteſt voluntas illuminari ab intellectu, quin & maneat obiectum illuminatum: ergo nequé poterunt pręmiſſæ illuminare obiectum, quin maneat illuminatus intellectus. Anteced. videtur certum. Conſequentia ſuadetur: quia illuminatio obiecti fit à præmiſsis, verſus potentiam

non

Digitized by Google

non cęcam, imó ab ipſis excitatam: ergo ſi cęca potentia nō poteſt illuminata manere abſque illuminatione obiecti, viſiva potentia nō poterit, illuminato obiecto, ipſa non illuminari. Nunc ſic: etſi potentia volitiva ab agente maioris vis illuminetur, ex ſpeciali ratione potentiæ, alterius conditionis ab intellectiva, repugnat ex vi illuminantis ſecundari, & ſe ſola effectum non producere: ergo é contra potentia intellectiva, eſtó ab aliquo principio illuminetur, repugnabit quod ab ipſo inſecunda, ſe ſola effectum producat.

89 Prob. 2. aliquibus rationibus. Prima; quia adhuc ipſi fateri videntur, quod prę miſſę determinant intellectum: ergo & poterunt cū ipſo determinari ad effectum; quia vis, quę principium reſolvit, & robur habebit ad principij principiatum. Secunda; quia vis intentionalis agentis, ſi rectè fundata operetur, debet ad exemplar principiorum realium exerceri; ſed in quocumque, in quo à parte rei, & extra animam datur vis in tertio idemptificans, datur & vis ad idemptificandum inter ſe: ergo ſi in præmiſsis detur vis ad primum, non deperdetur ad ſecundū. Tertia; quia in tota linea motus diſcurſivi non poteſt (ex hoc ſtatui ſolet repugnantia) inveniri maior ſucceſsio, quam in linea motus phyſici, & realis; ſed id non obſtat, vt idem principium phyſicé influat in omnes partes motus; imó & vt inquieté ſiſtat: ergo neque id ipſum obſtabit, vt ipſa prima principia vniformiter influāt ad omnes integritates ſyllogiſmi, & etiam, quod vſque ad quietem, ſeu concluſionem motus exerceantur. Quarta; quia concluſio ſequitur debiliorem partem, id eſt, effectus diſcurſivus ſequitur debilius principiū; ſed ſi ſolius intellectus ſit concurſus, vnicum, & vniforme erit principium ad effectū, qui ſequendus ſit: ergo. Patet; quia illuminatio prę miſſarum eſt tota vniformiter de indiviſibili concluſione intellectū illuſtrans, & obiectum illius precisé manifeſtans: ergo non adeſt ad hanc, & non illam ſequendam, motivū. Vltima; quia tunc connaturalius, & perfectius produceretur effectus, præcipué dū à præmiſsis eximiam dependentiam dicat, ſi iam ex vrgentiori motivo quam connaturalitatis, non adſtruatur repugnantia; ſed hæc adſtrui non valet: ergo. Minor oppoſitorum reiectione propugnabitur.

90 Dices, repugnare concurſum effectivum præmiſſarum; quia vel præmiſſę concurrent per ſpecies ab ipſis relictas, vel per habitū acquiſitum, & quolibet modo effectivé concurrere diſuadetur: primo modo diſuadetur; quia tales ſpecies ſolum concurrent effectivé ad repreſentandas ipſas præmiſſas: & ſecundo modo; quia habitus nullum habet concurſum effectivum. Sed prædicta oppoſitio reijcitur quoad primum, & ni fallor efficaciter; quia ſi ſpecies à præmiſsis derelictæ non habent niſi vim præmiſſarum repreſentativam, eo quod vniformitatem cū principijs, vnde venerunt, ſervent: ergo neque vis illuminativa, ſeu repreſentativa præmiſſarum extendetur vltra illuminationem ipſarum præmiſſarum; ac per conſequens nec illuminabunt de concluſione. Dices, quod intellectus illuminatus de præmiſsis ſe ipſo producet concluſionem. Reijcitur; quia in cuius virtute poteſt intellectus illā concluſionem reputare veram? non in ſua; quia ipſe eſt indifferens ad omnia; ſed nec in virtute præmiſſa, cum non concluſionis luce, ſed ſolius præmiſsi illuſtretur luce, in cuius virtute non elucet concluſio: ergo.

91 Deinde reijcitur quoad ſecundum; quia iam, quod liberé dictum non ſit, habitum effectivé non concurrere ad actus, eſt ad minus ſine ratione adductū: ergo ex habitus motivo non impeditur reiectio. Tum etiam; quia habitus eſt ſemen actus, & iſtius vim non deperdens cum ad producendum facilitet, & corroboret: ergo dum actu exiſtentes præmiſsæ poſsent effectivé ad cōcluſionem concurrere, non aderit impediens, vt & earum habitus concurrat; imó melius, cum formalitas habitus ſit de ſphæra, & conſonantia principiorum, vt patet in habitibus virtutū, adhuc ſupernarū. Tum etiam; quia, vt dicebamus cum Scoto in *quæſt*. 2. ipſius habitus poteſt formari ſpecies intra intellectum, & ſic cum ipſo effectivum concurſum adaptare.

92 Dices, quod tametſi præmiſsæ actualiter exiſtant, videtur repugnare, quod effectivé concurrant; quia vnus actus cognitionis non poteſt ad alium vltra producendum habere activitatem. Reijcitur; quia ipſa ſpecies, ex qua ille primus actus fuit productus, habuit vim ad illum producendum: ergo & ipſe actus productus eam habebit ad producendum alterum. Suadetur; quia actus productus non differt ab ſpecie, (ſeu ab apprehenſione, vel ab illo, à quo fore cupiant) in immaterialitate, quia vtrumque eſt æqué immateriale; aliàs, vt rectè probat Scotus *in* 1. *Poſt*. *q*. 3. non poſſet produci; nec habet defectum, ſeu debilitatem in repreſentatione, quia ipſe fortius, & expreſsius repreſentat obiectum; neque id habet in exercendo vices obiecti, cum ſi obiectū ipſum, quod eſt perfectior menſura, poſſet vniri intellectui, nil melius ipſo concurreret;

ſed

Digitized by Google

ſed nil magis ſimilatur obiecto: ergo cum ex parte potentiæ intellectivæ nulla poſsit percipi diminutio, nec poterit percipi impedimentum, ex quo actus præmiſſarũ, non poſsit ex ratione actus adaptari cum intellectu ad effectivum concurſum actus concluſionis. Tum; quia actus directus, cauſa directa eſt reflexi.

93 Dices, repugnare, quia præmiſſæ non coexiſtunt cum concluſione, & cauſa phyſica requirit coëxiſtentiam phyſicam cum effectu. Reijcitur; quia in principijs intentionalibus æquè promptum eſt circa omnia exercitium, cum etſi vis intellectiva ſit phyſica, ſit tamen intentionalis, mentalis, & immaterialiſsimæ celeritatis fæcunda; ſed datur phyſica exiſtentia in præmiſsis, vt exerceatur illuminatio: ergo & poterit dari, vt ipſius effectus exerceatur productio. Minor videtur certa; quia quicumque effectus ſit illuminationis effectus, ſi principia illuminantia phyſicè non exiſtant, non derivabitur; quia aliàs privatio lucis derivaret lucem: ergo ad illuminationem, exiſtentia phyſica præmiſſarum requiritur. Nunc igitur præpõdera, quod contrarij coëxiſtentiam phyſicam præmiſſarum reijciant penes ſucceſsionem, quam exprimunt cum concluſione, & non præponderãt, quod eadem diverſitas, & ſucceſsio hinc poſsit deduci; ſiquidem ipſæ præmiſſæ exiſtentes illuminant, & de concluſione formanda dant lucem, poſtquam de ſe dederunt, quin adſit apud mentem incompatibilitas.

94 Tum etiam reijci poterat ab exemplari probabiliſsimo totus phyſici, vbi concurrunt duo principia phyſica cum vno agenti, & ita, vt vnum principiũ ſit maius, vtpotè materia prima, ex qua, veluti ex vniverſali, deducitur minus principium, vtpotè forma, & deinde in ipſa recepta conſervatur. Nunc ſiet etſi dum materia cauſat formam, cauſalitas formæ, & cauſalitas compoſiti non poſsint eſſe ſimul; quia dum cauſatur compoſitum, debet etiam cauſari à forma, & forma non exiſtente, & cauſata, non cauſatur; & deinde forma non eſt exiſtens, & cauſata, dum cauſatur à materia; ſed tamen benè compatitur, quod cauſalitas vtriuſque principij, vt inſimul connexa, & applicata, inſimul maneat cũ effectu ex ipſis reſultãte, tametſi ab ipſis realiter diſtincto, vt communiter Scotiſtæ defenſant: ergo ſimiliter poterit philoſophari, cum ſic habeat prima præmiſſa eſſe primum principium, ex quo deducitur minor, ſicuti de vniverſali deducitur aliquid ſingulariter determinans, ita vt ex prima coniunctione minor maneat in maioris ambitu & virtutè, & deinde vtrumque principium, ex actuali applicatione conditionatum cauſat concluſionem, & ſic totum ſyllogiſticum reſultat: vnde, etſi reſpectu eiuſdem actus, & actionis intellectivi agẽtis non poſsint multæ cauſalitates inſimul natura percipi, prout conſideratur cauſalitas minoris, & primi complexi, quod eſt tertium, quia hoc in aliquo priori debet eſſe formatũ, vt philoſophabamus de forma; ſin autem poterunt illa duo principia inſimul cum concluſione combinari, prout tunc ſolum percipitur in illo naturæ inſtanti cauſalitas vtriuſque principij, per vnius tertij connexionem ad illum vnicum effectum propendentis. Sic capio Scotum, tam citatum in *q.2.* ſuperiori, quam viſum *in 1.Poſter.q.1.*

95 Tum, quando ſic vrgeant, quod ad coëxiſtentiam negandam compellaris, reijcies impediens efficientiam præmiſſarum, reſolvens, quod præmiſſæ, etſi in ſuo eſſe phyſico ſic ſucceſsivè ſe habeant, quod eſſe phyſico cõcluſionis non compatiantur; adhuc tamen concurſum effectivum cõſervare valent; quia ad hunc non requiritur, quod exiſtente concluſione exiſtant, ſed quod exiſtant exiſtente cauſalitate, quæ in primo eſſe exiſtentiæ effectus ceſſat: quare poterant præmiſſæ per cauſalitatem tranſeuntem ex parte ipſarum concurrere, & intellectus per immanentem ex parte ſui, ita vt effectivè concurrerent, etſi in primo eſſe facto non coëxiſterent; ſic circa hoc philoſophando, ſicuti de introductione phyſica formæ cum alterius expulſione philoſophari ſolet.

96 Dices, repugnare concluſionem effectivè produci à præmiſsis ex eo, quod in virtute præmiſſarum non contineatur, cum videatur effectus illis equivocus; quare oportebit, vt excitent ſpeciem immediatè productivã concluſionis. Reijcitur; quia vel illa ſpecies producitur ex præmiſsis, vel aliunde? Si ex præmiſsis: ergo ſicuti æquivocatio non ſufficit vt rectè poſsit produci concluſio ab ſpecie rectè producta à præmiſsis, neque ſufficiet, vt ipſa concluſio poſsit ab ipſis præmiſsis immediatè produci. Si producatur aliunde: ergo ſic cõcluſio producitur, quod in virtute principij ſyllogiſtici non producatur. Tum etiam reijcitur; quia communiſsimum eſt quod omnia derivata in virtute principij vniverſalis, in ipſo principio contineantur, ſive phyſicè extra animam negativè, ſive phyſicè poſitivè intentionaliter: ergo cum etiam ſit commune, quod præmiſſum principium ſit vniverſale, debet dici, quod omnia ſubſequuta ſint contenta in

eius

eius entitate, etſi intentionalitate applicata. Quare præſumpta æquivocatio non impedit, ad cauſandum effectum ſingularem; quia hæc eſt eminentia principij vniverſalis, vt patet in natura vniverſali, quæ ducit ad cognitionem individuorum, quibus communicat; & tamen ex applicatione ad intentionẽ vniverſalitatis eſt ipſis diſsimilis, vt eſt vniverſale ſingulari: ſic ergo eſt diſcurrendum de concluſione contenta in præmiſſa natura, & ex ipſa derivata; ſed tamen ex eo, quod principium ſit aliquibus intentionibus vniverſalitatis &c. applicatum, videtur æquivocum Sic etiam eſt certũ, *dici de omni*: ergo *dici de aliquo*; & tamen ſi vnivocationem præſumptam intendas, malé dices; *quia dici de omni*, *& dici de aliquo*, non eſt ſimile dictum. Sed de hoc aliter infra. Vſque adhuc concurſum effectivum premiſſarum propugnare decrevimus, varia contrariorum oppoſita reijcientes, ſed præcipué Dionyſ. Blaſco §. 2. vbi ſupra. Nunc ergo reſtat probabiliter, prædictus concurrendi modus, exponendus; cuius aliqualem expoſitionem ſtatim ſignabo.

RESOLVTIONI PRÆHABITÆ adaptatur expoſitio, ex qua ſyllogiſtica armonia dignoſcetur.

97 RESolvimus ſupra, præmiſſas habere concurſum effectivum in concluſionem; pro cuius reſolutionis complemento reſtat nunc breviter examinare, qualiter ille concurſus habeatur. Aliqui enim, nobiſcum conſentire intendentes, exiſtimant, præmiſſas concurrere effectivé, quia earum ſpecies effectivé cum intellectu ad concluſionem concurrunt. Alij, longé à nobis agentes, exiſtimant, præmiſſas phyſicé exiſtere, ſed tamen ſolum concurrere effectivé, quia etſi per vim propriam immediaté intellectui non vniantur, excitant tamen ſpeciem impreſſam obiecti concluſionis. Alij nobiſcum id proximius meditantes, reſolvunt, præmiſſas efficienter immediaté concurrere ad productionem apprehenſionum, quæ debent præcedere ad aſſenſum concluſionis, & ipſæ apprehenſiones immediaté, & effectivé concurrere ad producendam concluſionem; ac proinde præmiſſas concurrere media apprehenſione, quam immediaté producunt ad concluſionis aſſenſum.

98 De primo dicendi modo, etſi alicui probabilitati adeſſe, ſentiam, quia ſpecies impreſſæ eximiam vim in ſupplementum obiecti habent; ſed probabilius procedendo, plus vltra requiri videtur, eo quod præmiſſæ actuali, & expreſſa ipſarũ applicatione vniantur, & concurrant cum intellectu ad concluſionis efficientiam. Sic ſi intellectus actu, formaliter, & expreſſé foret illuminatus à præmiſsis, vt contrarij intendebant, incõgruẽ ſtabiliretur impreſſa lux obiecti præmiſſarum: nec non ſi aliquis actus formalis, & expreſsé formatus ab intellectu, concurreret ad productionem alterius, vtpoté reflexi, inutiliter, & forté incompatibiliter poneretur ſpeciei impreſſæ primi actus recurſus: ergo cum in virtute actuum præmiſſorum formatorum, & in expreſsione tertij ab ipſis perfecté figurati, deducatur concluſio, non videbitur ſatis probabile, recurrere ad efficientiam concluſionis ex ipſarum præmiſſarum impreſsis ſpeciebus.

99 De ſecundo dicendi modo philoſophans, exiſtimo diſtantius, prout præſumitur, probabilitate adeſſe; quia exiſtimant huiuſcemodi Authores, præmiſſas non producere per vim phyſicam concluſionem, ſed eam per vim phyſicam excitare; quod præterquam quod opponitur concurſui præmiſſarum effectivo, difficillimam habet praxim. Suadetur difficultas; quia ſi ſic præmiſſæ per vim phyſicam concurrant, quod non efficiant, ſed præcisé excitent ad concluſionis ſpeciem, ſic concurrent, ſicuti de ſigni inſtrumentalis concurſu in *diſt.* 1. *Periherm. quæſt* 5. diximus; ſed ſic concurrentibus, difficilé poteſt intellectus in notitiã ſignatæ concluſionis devenire: ergo. Maior eſt ibi certiſsima. Minor ſuadetur; quia fumus v. g. qui concurrit non efficiendo, ſed puré excitando ſpeciẽ, ſic concurrit, quod ſi intellectus aliunde non foret cognitione, ſeu ſpecie ignis præventus, foret imperceptibilis notitia ignis in virtute fumi ad eam excitantis; ſed ſi ſic cõcurrerent præmiſſæ, non minus imperceptibilis foret notitia concluſionis ſignatæ in virtute præmiſſarum puré excitantium, ſi aliunde non haberetur, quod contingere poteſt: ergo. Minor quoad vltimum ſuadetur; quia poteſt ex præmiſsis aliqua concluſio inferri, cuius obiectum, neque ſpecies extiterit, vt dum per rerum contemplationes plures veritates de novo acquiri experitur.

100 Tum, quia dato, quod id non ſit, certiſsimũ videtur, quod illa notitia ſit præmiſsis diſparata abſque notitia illius principij, à quo derivatur: ergo ſicuti illud principiũ accidit, ſic & accidet lux, & notitia principiati. Id omne poteſt confirmari ex fumo, qui, cognito igne antecedenter, infallibilis eſt; illa tamen ignis luce non prævento, diſparaté inſpicitur.

Tum,

Tum, quia ad habendam talem notitiam requiritur, quod lux ſignati præcat ad ſignum; ſed videtur obſcurum, quod lux concluſionis præcat ad ſignum præmiſſum: ergo. Tandem hoc punctum ex Ariſtot. & ex alijs Antiquis P.P. proclamat Scotus in 1. *Poſter. q.* 1. aiens: *nec oportet dicere, quod illud, quod ſcitur in particulari, prius fuit totaliter ignoratum; ſic enim non poſſet ab intellectu apprehendi, ſicuti ſervus fugitivus totaliter ignotus á Patrefamilias, ab eo non apprehenditur, ſi ei occurrat.* Ex quibus arguunt, quod in præmiſsis non debet totaliter ignorari concluſio, quia ſi ab earum virtute fugitiva ſit, in virtute earum non apprehendetur, etſi aliunde occurrat.

101 De tertio dicendi modo, non intendam directé philoſophare in contrarium, quia non levem probabilitatem ſecum affert iuxta ſuperius expoſita; nec non in eius gratiam ſatis familiarem adducunt Scotum in *Prolog. q.* 1. *§. contra iſtud. verſ. præterea*, & ibidem *q.* 3. 4. *& 5. laterali, §. ſed oppoſitum. verſ. quia diſcurſus &c.* ſub quo ſenſu noviſsimé expenditur, & erudité propugnatur à Fr. Antonio Groſſo in *Diſſer.* 20. *Elucid.* 3. Intendam veró modum prædictum vlterius formalizare, & circa ipſum diſcurrere iuxta rationes à me ex genuina mente Scoti ſuperius formatas; ac proinde relinquere præfatam normam, ſervatis ſervandis, intelligendam.

102 Exiſtimo ergo, hunc ordinem eſſe ſervandum: in primis enim intellectus ſimplicium terminorum habuit cognitionem; quia ab illis primó debet erigi intentionale totum, in quæ reſolvitur vltimó, iuxta illam tritam termini Ariſtot. definitionem; quorũ etiam exemplar in ente naturali patet, prout in ſimplicia reſoluto. Quare Scotus *in* 1. *Poſter. q.* 1. *§. ad primum dicitur*, docet, quod duplex eſt cognitio intellectiva; quædam cõplexa, & quædam incomplexa; & quod cognitio intellectiva complexa ſtat ad cognitionem intellectivam incomplexam, imó (inquit ipſe) neceſſe eſt, cognitionem intellectivam incomplexorum, cognitionem complexorum præcedere. Sic etiam pauló poſt, *verſ. ad quæſtionem dico*, ait: *Principia cognoſcimus, quatenus terminos cognoſcimus* &c. vbi ordinem circa hæc ſervandũ ſignat iuxta eum, quem poſuit Themiſtius, & fuit conſonans Ariſtoteli. Secundó intellectus (præſuppoſitis omnibus illis greſsibus, quorum formatio ad Animaſticum ſpectat; ſed qui curioſé prævenire cupiat, videat Scotum *in* 1. *Poſter. q.* 3.) apprehẽſos terminos comparat, & recté comparatos vnit, actumque formalem aſſenſus format; cuius, ſi ſit de vniverſali nota, en v. g. *omnis homo eſt animal.* In præfata propoſitione plurimę aliæ cõtinentur; cõtinẽtur veró in pura virtute, & potentia; quare, etſi in vniverſali ſint notæ, ſunt tamen ignotæ in particulari; v. g. minor propoſitio ex illa altera derivabilis, ſive ſit derivata vt pars formalis à toto, v. g. *ſed rationale eſt homo*; ſive vt pars puré ſubijcibilis, v. g. *ſed Petrus eſt homo.* Sic Scotus ſupra *in q.* 1. vbi ait, poſito, quod intellectus non ſciat primó aliquid ſcibile in particulari, adhuc præexiſtit aliqua cognitio intellectiva in vniverſali &c.

103 Poſitis illis duobus principijs, adhuc concluſio non intelligitur actu, & in particulari; ſed ſolum habet intellectionem in virtute, & pura vtriuſque principij potentia; quem intelligendi modum, vocat Scotus, iuxta Philoſophi phraſim, modum intelligendi in virtute, & habitu. Vbi notat, quod ſemper, & quando ex Philoſopho, vel aliunde arguatur, quod poſitis præmiſsis, percipi debet concluſio, intelligi debet, non de præmiſsis in præfato ſtatu, ſed in alio vlterius formando. Sic Scotus ſupra, *verſ. Ad aliud dico*, & in eodẽ libro *q.* 8. *& 9.* ſed tamen requiritur, quod concluſionis aliqua notitia præcedat, tametſi illius lux ſit confuſa, vtpoté in vniverſalitatis ſplendore debiliter reverberans; aliter enim, quacumque inde poſita mentis applicatione, difficile lumen ſpeciale cõcluſionis oriretur, iuxta illud Scoti *de ſervo fugitivo &c.* ſupra recitatum, & ab ipſo ex Platone, & alijs veteribus adductũ. Sic etiam Ariſtot. in 1. *Phyſ.* apud Scotum vbi ſupra inquit, quod pueri primo appellãt omnes viros Patres, & omnes feminas Matres, & poſtea magis expreſsé, & in ſpeciali dijudicant. Requiritur ergo, vt in ſpeciali Patrem dijudicent, quod talis paternitas prius in vniverſalitatis confuſa luce videretur.

104 Prædictis ſic iam poſitis, cum intellectus (inquit Scotus) ſit virtus diſcurſiva à principijs in effectum, in virtute diſcurſivæ virtutis, applicat principia in pura potentia ad concluſionem præmiſſa; quæ applicatio expeditur intelligendo, minorem actu eſſe ſub maiori, & per vim connexivam vtrumque principium in tertij vigoroſi vnitate adaptando; ita, vt per exercitium illius applicationis inſimul cum intellectu ſic reddantur præmiſſæ cauſæ efficientes concluſionem, quod iam, vt dicebat Scotus *q.* 8. *Poſter.* non poſsit contingere, quod cognoſcantur præmiſſæ, & ignoretur concluſio, ſicuti non poteſt contin-

gere,

Digitized by Google

gere, quod applicata, & expedita entitate cauſæ, ignoretur effectus. Vbi noto, quod duplex ibi poteſt intelligi relatio; vna, reſultans ex vna præmiſſa ad aliam, vt concauſam; & altera, reſultans ex vtraque præmiſſa, & concluſione. Prima relatio poteſt dici extrinſecus adveniens; quia vt reſultet, requiritur applicatio; quia vt dixi poteſt vtraque præmiſſa exiſtere, quin relatio aliqua reſultet. Secunda relatio dici debet intrinſecus adveniens; quia poſitis extremis, quę ſunt cauſa, & effectus, nil inde requiritur, vt reſultet. Nec valet, quod requiritur applicatio, vt reſultet cŏcluſio, quia vt dicam in *lib. de cauſis*, aliud eſt, quod requiratur cauſalitas, vt ponatur effectus, ſeu terminus, & aliud eſt, quod poſito termino, ſeu extremo, aliquid vltra requiratur, vt reſultet relatio.

105 En manet expeditus ordo in ſyllogiſtica armonia habendus. Nunc ergo vltimó quæſtionem reſolvens, exiſtimó, poſſe dici, quod præmiſſæ non concurrunt ad ſpeciem concluſionis impreſſam, ſed quod producunt ipſam concluſionem expreſsé, ita vt ipſe aſſenſus formalis concluſionis ſit immediaté derivatus, & ſubſequutus ad aſſenſus ipſos præmiſſarum, vt ſupra applicatos, & connexos. Hoc ſuadetur; quia ſufficit vis illorum principiorum, recta applicatione corroboraté determinatorum ad expreſſam ſpeciem concluſionis: ergo. Suadetur; quia ſi aliquid obſtaret, vt ſolam ſpeciem impreſſam poſſent producere, foret præcisé improportio cum intellectu, vel cum concluſione: non cum concluſione; quia eſtó ſpecies producta à pręmiſsis habeat vim ſimilativam, & eam præmiſsæ habere debebant: non cum intellectu; quia præmiſſæ iam ſunt vniverſalizatæ, immateriales &c. nec non obiecti concluſionandi virtualiter repreſentativé; vltra quod, nil ab vlla ſpecie concauſante requirit intellectus, vt proportionaté effectum formalem producat: ergo &c.

106 Et deinde circa illud aliud punctum, modum formalizans, exiſtimo, debere dici, quod ipſa iudicia præmiſſa ſecundum ſe præcisé non concurrunt; ſed ita concurrere, quod cauſa immediaté concluſionem efficiens, *ſint ipſa iudicia connexione apprehenſa*, id eſt, *entitates præmiſſarum, prout ſub connexionis applicatione apprehenſa.* Etſi enim in præmiſsis aliqua virtus intelligeretur, non tamē proxima, & expedita, quouſque applicationis circunſtantia maneret completa.

107 Circa prædictam reſolutionem ſolum poterat eſſe diſsidium, an illa applicatio præmiſſarum deberet eſſe iudicativa, ita vt apprehenſio non ſufficeret? Ratio dubitandi deſumi poterat ex eo, quod concluſio, quæ eſt effectus, ſit formalis aſſenſus: ergo virtus illius effectiva debebat etiam eſſe aſſenſiva. Exiſtimo, poſſe ſubſiſtere præfatam reſolutionem; quia in primis, ſemel formato iudicio de obiecto vtriuſque præmiſſæ, ſufficit apprehenſio pro applicatione, cum vt reſultet relatio vnius pręmiſſæ ſub alia, ſimplex comparatio ſufficiat, vt diximus laté in *libro* 1. *Entis intentionalis.* Et ad illud de virtute ad producendum aſſenſum, poteſt dici, quod in præmiſsis iam datur vis aſſenſiva quoad entitatem, vtpoté illa duo iudicia, quæ, etſi pro vltima diſpoſitione ad concluſionem cauſandam, apprehenſione applicationis compleantur, nil impediet, vt entitas virtutis præmiſſæ, quæ eſt iudicialis, habeat, & conſervet vim producendi aſſenſum; quod patet in alijs cauſis, v. g. in ſubſtantia, quæ etſi per aliquam actionem, quæ ſit accidens determinetur ad actuale exercitium; ſed ob id vis entitatis non impeditur, vt ſubſtantiam, & non accidens valeat producere: ergo etiam ſi iudicia apprehenſione applicata vltimó exerceantur, poterunt ſimiliter habere vim, non ad puram apprehenſionem, ſed ad formalem aſſenſum, Tum etiam, non deficiet in ſubſtantiali doctrina Scoti, qui velit reſolvere, quod connexio præmiſſarum ſit per iudicativum actum, ita vt tunc contineatur minor ſub maiori, dum intellectus aſſentit, minorem eſſe ſub maiori; ſic philoſophans, quod aſſerat, vnam non poſſe eſſe intra aliam niſi per vim vnionis intentionalis: de quo problematicé dixi plura in *lib. 1. Entis intentionalis.* Etſi ſic formata applicatione, velit adhuc, quod totum illud iudicativé connexum, apprehenſum concurrat; ſic in tali caſu de illo toto, vt apprehenſo diſcurre, ac pauló ante de præmiſsis entitatibus, vt apprehenſis diſcurrebamus.

108 Et circa concluſionem breviter philoſophantes, poterat difficultari; an quod immediaté producitur à præmiſsis ſit aſſenſus formaliſsimus; an vero ſola apprehenſio? Circa hoc reſpondendo, mihi ſemper robuſtius fuit viſum, aſſenſum foré immediaté productum; quia tam ex dictis, quam ex ratione tertij videtur, quod producatur identitas extremorum inter ſe; ſed identitas extremorum abſque aſſenſu eſt imperceptibilis: ergo. Vnde exiſtimo, quod ſicuti apprehenſio tertij eſt

poſt formalem aſſenſum, quem in tertio ponit intellectus; ſic aſſenſus idemptitatis extremorum erit poſt aſsenſum eorum, quem poſuit intellectus cum præmiſsis; ac per conſequens talis apprehenſio iam poterit reputari vt actus reflexus cadens ſupra conclusionem, ſeu aſſenſum, directé ſyllogiſmum integrantem, & complentem.

109 Nec valet, ſi dicas, quod ante aſsenſum in tertio præcedunt apprehenſiones præmiſſarum: ergo & ante aſſenſum in extremorum idemptitate, præcedet apprehenſio conclusionis. Non valet; quia ante aſsenſum in tertio debebat præcedere aliqua lux, & notitia diſpoſitiva reſpectu mentis, quæ ante aſſenſum illum non poterat eſse altera, quam apprehenſiones obiectorū præmiſsarum; at veró, cum ante aſsenſum Idemptitatis extremorum, ſeu conclusionis, præcederent præmiſsæ, in quarum virtute, & applicatione, omnis ſufficiens concluſionis lux neceſsarió intellectū illuminaret; incongrué, & inordinaté vlterius concluſionis apprehenſio ad ipſius productionem ſtabiliretur.

110 Contra præhabitas reſolutiones vnicam roboris ſentio difficultatem, etſi à feré omnibus ſolvendam, videlicet, illa, quæ ex æquivocatione ſurgebat; quia nulla ex præmiſsis videtur vnivoca concluſioni, quæ eſt effectus productus: deinde nec vtraque ſimul; difficile ergo poterit combinari, quod præmiſſæ per verum influxum concluſionem derivent. Huic difficultati poterat in primis reſponderi dicendo, quod æquivocatio principij, & principiati non impedit, quod principiatum per verum influxum producatur à principio, vt patet de ſubſtantia, quæ etſi ęquivocé ſe habeat reſpectu accidentis, ipſum tamen per verum, & realem influxum producit. Tum etiam in alijs cauſis, vt in finali id exprimitur, cum apud plures veré influat, & tamen electio mediorum, quę eius effectus eſt, æquivoca nimis ſpeculatur.

111 Sed argumento aliter reſpondendo, exiſtimó poſſe dici, quod aliqua ſufficiens vnivocatio poteſt exprimi in præmiſsis verſus concluſionem; quia præmiſſæ ſic cauſant concluſionem, quod neutra ex illis ſit cauſa totalis; ſed vtraque ſimul totalis, & quævis partialis; quare vt ſecundum aliquod vnivocum habeant rationem principij in concluſionem, ſufficiet, quod partim correſpondeat vni præmiſſæ, & partim correſpondeat alteri; quæ correſpondentia invenitur: v.g. in hoc ſyllogiſmo, *omnis homo eſt animal*; *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt animal*: en concluſionem, cuius aliquid v.g. *Petrus* continetur *in minori*, & ipſius aliquid, v.g. *animal* continetur in *maiori*: ergo penes ſufficiens, iam exprimitur vis ſimilativa principij ad principiatum. Deinde aliud præcaves ſtando in hoc, quod ſolum medium verbum non invenitur in concluſione, quin hoc ſufficientiam vnivocationis impediat; quia medium verbum ſe habet vt medium, & connexio vtriuſque principij; & medium, ſeu connexio virtutis non requirit correſpondentiam ſimilitudinis in effectu; cum in effectu ſolum exigatur correſpondentia entitatis principij; ſecus autem aliorum, quæ mediant, & connectuntur, vt patet in alijs cauſis. Itaque ſolum requiritur, quod etiam inter entitates principiati correſpondeat idemptitas, & connexionis medium, etſi illa cauſæ non ſit, vt patet in agenti, cuius medium eſt actio, & in paſſo, cuius medium eſt paſsio; nec non in ſpecie, & intellectu, quorum medium eſt impreſsionis; & in ſimilitudine, & entitate vitali actus mentis, quarum medium eſt expreſsio: ergo à ſimili, ſufficientia ſimilitudinis in entitatibus prædictis ſalvabitur in correſpondentia idemptitatis, & connexionis.

112 Tandem, quando prædicta difficultas nimis ex æquivocationis apparientia vrgeat, dices, quod etſi à priori nobis ignota ſit vis vtriuſque præmiſſæ reſpectu concluſionis, tamen à poſteriori, & ex effectu propé ſenſibili, vim ad invicem cum proportione coadunativam in vtroque principio diſcurrimus, ita vt per verum influxum non in aliud, quam in concluſionem neceſſarió prorumpant; in cuius gratiam aliquā excogitare præſumpſi; ſed, ni fallor, nullum aptius adeſt exemplar, quam mulus ex aſino, & equa effectus. Si enim ex principijs philoſopharemus, nunquam inveniremus, quod illum effectum poſſent producere, quia nec ſimilis vni principio, nec ſimilis alteri; & tamen eſt certum, quod per verum influxum ab illis procedat, & ita neceſſarió, quod poſita recta applicatione in illis duobus principijs nō poſsit non reſultare effectus; & effectus, qui monſtruoſus appareat: ergo à ſimili debemus miſteriosam vim præmiſſarum in monſtruoſis operibus intellectus interpretare, v. g. in concluſione, quæ nec eſt ſimilis vni præmiſſę, nec alteri, dum tamen poſita recta premiſſarum applicatione debeat eſſe neceſſaria, non alterius effectus, quam illius reſultantia.

(1)

QVÆS-

QVÆSTIO VI.

An concluſionis aſſenſus attingat præmiſſas.

113 ANte quęſiti reſolutionē oportet præcavere, quod, dum de concluſione loquimur, duplicem ſenſum habere poſſumus. Poteſt enim pro concluſione intelligi, quædam formalitas ſecundæ intentionis, quæ omnibus aſſenſibus idemptitatis inter ſe ſit applicabilis; quo pacto ſicuti entitates primò intentionaliter diverſæ ſubſunt eidem ſecundæ intentioni generis, vel ſpeciei; ſic entitates diverſorum aſſenſuum primò intentionalium poſſunt ſubeſſe eidem ſecundæ intentioni concluſionis, cauſati, &c. Poteſt etiam concluſio aliter intelligi, videlicet pro illa realitate aſſenſus à præmiſsis, & intellectu producta, cui ſecunda intentio cōcluſionis valet applicari; vel etſi applicata, non tamen aſſumpta ſub illa reduplicatione intentionis. Et ne in his immoremur, vide expoſitionem de hoc, iuxta Scotum formatam, ſupra in *quæſt. 2. ſub ſecundo ſenſu*, vbi interrogavimus, an cognitis præmiſsis in ratione cauſæ, inſimul debeat percipi concluſio in ratione effectus? & reſolvimus, quod facta interrogatione ſub ratione intentionis cauſę, erat certum; ſicuti, & vice verſa, videlicet, quod cognita concluſione debebant non minus cognoſci præmiſſæ. Vide illa, & ſic conformiter, hanc quæſtionem breviter poteris reſolvere, dicendo, quod ſi concluſionis aſſenſus ſub ſecunda intentione concluſionis accipiatur reduplicatoriè, non poterit dari aſſenſus de concluſione, quin detur de præmiſsis; quia ſic ſunt correlativa intentionalia, & vnum non magis dependet ab alio, quam è contra. Quæſtio igitur ſub alio ſenſu eſt agitanda, videlicet, de entitate aſſenſus a præmiſsis effectivè producti.

114 Reſolvendum ſentio, quod ipſa entitas formalis aſſenſus, à præmiſsis producti, non attingit præmiſſas intentionaliter, & ſub cognoſcendi expreſsione. Ita exiſtimo Scotum in locis quæſtionis antecedentis citatum, & ſuperius in 2. Prob. 1. entitas aſſenſus producti ſolum poteſt intentionaliter attingere, quod intentionaliter aſſentit; ſed intentionaliter non aſſentit obiectum præmiſſarum: ergo. Prob. maior in hoc ſyllogiſmo, v. g. *Omnis homo eſt animal; ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*, vbi quod in concluſione aſſentitur, *eſt idemptitas Petri cum animali*; ſed obiectum præmiſſarum eſt idemptitas extremorum cum tertio: ergo. Suadetur veritas maioris; quia in ſyllogiſmo vocali, armonia ſyllogizationis formalis non videtur deficere, penes quam ſic nunc mentaliter diſcurſamus; ſed attenta formalitate ſyllogiſtici curſus vocalis, tametſi prolata concluſio formaliter exprimatur ſequi ex illis prolatis præmiſsis, ſatis expreſsè apparet, quod aſſenſus ille prolatus concluſionis ſolum aſſentiat extremis inter ſe idemptificatis: ergo nec ſub expreſsione intentionali plus vltra ad ſyllogiſticam conſiderationem requiritur.

115 Prob. aliter, & confirmatur dictum; quia vnicus, & indiviſibilis aſſenſus ſolum poteſt intentionaliter attingere, quod eſt ſubiectum, & prædicatum propoſitionis obiectivæ intentionaliter; ſed ſubiectum prædicti aſſenſus producti eſt determinatum individuum: ergo non poteſt attingere vltra præmiſſas. Maior videtur certa; aliàs novam propoſitionis, & intentionalis aſſenſus fabricam diſcurrere tenemur. Minor patet in prædicto ſyllogiſmo. Conſequentia probatur; quia ſubiectum vnius præmiſſæ eſt vniverſale; & ſingulare, ſubiectum alterius; ſed ſubiectum aſſenſus concluſionis eſt purè ſingulare, & individuum: ergo vel vnicus aſſenſus habebit pro ſubiecto, cui aſſentit vniverſale, & ſingulare, quod repugnat; vel vltra non poterit attingere præmiſſas.

116 Dices, quod per illum indiviſibilem aſſenſum non attinguntur præmiſſæ, ſed per alium, ſeu per cognitionem apprehenſivam concluſionis. Contra; quia vel ille, alius aſſenſus eſt derivatus ex præmiſsis, vel ex concluſione? Si ex præmiſsis: ergo erit concluſio, & ſic nunquam per aſſenſum concluſionis attingentur præmiſſæ. Si inferatur ex concluſione: ergo concluſio erit præmiſſa, & ſic ſolum per præmiſſas attingetur concluſio. Vbi dico, quod in tali caſu totus ſyllogizationis ordo variaretur, cum præmiſſæ, concluſionis haberent tranſitum, & concluſio tranſitum haberet præmiſſarum. Etſi fortè dicas, quod vnico indiviſibili aſſenſu illud omne attingebatur abſque curſus illatione: contra; quia etſi in tali caſu concluſio non foret premiſſa aſſenſus premiſſarum, tamen non poſſet vitari, quod tam concluſio,

quam præmiſſæ forent eiuſdem aſſenſus termini, ac per conſequens non poſſet vitari, quod omnes illi termini forent concluſionati; & ſic, quod præmiſſæ forent inſimul ipſarum concluſio. Hæc nota, & intuere.

117 Prob. & confirm. aliter; quia ſi per aſſenſum concluſionis attingerentur & præmiſſæ, inutiliter vim tertij in præmiſsis ſtabiliremus; ſi quidem, vel ipſam, vel maiorem ipſa, concluſioni tribueremus: ergo. Suadetur antecedens; quia ex eo nimis vis tertij elucet, ex quo in virtute ipſius habent premiſſæ inducere concluſionem; ſed concluſio in virtute ipſius haberet inducere premiſſas: ergo. Vnde poſſemus dicere, ſuperfluum eſſe premiſſarum ordinem, cum fruſtra fiant per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora; & pauciora ſint in concluſione, per quam attingi valent, quę per premiſſas, in quibus plura ſunt, quam in concluſione, vt patet ex illo Ariſt ſupra, ſcilicet, *oratio in qua quibuſdam poſitis &c.*

118 Dices, quod etſi premiſſę attingantur per aſſenſum concluſionalem, nunquam ſequitur diſcurſatio; cum illa præmiſſarum attingentia non ſit virtute diſcurſus, ſed virtute connexionis effectus ad cauſam. Contra; quia in primis, vel adeſt virtus in concluſione ad attingendum præmiſſas intentionaliter, vel non? Si non: neque diſcurſivé, neque alio modo, qui diſcurſivus non ſit, in virtute concluſionis præbebitur aſſenſus præmiſsis, aut vlla altera cognitio formabitur. Si detur, neſcio, ex quo diſcurſivus ordo non poſsit adaptari? Quia ex eo ex præmiſsis diſcurſivé movetur intellectus, quia in virtute aliquorum deducit aliud; ſed in virtute alterius nempé, concluſionis, aliud, ſeu alia deducit: ergo. Deinde; quia quod illatio fiat ex effectu ad cauſam non impedit diſcurſationem, vt patet in demonſtratione, *quia, & propter quid*; ſed nec impedit, quod in virtute connexionis fiat, vt patet in ipſis præmiſsis, quæ ſolum in tali virtute vim illativam habent: ergo.

119 Dices, illam attingentiam præmiſſarum per concluſionem, non eſſe diſcurſivam; quia præmiſſæ non attinguntur per concluſionem, vnum ex alio deducendo, ſed quia in ipſa ſpecie expreſſa concluſionis exprimuntur inſimul. Contra; quia in expreſsione effectus ſolum poteſt exprimi cauſa in his, in quibus effectus vnivocatur, & aſsimilatur cauſæ: itaque etſi repreſentatio cauſæ in effectu, ſit formaliter, ratione, vel &c. diſtincta ab entitate effectus, ſed tamen ſic repreſentatio ſolet conſequi entitatem, quod ſolum reſultet, ſeu dimanet repreſentatio ab illis entitatibus, in quibus effectus communicare videtur cum cauſa, vt patet in omnibus; ſed entitas aſſenſus concluſionis, *vnivocatione adæquata*, non communicat cum omnibus principijs præmiſsis, vt patet in correſpondentia terminorum concluſionis ad omnes terminos præmiſſarum: ergo cum expreſsio ſit terminorum naturalis dimanatio, imperceptibile videbitur, quod in ſpecie expreſſa terminorum concluſionis, exprimatur repreſentatio *omnium terminorum* præmiſſarum.

120 Nec valet, ſi dicas, me ſuperius dediſſe ſufficientem vnivocationem in præmiſsis ad concluſionem producendam; quia alia eſt vnivocatio requiſita ad cauſam efficientem, & alia ad effectum, & cauſam formalem. Vnivocatio in effectivis poteſt in aliquo ſuſtinere diminutionem in effectu; ſecus autem in formalibus, vt patet in effectibus, & cauſis formalibus: vnde cum concluſio non dependeat à præmiſsis in genere cauſæ formalis, ſed efficientis, bené poterit ſtricta, & adæquata vnivocatio in aliquo deperdi, videlicet in eſſe expreſsivo eſſe formalis præmiſſarum. Tum, quia ſuperius, vnicé in illa reſponſione non ſteti; quare aliter ſolutionem adaptare præſumpſi. Sed quidquid ſit de hoc.

121 Prob. aliter noſtra reſolutio ex doctrina, quam excitat Scotus in *q. 9 Poſterior. propè finem*, vbi ait: *ſi quæras, qualiter eſt manifeſtum intellectui, quod præmiſſa, & concluſio ſunt diverſa ſecundum numerum? dicitur, quod ex hoc eſt manifeſta earum diverſitas; quia concluſionem non cognoſcimus, niſi quia præcognitis præmiſsis.* Hæc Scotus, & meritò, quia ſi aliqua cauſalis deductionis non daretur intentionaliter, ſed vnicus daretur conceptus intelligibilitatis, diſcurſus aboleretur, cum vis in principio non vigeret. Nũc ſic: ſed etiam valet dicere, quod præmiſſas cognoſcimus, quia præcognita concluſione: ergo ſaltim ex hoc motivo non apparebit manifeſta earum diverſitas.

SOLUTIONE OPPOSITORVM, amplius exponitur reſolutio.

122 OBijcies 1. In hoc ſyllogiſmo, v. g. *omnis homo eſt animal; ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*, aſſenſus vltimus attingit Petrum, & animal; ſed Petrus, & animal attinguntur etiam per aſſenſum præmiſſarum: ergo aſſenſus vltimus attingit idem, quod aſſenſus primi, ſeu præmiſſi. Reſpondeo dif-

Digitized by Google

diſtinguendo maiorem: aſſenſus vltimus attingit Petrum, & animal, vt inter ſe præciſé habentia vnitatem, eſt verum: vt habentia vnitatem in alio ab ipſis, eſt falſum. Minor etiam diſtinguitur; Petrus, & animal attinguntur per aſſenſum præmiſſarum, ſolum, eſt falſum; cum addito vlterioris termini, eſt verum. Et deinde negãda eſt conſequentia, ſi abſoluté ly *idem* percipiatur. Itaque dicimus, quod Petrus, & animal, nec ſunt obiectum vllius ex præmiſsis, nec vtriuſque inſimul; quia nec vlla ex præmiſsis, vt patet, habet pro obiecto idemptitatem animalis cum Petro; ſiquidem prima habet idemptitatem animalis cum homine, & ſecunda hominis cum Petro; nec vtraque inſimul; ſiquidem vltra illud requiritur idemptitas Petri, & animalis cum homine. Quare etſi Petrus ſit attactus per aſſenſum vnius præmiſſæ, & animal ſit attactum per aſſenſum alterius; inde tamen, non rectè infertur, quod attingatur idem, ac per concluſionẽ; quia etſi Petrus ſit idem, & animal ſit idem, ſed ex hoc, quid pro eſſe eiuſdem obiecti, quod nec eſt idem, quod ſolus Petrus idem in minori, nec eſt idem, quod ſolum animal in maiori ergo. Tum, quia nec Petrus, nec animal poſſunt dici idem, prout ſubſunt intentionibus ſubiecti, & prædicati, quarum eſſe, eſt eſſe formale, & requiſitum. Suadetur; quia animal in maiori prædicatur de ſpecie, & in concluſione de Individuo, ita vt reſpectus ſubijcibilis, & prædicabilis ſint diverſi, & idem dico de alia præmiſſa: ergo.

123 Obijcies 2. quomodocumque philoſophetur, non poteſt negari, quod præmiſſæ ſint cauſæ concluſionis, eam vere efficientes: nec non, non poteſt negari, quod præmiſſæ cõcurrant virtualiter, continentes obiectum concluſionis, cum illius ſint ſpecies impreſſa: ergo videtur imperceptibile, quod per aſſenſum concluſionis non attingatur omne eſſe præmiſſum, cum per eſſe expreſſũ in concluſione debeat impreſſum præmiſſarum exprimi; & per dependentiam, quam effectus dicit ad cauſam, debeat cauſa attingi. Hoc argumentum eſt maioris roboris, & difficultatis omnium, quæ hinc opponi poſſunt; cui per partes ſolutionem adhibere intendam.

124 Reſpondendo igitur ad primam partem, eã cõcedo; quia ex dictis nõ poteſt negari, quod præmiſſæ ſint cauſæ, & efficientes cõcluſionis: nec non concedo ſecundam partem, cum in dictis ſiſtentes, debeamus tenere, quod ad effectionem concluſionis, nulla ſpecies à præmiſsis diſtincta cum intellectu concurrat. His tamen cõceſsis, exiſtimo, inde non ſequi, quod intendit argumentum; quod non ſequatur, deduco ex doctrina, quam movet Scotus *in 1. Poſter. q. 12. prope finem*, vbi loquendo circa eſſe ſcitum per præmiſſas, & per concluſionem, diſtinctum ſciendi modum deducit quoad vnivocé induci: ait enim, ſcire autem maximé, non competit principijs vnivocé, & concluſionibus; *quia concluſionibus competit formaliter; principijs tantum effectivè.* Ex quibus verbis eſt ſolutioni notandum, quod actus concluſionati datur duplex obiectum; motivum vnum, terminativum aliud. Prima ratio obiecti competit obiecto præmiſſarum, cum moveat intellectum, & movens inſimul efficiat. Secunda veró ratio obiecti competit obiecto concluſionis, quod eſt terminus formalis actus, ad quèm terminum attingendum tendit, ita vt per talem actum nunquam attingatur, quod movet, & efficit, ſed ſolum quod terminat.

125 Et ratio eſt; quia dum aliquod obiectũ movet, vt actus terminetur ad aliud obiectum, quod formaliter eſt attingendum, tunc nullo modo per illum actũ attingitur obiectum motivum, tametſi ipſum actum efficiat; quia etſi actus motivé, & efficienter ſit propter motivum; ſed terminativé, & formaliter eſt propter aliud; & ſemper debet ſolum attingi per vnicum actum id, propter quod formaliter eſt, eo quod terminus formalis, & ad quẽ, ſit à quacumque natura præcipué intentus. Quare etſi actus concluſionis ſit propter præmiſſas; hæc tamen dependentia eſſendi eſt effectiva, ita vt ſit propter illas, vt propter motivum; quod nil prodeſt, vt præmiſſæ attingãtur per illum. Exemplificatur id omne ſatis claré in ſpecie impreſſa, cum intellectu actum formalem producente, vbi etſi actus ſit propter ſpeciem, non minus ac concluſio habet eſſe propter præmiſſas; ſed tamen actus ille non ſpeciem, ſed diſtinctum aliud, vtpoté ſuum ſpeciale, & formale obiectum attingit; non aliunde, niſi quia ſpecies eſt motivum, vt actus, tametſi ab ipſa productus, terminetur ad aliud: ergo á ſimili venit philoſophandum in actu formali concluſionis circa eſſe præmiſſũ, à quo motivé dependet, & effectivé principiatur: cui, vt prævidebat Scotus, eſſe obiecti præmiſsi, tantum competit effectivé; alterius veró formaliter. Et ſi dicas, etiam præmiſſas eſſe obiectum formale concluſionis; dices, eſſe obiectũ formale motivum; ſecus autem terminativum, cui ſoli competit eſſe expreſſum, & attactum per actum formalẽ, ſeu per ſpeciem expreſſam.

126 Et ad illud in vna cõſequentiæ parte

Digitized by Google

te adductum, videlicet, quod effectus non poteſt non dependere à cauſa, & ſic eam debet attingere, poteſt ſub alia doctrina reſponderi dicendo, verum eſſe, quod dependeat, & quod cauſam attingat; attinget tamen concluſio effecta cauſam præmiſſam per relationem realem, quin eam intentionaliter attingat, quod vnicé diſputamus. Prædictus attingendi modus, vt ad intentum, inutilis ſuadetur; quia etiã concluſio attingit per realem dependentiam, & relationem intellectum, à quo producitur, & ſic quilibet alius actus ſuam ſpeciem impræſſam; & tamen nec concluſio cognoſcit, ſeu attingit intentionaliter intellectum, neque alius actus ſuam ſpeciem impreſſam: ergo à ſimili

127 Obijcies 3. intendens prædicta repugnare ex eo, quod debeat cognoſci connexio omnium extremorum, quæ continetur in ſyllogiſmo: ergo debet cognoſci dependentia, quam dicunt ipſa obiecta inter ſe: ergo quando cognoſcitur obiectum concluſionis, cognoſcitur connexio, & dependentia, quam dicit ab obiectis præmiſſarum; ac proinde obiecta præmiſſarum cognoſcentur. Reſpondet noſter Antonius Groſſo diſtinguendo antec. per vnicum actum, eſt falſum: per triplicem actum conſtituentem totum ſyllogiſmum, eſt verum. Et diſtinguit conſequens: debet cognoſci dependentia, quam dicunt ipſa obiecta complexa, eſt falſum; debet cognoſci connexio, quam dicunt obiecta incomplexa, eſt verum. Itaque in ſyllogiſmo debet cognoſci connexio inter ipſa obiecta incomplexa; non veró inter obiecta complexa, quia debet cognoſci connexio inter extremitates cum medio termino, ex qua dimanat connexio extremitatum inter ſe, & hæc eſt connexio inter obiecta incomplexa; at veró connexio inter idemptitatem vnius extremitatis cum medio, & idemptitatum cũ idemptitate extremorum inter ſe, non debet in ſyllogiſmo cognoſci, quia illa connexio cauſatur actu per illum ſyllogiſmum: ergo ad eam cognoſcendã requiritur cognitio reflexa ſpeculans, an ſyllogiſmus ſit debité conſtructus. Dixi le ipſa connexio incomplexorum debet tota ſimul cognoſci, ſed non per vnicum actum, imó per triplicem illum actum, ex quo ſyllogiſmus coaleſcit; aliàs actus, qui ſolum cognoſceret connexionem omnium obiectorũ, ipſe ſolus ſine connotatione, aut relatione ad alium, eſſet completé, & integraliter totus ſyllogiſmus, & deinde quælibet concluſio eſſet propoſitio hypothetica, & cauſalis. Formatæ doctrinæ conſentio, & eam libenter admittere decerno, eam ſiquidem inveni ſatis expreſſam apud Scotum (tametſi à Groſſo Scotus non tradatur) *in 1. Poſt. q. 1. §. ad primum dicitur. verſ. ſuſtinendo ſecundam opinionẽ*, vbi complexi, & incomplexi cognitionem diſtinguit; & incomplexi cognitionem, veluti directam, ad aliam antecellere reſolvit.

128 Verum enim veró, cum aliquorum anxia oppoſitio ſemper remurmuret, vellem vltimó eorum oppoſitis ſatisfacere. Dices igitur, quod hic actus, *Petrus eſt animal*, diſtinctum eſſe habet, dum denominatur concluſio, ac habet dum cõcluſio non denominatur: ergo quia dum denominatur concluſio, attingit obiectum præmiſſarum, ſiquidem nudum concluſionis obiectum, tametſi concluſio non denominaretur, attingeret. Reſpondetur, non habere diſtinctum eſſe quoad entitatem, quia ſive actus ille procedat ex præmiſsis, ſive non procedat, eamdem entitatem aſſenſus conſervat, cum entitas aſſenſus ſtet in idemptitate animalis cum Petro, quæ eſt duorum inter ſe idemptitas, & hæc idemptitas ſic invenitur in illo actu, dum denominatur concluſio, ac dũ talis non dominatur.

129 Dices ſemper, quod ille actus, vel eſt diſcurſus, vel ad minus eſt complementũ, vel integritas diſcurſus, ita vt ſit ſupra ſphæram ſecundæ operationis; ſed hoc eſſe, adhuc completivé, & integraliter non habet actus, qui concluſio non denominatur: ergo quia ſupra entitatem aliquid addit, à quo diſtinguatur; quod non poteſt eſſe aliud, quam præmiſſi obiecti attingentia. Reſpondetur, nil entitativum addere, etſi addat, quod ſufficiat, vt illo adducto modo diſtinguatur; addit itaque relationem prædicamentalem effectus ad cauſã; vtpoté relationem concluſionis ad præmiſſas, quæ relatio, poſito tertio aſſenſu, reſultat, ipſique additur, additaque denominat concluſionem, ita vt in eſſe concluſionis, per illam relationem conſtituatur, qua relatione deperdita, idem manebit aſſenſus quoad entitatem, tametſi alius quoad denominationem, cum à ſecunda notione ſphæræ diſcurſivæ, ſic non valeat denominari.

130 Dices adhuc, quod tametſi à præfata relatione denominetur, & intra diversã ſphæram coſtituatur; ſed tamen inde non ſequitur, quod etiam in aliquo eſſe entitativo varietur aſsenſus; ſcitur enim, quod tam forma denominans, quam referens conſequatur entitatem fundamenti: ergo ſi nunc ille aſſenſus denominatur concluſio, & deinceps non denominatur, ſed manet intra ſphæram ſecundæ operationis, ſignum eſt, quod intra ipſam entitatem,

Digitized by Google

tém, tranſitus inveniatur. Reſpondetur, quod tametſi forma denominans conſequatur entitatem aſsenſus, nunquam ſequitur tranſitus in entitate; quia id non ſequi eſt de conditione formarum reſpectivarum, quæ vt modo denominent, & deinceps nullatenus, dependent ab alterius extremi entitate, diſtincta ab illa, quam denomīnant; ſicque, etſi entitas denominata maneat eadem, denominata non manebit, ſi alterius extremi entitas non maneat; qua poſita in ſe, ponetur denominatio etiam extra ſe, vtporé in alia.

131 Itaque, his omnibus de primo ad vltimum reſpondendo, dicendum eſt, quod tametſi entitas aſſenſus ſit eadem, ſemper adeſt fundamentum, vt à præmiſsis producta dicatur concluſio, & de integritate diſcurſus; ad hoc enim non requiritur, quod per illum aſſenſum attingantur obiecta præmiſſa; ſed ſufficit, quod ſolum attingatur obiectum concluſionis; ita tamen, quod etſi ſolum aſſentiat, *Petrum eſſe animal*, ſic veró aſſentiat, quod alijs aſſenſibus prius poſitis, & inſimul moventibus, aſſentiat; quare, etſi aſſenſus in entitate ſit idem, diſtinguitur tamen, quia etſi eadem ſit entitas, ſed tamen per diſtinctam viam, & à principijs diverſo modo applicatis, educta; quod ſufficit, vt cōcluſio denominetur, & illa relatio diverſa ſuperaddatur, quin aliqua intentionalis attingentia, ex directa aſſenſus formatione, verſus præmiſſás inveniatur.

132 Adaptari poteſt exemplar in forma materiali educta, & creata, cuius eadem foret entitas, tametſi ex diſtinctis vijs, diſtinctoſ induceret reſpectus, & denominationes; ita vt concretum creati, aliud diceretur à concreto educti; & ſic invenies à paritate quæcumque volueris. Sic etiam parem invenies filiū reſpectu Patris, & reſpectu Dei, à quo ſolū produceretur: eadem foret entitas, & diverſa foret denominatio: vnde licet à Patre productus denominaretur filius, ſed tamen (nunc eo ad principale punctum) non infertur, quod entitas filij exprimat entitatem, quæ denominatur Pater, quia tametſi à ſolo Deo produceretur idē exprimeret; & licet à Patre produceretur, cum Deo, intuitu entitatis, forté repreſentaret alium hominem, potius quam Patrem. Deinde, (eo etiam ad principale aliud) etſi filius per paſsionem conſtituatur proprié in eſſe producti, ita vt paſsionem præeat actio principiorum; inde tamen non infertur, quod per paſsionem, per quam entitas effectus derivatur immediaté in eſſe termini, attingatur entitas, aut aliquid principiorum; ergo infertur ex omnibus, quod entitas extremorum concluſionis, ſolum attingatur per aſſenſum tertium, qui eſt veluti paſsio, ſeu paſsiva cauſalitas, tametſi requirat, quod alij aſſenſus, & activa cauſalitas præcedant; ita vt licet in via, & virtute talium principiorum diſtinctum concretum conſtruat, & relationem addat, ex productione tamen aſſenſus non ſic exprimat præmiſſas, quod earum obiecta attingat.

133 Dices, quod in exemplis adductis maximum apparet diſcrimen, cum illæ cauſalitates, & effectus, non ſint ex principijs intentionalibus; ex his non videtur congruum, quod aliquid dimanet, quin ipſorum principiorum entitates intentionaliter attingantur, ac proinde ipſis etiam aſſentiatur. Tum, quia nunquam videtur ſatisfieri ad illud de expreſſione; concluſio enim eſt effectus expreſſus ex virtute præmiſſarum: eas ergo attinget. Tum denique, quia ad minus non poteſt negari, quod detur relatio, à qua concluſio denominatur: ergo ſaltim ex intuitu concluſionis, vt relativæ, debebit intellectus attingere correlatum, quod ſunt præmiſſæ.

134 Reſpondendo ad primum dici poteſt, quod tametſi ſint principia intentionalia, ſunt tamen ſtricté per modum puri efficientis influentia; quare ex actu producto, non efficiens, ſed termini formalis obiectum attingetur intentionaliter, cum hoc ſit adæquatum illius actus expreſsioni, & attingentiæ. Quod id debeat ſubſiſtere, tametſi intentionalia ſint principia, patet in intellectu, etiam actū tertiā concauſante, quin ex eo ſequatur, quod actus intellectū attingat Deinde ad illud de expreſſione poteſt etiā dici, quod expreſsio præmiſſarū in concluſione, eſt expreſsio efficiētis, nō moventis ad eſſe formale ſuæ entitatis, ſed ad eſſe formale entitatis effectus, aliquomodo latentis in virtute entitatum præmiſsarū; quo pacto, nunquam expreſsio eſt conductiva ad intentionalem attingentiam principij. Id ſuadetur in accidenti, v. g. in calore à ſubſtantia Solis producto: non enim poteſt negari, quod etiam calor ſit ſolaris ſubſtantiæ expreſsio, ab eius ſiquidem virtute derivatur neceſsarió, & eſt actus formalis ex Solis virtute eviſceratus; & tamen qui circa hæc ſpecularet perfecté, intuitu caloris expreſsi, & accidentis eviſcerati, difficile Solem, & ſubſtantiam perciperet.

135 Tum etiam, quia etſi præmiſsæ intellectum illuſtrent, illuſtrant tamen per vim diſcurſivam, quæ vis non eſt quieſcens, aut vnius virtutis vniformis, prout eſt vis vnius determinatę ſpeciei; ſed eſt vis, quę ex his, &

ex

Digitized by Google

ex alijs conſurgit, quorum aliqua affirmant, altera negant; vniverſalia illa, non vniverſalia iſta; nec non in pluribus ab intellectu dependens, vt ab applicante illarum entitatum; quare, etſi adſit expreſsio, poterit dici nõſiruoſa, vt in *quæſt.* antecedenti dicebamus de mulo genito; vide illa in fine quæſt. Vide etiam dicta in *quæſt 5. in vltima reiectione.* Tum denique, quia etſi concluſio repreſentaret obiectum præmiſſarum, nunquam tamen illi aſſentiretur, dum obiecto concluſionis aſſentitur per productionem tertij aſſenſus; quia illa expreſsio, ſolum à reflexè apprehendente perciperetur, vt patet in actu formali, qui etſi ſpeciem impreſſam repreſentaret, tn ſui tamen productione, eam non attingeret.

136 Reſpondendo ad vltimum, dici poteſt inprimis, quod etſi per cognitionem relationis cognoſcerentur præmiſſæ, nunquam tamen ſequeretur, quod per aſſenſum prædictum concluſionis, aſſentiretur præmiſsis; quia illa relatio reſultaret ex poſitione aſſenſus ad obiectum concluſionis: ergo prius quã daretur relatio, iam aſſenſus foret exhibitus. Tum, quia etſi relatione illa conſtitueretur aſſenſus formaliter in eſſe concluſionis, ſed tamen in eſſe talis maneret conſtitutus, antequam relatio cognoſceretur, ſiquidem dum relatio reſultaret, denominaretur concluſio, & ſolum relatio cognoſceretur, poſtquam reſultaret.

137 Deinde, quia ex his parum contra intentum adducitur, quia quod cognita relatione, deducantur correlata, nil iuvat ad præſumptam attingentiam præmiſſarum per concluſionis aſſenſum; quia cognita relatione, non ſolum cognoſcentur relatæ præmiſſæ, ſed quodcumque aliud diſtinctæ entitatis principium, v.g. intellectus, qui non minus cognoſceretur, ac præmiſſæ, cognita relatione concluſionis ad intellectũ, vt ad cauſam eius. Addo, quod cognita relatione, imò diſparata, ſic cognoſcentur, vt patet in diſquiparanter relatis; ſed hæc cognitio nil ad intentum prodeſt.

138 Denique, quia quod cognita concluſione vt ſub notione effectus, debeant cognoſci præmiſſæ, ſub notione cauſæ, nil inducit; quia tunc illa cognitio non eſt præmiſſarum, vt ab his, à quorum eſſe dependet concluſio, cum prout cognita in quantum relata, non magis pendeat concluſio à præmiſsis, quã præmiſſæ à concluſione: quo pacto non erit concluſionis aſſenſus poſterior natura, vt eſt quilibet effectus, ſed foret in ſimul, vt ſunt relata: vnde ſic, non attingeretur eſſe illud harmonicum, & formale præmiſſarum, ſed ſolum attingeretur eſſe cauſæ, quod ad intentum materiale eſt, cum ſic attingerentur, ac att.ngitur quæcumque alia cauſa, cuiuſcumque conditionis ſit; quare cum Scoto punctum cõtroverſiæ habendæ prævenimus in quæſtionis initio: vide etiam prædicta in *quæſt. 2. ſub ſecundo ſenſu.*

QVÆSTIO VII.

Duplex ſyllogiſticum principium exponitur, & quoddam axioma explicatur.

139 CVm tota ſyllogiſtica fabrica erigatur ex illis principijs, videlicet, *dici de omni, dici de nullo, & quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ideo, etſi de eis in logicis DD. egerimus, hinc ea, iuxta literam Scoti, amplius exponere decernimus, vt prædicta completè percipiantur.

DICI DE OMNI: DICI de nullo.

140 DE hoc duplici principio (etſi duplex ſit principium, pro vnico reputatur, quia eadem eſt norma in vtroque) agit Scotus in 1. *Priorum q.7. &* 8. cuius literali doctrinæ cõformes, aliqua hinc expendere intendimus. In primis enim Doctor noſter ſupponit, quod illud principium, *dici de omni*, non ſit definibile, eo quod ſit complexa oratio, & definitio ſolum propriè ſit expedibilis de terminis incomplexis: vnde ait, quod ſolũ poterit aliquã habere explanationem.

141 Explanat deinde talem orationem, aiens, quod hæc oratio, *dici de omni*, ponitur loco alterius propoſitionis, ſcilicet iſtius, *prædicatum vniverſaliter, & affirmativè dici de ſubiecto.* Secundo docet, quod ſic *dici de omni* intellectum, debet accipi ita, quando nil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum: quod debet ſic intelligi, quod propoſitio vniverſalis affirmativa ſignificet prædicatum dici de omni eo, de quo prædicatur ſubiectum; & ideo, ſi ſubiectum ſumatur dici de aliquo, neceſſe eſt prædicatum dici de illo eodem. Similiter *dici de nullo* ſtat, quando nil eſt ſumere ſub ſubiecto, à quo non removeatur prædicatum; quod debet ſic intelligi, quod vniverſalis negativa ſignificet, prædicatum negari ab omni illo, de quo affirmatur ſubiectum.

Ex

Digitized by Google

142 Ex quibus duo notat Scotus. Notat primum, quod ſignum vniverſale non requirit aliquem certum numerum ſuppoſitorum, ſeu individuorum termini communis, cui ſignum vniverſalitatis additur; quia hoc ſignum *omnis* non denotat aliud, quam prædicatum dici de omni ſuppoſito ſubiecti, ſeu ſub ſubiecto vniverſalis notæ contento, quin connotet, vel ſignificet multitudinem, vel paucitatem ſuppoſitorum termini, cui ſignum, vel nota vniverſalis additor: ſicque non bené dicunt aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Scotus *q.7.* quod hoc ſignum *omnis* ad minus requirit tria ſuppoſita. Notat ſecundum, quod quando dicitur, quod omnis ſyllogiſmus tenet in virtute *dici de omni*, vel *de nullo*, debet intelligi, quod omnis ſyllogiſmus ſit evidens aliquo dictorum principiorum, & hoc quantum ad illationem concluſionis, ita vt ſatis ſit, quod ex continentia alicuius ſub aliquo ſubiecto propoſitionis dicti vniverſalis, concludatur aliquid inferri ex illo. Dixi notanter (inquit & Scotus) *aliquo dictorum principiorum*, quia non oportet ad concluſionis illationem, quod ambo principia illa ad eumdem ſyllogiſmum applicentur. His ita expoſitis, aliquas cõcluſiones reſolvit Scotus.

143 Reſolvit 1. quod omnis ſyllogiſmus in aliquo quatuor modorũ primæ figuræ tenet directé, & immediaté virtute alicuius dictorum principiorũ. Probat exemplificando; & primò in affirmativis ſic: quia ſi *omne B. eſt A.* & *omne C. eſt B.* ſequitur, quod *omne C. ſit A.* quæ illatio tenet virtute aliquorum, quæ ſignificant prędicatum *dici de omni illo*, de quo dicitur ſubiectum, & ideo, quia ſubiectum accipitur dici de *C.* oportet, quod virtute ſignificationis maioris, prędicatum vniverſaliter dicatur de *C.* & maior ſic ſignificat virtute huius ſigni *omnis*, quod diſtribuat ſubiectum in omnia contenta ſub illo. Deinde exẽplificat de negativis, oſtendendo ſic: *Nullum B. eſt A.* ita propoſitio eſt maior, & ratione ſigni vniverſalis ſignificat, prædicatum negari de omni illo, de quo dicitur ſubiectum. Ideo ſi ſubiectum ſumatur dici de aliquo, v.g. *omne C. eſt B.* ſequitur virtute ſignificationis maioris, quod *nullum C. eſt A.*

144 Reſolvit 2 Scotus, quod ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ non tenent directé, & immediaté virtute prędictorum principiorum. Suadet intentum ex eo, quod ad hoc vt directé adſit applicatio dictorum principiorum, oportet, quod de aliquo ſubiecto vniverſaliter ſumpto dicatur prædicatũ, & quod illud ſubiectum vniverſali nota acceptum ſumatur ad dici de aliquo, alio modo, vtpoté de aliquo ſuppoſito contento ſub ipſo; quia ſic ſolum poteſt ſubiecti vniverſaliter dicti, fieri directa diſtributio in ſuppoſita contenta ſub illo, vt in virtute ſubiecti ſic directé diſtributi, neceſſé concludatur illatio: v. g. *omnis homo eſt Animal; ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt Animal*; vbi oportet, quod animal dicatur de homine, qui eſt ſubiectum vniverſaliter ſumptum; id tamen non ſufficit directé, ſed requiritur vlterius, quod, vt prædicatum in virtute ſubiecti vniverſaliter ſumpti dicatur de omni ſuppoſito ſubiecti, diſtribuatur ſubiectum vniverſale in contenta ſub ipſo; quæ diſtributio non fit directé aliter, quam ſumẽdo ſubiectum, vt dicatur de aliquo ex contentis; v.g. *ſed Petrus eſt homo*, vbi homo, qui erat ſubiectum, applicatur ſuppoſito contento ſub ipſo, & ſic in virtute illius principij dicitur de omni ſuppoſito ſub ſubiecto contento, id quod de ipſo ſubiecto vniverſaliter dicebatur: v.g. ergo *Petrus eſt animal*, quod animal dicitur de hoc homine, dictum de homine vt ſic. Nunc Scotus ſic; ſed ſic non evenit in ſecunda, nec in tertia figura: ergo. Prob. min. quia in ſecunda figura terminus medius prædicatur in vtraque præmiſſa, & terminus diſtributus nunquã prædicatur de aliquo in præmiſsis. Nec non in tertia figura, terminus diſtributus nunquã prędicatur de aliquo alio, ſed ſemper ſubijcitur reſpectu ſui prædicati: ergo.

145 Reſolvit 3. Scotus, quod ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ mediaté, & indirecté tenent virtute *dici de omni*, *& de nullo*. Prob. 1. quia aliter ſequeretur, quod ex puris particularibus, indefinitis, & ſingularibus poſſet fieri bonus ſyllogiſmus in ſecunda, & tertia figura, quod eſt falſum: ergo & illud. Exponitur ratio Scoti in hoc ſyllogiſmo: *aliquis homo eſt riſibilis; ſed aliquod rugibile nõ eſt riſibile: ergo aliquod rugibile nõ eſt homo.* Iſte ſyllogiſmus ſecũdæ figurę non eſt bonus, nec directé, nec indirecté, ratione prędicti principij; quia nec ſubiectũ maioris vniverſaliter accipitur ad dictũ prædicari, nec deinde virtute illius dicti diſtribuitur in minori: ergo ſi ſubiectũ vniverſaliter accipiatur, dũ tamen directé nõ diſtribuatur in aliud, quia contentũ ſub ipſo, tametſi concludat, non tamen directé concludet in virtute illius dicti de omni. Confirmatur, & exemplificatur ab Scoto. Confirmatur ex ſyllogiſmis primæ figuræ, qui tenẽt directé, & immediaté virtute dictorum principiorum: ergo ſyllogiſmi ſecundæ, & tertiæ figuræ tenebunt indirecté, & mediaté. Tenet conſequentia, quia ſecundæ, & tertiæ figuræ ſyllogiſmi reducuntur ad illos de prima figura: ergo quia ex indirecta diſtributione ſolum tenent mediaté. Exemplificatur deinde ab Scoto arguendo in *Ceſare*, v.g.

nullus lapis eſt animal: omnis homo eſt animal: igitur nullus homo eſt lapis: in quo ſyllogiſmo certum eſt, quod nulla fiat ſumptio ſub termino diſtributo, niſi indirecté; ſed tamen ſi maior convertatur ſimpliciter, tunc erit ſumptio directa ſub termino diſtributo, v.g. ſi iſta propoſitio, *nullus lapis eſt animal*, convertatur in illam, *nullum animal eſt lapis*, tunc fiet directa ſumptio arguendo in *Celarem*, quia ſubiectum de quo vniverſaliter dicatur prædicatum, directé diſtribuetur de omni ſub illo ſumpto: v. g. *nullum animal eſt lapis: omnis homo eſt animal: ergo nullus homo eſt lapis.*

146 Obijcies intendens impugnare prædictorum principiorum ſufficientiam; quia ſi talia principia ſufficerent, ſequeretur, quod multæ coniugationes inutiles eſſent boni ſyllogiſmi; ſed hoc repugnat: ergo. Maior prob. quia in pluribus coniugationibus inutilibus inveniuntur *dici de omni*, *& dici de nullo*, v.g. in prima figura, quando arguitur ex maiori vniverſali affirmativa, & minori vniverſali negativa. Minor patet; quia ſi in coniugationibus inutilibus inveniretur *dici de omni &c.* forent boni ſyllogiſmi, & ſic iam non forent inutiles: ergo &c. Reſpondet Scotus negando ſequelam argumenti, & ad probationem dicit, quod ſi per *dici de omni* intelligas propoſitionem vniverſalem, tunc dicet, quod id præcisé non ſufficiet ad veritatem ſyllogiſmi; ſed requiritur *ad dici de omni*, propoſitio vniverſalis, & inſimul cum hoc, *quod ipſius ſubiectum accipiatur dici de aliquo alio*, de quo concludetur prædicatum vniverſalis; ita tamen, quod ſubiectum vniverſalis debité ſumatur, vt dicatur de alio.

147 Obijcies 2. Si vis prædictorum principiorum ſubſiſteret, ſequeretur, quod ex particularibus, & indefinitis poſſet fieri bonus ſyllogiſmus; ſed hoc eſt falſum: ergo. Maior prob. quia in particularibus, & indefinitis inveniuntur *dici de omni*, *& dici de nullo*: v.g. *homo eſt animal*, vbi nil poteſt ſumi ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum: & ſic etiam *dici de nullo*: v. g. *homo non eſt aſinus*, vbi nil poteſt ſumi ſub ſubiecto, à quo non removeatur prædicatum: ergo. Minoris falſitas patet, cum ex indefinitis, & particularibus nunquam poſſit dari recta, & neceſſaria propoſitionum applicatio. Reſpondet Scotus negando maiorem, dicitque ad probationem, quod licet prædicatum particularis dicatur de quolibet contento ſub ſubiecto; ſed tamen hoc ſic dici, non ſignificatur formaliter per propoſitionem particularem, vel indefinitam, cum in vtraque deficiat ſignum vniverſalitatis, quod ſolum ſignificatur bené per vniverſalem propoſitionem, cum in ea prædicatum formaliter, & notabiliter de ſubiecto dicatur, ideoque non eſt ſimile de vniverſali, & particulari.

QVÆCVMQVE VNI, ET EIDEM ſunt eadem, iſta inter ſe ſunt eadem.

148 SVb tituli verbis præſentis regulæ expoſitio proponitur ab Scoto in 1. *Prior. quæſt.* 9 vbi aliqua adducit, vt punctum quæſitum reſolvat. In primis enim opponitur prædictæ regulæ aliqua extremorum diſtinctio, cum qua idemptitas eorum inter ſe incompatibilis videtur; ſic enim oppoſitio formatur: ad prædictæ regulæ veritatem requiritur, quod aliqua ſint eadem inter ſe; ſed hoc requiſitum difficilé invenietur: ergo. Prob. min. quia ſequitur, ſunt eadem inter ſe: ergo ſunt entia, ac per conſequens diverſa à ſe invicem: ergo. Reſponderi poteſt, ſecundum ipſius Scoti doctrinam, quod tametſi aliqua pluralitas, ac per conſequens diſtinctio in extremis convincatur, inde tamen illius regulæ difficultas non reijcietur; quia idemptitas inter ſe ſolum eſt deducenda ſecundum gradum idemptitatis cum tertio; quare poteſt compati, quod ex vnione cum tertio ſolum reſultet vnio accidentalis inter extrema, ita vt ſic ſint eadē inter ſe, etſi metaphyſicé ſint diſtincta. Idē dico de quacumque idemptitate extremorum, cum vlteriori diſtinctione compatibili, vt patet in gradu ſuperiori, & inferiori, qui realiter ſunt idem, & formaliter diſtincti.

149 Secunda oppoſitio, à Doctore formata, habetur ſic: vel illa regula intelligitur copulativé, vel diviſivé; ſed quolibet modo intellecta, non poteſt ſubſiſtere: ergo. Prob. minor quoad primam partem; quia duæ meditates coniunctivé ſumptæ ſunt eædem toti, quia ſunt totum; ſed non ſunt eædem inter ſe: ergo. Prob. deinde quoad ſecundam partem; quia Sortes, & Plato, diviſivé loquendo, ſunt eadem vni, & eidem numero; nam Sortes eſt idem vni, & eidem numero, ſcilicet ſibi ipſi; nec non ſic etiam Plato eſt idem vni, & eidem numero; ſed licet ſint idem vni, & eidem numero disiunctivé, nō ſunt idem inter ſe: ergo. Reſpondetur ab Scoto, quod prædicta regula non intelligitur diviſim loquendo. Ad illud de partibus poteſt dici in primis, quod adhuc ſi ſimul ſumptæ ſint, diſtinguuntur à toto:

qua-

Digitized by Google

quare dum totum non ſint, nil mirum, quod ipſæ non ſint inter ſe. Poteſt deinde dici, quod ſicuti totum valeat dici de parte quacumque ipſi eadem, ſic & quæcumque pars valebit dici de altera: vnde ſecundum illum concretionis modum, ſecundum quem pars eadem dicatur toti, ſic & pars poterit eadem dici parti; v.g. ſi totum dicatur materiatum, & informatum, materia poterit dici informata. Videantur dicta *in libro Prædicab. Diſtinc. de concretis &c.* Itaque prædicta regula ſolum eſt verificanda de illo tertio, reſpectu cuius valeant extrema in recto prædicari; ſic enim, & inter ſe prædicabuntur.

150 Tertia oppoſitio formatur ab Scoto in divinis; quia Pater in divinis eſt idem eſsētiæ divinæ: ſimiliter filius eſt idem illi eidem eſſentiæ; & tamen Pater, & filius non ſunt idē inter ſe: ergo. Huic oppoſitioni eſt in primis reſpondendum regula generali ab Scoto adducta. Scotus ergo, aliquibus præſuppoſitis, ait ſic: *Iſtis præmiſſis dico, quod regula ſic eſt exponenda: quicumque duo termini dicuntur idem alicui tertio termino ſuppoſito pro vna re demonſtrata; & pro illa ſola illi termini dicerentur de ſe invicem; vt ſi iſti termini album, & animal dicantur idem huic termino ſorti, illi termini dicerentur de ſe invicem. Et hoc eſt intelligendum, videlicet in quibus vna res non eſt eadem cuilibet diverſarum rerum.* Hæc Scotus. Itaque circa prædictorum verborum expoſitionem exiſtimo poſſe dici, quod tunc ex vnitate tertij aliqua erunt inter ſe vna, quando tertium ſic ſe habet reſpectu terminorum, quod quicumque terminus non conſtituat vnam rem diſtinctam. Pro quo eſt breviter advertendum iuxta Scoti phraſim, quod prò vna re diverſa, ſeu pro aliquo diverſarum rerum, intelligitur illud, quod in ſe habet omnes metaphyſicas realitates, v.g. Petrus, & Paulus ſunt aliqua diverſarum rerum, eo quod habeant à prima vſque ad vltimam realitatem, ita vt vnus alteri non maneat ſubordinabilis. His ita, dicit Scotus, quod prædicta regula erit vera, ſemper, & quando tertium vnitatis, non ſit commune æqué aliquibus diverſarum rerum, ita vt cuilibet diverſarum rerum non ſit idem; quia cum ſit idem illi, ſecundum gradum vltimæ diverſitatis, ſecundum quem quilibet eorum diverſus eſſe debet, repugnat, quod in eis, vis illius principij poſsit habere vim. Vnde cum eſſentia divina ſit eadem tribus diverſarum rerum, repugnat, quod vltra illos vltimos gradus vnitatem ponat. Sic propter idem non valet, *Petrus eſt homo: Paulus eſt homo*: ergo *Petrus eſt Paulus.*

151 Deinde aliter Scotum exponentes, dicimus, quod illud tertium erit conſonum medium vnitatis inter ſe, quod comparativé ſumptum ad extrema, ſupponat pro vna re demonſtrata; hoc eſt, ſemper, & quando reſpectu minoris vniverſalitatis, in ipſo intellectæ, videatur ſingulariter ſupponi. Dixi comparativé ad extrema, quia abſque tali comparatione, dictum Scoti non indiget expoſitione, vt patet in ſorte reſpectu animalis, & albi, reſpectu quorum abſoluté tertium, quod eſt ſors, eſt ſingulare; ac per conſequens vtile. Sed quia pluries evenit, quod tertium non ſit ſic abſoluté, & expreſsé ſingulare, requiritur, quod tale ſit compararativé, ita vt tale dicatur, ſemper, & quando ambo extrema non ſint ipſo ſingulariora, ſeu minus communia: v.g. *omnis homo eſt vivens; ſed omne rationale eſt homo*: ergo *omne rationale eſt vivens.* Vbi homo eſt vtile tertium, quia ambo extrema non ſunt ipſo minus vniverſalia, ſicque comparativé tam eſt ſingulare medium, quare, & ſufficiens ad conciliandam extremorum vnitatem. Ratio eſt; quia tertium cum habere debeat vim vnitivam, debet illud extremum, quod magis poteſt abeſſe, continere, nempé maius: vnde ſi tertium non foret tali extremo minus commune, & ſic comparativé ſingulare, non poſſet illud continere, & ſic nec poſſet vnire, vt patet in animali, ex quo non poteſt alicui vniri humanitas, quia animal eſt magis commune: ergo &c. Sic etiam eſſentia divina non eſt vtile tertium ad extremorum vnitatem, quia etſi ipſa ſit ſingularis, non tamen comparativé ad extrema, cum extrema ſic ſint ſingularia, quod ſint minus communia; foret enim eſſentia vtile tertium, ſi minorem communitatem haberet.

152 Reſolvendum eſt ergo, præfatam regulam eſſe veram, ſervatis illis, quæ ſupra literam Scoti expoſuimus; & nunc ipſa breviter reſolventes, dicimus, quod quæcumque vni, & eidem ſint eadem, inter ſe erunt eadem, ſi vnitatis tertium vtrique extremo non ſit ſuperius: vnde notabis, quod nil potius, quam ſuperioritas derogat regulę verificandæ aſſumptum. Vide dicta in *lib. 4. d. 6. quæſt. 3. in reſolut.*

(?)

AXIOMA SYLLOGISTICVM breviter exponitur.

153 CVm vulgare ſit apud logicos, concluſionem ſequi debiliorem partem, reſolvendum eſt breviter, an in dicto axiomate veritas inveniatur? Ante cuius dicti reſolutionem eſt advertendum, quod præmiſſæ in quam pluribus poſſunt eſſe inæquales; videlicet, in quantitate, in qualitate, & infirmitate ex actu noſtri aſſenſus. Tunc ſunt inæquales in quantitate, quando vna intentionaliter plus extenditur, quam altera: v. g. dum vna eſt vniverſalis, & altera particularis. Tunc ſunt inæquales in qualitate, ſi intrinſeca, quando vna affirmat, & altera negat: ſi extrinſeca, quando vna eſt vera, & altera falſa. Tunc ſunt inæquales in firmitate noſtri aſſenſus, quando vna eſt certa, & ſolum eſt probabilis altera. Et hinc ſimiliter poteſt addi inæqualitas ex noſtri actus penetratione, vt quando habet evidentiam, & altera obſcuritatem. His ita

154 Reſolvi poteſt, præfatum axioma veritati ſubeſſe. Eſt commune, & nullo melius, quam ratione communi ſuadetur; quia extrema non debent habere maiorem connexionem, & ordinem inter ſe in concluſione, quam quodlibet habuit in præmiſsis: ergo. Suadetur antecedens; quia præmiſſæ ſunt principia, à quibus concluſio totum ſuum eſſe mēdicat, & à quorum vi intellectus neceſsitatur, & roboratur ad concluſionem: ergo. Aliàs deficiet illud aliud axioma, *propter quod vnūquodque &c.* Hæc expreſſè deducuntur ex Scoto in 1. *Poſt. q.* 13. vbi probat, quod vltra vim principiorum non poſsit adeſſe perfectio in concluſione. Ait enim, quod virtus eſt vltimum potentiæ; ſed principia ſunt ſuam virtutem ſunt cauſæ cōcluſionis: ergo. Probat; quia de ratione cauſæ eſt, quod quidquid reperitur in effectu, & cauſa, excellentius reperiatur in cauſa: ergo quidquid reperitur in concluſione, & præmiſsis, excellentius reperietur in præmiſsis. Aliqua hinc ſolent opponi argumenta, v. g. ex hoc ſyllogiſmo, *omnis homo eſt animal; ſed Leo eſt homo: ergo Leo eſt animal*, vbi concluſio non ſequitur falſam præmiſſam. Cui, & ſimilibus poteſt reſpōderi, quod in eſſe veritatis, neque ſequitur veram ex vi connexionis ad tertium; veritas enim illius concluſionis ſolum eſt materialis, id eſt, ſecūdum entitatem nō pendet ex præmiſsis, ſed ex pura conformitate cum ſuo obiecto realiter vero.

TIBI O PVRVM, SEV MARIANVM INSTANS.

LIBER OCTAVVS

DE POSTERIORI ANALYSI.

PRÆAMBVLVM ARGVMENTVM.

IN præcedenti libro egimus de priori Analyſi, vtpotè reſolvente ſyllogiſmum ſecundum formam; nunc verò agendum venit de poſteriori, vtpotè reſolvente ſyllogiſmum ſecundum materiam; cuius tres ſunt claſſes, nempè, neceſſaria, probabilis, & ſophiſtica. De neceſſaria, quam præſens liber reſpicit, duos libros conſumpſit Philoſophus, & ſupra illos, duos alios expendit Scotus, habens pro obiecto ſyllogiſmum demonſtrativum, & ex hoc, ſic huius libri præeminentiam probans in proœmio: *Syllogiſmus demonſtrativus facit ſcientiam: Syllogiſmus dialecticus ſolum facit fidem, vel opinionem: ſyllogiſmus ſophiſticus ſolum facit apparentiam: ſicuti ergo ſcien. iā pretioſior eſt opinione, & nuda apparientia; ita ſcientia demonſtrativa, quæ*

eſt de demonſtratione, tanquam de ſubiecto, pretioſior erit Libro Topicorum, & Elenchorum ſimiliter.

Circa ſcire demonſtratiuum eſt igitur noſter ſermo dirigendus, iuxta verba Philoſophi, *ſcire autem opinamur vnumquodque, cum cauſam rei cognoſcimus: & quoniam illius eſt cauſa: & quoniam impoſsibile eſt aliter ſe habere.* Sic Philoſoph. in 1. huius, & cum ipſo ibidem Scotus. Fuerunt tamen aliqui, (inquit, & refert Scotus) qui dixerunt omnia ſciri, vt Platonici, moti hac ratione; ſi aliquid eſſet ignotum, tametſi illud occurreret ignoranti, non apprehenderetur, ſicuti patet de ſeruo fugitiuo, qui ſi foret ignotus à quærente, non apprehenderetur, tametſi ei occurreret: ſi ergo ad hoc, quod aliquid poſsit apprehendi, requirit illud aliquomodo prius ſciri, vel alioquin non poteſt apprehendi, per locum á ſimili omnia ſciuntur.

Fuerunt è contra alij, qui dixerunt, omnia ignorari; nil enim addiſci poſſe: cuius rationem aſsignabant; quia omnia, quæ cognoſcuntur per doctrinam, cognoſcuntur ab aliquo habente aliquam præeminentiam reſpectu alterius ſecundum animam ratiocinatiuam; anima vero, cum ſit forma ſubſtantialis, non ſuſcipit magis, nec minus; ac proinde nil poteſt ſciri, nec addiſci: omnia ergo ſunt ignota. Iſtius opinionis fuerunt Academici.

Præfatis rationibus reſpondet Scotus, & ad primam iuxta ea, quæ latè ex ipſo expoſuimus in noſtro *lib. 7. Prior. quæſt. 5. in reſolut. expoſitione*: ait ergo hinc in *proœm.* Scotus, quód ratio Platonicorum ſoluitur per rationem, quam ponit Ariſtot. in principio huius; quia aliquid contingit ignorari in particulari, & idem neceſſe eſt ſciri in vniuerſali: aliter enim nullo modo poſſet apprehendi, ſicuti ratio Platonis concludit. Non tamen neceſſe eſt, omnia ſciri ſub ratione propria, & particulari, ſed inuentione, & doctrina, vt ponit Plato; quibus poſitis in vniuerſali, bene poſſet apprehendi, tametſi foret ignotum in particulari; ſicuti apprehenderetur ſeruus fugitiuus, occurrens ei, qui illius aliqua ſigna præhaberet.

Deinde ad rationem Academicorum reſpondet facilè, eo quod licet anima intellectiua ſecundum ſe non ſuſcipiat magis, nec minus, tamen ſecundum diſpoſitionem corporis, cuius eſt forma, ſiue perfectio, poteſt ſuſcipere magis, & minus; quomodo vnus homo poteſt eſſe alio præeminentior, & ingenioſior. Sed id exactius attingit Scotus in q. 2. huius primi, vbi ait, quod forma materialis poteſt intelligi dupliciter. Vno modo dicitur materialis, quæ educitur de potentia materiæ; & iſto modo forma intellectiua non dicitur forma materialis. Alio modo dicitur forma materialis, quia perfectio materiæ; & iſto modo anima intellectiua eſt materialis, ideoque aliquam variationem poteſt accipere à materia, quam perficit, (id nota) *quia ex materia, & forma fit verè vnum.* Verte ſenſum ad verbum, & adhuc ex eſſe vno cum humanitate, diſtantiores denominationes attende.

Tum etiam ad prædictæ rationis reſponſionem notat Scotus, valere vnam propoſitionem Linconienſis dicentis, quod neque litera ſcripta docet, nec ille, qui exterius ſonat; ſed iſta duo tantum excitant, & mouent diſcipulum. Itaque interius eſt vnus Doctor, qui mentem illuminat, & veritatem oſtendit. Et ſic patet, quod non addiſcitur propter eminentiam Doctorum; ſed propter lumen interius intelligit anima, quæ cauſatur à primo.

***

DIS-

DISTINCTIO I.

De his, quæ principaliter ſpectant ad notionis demonſtrativa principia.

1 CVM noſtri temporis brevitatem paſsim cõſulere debeamus, ideo ſolum de illis, quæ ad principalem intelligentiam demonſtrationis, agere decernimus: aliter enim omnia hinc dubitabilia examinantes, potius quam mens difficultates, ipſæ ſuperarent annos, Scotus ſiquidem circa demonſtrationis punctũ ſexaginta quæſtiones conſumpſit. Nec Scoto mirum, dum plura intellexit, quam vixit. Verum enim veró cum hic liber ſit ſcientiarum vniverſalis, & magiſtra clavis, etſi tempus breve defluat, quæ tamen quæſiti neceſſarij appareant, examinare intendemus. Et vt vndequaque plena colligatur notitia, videantur dicta *in lib. 2. diſt. 2. q. 1.* in fine, vbi vtilis doctrina pro demonſtrandis expenditur. Videantur etiam ibidem dicta in *q. 5. dub. 2.* vbi ſcientiæ definitio iuxta Scoti literam exponitur. Illis ita.

QVÆSTIO I.

Prioris, & potiſsimæ demonſtrationis expoſitiva.

2 DEmonſtratio dividitur ab Scoto iuxta Philoſophi literam in demonſtrationem quia, & in propter quid. Demonſtratio propter quid definitur: *Syllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, & cauſis concluſionis.* Demonſtratio quia, é contra debet adaptari, cum concluſio non inferatur, neque ex primis, neque ex immediatis, neque ex præmiſsis cauſam illati continentibus, cum ſolum contineant poſterius, vtpoté effectum. Dicitur tamen demonſtratio, quia eſt ex præmiſsis veris, & propter convertibilitatem paſsionis cum eſſentia, intelligitur vis illius oſtenſiva, ac proinde illam, etſi à poſteriori, oſtendens, & demonſtrans. Sic Scotus in *quaſt. 55. verſ. ad aliud patet.* Quod igitur nunc inquiritur eſt, an demonſtratio potiſsima, ſeu propter quid ſit *ex primis veris, immediatis &c.*

3 Reſolvo, demonſtrationem, talem eſſe. Sic literaliter Scotus in *1. Poſter. q. 11.* vbi Ariſtot. definitionem in hunc modum exponit. Dicitur *ex veris*, quia quod ſcitur in demonſtratione eſt verum; ſed verum non ſcitur niſi ex veris; nam etſi verum poſsit ſyllogizari ex falſis, prout aliqui dicunt, quod ex præmiſsis falſis formalizatur concluſio vera; at veró verum non poteſt *ſciri* ex falſis, quia ſcientia plus dicit, quam *formalitatem*: ergo demonſtratio eſt ex veris. Item demonſtratio eſt *ex primis*, quia ex principijs, quæ ſunt eadem; licet enim eadem ſit paſsio, at veró ſub notione principij diverſa eſt, ita vt ſic nulli alteri ſortietur, imó extraneatur: ergo. Dicitur etiam *ex immediatis*, quia ſi demonſtratio eſſet ex mediatis, aut tunc eſſet proceſſus in infinitum, aut eſſet ſtatus ad immediata; ſed non eſt proceſſus in infinitum, quia ſic procedentes, nil ſciremus: ergo eſt ſtatus ad immediata, ac proinde habetur propoſitum. Item demonſtratio eſt *ex prioribus, & notioribus*, quia intellectus noſter in ſyllogizando procedit à magis ad minus notum; quia minus, vel æqualiter notum, non faciunt ſcientiam de ignoto. Item demonſtratio eſt *ex cauſis*, quia demonſtratio facit ſcire; ſed ſcire eſt per cauſam cognoſcere: ergo demonſtratio eſt ex cauſis.

4 Obijcies: de non ente poteſt eſſe ſcientia demonſtrativa; ſed non ens non eſt verum, ſed potius falſum: ergo non omnis demonſtratio eſt ex veris. Reſpondebis, quod de non ente ſimpliciter, vtpoté de illo, quod nullo modo eſt ens, non poteſt eſſe ſcientia demõſtrativa. Contra, inſtat Scotus: de vacuo, & infinito aliquomodo eſt ſcientia; ſed iſta ſimpliciter ſunt non entia: ergo de illo, quod ſimpliciter eſt non ens, poterit eſſe ſcientia. Contra 2. quia de non ente poteſt ſciri, quod opponitur enti; quia non ens neceſſarió opponitur enti: ergo de non ente poteſt eſſe ſcientia demonſtrativa. Reſpondetur aliter, quod de nõ ente, ſecundum quod eſt negatio entis quocumque modo, non poteſt ſciri, quod ipſum opponatur enti; quia non eſt poſsibile, tale nõ ens eſſe, cum quodlibet non ens, quantumcumqué ſit non ens, adhuc ſit ens apud animam; & ſic de non ente poterit eſſe ſcientia demonſtrativa, & ſciri, quod opponatur enti. Con-

Digitized by Google

Contrà, inſtar ſubtiliter Scotus, quęrēs de non ente apud animam, quæ eſt negatio vniverſaliter entis apud animam: arguit ſic: non ens apud animam, aut opponitur enti apud animam, aut non? Si non: ergo ens apud animam, & non ens apud animam non opponuntur, quod falſum eſt. Si ſi: ergo poteſt ſciri: ergo de non ente apud animam poteſt ſciri, ipſum opponi; ſed huiuſmodi non ens apud animā, ſimpliciter eſt non ens: ergo de ſimpliciter nō ente poterit eſſe ſcientia.

5 Reſpondet Scotus ad primam inſtantiā dicens, quod de vacuo, & infinitò non eſt ſcientia demonſtrativa probans aliquam paſſionem poſitivam de illis; ſed ſolum adeſt aliqua ſcientia ad probandum paſsionem negativam, vtpoté vacuum non eſſe, & huiuſmodi alia, quomodo demonſtratio non debet dici de non ente, in tali ſiquidem demonſtratione oporret præſupponere *quia eſt*; ſed de iſta demonſtratione, inquit Scotus, nōn intendit hinc Philoſophus. Reſpondet aliter Scotus præfato argumento dicens, quod de vacuo, & infinitò non eſt ſcientia demonſtrativa, quia ſcientia non determinat de illis, niſi quatenus illa removeat à ſua conſideratione: Similiter reſolvit Scotus eſſe reſpondendum ad illud de non ente ſimpliciter; vbi debes notare, quod ibi non loquitur de ente rationis, quod eſt ſecunda intentio, quia hoc habet quidditatem, & verum eſſe intelligibile, definibile &c. Vnde dum reſpondeatur, quod ſcientia demonſtrativa non determinet de illis, aliquam proprietatem probando, ſed ſolum, *quid non ſint* explicando, debet intelligi de illo ente, ita purum nil, quod adhuc intelligibiliter non habeat eſſe verum; de quo plura diximus in *lib. 1. Entis intentionalis*, ſed prout requiritur ad vltimam inſtantiam videantur dicta in *diſt. 1. q. 1.* vbi cùm Scoto has ingeniorum cruces ſuſtinere non aufugimus.

6 Obijc. 2. reliquarum particularum ſuperfluam poſitionem probare intendens; quia ſi demonſtratio ſit *ex primis* ſuperfluum videtur ponere *ex immediatis*, quia omnia prima ſunt immediata, & é contra. Deinde poſitis *ex primis*, & *ex immediatis*, ſuperfluit ponere *ex prioribus*, & *notioribus*; quia ſequitur, demonſtratio eſt ex primis: ergo *ex prioribus*, & *notioribus*. Tum etiam, ſi demonſtratio ſit *ex primis veris*, quę eadem ſunt principia, ſuperfluit dicere *ex cauſis*. Et etiam, ſi demonſtratio fiat *ex immediatis*, ſive *ex primis*, tunc nulla demonſtratio eſſet ab effectu ad cauſam, quia tunc à poſterioribus foret demonſtratio.

7 Reſpondet Scotus, & ad primum dicit, quod poſita hac particula *primis*, non ſuperfluit ponere *immediatis*, quia forté non omnia principia ſunt immediata, etſi per ſe primó; v.g. hæc eſt per ſe primó, *homo eſt animal*, & tamen habet medium, per quod poteſt demonſtrari. Deinde, etſi illæ particulæ ſint eædem in re, tamen ſub diverſa proprietate, & expreſsione ipſarum poſſunt accipi, vt pluries in terminis idem eſſentibus evenit; quo pacto nec erit ſuperfluitas, nec diminutio. Ad ſecundum reſpondet Scotus, quod poſita illa particula *primis*, non ſuperfluit illa alia *prioribus*; ibi enim duplex datur conſideratio, abſoluta, vel ſemiabſoluta vna, & reſpectiva expreſsé altera. Principia enim in ſe, & abſoluté dicuntur prima; ſed priora dicuntur per comparationem ad concluſiones, quæ ſunt poſteriores, & ideo poſito vno, non ſuperfluit alterum: primum igitur non eſt relativum, niſi per accidens, quia non refertur primum ad ſecundum, niſi quia ſecundum refertur ad primum. Suadetur; quia poſito, quod nullum eſſet ens in rerum natura præter illud, quod eſt ens primū, adhuc illud eſſet ens primum, & tamen non relatum ad ſecundum, niſi per accidens: ergo.

8 Ad tertium reſpondet Scotus, quod nec ſuperfluit dicere ex cauſis; quia ex alia ratione dicitur principium, & cauſa, vt in definitione cauſæ annotari ſolet reſpectu Dei, qui eſt principium, & non eſt cauſa. Tum etiam, quia ex cauſis rei, ſive efficientibus, ſive finalibus, poteſt aliquid de re demonſtrari, vt docet Scotus in *quæſt. 57. Poſter.* & tamen manifeſtum eſt, quod definitio ſubiecti, per quam aliquid de ipſo demonſtratur, non ſic rationem cauſæ, ſed ſtrictioris principij contineat. Ad vltimum reſpondet Scotus concedendo, quod nulla demonſtratio, quæ eſt ab effectu ad cauſam, eſt demonſtratio ſimpliciter, ſed ſolum *quia* ſecundū Ariſtot. ſed hinc ſolum de demonſtratione ſimpliciter vertit ſermonem.

9 Dices adhuc, quod dū Ariſtot. dixit *ex cauſis*, debuit ponere *ex proprijs*, id eſt, ex cauſis proprijs; quia quædam ſunt cauſæ mediatæ, & quædam immediatæ; quædam particulares, & quædam ſatis communes: ergo non omnis cauſa erit propria reſpectu effectus. Reſpondendum eſt ex doctrina Scoti, nimis vtili, ante ſolutionem argumentorū principalium ab ipſo adducta. Et in primis ad formalem rationem argumenti reſpondetur ab Scoto, non requiri poſitionem illius particulæ *ex proprijs*; quia eo ipſo, quod ponatur

&

Digitized by Google

& cauſis concluſionis in definitione demonſtrationis, ponitur non ſolum, quod ſit *cauſa*, ſed quod ſit *concludens*; & non poteſt percipi, quod ſit cauſa concludens aliquid de ſubiecto demonſtrationis, quin eſſe propriam cauſam percipiatur.

10 Deinde ad reliqua argumenti ex doctrina Scoti reſpondentes, dicimus cum ipſo, quod tametſi cauſa ſit mediata, poterit tamen eſſe propria, & vtilis ad concludendū aliquid de ſubiecto, dummodo ſit in eodem genere, & ratione reſpectu effectus demoſtrandi de illo; quia ſi cauſa ſit mediata, & in diverſo genere habeat meditationem, non poterit aliquid demonſtrari de ſubiecto, cum nil poſſit demonſtrari à deſcendente, & divagante à genere in genus, cum proxima, & directa applicatio ex diverſorum generum in connexione non poſſit expediri. Exemplo Scoti id omne exponitur: exemplificat id Scotus in hoc principio, *ſi ab æqualibus æqualia demas, ea quæ relinquuntur erunt æqualia*. Hoc principiū, etſi ad demonſtrādum effectum in Geometria ſit mediatum, poteſt tamen, poſita applicatione, alicuius concluſionis geometricæ eſſe cauſa, dum ſit ſic eiuſdem generis cum principio Geometriæ determinativo, quod cum ipſo, illud principium maneat ad effectum, appropriatum; v.g. ſi determinetur ad genus ſubiecti Geometriæ iſto modo: *ſi ab æqualibus lineis æqualia demas, illa, quæ relinquuntur &c.*

11 Ex quibus deducitur etiam iuxta expoſitionem Scoti, quod licet aliquando cauſa ſit communis in demonſtrandis, & aliquando ſit ſpecialis, tamen debet præcaveri, quod ſic cauſa debeat ſibi appropriari rationem cauſæ, ſicuti ſit ratio effectus demonſtrandi: vnde, etſi cauſa communis habeat vim demonſtrativam reſpectu alicuius concluſionis; non tamen immediaté eam habebit reſpectu omnis, vt potè reſpectu minus communis, & ſpecialioris, quouſque, ex altero ſpeciali determinativo ad illum effectum minus communem approprietur; quia vt rectè prævidit Scotus, *cauſa, vt communis eſt, non eſt cauſa effectus particularis appropriatè; ſed oportet, anteqnam cauſet, quod ad hunc effectum determinetur*; propter quod Ariſt. apud Scotum *q. 11. Poſt. dicit, quod demonſtratio non eſt ex cōmunibus, ſed ad determinatum genus appropriatum*, vt in Geometria exēplificavimus. Propter quæ Scotus, ſupra illam particulam *ex primis veris*, mentem Ariſtot. eviſcerans, ait, quod ly *ex primis* non debet ſic intelligi, vt aliqui, qui exiſtimabant, quod ſolum illa, quæ abſolutè intelligebantur prima, debebant eſſe demonſtrationis principia; non enim ſic debet intelligi; quia ſi ſic demonſtratio deberet eſſe ex primis ſimpliciter, & extra genus ſpeciale ſubiecti ſcibilis, non eſſet niſi vna demonſtratio, vel ſaltem, inquit Scotus, non eſſet niſi vna ſcientia. Itaque Ariſtot. intellexit, quod demonſtratio ſit ex primis in illo genere; & ſic, quod in diverſo genere ſciti, diverſa ſint principia; iuxta quorum diverſitatem, diverſæ erunt demonſtrationes, & ſcientiæ, ad quarū effectionem ſufficiet, quod principia in illo ſpeciali genere ſint prima, ſicuti de generitate ſuprema, & capitali vniuſcuiuſque prædicamenti philoſophatur. Sed de hoc videatur Scotus *in 1. Report. q. 2.* vbi, etſi breviter, ſubiectum ſcientiæ circunſtat.

QVÆSTIO II.

De medio ad potiſſimam demonſtrationem ſpecialiter requiſito.

12 TVnc aliquid demonſtratur à priori, quando de ſubiecto aliquid de per ſe concluditur: vnde dignoſcitur, quod ante concluſionem alicuius termini de ſubiecto, debeat aliqua prænoſci, necnon vt vera ſuppoſitiali is in firma, & quieta principia non daretur concluſionis reſolutio: propter quę D. Subtilis ait in *q. 13. Poſterior.* quod prima principia non ſunt nata cognoſci per cauſam, vt cōcluſio, quæ eſt nata cognoſci propter principia. Et vlterius in *q. 50.* refert ex Ariſtot. quod prima principia demonſtrari non poſſunt, quia demonſtrari non poteſt, quod præcognoſcitur ante demonſtrationem.

13 In demonſtratione igitur datur ſubiectum, datur terminus, & datur medium. Datur ſubiectum, quod eſt id, de quo aliquid demonſtratur, & de quo terminus concluſivè dicitur, ita vt ſubiectum, quod tale eſt in eſſendo, & tale ſit in concluſione intentionaliter, ſeu in prædicando. Datur terminus, qui eſt illa formalitas, quæ dicitur in concluſione de ſubiecto; qui terminus eſt paſſio, nec non eſt primus terminus reſpectu demonſtrationis, cum ſit primum, quod connotat ſubiectū, & in maiori dicatur de illius definitione. Sic Scotus *in 1. Prior. q. 2 §. quantum ad ſecundum*, & in *1. Poſter. q. 4.* Datur medium; quia cum concluſio termini de ſubiecto, ſit effectus ex aliquo deductus verè, & neceſſariò, medium debet dari *propter quod* verè de illo ſubiecto concludatur, & ex principiis quid-

quidditativis deducatúr, & de tali medio hinc inquiritur, quodnam ſit. Rationem dubitandi excitavit Scotús *in q. 56. Poſter.* propter aliquos, tam ex ipſis, quam ex Ariſtot. aſſerentibus, quod medium ad concludendum aliquid ſpecialiter de ſubiecto non erat definitio ſubiecti, ſed definitio termini concluſi de illo, vtpote paſsionis. Propter quod abundé examinat Scotus, an medium ſit definitio ſubiecti, an veró definitio paſsionis, quæ concluditur de ſubiecto? Circa quod

RESOLVTIO SCOTI PROponitur.

14 RESolvendum eſt, quod in *quæſt.* 56. per hæc verba reſolvitur ab Scoto: *Ad quæſtionem ergo dicitur aliter propter iſta, quod definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſſima, & non definitio paſsionis.* Prob. 1. ab Scoto: illud eſt principium in demonſtratione, quod eſt maximé cauſa; ſed definitio ſubiecti eſt maximé cauſa paſsionis, nec non eſt cauſa definitionis ipſius paſsionis: ergo definitio ſubiecti principium eſt, id eſt, eſt medium in demonſtratione. Maior eſt certa. Minor patet ex Ariſtot. in fine ſecundi huius, in illo textu: *Principium enim eſt, quod magis proximũ;* ſed ad concludendam paſsionem de ſubiecto, nil eſt iſti magis proximum, quam ipſius definitio: ergo.

45 Confirmat Scotus primam ſuam rationem ex Philoſopho apud ipſum Scotum ibidem. Et vt ſatis claré ex mente Philoſophi videatur confirmatio, percipe prius, quod vbi *A*, ibi eſt paſsio: vbi *B*, definitio paſsionis; vbi *C*, definitio ſubiecti: & ſic vbi *D*, ſubiectum, ſeu an eſſe ſubiecti &c. quod eſt vltimum in aſcenſu. Arguit ergo Scotus ex Ariſt. dicente, quod ſi aliqua paſsio debeat demonſtrari de ſubiecto, potius debet demonſtrari per *C*, quod eſt definitio ſubiecti, quam per *B*, quod eſt definitio paſsionis: cuius ſignat cauſam, quia *C*, quod eſt definitio ſubiecti eſt cauſa ipſius *A*, paſsionis, & etiam ipſius *B*, quod eſt paſsionis definitio: ergo tametſi aliquibus appareat, (ſed hoc infra videbitur) quod definitio paſsionis ſit immediata paſsioni, ſicuti *A*, eſt immediatum *B*, numquam iuxta Philoſophi cauſalem recté deducunt, quod potius definitio paſsionis, quam ſubiecti ſit in demonſtratione potiſsima medium.

16 Prob. 2 ab Scoto, & prædictum clarius confirmatur. Illud non eſt medium in potiſsima demonſtratione, quo cognito contingit quærere propter quid; ſed cognita paſſione de ſubiecto propter definitionem paſſionis, adhuc contingit quærere propter quid ineſt ſubiecto, cum ſic petat reſolvi in principia quidditativa ſubiecti definitio paſsionis, ac petat paſsio ipſa: ergo quia in potiſsima demonſtratione paſsionis definitio non eſt medium. Confirmatur id ipſum ab Scoto; quia definitio illius eſt medium in demonſtratione, ex cuius principijs cognoſcitur, *quid eſt paſsio, & quia eſt, nec non cauſatur*; ſed ex principijs ſubiecti *eſſe* paſsionis, & *quid* ipſius cauſantur, & reſolutione firma cognoſcuntur: ergo non *quid*, ſeu *definitio paſsionis*, ſed *quid*, ſeu *definitio ſubiecti* eſt medium in demonſtratione.

17 Prob. 3. ab Scoto ex eo, quod demonſtratio ſit ex neceſſarijs; ſed ſyllogiſmus, in quo concluditur paſsio de ſubiecto per ſubiecti definitionem, eſt ex neceſſarijs: ergo talis ſyllogiſmus erit demonſtrativus. Id ipſum ſub bonitatis expreſsione dilematizat Scotus ſic: ſyllogiſmus, in quo concluditur paſsio de ſubiecto per eius definitionem eſt bonus: ergo vel eſt dialecticus, vel demonſtrativus? Non dialecticus; quia iſte non eſt ex neceſſarijs, ſed ex probabilibus: ergo eſt demonſtrativus.

18 Prob. vltimo ab Scoto, & vt eius rationem recté percipias, debes ſcire, quod ſecundum Ariſtot. & Porphyrium, ab ipſo in *quæſt. 31. 32. & 35. Vniverſal.* expoſitos, hoc nomen *accidens*, eſt quid commune proprio, & accidenti, ita vt ſignificet conceptum prædicati non eſſentialis; quo pacto, etiam proprium dicitur, vt accidens, prout in ſpecialibus horum duorum prædicabil. qq. manet à me combinatum. His ita, ſic nunc Scotus cum Ariſt. illud, quod demonſtratur eſt accidens, & non commune, quia iſtud, prius, & immediatius conſequitur ſingulare, & accidens, quod demonſtratur, debet primó conſequi ſubiectum vniverſale; quia apud Ariſtot. principium demonſtrationis debet eſſe vniverſale; ſicque vniverſale debebit eſſe ſubiectum: ergo accidens, quod demõſtratur, ſequitur, quod non ſit commune: ergo accidens, quod demonſtratur, erit proprium; ſed accidens proprium cauſatur à principijs ſpeciei: ergo & eius notia cauſabitur à notitia principiorum ſpeciei: nunc ſic; principia ſpeciei per definitionem ſpeciei, ſive ſubiecti exprimuntur: ergo notitia paſsionis eſt per notitiam definitionis ſpeciei, quæ eſt ſubiectum; ac proinde definitio ſubiecti in demonſtratione potiſsima erit medium.

Digitized by Google

19 Dices, principalium rationum vim reijcere intendens, quod demonſtratio debet eſſe ex immediatis; ſed ſi definitio ſubiecti eſſet medium in demonſtratione, minor non eſſet immediata, ſed mediata, quia paſsio immediaté ineſt propriæ definitioni, & propria definitione mediante ineſt definitioni ſubiecti: ergo mediaté ineſt definitioni ſubiecti; ac proinde minor erit mediata, cum in ipſa, definitio ſubiecti prædicetur de ſubiecto, & reſpectu paſsionis concludendæ de ſubiecto, immediatius inſit ipſius paſsionis definitio, quæ in minori, de ſubiecto debebat prædicari, vt ſic, immediata foret minor. Hæc ratio claré eſt formata; ſed quia forté à tyronibus non percipietur abſque praxi, eam exhibebimus. Itaque dicimus, quod paſsio immediaté concluditur de ſubiecto per eius definitionem, eo quod ſit immediata hæc concluſio, *homo eſt riſibilis, quia homo eſt animal rationale*; ſicque minor eſt immediata, v. g. omne animal rationale eſt riſibile; *omnis homo eſt animal rationale*: ergo omnis homo eſt riſibilis: vbi ad cõcludendum terminum riſibilem de ſubiecto, minor eſt illi immediata. Contrarij veró dicunt, non eſſe immediatam, quia homo eſt riſibilis propter riſibilitatis definitionem, & ſic, quod inter riſibile, & ſubiectum, de quo eſt concludenda riſibilitas, mediat riſibilitatis definitio, v.g. omne principium formaliter effectivum riſus (pone quamcumque aliam expreſsionem) eſt riſibile; ſed *homo eſt principium formaliter &c.* ergo homo eſt riſibilis.

20 Prædicta contrariorum ratio præmeditatur ab Scoto, & in eam nervosé inſtat, probans ex ipſa ratione oppoſita, quod definitio paſsionis non ſit medium in demonſtratione; quod ſic probat: ſi definitio paſsionis eſſet medium, tunc minor eſſet mediata: ergo.. Prob. anteced. quia in tali demonſtratione prædicaretur definitio paſsionis de ſubiecto; ſed definitio paſsionis immediatius ineſt definitioni ſubiecti, quam ſubiecto; ſicuti & paſsio per ſe immediatius ineſt propriæ definitioni, quam definitioni ſubiecti: ergo ea ratione, qua tu ponis, quod definitio ſubiecti non eſt medium in demonſtratione, quia tunc minor eſſet mediata, eadem ratione arguitur tibi, quod definitio paſsionis non eſt medium in demonſtratione, quia minor eſſet mediata. Id percipe ſub alia expreſsione ſic: ſicuti paſsioni nil eſt immediatius, quam paſsionis definitio, ſic ſubiecto nil eſt immediatius, quam ſubiecti definitio: ergo ſicuti inter paſsionem, & ſubiectum mediat definitio paſsionis, ſic dicitur tibi, quod inter ſubiectum, & paſsionem mediat definitio ſubiecti.

21 Deinde reſpondet Scotus dicendo, quod ratio illorum non ligat, quia non ſequitur, quod minor eſſet mediata, ſi definitio ſubiecti eſſet medium. Non ligat, quia tam paſsio, quam definitio paſsionis inſunt ſubiecto. Itaque dicimus, quod in demonſtrandis, definitio ſubiecti non poteſt tollere immediationem vlli termino, etſi ipſius definitio mediare videatur; quia ſi aliquid potiſsimé demonſtretur, debet ſic concludere terminum de ſubiecto, quod medium, ſic talis termini faciat notitiam ſimpliciter, quod ipſum medium, neque in eſſe, neque in cognitione ab alio dependeat; quare cum ſic definitio ſubiecti ſit medium, quod nullum aliud medium huiuſmodi conditionis mediare poſsit inter ipſam, & paſsionem, inde eſt, quod in hoc modo potiſsimo immediata ſit, ita vt definitio paſsionis talem immediationem non tollat, cum poſita ipſa definitione paſsionis, ſic contingat quærere *propter quid*, ac contingat poſita paſsione ipſa. Eſt enim ſic primum verum definitio ſubiecti, ſicuti Deus eſt primum efficiens: vnde ſicuti quacumque mediatione in effectibus intellecta, ſemper Deus eſt cuicumque immediatius in efficiendo; ſic etiam propter quid ſubiecti eſt immediatum in verificando. Dixit itaque Scotus, quod tam paſsio, quam eius definitio inſunt ſubiecto: in quo eſt nimis notandum, quod tam paſsio, quam eius definitio inſint ſubiecto immediatione ſubiecti; *ſed definitioni ſubiecti, tam paſsio, quam eius definitio inſunt immediatione cauſæ*: de quo ſtatim.

22 Inſtabis rationem reiectam, dicens: paſsio immediaté ineſt ſubiecto, & etiam definitioni ſubiecti? ergo nulla eſt ratio, quare paſsio magis demonſtretur de ſubiecto propter definitionem ſubiecti, quam quod propter ſubiectum demonſtretur ſubiecti definitio. Reſpõdet Scotus, quod licet paſsio immediaté inſit diffinitioni ſubiecti, & ipſi definito; ſẽper tamen eſſe maiorem rationem, quare demonſtretur de ſubiecto propter definitionem ſubiecti, quam é contra. Dat rationem; quia paſsio ineſt definitioni ſubiecti immediatione cauſæ; ſubiecto veró, etſi inſit immediationi ſubiecti, non autem immediatione cauſæ: ex quo alia eſt cauſa, & ratio immediationis, vt ſtatim exponetur amplius.

23 Inſtas: definitio, & definitum ſunt

ca-

Digitized by Google

eadem realiter : ergo ſi paſsio inſit ſubiecto tanquam proprio ſuſceptivo, & tamquam eidem ineſſe habebit definitioni. Reſpondet Scotus, non poſſe negari, quod definitio, & definitum ſint eadem realiter; verumtamen nec poſſe negari, quod ſint diverſa ſecundum rationem; quia definitio explicité exprimit cauſam, quæ in definito includitur implicité: vnde dicit Scotus, quod definitio habet rationem cauſæ magis, & expreſsius, quam ſubiectum habeat rationem ſuſceptivi. Itaque, etſi non poſsit negari, quod illud, quod per definitionem ſuúm eſſe ſignificat, ſit ſubiectum paſsionis; ſpecialius tamen dicitur habere rationem cauſæ; quia principia paſsionis, quę ſunt eadem principia illius ſubiecti, exprimit definitio; paſsio enim à principijs ſubiecti cauſatur, & illa principia ſpecialiter exprimuntur per definitionem.

24 Ex quibus congrué reſpondet deinde Scotus ad illud Ariſtot. in 8 *Topic.* vbi intendere videtur, quod ſit petitio, dum arguitur à definitione: ſatisfacit ergo Scotus dicendo, dari petionem, ſemper & quando arguitur à definitione, ſi ita ſit, quod prædicatum notius inſit definito, quam definitioni; tunc enim eſt petitio, quia arguitur per definitionem, vlterius per aliud, vipoté per definitum, exprimendam; quare tunc in definitione ponitur medium, quod nõ eſt expreſſum, ſed petitum. At autem, dum propria paſsio, & ſimiliter quodlibet prædicatum eſſentiale, prius, & notius inſit definitioni, quam definito, & ſic concludatur paſsio de ſubiecto propter definitionem ſubiecti, non erit petitio. Etſi enim definitio, & ſubiectum ſint realiter eadem, ſufficiet tamen, vt paſsio demõſtretur de ſubiecto per definitioné ipſius, quod formalitati definitionis, notius inſit; quod & ſufficiet ad illos diſtinctos conceptus ſubiecti, & cauſæ. Fateor, hæc eſſe difficilia, veluti omniũ ſcientiarum radicalia fundamenta; quare adhuc ea ſub maiori intentione attingam, & Scoti ſubtilem ſolutionem adducam.

25 Inſtat ergo Scotus contra principaliter dicta; quia in primis videtur manere conceſſum, quod definitio ſubiecti, & ſubiectum ſit vna, & eadem res; quo conceſſo, difficilé extat ſemper, quod definitio, vt notior, prodeſſe poſsit demonſtrationi, & quod ſimiliter non poſsit prodeſſe ſubiectum. Quod definitio, & ſubiectum ſint vna, & eadem res, & ſic, quod paſsio concludatur de vna, & eadem re, ſic expreſsius formalizat Scotus: in demõſtratione, in maiori paſsio prædicatur de definitione ſubiecti, & in concluſione prædicatur de ſubiecto; ſed definitio ſubiecti, & ſubiectum ſunt vna, & eadem res: ergo concluditur, quod quia paſsio verificatur de hac re (puta de definitione) erit & vera de eadem re; (puta de ſubiecto) ac per conſequens non vitatur petitio. Hoc ſic conceſſo, vt ſupra, non videtur ſufficere ſuperior ratio, videlicet, quod etſi definitio, & definitum ſint eadem, tamen definitio eſt notior, & ex cauſa innoteſcendi ſecundum Ariſtot. Prob. quod id non ſufficiat ab Scoto, quia definitio, & definitum ſunt vna res, vt conceſſum eſt; ſed paſsio demonſtratur de re ratione rei, & non ratione alicuius intentionis: ergo paſsionem demonſtrari de definito ex eo, quod inſit definitioni, ſemper arguit petitionem.

26 Antequam hanc vltimam Scoti ſubtilem inſtantiam diſſolvamus, opportet ipſam exponere. Debes igitur ſcire, quod hæc nomina *cauſa*, *definitio*, *ſubiectum* &c. ſunt nomina ſecundæ intentionis, prout paſsim quod apud Scotum expoſuimus in lib. 1. & 4. quare illa ratio cauſæ, per quã principia ſubiecti ſunt contracta in demonſtratione, dicitur ab Scoto intentio: vnde Scotus format inſtantiam ex eo, quod conceſſum ſit, definitionem, & ſubiectum eſſe vnam, & eamdem rem; & deinde paſsio debeat demonſtrari de re ratione rei, & non ratione intentionis, quæ rei videtur accidere: ergo paſsio prout demonſtrari debet, demonſtrabitur de re ratione rei, & ſic erit petitio medij, cum illud eſſe notius, ex quo medium, nempé definitio, eſt cauſa, ſit intentionale, & tali intentionali ablato, non dabitur ex quo per definitionem demonſtretur paſsio de ſubiecto, potius, quam é contra. His ita.

27 Reſpondendum eſt cum ipſo Doctore Subtili dicendo, quod licet demonſtratio non ſit per medium intentionale, ſed reale; tamen combinari poreſt, quod definitio ſubiecti poſsit eſſe medium in demonſtratione, demonſtrando paſsionem de ſubiecto propter aliquam intentionem ſecundam additam. Itaque dicimus, quod nec abſolnté debet eſſe medium *res*, quia ſic, cum vna ſit, inſtantia concludit petitionem: nec abſoluté debet eſſe intentio; quia ſic, inſtantia concludit inſufficientiam neceſſariorum; ſed debet paſsio demonſtrari, nec propter rem abſoluté, nec propter intentionem; ſed propter rem intentionalizatam, ſeu propter intentionem cauſæ, additam rei. Et hoc pacto, inquit Scotus, paſsio demonſtratur propter definitionem, quia rem ſubiecti exprimit explicité,

Digitized by Google

& contractè, quæ eadem rés ſubiecti, modo confuſo ſignificatur per ſubiectum, ideoque non eſt petitio, quia arguitur per notitiam diſtinctam naturæ alicuius, quod in ſe eſt confuſum, & ita arguitur per notius. Vbi nota, quod rei, prout confuſe, additur intentio ſubiecti, & ipſius entitati, prout notiori, additur intentio definitionis, & cauſæ. Nunc autem ſi cupias, qualiter vna res poſsit eſſe confuſa, & clara, plura cupies. Dico tamen, quod cum conceptus rationis, & intelligentiæ ſint facillimæ elevationis, abſque rei contradictione poterit conceptus clarus, & minus clarus excitari; ad hoc enim fortè ſufficit, quod res ſit intelligibilis per modum vnius abſque diſcretione principiorum, & quod ſic ſit intelligibilis, quod percipiatur ſub duplici formalitate, & diſcernendo principia, ita vt ipſa res poſsit clarius ſub vno conceptu, quam ſub alio explicari. *Dum enim explicamus rem, ſcimus quod explicamus, & quod ipſam explicamus.*

28 His ſic expoſitis in reſolutionis corroborationem, reſtat aliqua ſolvere argumenta, vt completè tota quæſtio maneat propugnata. Primum argumentum opponitur ex Ariſtot. apud Scotum ſupra, tenente, quod definitio primi termini eſt medium in demonſtratione: arguitur ſic; primus terminus in demõſtratione eſt id, quod maximè prædicatur; ſed id quod maximè prædicatur eſt paſsio: ergo hæc erit primus terminus, ac per conſequens eius definitio erit medium in demonſtratione. Confirmatur exemplo Ariſt. dicentis, *quod folia fluere de vite* demonſtratur per hoc medium, *ſuccum condenſari in contactu foliorum ad ramos*; ſed hoc medium eſt definitio paſsionis: ergo.

29 Reſpondet Scotus, & facilè diſſolvit argumentum dicens, ſolum concludere, quod definitio paſsionis ſit medium in demonſtratione, quod conceditur, & patet ex ipſo proceſſu Ariſt. tenentis, quod ratio (puta definitio) primi termini eſt medium in aliqua demonſtratione; ſed non conceditur, quod ſit medium in demonſtratione potiſsima. Itaque dicimus, quod non magis repugnat, quod quidditas ſubiecti ſit demonſtrabilis, quã quod ratio, ſeu conceptus paſsionis ſit demonſtrationis medium: quare ſicutidum conceditur, quod quidditas ſubiecti ſit demonſtrabilis, non conceditur eſſe demonſtrabile in demonſtratione potiſsima; ſic dum conceditur, quod ratio paſsionis ſit demonſtrationis medium, non conceditur eſſe demonſtrativam in potiſsima demonſtratione. Ad illud de primo termino, in ſolutione inferiori dicetur.

30 Dicet fortè aliquis, quod ſaltim immediatius demonſtrabile erit definitio paſsionis; quia ſicuti ex parte principiorum demonſtrantium, medium immediatius erat definitio ſubiecti, ſic ex parte terminorum demonſtrabilium, immediatius demonſtrabile erit definitio paſsionis. Reſponderi poteſt, nil repugnare, quod id concedatur; parum enim inconvenire videtur, quod de ſubiecto potius quam paſsio, demonſtretur paſsionis definitio. Deinde poteſt dici, quod etſi notior ſit definitio paſsionis, quam paſsio, tamen in demonſtrabilibus id non attenditur, cum medium demonſtrativum ſic notabiliter, & clarè evilceret terminum, quem concludit de ſubiecto, quod ſive ipſe ſit notior, ſive non, æquè tamen notum relinquat, & informet.

31 Secundum argumentum formatur ſic: demonſtratio eſt ex primis, prout ſupra in *quæſt.* 1. expoſuimus; ſed ſi ad concludendam paſsionem de ſubiecto ſumatur pro medio definitio ſubiecti, demonſtratio non erit ex primis: ergo definitio ſubiecti non eſt medium in demonſtratione. Minor patet; quia ſubiectum, vltimum eſt in demonſtratione. Vt tam argumentum, quam Scoti ſolutionem percipias, debes notare ex ipſo, quod paſsio ſub vna conſideratione dici poteſt primus terminus, etſi ſub alia debeat dici vltimus. Paſsio enim poteſt conſiderari ſecundum ordinem prædicatorum, ſecundum quem ordinem prædicandi, inquit Scotus, illud dicitur prius, quod eſt *probabilius*, & ſic (nota illum terminum *probabilius*, quia ibi non ſumitur probabile pro opinabili, ſeu pro contrapoſito ad id, quod eſt certum; nam hoc modo, nec paſsio eſt probabilis, nec ſubiecto eſt probabilior. Sumitur ergo probabile pro eo, quod probari, & concludi poteſt de aliquo; quo pacto paſsio probabilior eſt reſpectu ſubiecti, cum à priori probetur) paſsio eſt primus terminus, eo quod paſsio primò, & à priori prædicetur in demonſtratione, quin vnquam ſubijciatur. Si verò paſsio conſideretur ſecundum ordinem naturæ, ſic paſsio erit vltimus terminus, cum paſsio ſecundum naturam ſit ſubiecto poſterior, & etiam ſubiecti principijs; quia paſsio ſubiectum conſequitur ratione principiorum ſubiecti.

32 Reſpondet nunc Scotus argumento, concedens, quod demonſtratio ſit ex primis, hoc eſt, ex præmiſsis per ſe notis; quæ tales ſũt, dum in maiori paſsio eſt prædicatum, & definitio ſubiecti ſubiectum. Quod autem quantũ ad

ad hoc, ſubiectum non ſit primum, non eſt inconveniens, inquit Scotus, & meritó, quia ſic potius inconveniret primitas in ſubiecto, cũ deficeret primitas in demonſtratione. Hæc ſufficiant; ſed vt ea clarius, & radicitus percipias, vide dicta in *lib. 2. diſt. 2. q. 5.* in fine, vbi pro demonſtrandis, vtilis doctrina eviſceratur. Vide etiam dicta ibidem in 3 *praamb.*

QVÆSTIO III.

An per omnes cauſas valeat demonſtrari?

33 RElinquimus ſtabilitum potiſsimæ demonſtrationis medium, & nunc inquirimus, an in omnibus cauſis poſsit inveniri medium, propter quod omnes earum effectus valeant demonſtrari, & ita, quod perfecté, vtpoté per cauſam, demonſtrabiles dicantur? Circa quod

34 Reſolvendũ eſt, poſſe effectũ per quodlibet genus cauſæ demonſtrari. Ita literaliter Scotus in *q. 57. Poſter.* vbi abundé quæſitum examinat, & reſolvit. Prob. 1. ab Scoto ex Ariſt. in primo cap. huius, vbi ait: *ſcire autem opinamur vnumquodque, cum cauſam rei cognoſcimus: & quoniam illius eſt cauſa &c.* Sed rei quatuor genera cauſarum cognoſcimus: ergo per quodcumque earum genus rem ſcire, ac proinde demonſtrare, opinari valemus. Secundo, quia cauſa, & medium, vel ſunt eadem, vel neceſſarió connexa; ſed valet demonſtrare per quodlibet medium demonſtrationis: ergo & per quodlibet genus cauſæ

35 Tertio, id cum ipſo Ariſtot literaliter habito, inductivé probat Scotus. Et in primis contingit demonſtrare per cauſam materialẽ, v.g. oſtendendo, quod cõpoſitum ſit corruptibile, quia habet materiam. En: *quidquid habet materiam eſt corruptibile*; ſed *compoſitum phyſicum habet materiam*: ergo *compoſitum phyſicum eſt corruptibile.* Sic ſimiliter per Scotum: *omne medium duorum angulorum rectorum eſt angulus rectus*; ſed *angulus triãguli conſtituti intra diametrum circuli eſt medium duorum angulorum rectorum*: ergo *eſt angulus rectus*: vbi quodam modo demonſtratur etiam per cauſam materialem, ſicuti ſenſit expoſitor, eo quod arguatur à partibus ad totum, & partes, materialia ſint reſpectu totius. Arguitur etiam quodam modo per cauſam formalem, cum arguatur per definitionem paſsionis, & per definitionem anguli recti, qui eſt medium duorum angulorum. Tum etiam reſpectu cauſæ formalis, communiter percipitur reſolutio, cum ipſa ſpecificet totum, reſolvens, & determinans materiam ad totius ſpeciales paſsiones; nec non continens vim converſivã medij, quæ ſemper eſt illationi vtilior.

36 Contingit etiam demonſtrare per cauſam efficientem, ſicuti declarat Philoſophus: Athenienſes debellandi ſunt à Medis, quia cõmiſerunt bellũ in Sardenſes, qui fuerunt ſubiecti regi Medorum: vbi arguitur per cauſam efficientem. En: *qui commiſerunt bellum in ſubiectos regi Medorum, debellandi ſunt*; *ſed in Sardenſes Regi medorum ſubiectos, Athenienſes commiſerunt bellum: ergo Athenienſes debellandi ſunt.* Sed licet præfatum exẽplar poſsit prodeſſe, vt formalitatem reſolutionis innuat; expreſsius veró, & vrgentius id convincit aliud Scoti exemplar de ædificante, formandũ infra. Et etiam in pluribus alijs efficientibus medium aptiſsimé invenitur; vt patet in intellectu effectum immanẽtem vitalitatis de eius intellectionibus probante; & ſic de pluribus alijs efficientibus tranſeunter operantibus eſt ſatis tritum.

37 Tandem de cauſa finali ſuadetur etiã ab Scoto, vt ſi arguatur, bonum eſſe deambulare poſt cenam, quia eſt ſanativum. En: *omne ſanativum eſt bonum*; *ſed deambulare poſt cenam eſt ſanativum: ergo deambulare poſt cenam eſt bonum.* Tum etiam id confirmari poteſt ex Ariſt. 5 *.Metaph.* vbi, apud Scotum *q. 16. Poſter.* ait, quod cauſa finalis maximé eſt cauſa, eſt enim cauſa cauſarum. Quare apud Scotum in eadem *q. 16 prope finem*, videtur dici, quod definitio formalis, & finalis prædicantur de definito: ex quibus infertur, quanta ſit finis elevatio, ſiquidem cũ principijs quidditativis ſubiecti videtur affinis, ipſum ſubiectum ex converſione prædicatorum ſatis ſpecialiter inducens. En: *quod eſt effectũ ad videndum Deum eſt rationale*; *ſed talis eſt homo: ergo.* Sed melius ſic: *omne genitum, vt Deo fruatur, eſt viſibile*; *ſed homo eſt genitus, vt Deo fruatur: ergo homo eſt viſibilis.* Hæc demonſtratio perfectius prodeſt, cum probet paſsionem de ſubiecto propter mediũ, cuius differentia eſt finis, etſi ex alia parte, vtpoté propter Angelos, ſit *generatio differentia*; ſed quolibet modo finis eſt circa paſsionem, veluti principium, quidditativis ſinonomum.

38 Obic. 1. contra cauſam materialem triplici ratione. Prima: medium in demonſtratione debet eſſe neceſſarium reſpectu paſſionis demonſtrandæ; ſed cauſa materialis non

eſt

eſt neceſſaria; quia ſecundũ Ariſtot. apud Scotum 57. materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe: ergo in cauſa materiali non adeſt mediũ ad demonſtrationem. Secunda, illud eſt medium in demonſtratione, à quo egreditur paſsio; ſed paſsio egreditur à compoſito ratione formæ, & non ratione materiæ: ergo. Tertia, illud, quod eſt concluſio, nõ poteſt eſſe medium in demonſtratione; ſed cauſa materialis eſt concluſa per cauſam formalem in demonſtratione; quia ſecundum Ariſtot. apud Scotum ibidem, definitio materialis demonſtratur per formalem: ergo. Maior, explicatione ſuadetur; quia quod in demonſtratione concluditur de ſubiecto, ſupponit medium, propter quod concluditur de ſubiecto, & ſic, quod concluditur eſt mediatum; ſed medium in demonſtratione debet eſſe immedatum: ergo quod eſt concluſio non poteſt eſſe medium.

39 Reſpondet Scotus his omnibus. Ad primum reſpondet concedendo maiorem, & pro reſponſione minoris, & textus corroborantis, duplicem materiam diſtinguit; materiam ſcilicet pertinentem ad individuum, & materiam pertinentem ad ſpeciem. Materia pertinens ad individuum non eſt medium in demonſtratione; ſin autem materia pertinens ad ſpeciem, ſed hæc eſt neceſſaria. Quomodo enim incorruptibili, & ſic alijs contingenter ſtantibus adſit medium ad demoſtrationem neceſſarium ſub hac Scoti diſtinctione, ſubtiliter exponitur ab ipſo in 1. *Poſter. q.* 10. de quo adhuc. Ad ſecundum reſpondet dicendo ad minorem, verum eſſe, paſsionem proprijſsimé dictam, vtpoté compoſiti ſpecificativam, cognoſci in compoſito ratione formæ; ſed tamen etſi non ſic proprijſsimé, etiam aliqua paſsio poteſt cognoſci ratione materiæ: ex quo ſolum videtur poſſe inferri, quod ad demonſtrandum aliquid ſpecialiter, & proprijſsimé potius proficiat forma, quam materia; quod libenter concedam. Ad tertium reſpõdet Scotus diſtinctione, aiens, quod idem reſpectu diverſorum poteſt eſſe prius, & poſterius; perfectum, & minus perfectũ; & ſic mediatum, & immediatum: quare, etſi definitio materialis poſsit demonſtrari per formalem, reſpectu cuius eſſet poſterior, & mediata ratione cauſę, quia non ita prima, nec perfecta, tamen reſpectu alicuius paſsionis poteſt materialis cauſa eſſe perfecta, immediata, & prima. Sic apud aliquos eſſentia ſubiecti non eſt omnium paſſionum cauſa immediata, nec medium immediatum; quia plures paſsiones ab alijs paſsionibus immediatius dimanant. Ita noviſsimé hoc defenſat noſter Groſſo Diſſert. 20. elucid. 1.

40 Objic. 2. contra cauſam formalem: cauſa formalis indicat totum eſſe rei: ergo arguendo per cauſam formalem ad iſtam rem, cuius eſt forma, arguetur ab eodem ad idem; ac per conſequens petetur principium. Reſpondet Scotus ad antecedens, negando, quod cauſa formalis ſit totum eſſe rei, etſi ſit verũ, quod ſit perfectio totius eſſe, quod longé abeſt, vt patet in homine, cuius totum eſſe nõ eſt rationale, etſi eius totum ſpecificativum, & perficiens rationale ſit. Itaque *quodquid* in ſe non ſolum includit formam, ſed formam, & materiam; non quamcumque, vt diximus, ſed materiam pertinentem ad ſpeciem.

41 Obijc 3 contra cauſam efficientem, duplici medio. Primum; medium in demonſtratione debet eſſe illud, quo poſito ponatur effectus, & quo remoto effectus removeatur; ſed poſita cauſa efficienti poteſt effectus non poni: v.g poſito ædificatore, non eſt neceſſarium domum eſſe: ergo cauſa efficiens non prodeſt, vt ſit medium in demonſtratione. Secundum; illa cauſa, quæ eſt intrinſeca debet ſolum eſſe medium in demonſtratione; demonſtratio enim eſt ex proprijs, & propria ſunt intrinſeca; ſed cauſa efficiens non eſt intrinſeca: ergo cauſa efficiens non debet eſſe medium in demonſtratione.

42 Reſpondet Scotus concedendo maiorem, & negando minorem. Et ad probationem per exemplar minori annexum reſpondet, quod ædificator non eſt cauſa domus, ſed eſt cauſa fieri potentialis, & domus in potentia: ideoque non ſequitur, *ædificator eſt: ergo domus eſt*; quia ædificator non eſt cauſa eſſe domus, nec fieri actualiter, ſed fieri potentialiter. Sequitur itaque, *ædificans eſt: ergo domus fit*; non veró adhuc ſic ſequitur, *ergo domus eſt*. Efficiẽs enim eſt cauſa fieri, reſpectu cuius, medium erit neceſſarió connexum, vt fieri valeat demonſtrari, quia per ipſum, veluti per cauſã. Etſi hinc velis ſubſiſtere dicendo, quod etiam res in facto eſſe habet cauſæ rationem; dicam, (ſecundum Scoti doctrinam *in 4. d. 13. q. 1. §. ad ſolutionem huius. verſ. ex dictis patet æquivocatio. Et §. ad argumenta. verſ. ad quintum principale &c.* videndum, & eviſcerandum in *Diſt. de cauſa efficienti*) quod cauſa ſecundum talem cauſæ rationem, aliter conſtituatur, cum talis dicatur per rationem, poſito effectu, & principio reſultantem, iuxta illud Scoti dicentis, quod relatio Patris fundatur ſupra genuiſſe. Itaque dico, quod etiam in illo ſenſu poterit dari medium,

&

& neceſſarium, cum relatio intrinſecus, principium, & terminum neceſſarió requirat.

43 Deinde ad ſecundum medium reſpõdet Scotus, dicens maiorem non eſſe vniverſaliter veram; quia non ſemper oportet, quod medium in demõſtratione ſit intrinſecum rei; poteſt enim medium eſſe cauſa extrinſeca. Qua propter eſt cum Scoto notandum, quod quædam ſunt cauſæ eſſe rei, & quædam ſunt cauſæ fieri. *Forma, & materia ſunt cauſa eſſe rei; finis veró, & efficiens ſunt cauſæ fieri rei:* vnde ſicuti materialis, & formalis concludunt neceſſarió eſſe rei, ita fieri rei finalis, & efficiẽs neceſſarió demõſtrant. Infer itaque, quod duæ cauſæ vltimæ ſunt cauſę extrinſecæ, per quas patet, non eſſe neceſſarium, quod mediũ in demoſtratione ſit cauſa intrinſeca rei. Denique ad illam cauſalem in maiori poſitam, reſpondet Scotus, verum eſſe demonſtrationem eſſe ex proprijs; falſum veró, quod intrinſeca debeant eſſe rei, quæ ſunt propria: ibi enim proprium ſufficiens ad medium in demonſtrandis, accipi poteſt pro peculiari, ita vt ſit proprium, quod peculiare: quod deduci videtur ex demonſtratione *quia*, vbi medium eſt peculiare ad inducendam eſſentiam, & eſt peculiare, quia proprium, non quia intrinſecum. Sic pariter diſcurre, cum hac differentia, quod in illis cauſis, proprium eſt cauſans.

44 Obijc. 4. contra cauſam finalem: medium in demonſtratione debet eſſe prius effectu: ſed cauſa finalis non eſt prior, ſed poſterior effectu: ergo non poteſt eſſe medium in demonſtratione. Huic argumento ſub inſtantiarum pondere reſpondet noſter Antonius Groſſo, vbi ſupra, & præcipué ex eo, quod licet medium ſit cauſa efficiens finis, tamen finis eſt cauſa finalis medij: ergo ſicuti medium poteſt tanquam cauſa efficiens aliquid demonſtrare de fine, ſic ſimiliter finis tanquam cauſa finalis aliquid poterit demonſtrare de medio: ergo licet finis ſit effectus medij, poteſt, vt cauſa medij, aliquid demonſtrare de medio, ſicuti, & é contra; ſed quod demonſtrat, vt cauſa, à priori demonſtrat: ergo de medio à priori demonſtrat finis. Præfata ratio, optima videtur, vtpoté prout ab Scoto in *q. 57.* præventa, vbi in initio quæſtionis ait, *quod cauſa finalis eſt prior effectu ſecundum intentionem, licet ſit poſterior in executione, & hoc ſufficit.* Sed inſtat Scotus ſic: cauſa realiter debet præcedere effectũ: ergo non ſufficit, quod cauſa finalis ſit prior intentione ad hoc, quod ſit cauſa, & medium, ſed oportet, quod ſit prior in executione. Tum etiam contra id inſtat illa ratio Scoti ex *q. 56.* in quæſt. antecedenti expoſita, vbi docebat, quod paſsio demonſtratur de re ratione rei, & non ratione alicuius intentionis: ergo.

45 Reſpondet ſubtiliter Scotus, vt ſemper, & firmus in prima ſolutione ſupra poſita, dicit ad inſtantiam, nõ oportere, quod cauſa realiter præcedat effectum, ſed ſufficere, quod *res* præcedat effectum in intentione; ita, vt intentio finis non ſit cauſa reſpectu effectus, ſed talis cauſa ſit res ipſius finis ſub intentione; quod ſufficit ad hoc, vt effectum veré, & demonſtrativé cauſet. Hæc Scotus, quæ exacté, ni fallor, manent expoſita in *quæſt. anteced. §. inſtat ergo Scotus contra principaliter dicta &c.* Dico tamen, hinc per talem ſolutionem Scotum præveniſſe, quod ſubiectum demonſtrationis, cum debeat eſſe res, iuxta expoſita in 1. *quæſt.* ſic debet diſcurri, quod & medium ad demonſtrandum aliquid de ſubiecto debeat eſſe res, & verum ens: vnde Scotus in medio finalis cauſæ ſalvat realitatem medij, etſi ex contractione ad finem non poſſit aufugere intentionalitatem; ſicque reſolvit, quod purum intentionale non ſit medium; ſic enim ſimpliciter extranearetur ſubiecto ad demonſtrationem requiſito: reſolvit ſimiliter, quod medium non ſit res realiter precedens effectum; quia ſic extranearetur cauſæ finali; quare vtrumque componens ait, quod detur realitas in medio, tametſi ſub intentionalitatis contractione. Neque id extraneari debetur, cum ſic communiter diſcurrant Logici de natura vniverſali, de qua demonſtrant paſſiones, & circa ipſam componunt, quod natura ſit res, & cum ipſa realitate naturæ componunt intentionalitatem, ſub qua communicetur; quia etſi adſit realitas, etiam adeſt abſtractio; & ſic, licet natura realis communicetur poſitivé, non tamen realiter, ſed intentionaliter. A ſimili ergo eſt percipiendus hinc Subtilis Doctor.

46 Dubitab. pro quæſtionis complemento, an demonſtrationes formatæ per prædicta quatuor genera cauſarum ſint potiſsimæ? Huic dubitationi iuxta doctrinã Scoti ex tot locis examinatam reſpondentes, debet dici, quod per quatuor cauſarum genera poſſunt fieri demonſtrationes, quæ dici valeant à priori, vtpoté per cauſas; quo pacto poterunt dici potiſsimæ, prout contrapoſitæ demonſtrationibus *quia*; at autem, ſi potiſsimũ ſumatur pro primis, & immediatis eorũ, quæ ab intrinſeco, & quidditativé rei conveniunt, omnes præfatæ demonſtrationes non debent dici potiſsimæ: tum, quia, vt dicebat

Sco-

Scotus , aliquæ prædictarum cauſarum ſunt extrinſecæ: tum, quia, vt etiam notabat ipſe, aliquæ convincunt ex peculiaribus,quia convincunt ex proprijs ; non veró ex eo quodquid , nec non definitio materialis eſt demonſtrabilis per formalem : tum denique, quia ſi potiſsimæ dici valeant , id orietur ex conſonantia , & affinitate , quam habent cum potiſsimis ſtricté , & eſſentialiter : potiſsimé enim requiſitum ad demonſtrandum ſiſtit inconvertentia , & connexione medij cum demonſtrando;quæ convertentia ſtricté , ſolum invenitur in quidditativis metaphyſicis ; quare ſi reliquæ cauſæ vi aliqua demonſtrent, orietur ex ſimilitudine appropriata in convertentia , ita vt prima , & radicalis menſura ſit ſemper definitio formalis , & quidditativa ſubiecti,cui reliqua conſona,veluti participaté demonſtrant. Præfata, præcipué videntur intelligenda de cauſis extrinſecis ; quia cauſa materialis , & formalis , cum conſtituant intrinſecé totum,ad potiſsimam illam demonſtrationem poſſe confluere videtur. Et licet cauſa finalis v. g. divina fruitio , poſsit noſtram rationalitatem inferre,nunquam tamen per illam vim medij intrinſeci eam inferet; per locum ſiquidem intrinſecum demonſtratio per illam non adſtruitur , tametſi in prædicatorum quidditativorum inductione per vim intentionalem , nulla cauſa potius quam ipſa ſit medio quidditativo ſimilior, & in extrinſecis conſonantior.

QVÆSTIO IV.

De demonſtratione quia.

47 EGimus in præcedentibus quæſtionibus de illis, quæ principaliter ſpectant ad conſtruendum notitiam demonſtrationis propter quid , quæ prior,& potiſsima dicitur;reſtat nunc agere in prædictorum complemento de demonſtratione *quia*,qua minus principaliter, & à poſteriori aliquid concluditur de ſubiecto , cum paſsio , ſeu effectus ſumatur vt medium ad conclodendum de illo ipſius quidditatem ; de quo duplex principalis extat reſolvenda difficultas, quomodo, ſcilicet, debeamus percipere ordinem ſervandum in demonſtrãdis *quia*, & cur quodquid ſubiecti non valeat *propter quid*, ſed *quia* demonſtrari?

(?)

ART. I.

CIRCA EXPEDITIONEM demonſtrationis quia aliqua exponuntur.

48 PRæſetis articuli difficultas nullo magis quam expoſitionibus indiget; quare circa eius intelligentiam,quas poſsimus accomodare intendemus In primis enim eſt ſciendum , quod demonſtratione *quia*,nil potiſsimé concluditur; quia in præmiſsis non ponitur medium, quod ſit cauſa deducti,& concluſi,ſed imó potius id ponitur pro medio, quod eſt ipſius deducti effectus,quin in iſto vera cauſalis vigere poſsit, vt patet in iſtis demonſtrabilibus,*riſibile* , *&* *rationale*; valet enim dicere *eſt homo riſibilis,quia rationalis*;non autem é contra valet deduci per cauſalem;v.g.*homo eſt rationalis*, *quia riſibilis*:quo pacto de omnibus alijs cauſis ,& effectibus eſt philoſophandum. Vbi eſt advertendum , quod licet in demonſtratione *quia* non detur cauſa effectiva , & phyſica realitatis rei deductæ,poteſt tamen dici,quod datur cauſa intentionalitatis & cognitionis rei prout concluſæ; quia prout eſt concluſio, effectus videtur dici:nec non illius rei,vt cognitæ ſic ſyllogiſticé , principia debent dari: ergo cum ipſius vt concluſæ,medium ſit principiorum vis principalis,dici poterit effectus in realitate,cauſa in illa notione : ſicque , etſi non valeat dicere, *eſt rationalis homo* , *quia riſibilis*; valebit tamen aliquomodo , *eſt cognitus rationalis,quia cognitus riſibilis*; *ſicuti eſt rationalis in concluſione*, *quia riſibilis in præmiſsis*; quod idem ſonat , ac *eſt concluſio*, *quia ſunt præmiſſa*; quomodo concluſio dicebatur effectus,etſi in realitate foret cauſa.Sic Scotus in fine *q.55*.vbi ait:*In omnibus tamen modis dicendi per ſe , in quibus vtitur demonſtrator , dicit cauſam inhærendi in illo gradu, in quo demonſtrator vtitur.*

49 Secundum , quod ſcire nimis oportet, & difficilé penetratur, eſt, qualiter intellectus præcognoſcat paſsionem v. g. vt per ipſam demonſtret de ſubiecto quidditatem?Nec non qualiter præcognoſcat paſsionem , vt ipſam de ſubiecto propter quid demonſtret ? Circa primum movetur difficultas ex eo, quod ex minus noto,non videatur poſſe,magis notum demonſtrari;quia minus,vel æqualiter notum non faciunt ſcientiam de ignoto , vt dicebamus

Digitized by Google

mus in *quæſt.* 1. ex Ariſtot. apud Scotum hinc *quæſt.* 11. ſed, vt infra dicemus cum Scoto, principia quidditativa ſunt nobis notiora: qualiter igitur poterit prænoſci paſsio, quæ eſt extra quidditatem, vt per ipſam, quid de ſubiecto demonſtretur. Circa ſecundum movetur difficultas ex eo, quod vel ante concluſionem cognoſcatur paſsio, vel non: Si non: ergo non poterit concludi de ſubiecto, quia quod non cognoſcitur, de nullo valet demonſtrari. Si ſi: ergo erit ex abundanti præcognitione indemonſtrabilis; quia quod ante demonſtrationem cognoſcitur, indemonſtrabile eſt: quare Scotus, ſtatim citandus, definit cum Ariſtot. id, vt philoſophicum dogma, nec aliunde habet principale motivum, vt reſolvat, quod *quodquid* ſit indemonſtrabile, cum in ſubiecto ſupponatur. Crede, quod prædicta ſunt difficillima, prout id notavi ex ipſo Doctore Subtili, cuius doctrinæ expoſitionibus ſunt dumtaxat expedienda.

50 Scotus igitur pluribus in locis, adhuc videndus infra, aliquibus doctrinis ſolutionem adaptat, & ad primum id prævenit in *quæſt.* 10. *Poſt.* in *quæſt.* 50. *in* 55. & alibi. In *quæſt.* ergo 10 ait, quod cognitio noſtra à poſteriori eſt ſimpliciter ab effectibus ad cauſas, quia effectus ſunt notiores ſenſui; ſed tamen dum dicitur, quod noſtra cognitio eſt à notioribus ad minus nota, *notiora nobis* poſſunt intelligi dupliciter. Vno modo dicuntur nobis notiora, quæ ſunt nobis notiora ſecundum intellectum, comparando vnam cognitionem intellectualem ad aliam; quomodo principia prima ſunt nobis notiora, & iſto modo noſtra cognitio ſimpliciter eſt à nobis notioribus. Alio modo dicuntur nobis notiora, quæ ſunt notiora ſenſui; & iſto modo ſcientia noſtra non eſt ſimpliciter à nobis notioribus: ſcientia enim, quæ eſt per effectus, non eſt ſimpliciter ſcientia, & *propter quid*, ſed ſecundum quid, & *quia*. His ita, deinde Scotus in *quæſt.* 55. prævenit, quod iuxta eſſe notius quoad nos in primo ſenſu, omnis demonſtratio videtur incipi, quia ſi effectus, & accidentia non forent, nil profecto noſter intellectus ad diſcurſationem elevaretur; quia ex quo poſſem ego ſcire, quod homo erat animal, ſi non ſentiret? ex quo etiam, quod erat rationale, ſi aliquos mentis affectus non derivaret? ex quo tandem, quod erat riſibile, & flebile, ſi nec riſum, nec fletum vnquam eliceret? ex nullo, profectó poſſem; quia principia non ſunt ſenſui nota, & quod ſenſui non eſt notum, ab intellectu non eſt agnitum. Ergo ex hoc, quod homo ſentit, (infert Scotus) demonſtratur, quod homo eſt animal, & per hoc, quod ratiocinat, demonſtratur, quod eſt rationalis, & ita per accidentia, cognitione, & demonſtratione *quia*, devenimus in cognitionem *quodquid eſt*.

51 Reſpondentes igitur ad primum, dicendum eſt cum Scoto in *quæſt.* 55. *§. ad primam rationem*, quod *quodquid* de ignoto ſit notum per aliquod notius, etſi notius quoad nos, vtpoté per ſe effectus. Et ad illud, quod ſcilicet notius, vtpoté principium, ſciretur per minus notum, vtpoté per effectum, dicit Scotus: *Non tamen oportet, quod omne quodquid fiat notius per aliquod notius ſimpliciter.* Dicimus itaque, quod in his notionibus non eſt attendendus intellectus abſoluté, & prout eſt conſtitutus erectus in pura, & in independenti primorũ principiorum elevatione; ſic enim notior eſt principiorum cognitio, & implicat, quod ſub illa ſphœra conſideratus poſsit intellectus de illis primis veris notior reddi, cum illa tunc ſint per ſe nota, & per ſe notum incapax ſit vlterioris noſcibilitatis: ſic enim recté dicebat Scotus, quod notio principiorum comparata ad notionem poſteriorum eſt ſimpliciter notior, & additum in illo eſſe notiori repugnare. Aliter enim eſt conſiderandus intellectus; debet enim conſiderari prout verſus ad ſenſum, & prout obiecta cognoſcenda, & demonſtranda comparantur, vt dependentia ab illis effectibus, quorum imperfectiori, & elevatiori ſphera ſunt cauſa; ſic enim priora vera, ſunt poſteriora cognita; quo pacto non inconvenit, quod prima principia demonſtrentur per entitates ſecundas, quia ſic prima principia non ſunt notiora, ſed minus nota; quare ſemper ſalvatur, quod notius non fiat notum per minus notum, eo quod ſub illa comparatione nil ſit notius quam effectus, quin ad demonſtrandam quidditatem poſsit tunc aliquod medium notius inveniri: vnde dicebat Scotus, *non oportere, quod omne quodquid fiat notius per aliquod notius ſimpliciter.*

52 Dices, quod vnquam ex præfata expoſitione vitari poteſt regreſſus rationis, qui non minus debet vitari, quam naturæ. Prob. regreſſum rationis ex eo, quod non poſsit demonſtrari per effectum, v. g. per riſibile, quidditatem convenire cauſæ, v. g. rationale convenire homini, niſi demonſtretur,

ipſum riſibile v. g. conveniri homini; (idem philoſopha circa quæcumque alia, in quibus detur ratio cauſæ, & effectus) ſed nequit demonſtrari ipſum riſibile convenire homini niſi per rationale: ergo nequit demonſtrari rationale convenire homini per riſibile, niſi demonſtretur ipſum riſibile convenire homini per rationale: qui modus concludendi videtur ineptus, prout in circulo vitioſus:& ſimiliter demonſtratio *quia* inepta, & vitioſa videbitur.

53 Reſpondendum eſt ex ipſa doctrina Scoti, tam ſuperius adducta, quam expreſsius ab ipſo præventa pro ſolutione textus Ariſtotelici in *q. 50. Poſter. ferè in fine*, vbi Scotus relinquit hæc verba: *Dicitur quod de ſubiecto precognoſcitur quid eſt, etſi eſt, non complete, ſed præcognoſcitur eſſe notum per principia accidentalia, & eſſe iſto modo non demonſtratur eſſe, ſed demonſtratur eſſe notum per principia accidentalia ſecundum ipſum.* Hæc ipſe, ex quibus, & ex ſupra dictis, ſequentem ordinem, vt retinendum adaptabimus.

54 Dicimus ergo quæ ſupra, & ab illinc vltimò poſitis, hinc primò incipientes, reſolvimus, quod per accidentia inferuntur principia; eſt enim philoſophicum axioma, quod propter effectus venerentur cauſæ. Et ratio eſt; quia ſic eſt aſcendendum ab vltimis, ſicuti deſcendendum à primis: quare ſicuti à primo eſſe naturæ incipimus ab anima (idem philoſopha in quocumque ente) deſcendimus ad potentias, & terminamus in actibus: ſic vice verſa ab actibus per cognitionem noſtram vſque ad animaſticam radicem properamus; ibi enim debet incipere noſter imperfectus ordo rationis, vbi clauditur noſter ordo naturæ. Deinde ſicuti ordo principiorum incipit à diſcurſu, & terminatur à ſenſu, ita vt exercitium rationis incipiat à ſenſu, & terminetur diſcurſu: ſic ordo obiectorum à principijs examinandus, debet circa obiectum, ſeu ſubiectum, cuius notitia eſt comparanda, incipere ab vltimis illius, vtpotè à ſenſibilibus, & accidentalibus, v.g. à riſu &c. in homine, & terminari completè à primis in ſubſtantia, vtpotè à rationali; quo pacto ſic quoad ſe, & quoad nos proportionantur potentiæ; ſicuti quoad ſe, & quoad nos proportionantur obiecta.

55 Incipimus ergo per riſum, ex quo actu experto in pluribus ſingularibus vnius ſimilis naturæ, & deinde circa reliquos repugnantiam non attingentes (exiſtimo etenim non requiri ad conceptum vniverſalem alicuius prædicati, vt à poſteriori formati, quod de omnibus indvidiuis reliquarū ſpecierum ſciamus determinatè tale prædicatum repugnare, & ſic ſcire oppoſitum; aliàs, non poſſemus definire hominem, quin ſciremus omnium ſpecierum definitiones, vt de humana definitione haberemus ſpecialem notitiam) inferimus ex riſu riſibilitatem, & ex riſu vniverſali, vniverſalem riſibilitatem. Deinde extrinſecè demonſtrata riſibilitate per riſum, inquirimus riſibilitatis cauſam; & ſicuti inquirentes naturam riſus, eius immediatam cauſam invenimus in riſibili: ſic inquirentes naturam riſibilis, eius immediatam cauſam invenimus in rationali; ita vt deveniamus ad ſpeciem per notitiam *proprietatis ſpecialis*, veluti devenimus ad proprietatem ſpecialem per notitiam *ſpecialis actus* proprietatis ſpecificæ. Vnde inferes, quod ſicuti riſibile demonſtratur, quia *ridens*, ſic rationale animal demonſtratur, quia *riſibile*, etſi mediatè quia ridens.

56 Vlterius inquiritur cauſa animalis rationalis, & non invenitur; ſed illis principijs rectè penetraris, per ſe noſcibilia obijciuntur: quare intellectus quieſcit, veluti in primis veris, nullam ſupra ipſa (en à priori) priorem cauſam cognoſcens, ſed imò ipſa eſſe primam cauſam, & radicem omnium eorum, quæ prius cognovit *conſenſibiliter*, & per quæ ad primi veri cognitionem aſcendit. Tunc igitur intellectus de homine ſimpliciter, & quidditati è informatus, ſolidius diſcurrit, cum diſcurrat ex priori, dum ante ex poſteriori: ex quidditate, & eſſentia, dum ante ex accidenti, & proprietate: nec non per cauſam, & radicem, dum ante per effectum, ramos, & folia.

57 Demonſtrat igitur riſibile per illud rationale (quod non eſt illud idem, cum tunc completè non perpenderetur, vt ſubtiliter præveniebat Scotus) animal, quod demõſtraverat per riſibile; ſed tamen non ſequitur vitioſus circulus, quia non deſcendit per eãdem viam, ſed per diverſam, vtpotè ſecuriorem, & expreſsiorē; quare non debet dici, quod detur regreſſus idem, dum per *rationalem viam devenit ad notitiam riſibilem*; quia antea, non habuit de riſibili illam notitiam, quam deinceps habet per rationale, cum per rationalis notitiam perfectius, & ſolidius de riſibili comparet cognitionem, vtpotè perfectiſsimam ſcientiam. Diverſitas viarum patet; quia patet diverſitas mediorum, per quæ intellectus ſcientificos paſſus demonſtrat; nam in curſu vnius demonſtrationis, erat medium riſus

ad

Digitized by Google

ad riſibile, & riſibile ad rationale; curſus vero alterius, medium ad riſibile erat rationale, & ad riſum riſibile: ergo. Percipe igitur diſtinctionem in vijs claré, & ſecuré deambulandis, cum vna ſit via ſic clara, quod ſit *per ſe nota*, ſecus altera: ergo &c.

58 Nunc attende ad illa Scoti verba, in quibus claram prædictorum expoſitionem invenies. Etſi enim à poſteriori demonſtretur eſſe quidditativum ſubiecti ſcientiæ; ita tamen, quod modo prædicto, non debeat dici, quod demonſtretur eſſe quidditativum abſoluté, & ſimpliciter; ſed ita, quod demonſtretur, *eſſe notum, ſeu noſcibile per accidentalia principia*. Demonſtratur enim illud eſſe, prout eſt noſcibile per illa media accidentalia; quo exprimitur, quod ſolum demonſtretur, in quantum ab illis medijs poteſt eſſe notum, & dependens; & ſic, in quantum illa media poſſunt eſſe principia: quare nunquam ſimpliciter per illa cognoſcitur, ſicuti deinde cognoſcitur ex ſuorum terminorum penetratione. Propter hoc enim Scotus dicebat ibi, quod notitia ſubiecti per illa media erat incompleta, cum intrinſecé ſubiectum ſolum compleatur per quidditatis principia: ſicque vſque dum ſubiecti notitia, nec non notitia omnium ſub ipſo contentorum, non ſit propter quid ipſius, completé non cognoſcetur, nec aliquid de ipſo demonſtrabitur, & tametſi ipſum demonſtretur, non demonſtrabitur abſoluté, ſed prout ſub ſenſibili, & poſterioriſtica conſideratione eſt noſcibile: quomodo quidditas in eſſe abſoluto, & completo intacta percipitur, vt deinde ipſa abſoluté, & in ſe penetrata, per vim perfectam noſcatur ex ſe, & ſit completum principium, vt augeatur vis medij ad cognitionem demonſtrativam cæterorum. Hæc nota, & nimis.

59 Circa ſecundam difficultatem, etiam difficilis invenitur intelligentia, vt probant rationes in eodem §. 2. pro quarum diſcreto examine ſequentem ſubart. conſumemus.

***

SVBART. VNIC.

RESPONDENS DIFFICVLTATI de præcognitione paſſionis.

60 De hoc, & conſimilibus punctis plura Scotus ſubtiliter movet; qui eius doctrinæ eſſe plené conſcius voluerit, illum videat in *quæſt.4. Poſter. in 6. in 14. in 49. in 50. in 54. in 55. & in 56.* Ex quibus omnibus Scoti quæſtionibus præſentis difficultatis expoſitionem complere intendemus. Et licet hæc difficultas ex maiori parte videatur ſpectare ad quæſtiones de demonſtratione propter quid; tamen quia difficiliorem habet conceptum, placuit poſt illas de ea agere hinc.

61 In primis enim certum eſt, quod antequam paſſio concludatur, debeat cognoſci; tum propter principalem rationem ſupra formatam; tum, quia paſſio ponitur vt primus terminus in maiori, antequam de ſubiecto concludatur, & terminus in maiori prædicatus de ſubiecto, cognitus debet eſſe: vnde ait Scotus in *quæſt.4. Poſter.* in concluſione prædicatur paſſio de ſubiecto: ergo ad cognoſcendum concluſionem, oportet præcognoſcere dignitatem, (puta eſſe complexum principiorum in præmiſsis) paſsionem, & ſubiectum. Similiter, nec non in *q.6. §. ad quæſtionem*, hæc reſolvit: *Neceſſe tamen eſt de paſſione præcognoſcere quid eſt, quod ſignificatur per nomen.* Dat rationem; quia de paſſione oportet aliqualem cognitionem habere ante concluſionem, cum ſit principium integrans concluſionem, nam ex paſsione, & ſubiecto fit concluſio in demonſtratione, vt prius habitum eſt; ſed de ea non præcognoſcitur *quia eſt, nec quid eſt ſimpliciter*: ergo de ea neceſſarió præcognoſcitur quid eſt, quod ſignificatur per nomen.

62 Quod de paſsione poſsit præcognoſci, quod ſignificatur per nomen, philoſophicis exemplis iuxta Philoſoph. phraſim ſuadet Scotus in *quæſt. 6.* Puer enim (inquit ipſe) cognoſcit, quid ſignificatur per equum, & tamen non cognoſcit quidditatem ſimpliciter equi. Similiter de non ente cognoſcimus, quid ſignificatur per nomen, & tamen non cognoſcimus, *quid eſt ſimpliciter*,

Vuu 2 *nec*

nec quia eſt:ergo. Eodem exemplo vtitur in *quæſt* 50. vbi adhuc de principijs quidditatiuis ſubiecti ſimilem præcognitionem oſtendit, dans cauſam: quia contingit, aliquem cognoſcere eſſe, & dubitare de principijs indicantibus quid, & poſtea contingit cognoſcere principia indicantia quid: ſicut puer cognoſcit bovem eſſe, & tamen principia bovis eſſentialia ignorat, & poſtea principia indicantia quid cognoſcit. Quod igitur poſsit contingere, cognoſcere quid, quod ſignificatur per nomen, & quidditatem rei ſimpliciter ignorare, oſtendit expreſsius per idem exemplum cum Themiſtio in *quæſt*.4. Si enim, inquit, dicatur puero, quod adducat equum, tunc adducit equum, & non bovem; & hoc non eſt, niſi quia cognoſcit *quid*, quod ſignificatur per hoc nomen equus; & tamen puer non cognoſcit veram quidditatem equi, quia tunc cognoſceret principia intrinſeca equi, quod eſt falſum: patet ergo, (inferebat Scotus) quod quid rei abſolutũ, & quod ſignificatur per nomen, non ſunt adæquaté eadem.

63 Deinde certum debet eſſe, quod paſſio, nec non quodcumque demonſtrandum, non debeat ſic ſimpliciter, & claré præcognoſci, ſicuti præcognoſcitur *quodquid* ſubiecti, per quod, veluti per medium demonſtratur; quia ſic paſsio indemonſtrabilis foret, ſicuti ob idem ipſum *quodquid* indemõſtrabile dicitur apud Scotum paſsim ex illa ratione Philoſophi: quidquid cognoſcitur ante demonſtrationem, ſub illa ratione indemonſtrabile manet. Vnde Scotus in *quæſt*. 6. ait, quod ineſſe paſsionis in ſubiecto concluditur in demonſtratione, & hoc eſt ſuum eſſe: igitur eſſe paſsionis concluditur: non igitur præcognoſcere oportet paſsionem eſſe ante concluſionem. Sic loquitur ibi, & meritó, quia ſi eſſe, quod concluditur, ſit effectus eſſe præcogniti, non debet eſſe idem, ſed debet eſſe aliud, quod concluditur, & aliud quod præcognoſcitur. Vnde Scotus in *q*. 14. dicit cum Ariſtot. 7. *Metaphyſ.* quod quæſtio, quare homo eſt homo, eſt quæſtio de nil; quia quæſtio aliquid præſupponit, & aliquid quærit; ſed hic nil præſupponitur; nam quærere, quare homo eſt homo, nulla eſt cauſa; ſicque de primo gradu, in quo prædicatur idem de ſe, non curat demonſtrator.

64 His ita expoſitis pro ſolutione rationis ſupra in *art.* 1. oppoſitæ, facilé poterit nunc habendus ordo adaptari. Dicimus ergo, quod ſicuti per ſenſationem aſcendimus ad animal, ſic per diſcurſum poſſumus aſcendere ad rationale, quo in ſe deinde ex recta penetratione cognito, habemus medium ad demonſtrandum hominis paſsiones, quarum requirimus præcognitionem quidditatis ſignificatæ per nomen in præmiſsis, quibus cognitis ex quidditate medij, & ex *quid* paſsionis, concluditur paſsionem ineſſe ſubiecto, quia eſſe ſimpliciter paſsionis eſt ineſſe ſubiecto: vnde recté Scotus in *quæſt*. 6. expoſuit, quod de paſsione non poteſt ſimpliciter præcognoſci quid eſt, quia quid eſt ſimpliciter habet *ex conſequenti*, id eſt, non præmiſſatur, ſed concluditur; concluditur enim paſsionem ineſſe, & ſuũ eſſe, inquit Scotus, eſt ſubiecto ineſſe. Sed hæc, expoſitione aliquorum oppoſitorum clarebunt magis.

65 Dices ex Ariſtot. qui 4. & 5. *Metaphyſ.* dicit, quod *quid*, quod ſignificatur per nomen, eſt vera definitio: ergo ſi de paſsione præcognoſcatur quid eſt, quod ſignificatur per nomen, de ea præcognoſcetur quid eſt ſimpliciter; ac per conſequens reddet vis rationis oppoſitæ ſupra, vtporé paſsionem eſſe indemonſtrabilem. Reſpondet Scotus in *q* 6. verum eſſe, quod aliquando ratio, quam ſignificat nomen, eſt vera definitio, & hoc intelligere Ariſtot. ſed tamen ait Scotus, id non eſſe ſemper verum; poteſt enim aliquando ratio, eſſe entis deſcriptio, & iſta non eſt vera definitio, licet per nomen ſignificetur, prout diximus in *quæſt*. 1. *lib. Prior.* Deinde reſpondet Scotus ex ipſo Ariſtot. aſſerente, quod ratio exprimens quid nominis, etiam attribui poteſt non entibus, vt hircocervo, cuius cognoſcimus, quod per nomen ſignificatur, & tamen quidditatem ſimpliciter non cognoſcimus, vt ſupra dicebamus per exemplum pueri de bove: ergo poſſumus de paſsione præcognoſcere quid ſignificatur per nomen, quin veram rationem eſſe ſimpliciter præcognoſcamus.

66 Inſtabis, & bene, ex Ariſtot. non enti ineſt ratio exprimens quid nominis: ergo cum paſsio veram rationem habeat, quam non ens non habet, ratio exprimens præcisé quid nominis ſoli non enti poterit attribui, non veró paſsioni, veram rationem entis habenti. Deinde, ſi concedatur, quod etiam paſsioni ratio, ſeu definitio quid nominis exprimens inſit, augetur diffibultas; quia in tali caſu, difficilé verum eſſe poterit concludi de paſsione, cuius ſola ratio quid nominis exprimens fuit præcognita, dum de non ente quid nominis cognoſcatur etiam, quin de ipſo aliquid concludatur: ergo reddit iterum principalis oppoſita

ta-

Digitized by Google

ratio. Sic ſubtiliter noſter Doctor arguit, quibus non minus ſubtiliter reſpondet, vbi ſupra, & in alijs citatus.

67 Reſpondet Scotus dicendo ad primū, quod in expreſsione nominis inter non ens, & ens, eſt compatibilis combinatio, quia penes punctum præciſum exprimendi, quod ſignificatur per nomen, ſic de non ente, ac de ente cognoſcere poſſumus, quod ſignificatur. Itaque directé dicit Scotus ad argumentum inſtans, quod tam iuxta Ariſtot. quam iuxta rectam mentem, non enti ineſt ratio exprimens quid nominis, ita vt nulla vera ratio ſibi inſit; ſed paſsioni ineſt vera ratio, & ratio etiam exprimens quid nominis, etſi verum ſit, quod vera ratio non præcognoſcatur de paſsione ante concluſionem; ſolum enim præcognoſcitur quid eſt, quod ſignificatur per nomen; qui conceptus tunc eſt quoad nos ſic etiam expedibilis per conformitatem ad quid non entis, cum ad id ſufficiat, quod in primo iſta noſtræ imperfectæ cognitionis, ſic verius ens cognoſcamus diminuté, quod in illo paſſu, omnium cognoſcibilium æqué cognitiones percurri videntur.

68 Ad inſtantiam reſpondet Scotus, verum eſſe, quod non ens non poteſt ſciri, & ſic nec aliquid rectè concludi; ideo, (inquit) ſequitur, quod oportet paſsionem eſſe; ſed tamē non ſequitur, quod eius eſſe præcognoſcatur ante concluſionem; quia in concluſione ſuum eſſe concluditur, quia ſuum eſſe eſt ſubiecto ineſſe. Dicimus itaque, quod etſi eſſe ſimpliciter paſsionis non præcognoſcatur, ſed ſolum eſſe ſecundum quid, vtpoté illud, quod ſignificatur per nomen; requiri tamen, quod paſsio habeat eſſe ſimpliciter, & veram rationem intra rationem per nomen ſignificatam; quia etſi vera ratio, & eſſe ſimpliciter non requiratur cognoſci antecedenter in præmiſsis, requiritur veró cognoſci ex conſequenti in concluſione; ſicque rectè dicit Scotus, paſsionem eſſe requiri; quia ſi tale eſſe ſimpliciter deficeret paſsioni, foret impoſsibile, ipſum cognoſcere ex conſequenti; ita vt nec ex antecedenti, nec ex conſequenti poſſet plus cognoſci, quam *quodquid* ſignificatum per nomen: vnde nunc, etſi ex antecedenti ſolum cognoſcatur quid nominis, eſtó paſsio veram rationem habeat, poterit conſequenter ſciri, tametſi antecedenter, expreſsé non cognoſceretur: non enim repugnare videtur, quod minus notum poſsit ad eſſe magis notum tranſire: pro quo videantur dicta in *lib. 6. q. 5. in expoſitione de ſyllogiſtica armonia*, vbi ex profeſſo hæc attinguntur.

69 Deinde ad rationem inſtantiæ dicimus directé, quod etſi ſolum quod ſignificatur per nomen præcognoſcatur de paſsione, & hoc etiam præcognoſcatur de non ente; tamen non ſequitur, quod eſſe ſimpliciter paſsionis non concludatur de ſubiecto, ſicuti nec de non ente concluditur. Ratio eſt; quia etſi eſſe ſimpliciter paſsionis non præcognoſcatur, præcognoſcitur tamen medium, in cuius virtute præmiſſa continetur, ita vt adſint vera principia, vim effectivam veré habentia; quare illis applicatis, cognoſci debet ex conſequenti, tametſi ex antecedenti formaliter, & expreſsé ignoraretur. At veró, cum non ens non habeat principia quidditativa, ex quibus vera ratio ſequatur, non poterit aliquid concludi de illo; ſed ad ſummum, quid non ſit, poterit ſyllogizari, prout cum Scoto diximus in hoc libro *q.* 1. En igitur, qualiter proficiat, paſsionem eſſe ſimpliciter, tametſi eſſe ſimpliciter non præcognoſcatur.

70 Dices aliter, quod prout in *art.* 1. expoſuimus, poteſt homo v. g. cognoſci per riſibile; ita vt per riſum cognoſcatur ridens, & ſic deveniatur ex notitia paſsionis ad notitiam ſubiecti: in hoc ergo cognoſcendi modo, videtur, quod non poſsit deinde paſsio riſibilis concludi à priori de ſubiecto rationali, quin eſſe ſimpliciter paſsionis præcognoſcatur: ergo licet prædicta noſtra expoſitio debeat ſubſiſtere, dum paſsio concluditur de ſubiecto v. g. humano, prout cognito per actus intrinſecæ quidditatis, ſcilicet per actus diſcurſus; non veró debet ſubſiſtere, dum paſsio concluditur de ſubiecto per actus paſsionis, vel per paſsionem ipſam. Reſpondendum ſentio ex doctrina ipſius Doctoris S. quod adhuc per viam à contrarijs adductam ſalvari poteſt, quod eſſe ſimpliciter paſsionis non præcognoſcatur. Ratio eſt; quia nunquam ex accidenti poteſt aliquis terminus cognoſci, ſicuti ex quidditatis ſubſtantia, licet enim accidentia in plus conducant ad ſenſum, ſecus tamen ad intellectivum principium: vnde, etſi per riſum notitia paſsionis adquiratur circa hominem poſterioriſticé cognitum, ita tamen quod illud eſſe paſsionis ſit cognitum, in comparatione ad eſſe paſsionis cognoſcibile per quidditativa principia ſubiecti, poſsit dici eſſe cognitum ſecundum quid, ac proinde tale eſſe ſic cognitum, poterit dici, in eſſe ſimpliciter cognoſcibile, ignoratum; & ſic, nunquam valebit dici, quod ſit præcognitum illud eſſe paſsionis, prout concluditur ibi de ſubiecto, id eſt, prout habens veram rationem eſſendi ſimpliciter; quod eſt ſimpliciter inhærere

ſub-

ſubiecto. Sed hæc omnia per expoſitionem alterius difficultatis confirmabuntur.

ART. II.

EXPONITVR, QVARE QVIDDITAS rei ſolum demonſtratione quia valeat concludi?

71 IN demõſtrabilibus, tametſi ab aliquibus præſens difficultas ſupponatur, tamen cum quam pluribus oppoſitis perturbetur, & deinde debeat eſſe irrefragabile centrum, ideo rationibus eam ſentio eſſe potius probandam, quam ſupponendam. Inquirimus ergo, ex quo *quodquid* rerum ſolum demonſtratione *quia* concludatur de ſubiecto, quin *propter quid* poſsit concludi? Et licet in quæſito videatur ſupponi intentum, ſed tamen deducentes cauſas illius, vtrumque probare intendemus. Vide dicta in *lib. 2. diſt. 2. q. 1. præamb. 3.*

72 Reſolvendum eſt, quod nullum *quodquid* ſub ea ratione, qua eſt *quodquid*, valet *propter quid* demonſtrari. Ita Scotus literaliter in omnibus locis in *ſubart. anteced.* citatus. Sed expreſsius in *q. 55.* vbi eam de per ſe reſolvit, in eius favorem adducens expoſitorem dicentem, *quod quodquid non poteſt demonſtrari, innoteſcere tamen nobis per demonſtrationem*: quod infra exponemus. Prob. ex Scoto; quia *quodquid*, ſub ratione qua eſt *quodquid*, in omni demõſtratione præſupponitur: ſed quod præſupponitur ad demonſtrationem non eſt natum demonſtrari: ergo *quodquid*, ſub ratione qua eſt *quodquid*, non poteſt demonſtrari. Minor eſt Ariſtotelicum axioma, prout ibi, & paſsim refert Scotus; nec non ex ipſis terminis patet. Maior, in qua poteſt eſſe difficultas, rationibus Scoti ſuadetur. Suadetur 1. ex *q. 50.* Si aliquid poſſet demõſtrativé ſciri, deberet ſciri per cauſam, dum *propter quid* ſciretur; ſed nil eſt intimius rei, quam ſuum *quodquid eſt*, ſub ratione qua eſt tale: ergo *quodquid eſt*, ſub hac ratione non habet cauſam, per quam poſsit ſciri, ac per conſequens debet ſuppone.

73 Suadetur 2. maior ſub alia expreſsione ex *q. 54.* Cauſa, & medium idem ſunt in demonſtratione; ſed *propter quid*, vt tale, non habet cauſam: ergo neque vt demonſtretur, habebit medium, ſicque debebit ſupponi. Maior eſt certa. Minor prob. quia prima cauſa non habet cauſam; ſed *quodquid* ſub hac ratione eſt prima cauſa: ergo. Prob. minor: tum quia eſt primum verum, iuxta illud, *quod demonſtratio fit ex primis &c.* Tum, quia in linea quidditativa, in qua debebat demonſtrari *propter quid*, eſt primum principium, & principia *ex aliis non fiunt*, iuxta illud Philoſophorum. Tum prob. quia ſi medium eſſentiale, & quidditativum reſpectu rei, cui eſt eſſentiale in demonſtratione, ſupponat aliud in linea eſſentiali ipſius rei, ſequetur, quod illud medium rei eſſentiale, non erat rei eſſentiale: ergo medium rei eſſentiale foret illud *quod quid*, quod ſupponebatur, de quo inquiram, an tale *quodquid*, quod eſt rei eſſentiale ſupponat quidditativé aliud, & ſic vſque in infinitum: ergo &c.

74 Suadetur aliter ex eo, quod ſi *quodquid* ſub hac ratione demonſtraretur, ſemper peteretur principium. Prob. Scotus ex Ariſtot. in *q. 55.* vbi hoc argumentum Ariſt. format: Si *A.* debeat demonſtrari de *C.* in eo *quodquid eſt*, oportet in eo *quodquid* eſt demonſtrari de *B.* & *B.* oportet prædicari de *C.* in eo *quodquid eſt*, antequam *A.* in eo *quodquid eſt* prædicari concludatur de *C.* ſed in tali ſyllogiſmo prius in minori ponitur *B*, eſſe *quodquid eſt* ipſius *C.* antequam concludatur *A.* in eo *quodquid eſt* de ſe, id eſt, de *C.* ergo prius petitur *quodquid eſt* ipſius *C.* antequam concludatur. Exponitur pro tironibus. In maiori *B* eſt ſubiectum, & *A* prædicatum: in minori veró *C.* eſt ſubiectum, & *B* prædicatum; & ſic in concluſione *C.* eſt ſubiectum, & *A.* prædicatum. Si ergo *A.* debeat concludi in eo *quodquid eſt* de *C.* quæ eſt ſubiectum, de quo demonſtratur *A.* debet in minori *B.* prædicari de *C.* in eo *quodquid eſt*; quia requiritur in minori, quod medium prædicetur de ſubiecto; nec non quod detur terminus diſtinctus à duobus terminis concluſionis, ideoque ponitur *B.* Vnde cum *B.* in eo *quodquid eſt* ponatur in minori prædicari de *C.* ſequitur, quod antequam *quodquid* per *A.* concludatur de *C.* ſupponatur in minori per *B.* & ſic, quod in concluſióne manet probatum, iam fuit in minori petitum.

75 Obijc. 1. *quodquid* ſecundum materiam demonſtratur per *quodquid* ſecundum ſpeciem, ſeu formam: ergo iam *quodquid* poterit concludi demonſtrativé de ſubiecto. Anteced. vt Ariſtot. conceditur ab Scoto tam in *q. 55. quam in q. 7.* in quibus aſſentit, quod definitio materialis poſsit aliquando concludi de ſubiecto per definitionem formalem, vt patet in quidditate animalis, quæ poteſt concludi de homine propter quidditatem rationalis. Idem affirmat Scotus in *q. 50.* ergo &c. Reſpondet Scotus in omnibus illis locis dicẽs, ve-

Digitized by Google

verum eſſe, quod *quodquid* materiale poſsit demonſtrari per *quodquid* formale, non tamen ſub ratione qua eſt *quodquid*.

76 Scotus igitur admittit cum Philoſopho, quod *quodquid* materiale valeat demõſtrari per *quodquid* formale; quia licet quidditas materialis ſubiectum conſtituat, ſed tamen illud conſtituit prout contracta ad formam, & determinata per ſpeciem, quæ ſuæ rationis ſpecificæ cauſam habet, in principio formali; quare, cum propter formam inducatur materia, videtur dari demonſtrationis cauſa, ac proinde, & medium. Itaque dum dicitur, an *quodquid* poſsit demonſtrari? debet reſponderi concedendo intentum de *quodquid* materiali, quod prout de ſe indifferens ad plura alia ſubiecta, quæ ſunt extra quidditatem illius, de quo concluditur, videtur, quod in ratione medij, non ſit *quodquid* ſtrictum, in ratione cauſæ *primum*; ſicque nil mirum, quod valeat demonſtrari. Secus autem debet concedi de *quodquid* formali propter oppoſitum.

77 Dicit deinde Scotus, quod etſi *quodquid*, vtpoté materiale, valeat demonſtrari, non tamen ſub ea ratione, qua eſt *quodquid*. Vbi poteſt exponi, quod definitio materialis, quæ eſt demonſtrabilis per formalem, ſit in demonſtrabilis ſub ea ratione, ſub qua ſui proprij ſubiecti eſt *quodquid*, & definitio: v. g. vivens ſentiens, quod demonſtratur de homine, ſi conſideretur reſpectu animalis, reſpectu cuius eſt *quodquid primum*, & adæquatum, indemõſtrabile erit; & ſic ſub hac ratione, ſub qua eſt *quodquid* indemonſtrabile erit. Debet enim hinc diſcurri ſicuti in principijs entis, & quid naturalis, in quibus vnum principium dicitur primum, tametſi aliud ſupponat; quia, etſi aliud ſupponat, non tamen in ea ratione, in qua eſt principium, & primum: à ſimili ergo poteſt percipi Scotus; cum quo ſub alia expreſsione dices, quod *quod quid* materiale eſt primum, & indemonſtrabile per aliud in materia, in qua habet eſſe *quodquid*.

78 Deinde poteſt dici, quod *quodquid* ſub ea ratione, ſub qua eſt tale, ſit indemonſtrabile ex eo, quod *quodquid* hominis v. g. ad concludendam aliquam paſsionem de ipſo, ſit non ſolum forma, vtpoté rationalitas, ſed materia, vtpoté animalitas; ita vt tunc *quodquid* hominis conſideretur adæquaté, & expreſſé de hominis conſtitutivo, taliter quod animal, prout etiam eſt tunc *quodquid* ad probandam paſsionem, non conſideretur vt indifferens ad alia extra hominem, ſed vt intra illud eſſe ſpecificum informatum, ſic primum, & eſſentiale ac rationale; & ſic tunc, quod nec animal debeat percipi non rationalizatum, nec rationale debeat percipi non animalizatum; hoc enim modo conſtrui debet *quodquid* hominis: vnde dicimus, quod etſi *quodquid* materiale poſsit aliquando demonſtrari; ſed tamen nunquam demonſtrabile erit ſub ea ratione, ſub qua eſt *quodquid*, & medium ad demonſtrandum. Elige pro Scoto expoſitionem, quam volueris.

79 Obijc. 2. *quodquid* innoteſcit nobis per demonſtrationem: ergo poterit demonſtrari. Prob. antec. per Ariſtot. in *q*. 55. vbi ait, quod in cognoſcendo *ſi eſt*, non cognoſcitur adhuc *quid eſt*: ergo quid eſt innoteſcit nobis per demonſtrationem. Reſpondet breviter Scotus diſtinguendo antec. innoteſcit nobis per demonſtrationem *quia*, ſeu propter effectus, eſt verum: *propter quid*, ſeu per cauſam, eſt falſum: ſic igitur innoteſcit nobis per demonſtrationem: de quo videantur dicta in *art*. 1. Conſimiliter debet reſponderi ad illud argumentum, ſcilicet, omne dubitabile eſt demonſtrabile, & ſcibile; ſed *quodquid eſt*, eſt dubitabile: ergo. Dicitur eſſe dubitabile, & demonſtrabile *quia*; ſecus autem *propter quid*. Et ad illud, quod *quodquid* de ignoto ſit notum: ergo per aliquod notius: ergo per notius in quidditate. Reſpondetur etiam cum Scoto, quod ſit notius per aliquod notius in eſſe effectus, & quoad nos; ſecus in eſſe cauſæ: nec inconvenit, quod omne *quodquid* fiat notius per aliquod, quod ſimpliciter non ſit notius. Vide dicta in *art*. 1. vbi hæc manent expreſſa.

80 Obijc. 3. *quodquid* poteſt demonſtrari, vt patebit per exemplar adductum in homine: ergo. Patet anteced. ſic: omne compoſitum ex genere, & differentia alicuius cum illo convertibile, eſt *quodquid* eius; ſed animal rationale eſt compoſitum ex genere, & differentia hominis, & eſt convertibile cum homine: ergo eſt *quodquid* hominis. En vbi animal rationale, quod eſt *quodquid* hominis, demonſtratur de homine. Reſpondet Scotus exacté, etſi breviter, dicens, quod in medio prædictæ demonſtrationis datur petitio; quia idem eſt dicere, quod hoc eſt compoſitum ex genere, & differentia huius, & convertibile cum illo, ac dicere, quod eſt definitio huius; & ita petitur, quod vt medium formatur. Sic ad quam plurima attendes.

81 Obijc. 4. *quodquid* paſsionis poteſt oſtẽdi per *quodquid* ſubiecti: ergo iam *quodquid* poterit per *quodquid* oſtendi. Antec.

eſt

Digitized by Google

eſt Ariſtot. paſsim apud Scotum. Reſpondet Scotus breviter, & exacté, dicens, quod etſi non ſolum paſsio, ſed & *quodquid* paſsionis valeat oſtendi de ſubiecto; ſed tamen adhuc *quodquid* paſsionis non oſtendetur de illo ſub ratione, qua eſt *quodquid*, ſed oſtendetur ſub ratione inhærentis. Etſi enim *quodquid* paſsionis demõſtretur de ſubiecto, cum *quodquid* illud ſit paſsione formalizatum, dum demonſtratur de ſubiecto, non demonſtratur ſub illa formalitate *quodquid*, quam habet verſus paſsionem, vt ſubiectum aliquomodo; ſed demonſtratur de ſubiecto ſub formalitate habitudinis ad illud; ſicque concluditur *quodquid* de ſubiecto, prout concluditur quod ineſt in illo.

82 Obijcit vltimo Scotus, nervosé quæſitum attingendo. Obijcit ergo ſic: ſi *quodquid* non poſſet demonſtrari, huius non eſſet aliqua ratio, niſi quia *quodquid* eſt immediatum illi, cuius eſt *quodquid*; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Prob. min. quia ſi immediatio quidditatis ad ſubiectum impediret demonſtrationem quidditatis de illo, nec *quodquid* materiale poſſet quidditativé domonſtrari per formale; quia ita immediatum eſt *quodquid* materiale illi, cuius eſt, ſicuti *quodquid* formale: ita enim immediaté ſe tenet materia ex parte rei, ſicuti forma; ſed hæc inmediatio non impedit quod *quodquid* materiale poſsit demõſtrari de re, cuius eſt: ergo ne *quodquid* demõſtretur, ratio immediationis eſt nulla. Reſpondet tamẽ Scotus, dupliciter vim argumenti infringens. Dicit primo, quod ratio, quare *quodquid* non demonſtratur ſub ratione qua eſt *quodquid*, eſt principaliter, non propter immediationem prædicati ad ſubiectum, ſed ne fiat petitio; ſicque totaliter non debet deſumi ex immediatione motivum, cum ex prædicto motivo poſsit etiam deſumi.

83 Reſpondet ſecundo Scotus, & ſubtiliter adaptat ſolutionem, conceſſo, quod repugnantia demonſtrationis ſit propter immediationem. Et ad illam rationem argumenti vtpoté, quod aliquid poterat demonſtrari, quod erat immediatum, nempé materia, duplicem immediationis modum prævenit. Vnó modo dicitur aliquid immediatum in ratione cauſæ: quomodo (inquit Scotus) *quodquid* materiale non eſt ſic immediatum, vt formale; quia definitio formalis, cum exprimat rationem, & vim ſpecificam, eſt cauſa eſſendi, vel excludendi definitionem materialem de ſubiecto: ergo in ratione cauſæ (quod in demonſtratione principaliter requiritur) non videtur ſic immediatum quid materiæ, ac quid formæ. Alio modo dicitur aliquid immediatum immediatione ſubiecti; & iſto modo *quodquid* materiale eſt immediatum illi rei, ſeu ſubiecto, cuius eſt; quia non eſt aliquod definibile medium, cui primo inſit definitio materialis, quam ipſi proprio ſuo definito, vt patet in animali, quod ſic eſt principium immediaté coſtituens hominem in eſſe ſubiecti, quod inter hominem, & animal nil mediet, cui veluti ſubiecto poſsit immediatius animal ineſſe. Vnde Scotus breviter diſſoluit argumentum, dicens, quod ſolùm cauſa immediata primo modo, dat motivum, vt ex immediatione alquid non poſsit demonſtrari de ſubiecto.

ART. III.

ALIQVA DVBIA PRO QVÆSTIONIS complemento breviter expenduntur.

84 DVb. 1. *qualiter intelligendum ſit, quod quodquid quæratur etiam, dum in art. antec. dixerimus, quod non valeat demonſtrari?* Reſpondetur in primis ſicuti diximus ſupra de modo quærendi aliquid ignotum quoad nos, & ſic per accidentia demonſtrabile: vnde dicitur, quod *quodquid* ſolum eſt quoad nos, & per accidentia quæribile. Dicimus itaque, *quodquid eſt*, contractum ſub ratione, qua eſt *quodquid*, non quæritur, ita vt ſub illa ratione ſciatur, tanquam concluſum in demonſtratione; quia ſic eſſet petitio, vt cum Ariſt. dicebat Scotus. Sed tàmen cum ſæpé accidat, quod *quodquid rei* quæratur à nobis, & deinceps nobis innoteſcat, eſt advertendum nimis, quæ Scotus in *q. 50.* vbi ait, *quodquid eſt*, etiam quæritur; quæritur tamẽ, vt per aliam viam fiat notum, vtpoté per viã diviſivam, prout docet Ariſt. apud Scotum ibi; *ſicque innoteſcit nobis tanquam medium, non tamen tanquam concluſio in demonſtratione*, qui modi innoteſcendi ſunt diverſi, ſicuti diverſus eſt modus innoteſcendi primi principij, & cauſæ, à modo aliorum, quæ innoteſcunt vt effectus à primo principio derivati.

85 Ex quibus poteſt etiam reſponderi ad illud, quod, ſcilicet, omnis quæſtio ſit quæſtio medij; quod videtur concedi à Doctore in *q. 54.* ibique ſuaderi; quia quæſtio quærit aliquid, quod eſt dubium, & poſtea eſt ſcibile certificatum medium; ſed quod eſt certificatum per medium, medium præſupponit, per

quod

Digitized by Google

quod certificatur: ergo omnis quæſtio eſt quæſtio medij, ad quod quærit medium: ergo innoteſcet medium, vt ſcitum ab illo, à quo quæritur. Reſpondetur igitur, quod omnis quæſtio eſt quæſtio medij, vt per medium quæſtio fiat nota de eo, quod quæritur. Vbi eſt advertendum, quod licet quæſtio aliquomodo quærat medium, ſed tamen in illo quæſito, non quærit de medio *tanquam de ſubiecto*, hoc eſt, quod medium debeat eſſe ſubiectum, de quo medium quæritur: ſed quærit medium, *tanquam per illud* fiat notitia paſsionis v.g. de ſubiecto. Exemplificat id Scotus ſic: Si quæram, an Luna eclypſetur; quæro, an ſit medium: id eſt, ego quæro, an ſit medium, per quod fiat notitia de illo quęſito; ſed non quęro, an medium ſit, tanquam quærens medium eſſe de medio, tanquam de ſubiecto: hoc enim modo quæſtio medij quæreret infinitum proceſſum; ſicque hoc modo quæſtio medij præſupponitur. Inferes igitur, quod omnis quæſtio præſupponit medium; nec non ſequi, quod nulla quæſtio quærat medium *ita*, quod illud medium demonſtretur; ſed queſtio dicitur quęrere medium, vt per illud medium fiat notum, quod fuit dubitatum. Itaque ſi medium quæratur, non quæritur, vt demonſtretur, cum medium ſit illud, quo aliud demonſtrabile redditur; ſed quæritur, vt aliqua alia via fiat notum, prout laté in *art anteced.* expoſuimus, & hinc innuere deſideravimus.

86 *Dub.2. an ſi eſt, ſit quæſtio?* Ante reſolutionem eſt breviter renovandum, quod duplex eſt eſſe. Quoddam eſt eſſe ſubiecti, & aliud eſt eſſe paſsionis. Eſſe ſubiecti, vt diximus, non habet medium &c. nec eſt demonſtrabile, quia de ſubiecto præcognoſcitur quid eſt, & quia eſt ante omnem demonſtrationem. Eſſe autem paſsionis eſt demonſtrabile, quia eſſe paſsionis eſt ineſſe, & ineſſe paſsionis ſubiecto demonſtratur; ſicque iam de aliquo *ſi eſt*, videtur poſſe eſſe quæſtionem. Difficultas eſt ergo, an *ſi eſt ſubiecti* poſsit eſſe quæſtio; quia de homine videtur quæri, an ſit homo; & de Deo, an ſit Deus, &c. Et ratio eſt; quia prædicta quæruntur de ſubiectis prædictis: ergo datur motivum ad quæſtionem ex eo, quod non ſint quæſita totaliter eadem cum eis; quia de eo quod eſt totaliter idem non datur quæſtio, prout cum Scoto, & Ariſt. dicebamus circa *quærere, an homo ſit homo*, eo quod ſit totaliter idem, quod quæritur, de eo quod quæritur. Vſque adhuc Scotus *in q. 49.* de quo iam plura diximus.

87 Breviter ergo dicimus cum Scoto, & D. Thoma apud eum ibidem, quod *ſi eſt*, eſt quæſtio, cum contingat ignorare, quod ſignificatur per nomen; contingit enim ſcire, quod ſignatur per hircocervum, & tamen dubitare, *an ſit*. Sed tamen *ſi eſt ſubiecti* non eſt dicenda quæſtio compoſita, ſed ſimplex. Eſt propter hoc advertendum, tunc eſſe quæſtionem compoſitam, quando de aliquo quæritur aliquid, quod eſt alterius generis ab ipſo, v.g. dum de homine quæritur riſibile; quia riſibile eſt in alio genere, ſeu linea ab homine, vtpoté in linea paſsionis: quare dicitur compoſita, quia in re datur tertium, & diſtinctio terminorum ſub compoſitione illius, vt patet in riſibili, & homine reſpectu definitionis quidditativæ. Tunc veró eſt quæſtio ſimplex, quando quod quæritur, non eſt diſtincta forma, ſed eſt eiuſdem generis; tunc enim dicitur quæſtio ſimplex, quia ratio formæ, & ratio rei ſubiectæ, non ſunt duę, ſed vna; ſicque, nec datur tertium eſſe prædicans, vt demonſtrativé poſsit de re ſubiecta concludi quæſitum. His ita. Reſpondetur, quod *ſi eſt*, eſt quæſtio, vt dicebatur; eſt tamen quæſtio ſimplex, quia quando quæritur, *an hoc eſt*, non quæritur aliqua forma de alia, ex quo habet ſimplicitatem. Non tamen eſt totaliter idem, cum etſi ſciatur, quod non quæratur aliqua forma de alia; illud tamen quod quæritur, non ſic ſcitur, quod aliqualiter dubitari non præſumatur, tametſi ad idem ſimplex genus reducibile: vnde aliquomodo poteſt dici quæſtio.

88 *Dub.3. an vt aliquis formet definitionem, neceſſe ſit ſcire omnia?* Præſens dubitatio tametſi in alio loco videatur petere reſolutionem, placuit tamen hinc adhibere deciſionem, cum definitio ſubiecti ſit ſpecialius requiſitum in demonſtratione, vtpoté medium ad concludendum aliquid de illo: vnde Doctor Subtilis libros demonſtrationis hac dubitatione coronat: ſic enim in *quæſt. vltima*, quæ eſt ſexageſima.

89 Ad dubitationem ergo reſpondendum eſt cum diſtinctione, cum qua ipſe Doctor reſpondet, ſecundum quam eſt dicendũ, quod oportet, definientem cognoſcere omnia in vniverſali, non tamen in particulari. Primum ſatis claré oſtenditur ab Scoto; quia definiens hominem v. g. debet cognoſcere rationale ineſſe homini, ita quod cognoſcat rationale nulli alteri ineſſe; ſed hoc non poteſt cognoſcere, niſi cognoſcat omnia in vniverſali, ductus illo principio dici de omni, & de nullo:

Digitized by Google

ergo &c. Patere aſſumptum, êxprimit Scotus; quia niſi cognoſcat rationale nulli alteri ineſſe, nō poterit cognoſcere, animal rationale eſſe definitionem hominis, quia tunc non poſſet cognoſcere, quod animal rationale foret convertibile cum homine, cum etſi conveniret omni, non autem ſoli: ergo. Secundum non minus claré oſtenditur ab ipſo; quia ſi definientem oporteret cognoſcere omnia in particulari, tunc impoſsibile foret aliquid ſcire. Prob. quia non poſſet aliquid ſciri, quin ſcirentur omnia ſub propria ratione; ſed ſic ſcire omnia, eſt pro nunc impoſsibile cuicumque: ergo foret tunc impoſsibile aliquid ſcire. Id deducit Scotus; quia actus ſcientiæ non poteſt dari de aliquo ſubiecto, niſi per eius definitionem, cum medium potiſsimæ demonſtrationis ſit ſubiecti definitio: ergo ſi ad definiendum oporteret omnia cognoſcere, actus ſciendi impoſsibilitaretur.

90 Contra reſolutionem aliqua adducit Scotus, cuius probatione iam manent ſoluta; ea tamen proponam, vt plenam relinquamus notitiam. Opponitur ergo, quod ſi aliquis definiat hominem, oportet, quod cognoſcat rationale homini ineſſe, ita quod non aſino, nec alicui alteri; ſed ad hoc, quod cognoſcat, rationale non ineſſe aſino, nec alicui alteri, oportet, quod cognoſcat aſinum, & quodlibet aliud, cui cognoſcit rationale non ineſſe, & ſic omnia: ergo &c. Confirm. aſſumptum per Ariſtot. ibi in litera: cognoſcens enim differentiam aliquorum, cognoſcit illud, quod differt, & illud, à quo differt; ſed definientem oportet cognoſcere differentiam definiti, qua differt à quolibet alio: ergo cognoſcit definitum, & quodlibet aliud; ſicque cognoſcet omnia. His ergo iam prævenit ſupra ſolutionem Scotus; qui ait ad primum, quod ſolum probat, nullum poſſe definire, niſi omnia cognoſcat in vniverſali; & hoc, inquit, eſt conceſſum. Ad confirm. ait, quod non oportet, cognoſcentem differentiam aliquorum ad invicem, cognoſcere vtrumque, ſub propria ratione; ſed ſufficit, quod cognoſcat vtrumque in vniverſali, ſive in particulari. Sic Scotus.

91 Dicimus ergo, ſufficere definienti, cognoſcere reliquorum excluſionem in vniverſali, quia eſtó poſſet inde aliquid habere principium vitæ, & diſcurſus, ſemper ex conceptu hoc determinato pro natura humana deduceret, & abſque repugnantia perciperet, quod tale illud eſſet homo, quem definivit. Diximus ex conceptu hoc pro natura humana determinato; quia, tametſi requiratur, quod conſtitutum ſub determinata ratione cognoſcatur, non tamen ſic determinaté requiritur, quod termini ab illo eſſe excluſi cognoſcantur. Suadetur ſupponendo, quod ex noſtra mentis elevatione claré, & expreſsé cognoſceret, & intueretur aliquis hominis eſſentiam ſub determinatiori ratione: tunc enim perfecté definiens foret, quin aliquid obſtaret, quod ſic claré, & expreſsé reliquorum eſſentias ſub determinata ratione cognoſceret: ergo ſimiliter nūc, cum pro ſtatu iſto ſub nullo alio determinationis gradu poſsimus eſſentiæ hominis evidentiores reddi.

92 Dices forſan, nos poſſe nunc dubitare, an homo habeat prædicatum intimius ſibi, quam rationale: nec non, an aliquod, quod non eſt homo, habeat rationale, vlterius habens ſibi ſpecialiorem differendi formam: quæ ſufficere videntur, vt poſsit aliquis trepidare in definiendis: ergo &c. Fateor, eſſentiæ hominis, nunc exhibitæ, non ſic corroboratos eſſe in certitudine, quod pro eius veritate poſſet aliquis mori, dum poſſet mori pro veritate humanitatis in aliquo individuo, cum Chriſtus foret homo; ſed tamen, vt purus Philoſophus credere poſset aliquis, quod ille ſit humanitatis conceptus, cum nec poſsit certior reddi, nec ab aliquo per contrariam vim poſsit infringi; quod ſufficit, ſupra firmitatem, quam circa ſpecialem quidditatem cuiuſcumque concipimus, abſque vlla nobis nota, nec quoad nos noſcibili contradictione oblata, nec quod poſsit alijs communicari. Hæc ſufficiant, quia ſi nimis intendantur, merito fidei Logicam, & Philoſophiam informabimus, quod non parum innui videtur à Doctore Subtili in *quæſt.* 48. *Poſter.* quam concludit dicens: *tunc addicens credit concluſionem.*

(?)

DIS-

Digitized by Google

DISTINCTIO II.

De illis, quæ principaliter ſpectant ad notionis demonſtratiuæ effectum.

1 IAmetſi annotaverim, quod cunctæ quæſtiones demonſtrativæ ſic tendant ad notitiam principiorũ, quod vno, aut altero modo notitiam effectus pertingant; ſed tamen ſub aliqua notiori expreſsione ſignare curabimus in *anteceden. Diſt.* quæ ſpectabant ad notitiam principiorum, ſicuti & nunc, quæ ſpectant ad notitiam principiati. Intendimus ergo in præſenti *Diſt.* agere de effectu demonſtrationis, quæ eſt ſcientia, & ipſius aliquas adducere comparationes, vt ſcientia ſcientia vndequaque plené capiatur.

QVÆSTIO I.

Scientia exponitur definitio.

2 CVM Doctor Subtilis propoſuerit in 1. *q. Poſt.* ſcientiæ declarationem, prout ab Ariſtot. etiam in 1. huius adductæ, videlicet, *Scire autem* (dicebat Ariſtot.) *opinamur vnumquodque, cum cauſam rei cognoſcimus: & quoniam illius eſt cauſa: & quoniam impoſsibile eſt aliter ſe habere*: percontatur inde in *quæſt. 10. Poſter.* an prædicta definitio circa ſcire ſit danda. Scotus igitur ante quæſiti reſolutionem exponit cum Lincolnienſe, quod ſcire dicitur quatuor modis. Dicitur in primis *ſcire communiter*: quo pacto ſciuntur contingentia ad vtrumque, videlicet, caſualia, & fortuita, &c. Dicitur deinde *ſcire propriè*, & ſic ſciuntur contingentia nata; id eſt, accidens copulativé ad ſubiectum ſe habens. Dicitur aliter *ſcire magis propriè*; & ſic ſciũtur tam principia, quam concluſiones. Tandem dicitur *ſcire maximè propriè*, & ſic ſciũtur concluſiones per principia: quo vltimo modo, *ſcire* eſt rem per cauſam cognoſcere; nec non iſto modo *ſcire* fuit ab Ariſtot. acceptum, prout ſupra ab ipſo definitum.

3 Deinceps eſt etiam advertendum, quod ad hoc, vt aliquid ſciatur præfato vltimo ſciendi modo, requiruntur tres conditiones à Themiſtio ſignatæ, & ab Scoto admiſſæ. Requiritur primò, quod ſciatur per cauſam; eadem enim ſunt principia eſſendi, & cognoſcendi; ergo ſi eſſe illius, quod cognoſcitur, ſupponit cauſam in eo, quod eſt; & eam requiret in eo quod eſſe cognoſcitur. Requiritur ſecundó applicatio cauſæ ad effectum; aliter enim non cognoſcetur effectus niſi in vniverſali, & habitu; non veró in actu, prout exacté prob. ab Scoto in *q. 8. & 9. Poſter.* ergo ad actualem cognitionem requiritur applicatio præmiſſarum, ita quod actualiter cognoſcatur, minorem eſſe ſub maiori. Tertió requiritur, quod ſcitum ſit neceſſarium, & non poſsit aliter ſe habere, prout hinc, & in *lib. Prior.* abundé exemplificavimus. His ita

4 Reſolvendum eſt, quod definitio Ariſt. fuit bené tradita. Ita literaliter Doctor noſter vbi ſupra *§. ad quæſtionem*, ibique comprobat, tres præſatas conditiones in tali definitione inveniri. Prima enim conditio innuitur per primam particulam, ſcilicet, *ſcire opinamur, cum cauſam rei cognoſcimus.* Secunda conditio innuitur per ſecundam particulam, ſcilicet, *quoniam illius eſt cauſa.* Tertia veró innuitur per tertiam, ſcilicet, *impoſsibile eſt aliter ſe habere.* Sed hæc omnia per ſolutionem oppoſitorum plenius eviſcerantur ab Scoto.

5 Primum oppoſitum formatur ſic: vel eſt ſtatus in primis principijs, vel non? Si in primis principijs ſtatus non ſit; tunc in primis principijs erit proceſſus vſque in infinitum; ſed hoc inconvenit, quia in tali caſu nil ſcitum daretur: ergo. Prob. minoris cauſalis; quia non ſcitur illud, in quo non datur principium, nec medium, ac proinde nec poſtremum; ſed vbi proceſſus infinitus adeſt, nec datur principium, nec medium, nec poſtremum: ergo. Deinde, ſi in principijs ſit ſtatus, quæritur vlterius, an talia principia ſciantur, an nõ? Si non ſciuntur: ergo concluſiones non erunt ſcitæ; quia implicat dari ſcientiam circa effectum, & ignorantiam circa cauſam; ignoratis enim primis, & poſteriora ignorantur. Si ſciãtur; manifeſtum eſt, quod non ſciantur per cauſam; quia in principijs eſt ſtatus, & ſic cauſam non ſupponunt: inferretur ergo, quod ſcire non ſit vniverſaliter per cauſam.

6 Reſpondetur à Doctore noſtro dicendo ad primum, ex quo primus pendet diſcurſus, quod in principijs eſt ſtatus, ſicque ceſſat totus ille proceſſus. Deinde ad aliam partem, ex qua alter diſcurſus formatur, reſpondetur per doctrinam ſupra expoſitam, iuxta quam ad illud, *aut ſciuntur, aut non*, dicitur, quod loquendo de ſcientia maximé propria, prima principia non ſciuntur, *quod ſcire* dumtaxat requirit cauſam; quare etſi eam principia non habeant, ſciri valebunt. Itaque principia ſciuntur, ſciuntur tamen loquendo de ſcientia propria, vel magis propria. Ex quibus ergo vis oppoſita diſſolvitur; quia Ariſt. hinc definit ſcire maximé proprium, quod eſt per cauſam; ſicque oppoſitio ſolum formatur ex æquivocatione de ſcire ſecundum quod principia ſciuntur, & de illo ſecundum quod ſciuntur concluſiones.

7 Secundum oppoſitum formatur ſic: Ariſt. *in ſecunda concluſione huius* dicit, quod principia magis ſciuntur, quam concluſiones, iuxta illud, *vnumquodque propter quod &c.* & concluſiones ſciuntur propter principia; ergo principia tunc magis erunt ſcita; ſed manifeſtum eſt, quod principia non ſint ſcita per cauſam, quia eam non habent: ergo & manifeſtum erit, quod ſcire non ſit ſemper per cauſam cognoſcere. Huic oppoſitioni ex profeſſo eſt adhibenda doctrinalis expoſitio ex his, quæ dicemus infra exponentes Scotum ſupra *q. 12. & 13 Poſter.* Sed pro nunc ſufficienter diſſolvitur dicendo, quod principia magis ſciuntur, quam concluſiones, loquendo de ſcientia magis proprié, in quo ſenſu illud dictum Philoſ. eſt intelligendum. Si veró loquendũ ſit de ſcientia maximé proprié, ſecundum quem modum ſcire definitur hinc, ſic principia proprié loquendo non ſciuntur magis, quia ſic principia non ſciuntur.

8 Tertium oppoſitum formatur hinc ab Scoto ex eo, quod cognitio noſtra debeat eſſe eſſe ab his, quæ nobis ſunt magis nota, & notiores ſunt nobis effectus, quam cauſæ; ac proinde *ſcire*, non erit rem per cauſam, ſed per effectum cognoſcere &c. Quod directé diſſolvitur ex illis, quæ expoſuimus *in diſt. 1. q. 4. art. 1. §. Scotus igitur.*

9 Quartum oppoſitum formatur ab Scoto contra ſecundam particulam, ſcilicet, *quoniam illius eſt cauſa*, formatur ex eo, quod ſi ad cognitionem concluſionis oporteat cognoſcere cauſam, vt applicatur ad effectum, ſic concluſio nunquam ſciretur ſub propria ratione, ſed ſub propria ratione relativi; quia cognoſcere aliquid ſub propria ratione applicati, eſt ſcire ſub propria ratione relativi, & ad concluſionem, vt dicebamus, requiritur præmiſſarum applicatio: ergo. Hoc igitur oppoſitum diſſolvitur ab Scoto per ſequentia verba: *Ad aliud dicitur, quod concluſio cognoſcitur per principia ſub ratione relativi; ſed non ſolum ſub ratione relativi, ſed ſub quadam ratione abſoluta, & ſic ſub propria ratione: conſiderando enim concluſionem formaliter ſub ratione cauſati, & præmiſſas ſub ratione cauſæ, ſic cognoſcitur concluſio ſub ratione relativi per præmiſſas. Si enim conſideremus concluſionem ſecundum ſe, quæ infertur ex præmiſſis applicatis, ſic cognoſcitur ſub propria ratione.* Hæc Scotus, quæ hinc non expono, quia pro eis præciſé formavi *quæſt. 2. lib. 7.* vbi prædicta exponuntur abundé.

10 Quintum oppoſitum formatur contra tertiam particulam, ſcilicet, *quoniam impoſſibile eſt aliter ſe habere*, quod formatur ſic: de his, quæ frequenter ſunt, fiunt demonſtrationes: contingit enim ſcire per demonſtrationem, quod Luna eclypſatur; ſed manifeſtum eſt, quod poſſibile ſit, aliter ſe habere: ergo malé dicitur de eo, quod ſcitur, quod aliter ſe habere, ſit impoſſibile. Deinde, quia de corruptibilibus eſt ſcientia, ſecundum quod corruptibilia ſunt; & tamen corruptibile, ſecundum quod corruptibile eſt, poſſibile eſt, quod aliter ſe habeat: ergo. Dices, quod de corruptibili, ſive mobili non eſt ſcientia ſub ea ratione, qua mobile eſt, ſed ſecundum quod eſt immobile. Contra inſtat Scotus: de mobili, ſecundum quod mobile eſt, eſt ſcientia libri Phyſicorum; quia de mobili, ſecundum quod mobile, ſcitur demonſtrativé, quia eſt in potentia ad terminum: ergo. Contra inſtat 2. ſi de mobili eſſet ſcientia ſub ratione immobilis, tunc de aliquo eſſet ſcientia ſub ratione ſui oppoſiti: ergo debet dici, quod de mobili ſub ratione mobilis ſit ſcientia; & in tali caſu reddit vis primæ rationis, ſcilicet, eſſe ſcientiam de eo, quod poteſt aliter ſe habere.

11 Prædictum argumentum pluries in literalibus concertationibus adducitur, & toties circa firmam de eo habendam ſolutionem trepidatur. Doctor Subtilis vim oppoſitam in eo perpendens, in ipſa *q. 10.* ſolutionem adaptat, nec non in *q. 40.* & in *q. 41.* in quibus radicitus quæſtionem movet. Illius etiam meminit in *q. 14. in ſolutione ad tertiam.* Reſpondet igitur dicendo ad primum in *q. 10.* quod licet Eclypſis poſſit aliter ſe habere *ſecundum ſe*, nõ tamen poteſt aliter ſe habere

reſ-

reſpéctu ſuæ cauſæ. Poteſt enim Eclypſis aliter ſe habere ſecundum ſe, quia contingens eſt, quod detur Eclypſis, ita vt ſine vlteriori reſpectu hæc propoſitio cõtigens ſit, *Luna Eclypſi ſubeſt*, ſeu *verum eſt, quod Eclypſis datur &c.* Idenim ſecundum ſe contingens eſt, prout patet, & ſic omnia, quæ frequenter eveniunt contingentia ſunt. Eſt tamen neceſsitas in Eclypſi reſpectu ſuæ cauſæ; quia cauſa Eclypſis eſt interpoſitio terræ inter Solem, & Lunam; qua cauſa poſita, & Eclypſis Lunę de neceſsitate ponitur.

12 Dices, quod præfata expoſitio incongrua videtur, vt contingentia à neceſſarijs valeamus diſtinguere; quia ſi paſsio Lunæ, vtpoté Eclypſis, ſit neceſſaria reſpectu ſubiecti, ſic erit neceſſaria, ac quęcumque alia paſsio; quia paſsio neceſſarior, ſolum eſt talis ex habitudine ad ſubiectum: ergo cum ex habitudine ad ſubiectum Eclypſis neceſſarió dicatur, ſic erit neceſſaria hæc propoſitio, *Luna eclypſatur*, ac iſta, *homo eſt riſibilis*; ac proinde difficilé poterit percipi maior neceſsitas in riſibili neceſſario, ac in Eclypſi contingenti.

13 Præfatæ inſtantiæ adhibenda eſt ſolutio ex Scoto hîc in *q. 14. verſ. ad tertium dicitur &c.* Et vt plené ſolutio Scoti intelligatur, nota prius illam Scotiſtarum doctrinam de diſtinctione relationis intrinſecus advenientis à relatione extrinſecus, ſecundum quam dicimus, quod prima, ſic eſt neceſſaria, quod poſito fundamento, & término ſtatim reſultet; ſecus autem ſecunda, cum poſitis extremis, adhuc egeat aliquo extrinſecó, vt reſultet; ſed tamen illo poſito, etiam relatio dicitur neceſſaria. His ita, conſimiliter eſt intelligendus Scotus, vbi ſupra dicens, quod habitudo paſsionis ad ſubiectum eſt neceſſaria abſoluté, quando poſito ſubiecto, ponitur paſſio ſufficienter; quomodo tunc abſoluté eſt propoſitio neceſſaria, v. g. *homo eſt riſibilis*; quia poſito homine in rerum natura nil vltra requiritur, vt ponatur paſsionis habitudo. At veró in his, quæ frequenter ſunt, ſubiectum poteſt eſſe in rerum natura, licet paſsio non ſit, cum Luna v. g. ſit in aliquo tempore, in quo non ſit Eclypſis; vnde in his, quæ frequenter ſunt, non eſt dicenda neceſſaria abſoluté paſſionis habitudo, tametſi ſit habitudo vnius ad alterum per cauſam extrinſecam, v. g. per habitudinem ad hanc cauſam, quæ eſt interpoſitio terræ inter Solem, & Lunam, eclypſatur neceſſarió. Itaqué Eclypſis neceſſarió adeſt, & neceſſaria eſt habitudo ad ſubiectum, de quo concluditur; eſt tamen neceſſaria, poſito aliquo extrinſeco, & neceſſarió adeſt, non ſecundum ſe, & abſoluté, ſed reſpectivé; ac proinde, vt de relationibus dicebamus.

14 Deinde hæc omnia confirmat Scotus ex illo dicto Ariſt. ſcilicet, *Quod iſta, quæ frequenter eveniunt, vt veniunt in demonſtrationem, neceſſaria ſunt.* Sed vt hoc dictum recté expendatur, eſt prius opponendũ, quod nunquam poſsit Eclypſis neceſſarió concludi de Luna, & oppoſitum inſtat in dicta ſic: quod hæc propoſitio, *Luna eclypſatur*, vt valeat eſſe neceſſaria, vtpoté demonſtrationis concluſio ſcitur per hoc medium, *terra interponitur inter Solem, & Lunam*; ſed hoc medium eſt etiam contingens: ergo vel illa concluſio non eſt neceſſaria, vel neceſſarium ſcitur per medium contingens. Conſimiliter arguitur de omnibus contingentibus, de quibus formatur demonſtratio; quia in his, quæ ſæpé fiunt, concluſionem poſſe ſciri demonſtrativé aſſerimus; ſed media ſunt ſemper contingentia; quia quæ frequenter ſunt, non ſunt neceſſaria: ergo &c. His, & conſimilibus reſpondendum eſt cum ipſis, quæ adducit Doctor S. in *q. 40.* dicens, quod hæc propoſitio, *Luna eclypſatur*, contingens eſt; & etiam illa, *terra interponitur inter Solem, & Lunam*; nec non vniverſaliter ſunt contingentia, & non neceſſaria ea, quæ frequenter ſunt. Dicit tamen Ariſt. *quod vt veniunt in demonſtrationem neceſſaria ſunt.* Quod dictum, à Linconienſi, & Soto exponitur ſic: quod vt veniunt in demonſtrationem, accipiuntur cum circunſtantijs, cum quibus neceſsitantur, v. g. *quandocumque ponitur terra inter Solem, & Lunam eclypſatur; ſed quandocumque Luna cadit in vmbra terræ, interponitur terra inter Solem, & Lunam: ergo eclypſatur.* Vbi patet, qualiter, quæ frequenter ſunt, licet in ſe ſint contingentia, poſsint tamen, vt veniunt in demonſtrationem, eſſe neceſſaria.

15 Ad aliam rationem oppoſitam de corruptibili, mobili, ſeu mutabili reſpondendum eſt, quod Doctor Subtilis in *q. 10.* nec vellem ipſius mutare verba, quia præterquã quod ſatis clara, omnia ſpeciali numine ſunt formata. Reſpondet igitur, quod de corruptibili, ſecundum quod eſt corruptibile *præcisè*, non ſolum eſt ſcientia; ſed etiam ſecundum quod eſt immutabile, vel incorruptibile. Itaque eſt ſciendũ, quod de mutabili, ſecundum quod mutabile, eſt ſcientia, & etiam ſecundum quod eſt immutabile; iſtæ enim rationes non ſunt oppoſitæ, quia relatæ ſunt ad diverſa, prout in expoſitionis progreſſu dicemus. Eſt igitur ſciẽtia de mutabili, ſecundum quod in ſe mutabile eſt, & eſt de mutabili, ſecundum

dum

Digitized by Google

dum quod eſt immútabile , *non in ſe*, ſed reſpectu paſsionis immutabilis : cõpatitur enim, quod mutabili in ſe mutabili, inſit aliqua paſſio immutabiliter. Vnde Scotus , ad primum in ſuperiori oppoſito poſitum reſpondens, concedit, quod de mobili , ſecundum quod eſt mobile in ſe, poteſt eſſe ſcientia ; ſed tamen cum hoc requiritur, quod ſit immobile, & immutabile reſpectu ſuæ paſsionis , id eſt , quod mobile, quod in ſe eſt mobile, non poſsit moveri à ſua propria paſsione in ſuum oppoſitum. Ex quibus conſequenter ad vltimum in inſtantia poſitum reſpondet Scotus dicendo, quod licet de mutabili ſit ſcientia ſub ratione immutabilis; non tamen eſt ſcientia de mutabili ſub ratione ſui oppoſiti ; *quia mutabile in ſe , & immutabile reſpectu ſuæ paſsionis* non ſunt oppoſita , ſed ſic vna ratio aliam concomitatur: ex hoc enim quod mutabile eſt in ſe mutabile, immutabiliter ſuſcipit paſsionem ſubiecti in ſe mutabilis.

ALIQVA DVBIA CONSEQVENTER reſolvuntur.

16 DVb 1. an, & quomodo concluſio neceſſaria poſsit ſequi ex præmiſsis valde contigentibus? Ante dubij reſolutionem eſt advertendum, quod hinc loquimur de contingẽti, non vt comparato ad paſsionem , ſed ad rem, cui contingenter advenit, quin ex parte extremorum ſecundum ſe detur aliqua habitudinis connexio, neceſsitatem eorum etiam ex parte entitatum aliquomodo circunſtans , vt ſupra dicebamus de mobili &c. de quo ſtatim per exemplar in reſolutione ponendum.

17 Reſolvitur , quod neceſſarium *ſyllogiſticè* poteſt ſequi ex præmiſsis contingentibus. Sequitur enim, inquit Scotus in *q. 41.* *Omne quod eſt album eſt animal ; omnis homo eſt albus : ergo omnis homo eſt animal.* Sed tamen propter rationes in oppoſitum eſt conſiderandum , quæ Scotus ibi conſiderat, ſcilicet, quod præmiſſæ contingentes poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo ratione contingentiæ, quæ eſt in præmiſsis. Alio modo ratione diſpoſitionis terminorum. Primo modo ex contingentibus non ſequitur concluſio neceſſaria *propter quid* , *nec ex eo, quod hæc ſunt* ; quia quod ſunt in entitate, habet eſſe contingens. Secundo modo ex præmiſsis contingentibus ſequitur concluſio neceſſaria *eo , quod hæc ſunt* ; quia cum contingentia præmiſſarum in entitate involuatur diſpoſitione terminorum , quæ eſt cauſa neceſſaria inferendi concluſionem, ideo dicitur, neceſſarium ſequi ex contingentibus præmiſsis , ſecundum quod hæc ſunt diſpoſitivé, ſeu ſyllogiſticé. Sic igitur exponit Scotus, neceſſarium ſequi ex contingentibus *quia eſt*, & eodem modo, verum ſequi ex falſis; notat tamen Scotus , quod *propter quid* non ſequitur concluſio neceſſaria ex contingentibus, *quia diſpoſitio terminorum, vt eſt cauſa inferendi concluſionem, extraneatur contingentia.*

18 His ſic expoſitis facilé diſſolvuntur aliqua ab Scoto, videlicet, contingens eſt medium inter neceſſarium, & impoſsibile; ſed ex contingenti non ſequitur impoſsibile : ergo eadem ratione , nec ex contingenti ſequetur neceſſarium. Item, effectus non excedit cauſam; concluſio eſt effectus præmiſſarum: ergo ſi præmiſſæ ſunt contingentes, concluſio erit contingens , & non neceſſaria. His ergo, & conſimilibus reſpondet Scotus , prædictis ſolum probari , quod ex præmiſsis contingentibus , ſecundum quod ſunt contingentes, non ſequitur concluſio neceſſarió , quod conceſſum eſt. Verumtamen , quia ratione diſpoſitionis terminorum (nunquam ex eo , quod eſt contingens, vtpoté quidditativum earum) præmiſſæ ſunt cauſæ cõcluſionis neceſſariæ, ideo ex illis ſic , ſequitur concluſio neceſſaria , *eo quod hæc ſunt*. At autem non contingit reperire aliquam diſpoſitionem terminorum , vt ex eo, quod eſt contingens, ſequatur impoſsibile. Itaque ſic neceſsitas concluſionis, quæ eſt *neceſsitas diſpoſita* , non ſuperat cauſæ , ſeu præmiſſarum neceſsitatem ; tametſi aliter ea ſuperet, ſed ſic non ſequitur ex illis. Hæc omnia prævidi hinc in *Diſt. 1. q. 1. ſ. reſolvo*, vbi cum Scoto *in 1. Poſt. q. 11.* expoſui , quod verum non poteſt ſciri niſi ex veris; quia, etſi verum poſsit ſyllogizari ex falſis, nam ex præmiſsis falſis formalizatur concluſio vera; at veró verum non poteſt ſciri ex falſis, quia ſcire demonſtrationis plus dicit, quam *formalitatem &c.*

19 Dub. 2. qualiter de ſubiecto ſingulari poſsit aliquid ſciri demonſtrativé? Ante dubij expoſitionem advertendum eſt, rationem dubitandi excitari ex eo , quod ſingulare non ſit de requiſito ſcientiæ; requiritur enim vniverſalitas; & deinde ex eo, quod ſingulare ſit corruptibile, & ſcientia incorruptibilis debet eſſe à ſubiecto. His ita reſpondeo, quod habiliter aliquid ſcitur de ſingulari ; *v. g. omnis homo eſt animal; ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal*; vel concludendo paſsionem de illo: *v. g. omnis homo eſt riſibilis; ſed Petrus eſt homo : ergo Petrus eſt riſibilis.*

Ha-

Habilitas igitur deſumi poteſt ex eo, quod ſcientia ſtabiliatur ex medio, quod eſt cauſa ſpecialis concluſionis, & medium, prout patet, vniverſale eſt. Deinde poteſt habilitari ex eo, quod in illo ſubiecto non ſolum adſit ſingularitas, ſed etiam natura ſpecifica, ex qua datur habilitas, vt aliquid demoſtrativé concludatur. Tandem habilitatur à Doctore Subtili hinc in *q.* 14. ex eo, quod paſsiones conſequantur ſpeciem à diſtinctione aliorum accidentium, quæ primó conſequuntur ſuppoſita, ſeu ſingularia: quare ſi *riſibile* approprietur Petro, ipſi appropriatur, non ſub ratione propria, ſed ſub ratione ſpeciei; ac proinde tribuitur ei, quia ſpeciei. Ad illud de corruptibili reſpondet Scotus ibidem, quod ſingularia non debent intelligi prout exprimunt actualitatem extremi; ſed prout in ſuo conceptu includunt naturam ſpeciei: quo pacto incorruptibilia ſunt. Vide dicta ſupra in *lib. Periherm. Diſt.* 2. *q.* 1. vbi abundé manet expoſitum qualiter ſingulare ſit circa ſpeciem intelligendum.

20 Dub. 3. à quo concluſio demonſtrata dependeat magis, à ſubiecto, aut à prædicato? Quod ab vtroque nimis dependeat, nulli poteſt eſſe dubium, cum concluſio ſiſtat in claro, firmoque aſſenſu vnius de alio, vtporé prædicati de ſubiecto. Difficultas ſtat in dependentia per comparationem ad vnum, & alterum. Reſpondendum eſt, quod concluſio magis dependet à ſubiecto, quam à prędicato. Ratio eſt Scoti in *q.* 7. *ſ. ad primam rationem*, vbi id deducit ex eo, quod prædicatum ſit paſsio, & ſubiectum ſit cauſa paſsionis, ac proinde erit cauſa prædicati: ergo.

QVÆSTIO II.

De ſcientia comparata ad principia.

21 INquirimus hinc de ſcientia reſpectu principiorum, an ſcilicet concluſio demõſtrationis ſit notior, quam ſuorum principiorum cognitio? Circa quod aliqua notanter prævenit Scotus, quæ & nos in ſolutione argumentorum explicata relinquemus.

22 Reſolvendum eſt cum Ariſt. apud Scotum hinc in *q.* 13 quod principia ſunt magis nota, quam concluſiones. Prob. 1. ab Scoto (miror, quod Dionyſ. Blaſco exponens Bachonium in 1. *Diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 1. *ſ.* 4. id ipſum reſolvat, citans Bachonium, circa hoc contra Scotum arguentem) ex illo principio *propter quod vnumquodque eſt tale, illud eſt magis*; ſed propter principia ſunt notæ concluſiones: ergo illa erunt nota magis. Axioma illud, ex quo maior formatur, iuxta mentem Scoti exponetur inferius.

23 Prob. 2. ab Scoto per vnam aliam rationem Ariſtot. quia ſi principia eſſent minus nota, vel æqualiter nota cum concluſionibus, ſequeretur tunc, quod ignotum eſſet magis, vel æqualiter notum cũ eo, quod eſt notũ, ſed hoc ſic eſſe repugnat: ergo & illud. Prob. major; quia habita cognitione principiorum, adhuc in illo priori naturæ concluſio eſt ignota, & principia ſunt nota; ergo ſi dicas, quod concluſiones ſunt magis notæ, vel æqualiter cum principijs, tunc ignotum eſſet magis notum, quam illud, quod eſt notũ. Sed circa hanc probationem exiſtimo potius auctoritatem, quam rationem vrgere.

24 Prob. 3. ab ipſo Doctore Subtili, qui probat, quod concluſio non ſit magis nota, quam principium, quia nil agit vltra ſuam virtutem. Prob. id; quia virtus eſt vltimum potentiæ; ſed principia per ſuam virtutem ſunt cauſæ concluſionis: ergo maiorem cognitionem non poſſunt facere in concluſione, quam ipſa habent de ſe, imo nec tantam. Prob. Scotus; quia de ratione cauſæ eſt, quod quidquid reperiatur in effectu, & cauſa, excellentius reperiatur in cauſa; ſed concluſio eſt effectus, & premiſſæ ſunt cauſa: ergo quidquid reperiatur in præmiſsis, & concluſione, excellentius reperietur in premiſsis.

25 Contra reſolutionem plura adducit Scotus, quorum principalia proponemus. Obijcit 1. quod principia non ſunt ſcita: ergo non ſunt magis ſcita, quam concluſiones. Prob. antec. quia ſi principia eſſent ſcita, eſſet infinitus proceſſus, cum, vt ſcitentur, deberent ſupponere cauſam. Secundo: quod eſt notum per cauſam, eſt magis notum, quam illud, quod non eſt notum per cauſam: v. g. concluſio in demonſtratione vniverſali eſt magis nota, quam concluſio in demonſtratione particulari; quia in vniverſali cognoſcitur per cauſam, ſecus veró in particulari ſecundum Ariſt. ſed concluſiones demonſtrationis ſunt notæ per cauſam; ſecus autem principia ipſa: ergo concluſiones non ſunt minus notæ principijs. Tertio: principium, & concluſio non ſunt comparabilia ſecundum cognitionem: ergo principium non eſt magis notum, quam concluſio. Prob. anteced. quia comparatio ſolum eſt in vnivocis ſecundum Ariſt. 7 *Phyſic.* ſed principium, & concluſio quoad cognitionem non ſunt vnivoca; quia cognitio concluſionis eſt per cauſam; ſecus autem cognitio prin-

principij: ergo ſecundum cognitionem non ſunt comparabilia.

26 Pro ſolutione prædictarum rationum, ex parte connexarum, revocandæ ſunt in memoriam illæ ſcientiæ acceptiones, prout ſupra in initio *quaſt.* 1. fuerunt ex Scoto traditæ: quibus ibi, dicimus ad primum cum Scoto, verum eſſe anteced. loquendo de ſcientia *maximè propria*, quæ eſt cognitio rei per cauſam: ſic enim principia non ſunt magis ſcita; ſiquidem ſic principia nec ſunt ſcita, cum principiorum non detur ſcientia, ſed intellectus. Loquimur ergo de ſcientia *magis propriè dicta, quod ſcire* dicitur apprehenſio neceſſariorum, ſive ſint principia, ſive concluſiones; ſecundum quam ſcientiam principia ſunt magis ſcita, quam concluſiones, prout ſcilicet ſcientia eſt apprehenſio veritatis neceſſariorum: de quo adhuc infra.

27 Ad ſecundum reſpondetur etiam ab Scoto, dicendo ad maiorem, verum eſſe, quod illud, quod eſt notum per cauſam, ſit magis notum illo, quod per cauſam non cognoſcitur; erit tamen ita verum, dum vtrumque habeat eſſe natum cognoſci per cauſam: Vnde cum prima principia non ſint nata cognoſci per cauſam, quia eam non habent, & concluſiones natæ ſint per cauſam cognoſci, exẽplum illud non valebit. Illud enim, quod ſcitur per demõſtrationem vniverſalem, magis ſcitur, quam quod ſcitur per particularem, quia vtrumque eſt natum cognoſci per cauſam; ſed quia quod cognoſcitur per particularem demonſtrationem, non ſic exprimit cognoſci per cauſam, ſicuti demonſtratio vniverſalis; ideo ibi tenet exceſſus; ſecus verò hinc, vbi ambo comparationis extrema non habent poſſe per cauſam cognoſci.

28 Ad tertium reſpondet Doctor conſimiliter negando antecedens; quia principia, & concluſio comparabilia ſunt. Ad probationem illius reſpondet, quod licet concluſio cognoſcatur per cauſam, ſecus autem principium; ex hoc tamen ſolum inferri, quod in ſcientia maximè propria, non ſint comparabilia, cum in hac ſcientia, ſolum poſſint comparari, quæ inſimul habent per cauſam cognoſci. Sed tamen accipiendo ſcientiam tertio modo dictam, prout ſupra, quo modo ſumitur ſcientia, prout eſt apprehenſio veritatis neceſſariorum, tunc erunt comparabilia, cum ſub tali modo, *Scire*, vnivocè competat principijs, & concluſionibus, tametſi ſemper excellentius ſalvetur in principijs.

29 Dices, quod ſaltim diſparatè poterit comparari notio concluſionis cum notione principiorum, ita vt fiat ſic comparatio de notione concluſionis, prout eſt cognitio per cauſam, reſpectu notionis principiorum, prout eſt cognitio abſque illa, ſed ſolum apprehenſio veritatis neceſſariæ: tunc ergo inquiritur, quodnam ex illis ſit per ſuam notionem notius? Quod enim, etſi notiones ſint diſparatæ, poſſint adhuc comparari, videtur ex eo, quod cognitione divina ſic comparetur noſtra: dicimus igitur, hoc cognoſcitur à nobis, ſed magis, vel (ſi aliter dicere mavis) melius cognoſcitur à Deo: ergo à ſimili.

30 Reſponderi poteſt, tale comparationis diſparatæ dictum admittendo, quod ſemper principia ſint magis nota, quam concluſio. Primò; quia præterquam quod notio principiorum eſt neceſſariſsima, id componit cum perfectiori, & ſubtiliori ſpiritualitate, & ſimplicitate, vt ita dicam, cum nec curſu, nec ampliori mentis volatu egeat; ſed imò ſummè in ipſis principijs ſiſtat, quin beata, ſeu prima principiorum lux, & intuitio relinquant mentem vlterius divagare, & diſcurrere: in quo, prout patet, elevata eſt perfectio; ſic enim, modo cognitionis divinæ reddimur affines. Secundò; quia vt rectè prævidit Scotus hinc in *quaſt.* 16. *verſiculo. Item ad principale in demonſtratione, &c.* etſi tam concluſio, quam præmiſſæ ſint per ſe, & in hoc convenire videantur, ſed tamen diſtant ſemper ex eo, quod concluſiones cum hoc, quod ſunt per ſe, (puta, quod non ſunt per accidens) habent eſſe propter aliud; ſecus autem præmiſſæ, quæ ſunt per ſe, & inſimul propter ſe. Tertio, propter omnes rationes ex Scoto ſuperius adductas.

31 Obijcit 2. ſi principium eſſet magis notum, quam concluſio, ac per conſequens concluſio minus nota, tunc concluſio aliquid haberet de noto, & aliquid inſimul de ignorantia, quod eſſet habere inſimul aliquid de oppoſito: ſed hoc repugnat: ergo &c. Mai. prob. per ſimile; quia quod eſt pallidum, eſt minus album, quam album; ideoque habet aliquid de albedine, & aliquid de nigredine: ſic ergo concluſio erit veluti pallida, quia in parte nota, & in parte ignota, quia minus nota, quam principium. Reſpondetur ab Scoto, à quo id facilè diſſolvitur: concedit enim, quod concluſio ſit partim nota, & partim ignota; ex hoc enim, quod concluſio cognoſcitur in ipſo principio non eſt nota, ſaltim clarè; ſed ex hoc bene compatitur, quod vlterius ſit ſimpliciter ſcita. Tum etiam, quia quod in parte dicatur ignota ex eo, quod

ſit

Digitized by Google

ſit minus nota per comparationem ad aliud, nil contradicit; vt patet in ipſo ſimili palloris: ſic ergo nec referet, quod mentaliter ſit pallida concluſio.

32 Obijcit 3. Si concluſio eſſet minus nota, quam principium, ſequeretur tunc, quod nobilius ordinaretur ad minus nobile, tanquam ad finem; ſed conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Prob. conſequenter poſitum; quia ſi concluſio eſſet minus nota, quam principium, ignotior, & incertior eſſet, quam principium; ſed principium ordinatur ad concluſionem: ergo & malus nobile ad minus. Reſpondet Scotus concedendo, quod cognitio principiorum ordinetur ad cognitionem perfectam concluſionis; negando tamen, quod inde ſequebatur, ſcilicet, quod nobilius ordinetur ad minus nobile. Itaque ſubtiliter, & claré diſcurrit, dicens, quod principium, in quantùm in eo eſt ſcientia concluſionis in vniverſali, (vide dicta in *lib. 7. diſt. vnic. quæſt. 5. in reſolutione*) & modo confuſo, ordinatur ad perfectam cognitionem concluſionis, & ad eius notionem in particulari; quomodo imperfectum ſolum ordinatur ad perfectum, dum ſic ordinatur principium: ordinatur igitur in his, vel per ea, quæ concluſionis ſunt, prout ſcilicet imperfecté ſunt in eo, quæ ſunt concluſionis, tametſi perfecté ſint, quæ ſunt principij.

33 Obijcit. 4. concluſio in demonſtratione eſt neceſſaria; ſed veritate nil eſt verius: ergo nil poteſt eſſe notius in veritate, quam concluſio in demonſtratione; ac proinde principia non ſunt magis nota. Reſpondet Scotus concedendo, quod veritate neceſſaria nil eſt verius; ait tamen, quod poteſt eſſe aliquid in veritate certius, & notius; de quo aliqua diximus in *lib. 6. diſt. 2. quæſt. 5.* Deinde reſpondet, quod poteſt dici per interemptionem prædictæ propoſitionis; quia veritate neceſſaria alicuius concluſionis, poteſt aliquid eſſe verius. Suadetur ab ipſo; quia ſic aliquid eſt verum, ſicuti eſt; ſed illud, cuius neceſsitas ab alio non dependet, eſt magis neceſſarium, quam illud, cuius neceſsitas dependet ab alio: ergo & illud, cuius veritas non dependet ab alio, erit magis verum, quam illud, cuius veritas ab alio dependet. Ad rem nunc: veritas principiorum non dependet ab alio; aliàs demonſtratio non foret *ex primis veris &c.* Sed veritas concluſionis dependet à primis in veritate: ergo. En Scotum: *Illud enim eſt magis neceſſarium, & per conſequens magis verum, cuius neceſsitas, & veritas ab alio non dependet, quam illud, cuius neceſsitas dependet ab alio.*

EXPONITVR PRO COMPLEMENTO quæſt. iuxta Scotum, illud dictum: Propter quod vnumquodque eſt &c.

34 CUM prædictum axioma ſit vnum ex fundamentis, quibus Doctor Subtilis propugnavit reſolútionem antecedentem, & deinde tali axiomaté paſsim vtantur vniverſi ſcientifici; ideo ſecundum mentem Doctoris illud exponere decrevimus.

35 Scotus igitur, axiomatis veritatem ex adverſis retundens, refert Solis exemplar, in quo invenitur, quod diſſolvat glaciem, & cónſtringat lutum, & tamen non ſequitur, quod cõſtrictio, & diſſolutio ſint in Sole, quia in eodem non ſunt ſimul oppoſita: ergo illud, quod eſt in vno propter aliud, non eſt magis in illo alio, propter quod eſt in illo vno. Tum etiam non ſequitur, iſte eſt ebrius propter vinum: ergo vinum eſt magis ebrium, quam iſte. Nec ſequitur, iſte eſt calidus propter Solem: ergo Sol eſt magis calidus. Sol enim calidus non eſt: ergo &c.

36 Circa hæc varia adducunt Auctores, quorum aliquas expoſitiones reijcit noviſsimé Dionyſ. Blaſco *in 7. diſt. 25. quæſt. 3. art. 1. §. 4.* Sed cum nulla melius referantur, quam quæ Scotus refert, ideo ab illis abſtractus, ſolius literæ Subtilis curam habere intendo. Prædictis ergo reſpondetur apud Scotum, quod præfatum axioma eſt intelligendum in cauſis vnivocis, & effectibus, vbi aliquid vnivocé in cauſa, & effectu reperitur; ebrietas autem vnivocé non reperitur in ebrio, & in vino, quia in ebrio formaliter, dum in vino ſolum effectivé. Similiter dicitur, quod calidum non eſt in Sole formaliter, quemadmodum eſt in corpore calefacto; quia calidum eſt qualitas activa pertinens ad elementum, & in Sole non eſt qualitas activa, ſed eſt in luce, per quam Sol efficitur calidus: lux autem non eſt qualitas activa, ſed activus actus.

37 Sed contra, proſequitur Scotus, quia ferrum ignitum eſt calidum formaliter, & ſimiliter lignum ignitum, & tamen non ſequitur, ferrum ignitum eſt calidum

Yyy prop-

propter lignum ignitum: ergo lignum ignitum eſt magis calidum, quam ferrum. Reſpondetur iterum apud Scotum, (præſentem expoſitionem debere ſubſiſtere reſolvit: de quo ſtatim infra) quod ferrum ignitum eſt calidum propter lignum ignitum per accidens. Itaque lignum ignitum non calefacit, *niſi quia ignis*; & illa propoſitio, *propter quod vnumquodque &c.* non ſolum habet intelligi in cauſis vnivocis, prout ſupra; ſed cum hoc habet etiam intelligi in cauſis per ſe. Contra probo, inquit Scotus, quod ſimile invenitur etiam in huiuſmodi cauſis per ſe: quia ignis eſt cauſa vnivoca reſpectu caloris in ferro; vtrumque enim eſt calidum formaliter: deinde eſt cauſa per ſe, ſicuti etiam ipſa reſponſio concedit; & tamen non ſequitur, ferrum eſt calidum propter ignem: ergo ignis eſt magis calidus. Videmus enim ad ſenſum, quod æqualis quantitas ferri igniti vehementius comburit, quam æqualis quantitas ignis.

38 Deinde prædictum axioma impugnat Scotus ſub alio modo, ſic: non ſequitur concluſio, ſcitur propter principia: ergo principia ſunt magis ſcita: non enim ſequitur; quia antecedens eſt verum, ſecus autem conſequens, cum principia non ſint ſcita: principiorum enim eſt intellectus, non autem ſcientia ſecundum Ariſtot. in fine huius primi: ergo eſt falſum illud dictum, *vnumquodque propter quod &c.* Reſpondetur apud Scotum, quod quadruplex eſt ſcientia ſecundum Linconienſem, ſcilicet, communiter, proprié, magis proprié, & maximé proprié, prout diximus ſupra in *quæſt.* 1. Vnde Ariſtot. intelligit, quod ſcientia eſt concluſionis tantum, loquendo de ſcientia maximé proprié dicta; ſed loquendo de ſcientia proprié dicta, concluſiones ſciuntur propter principia, & ſic principia ſciuntur magis. Contra, accipio, inquit Scotus, ſcientiam concluſionis maximé proprié: adhuc in tali ſcientia ſciuntur concluſiones propter principia, & tamen non ſequitur, ergo principia magis ſciuntur: ergo quia non ſequitur, *propter quod vnumquodque &c.* His ita pro maiori axiomatis eviſceratione propoſitis.

39 Reſolvitur, quod hoc dictum eſt verum, ſcilicet, *vnumquodque propter &c.* Ita literaliter Scotus cum Ariſtot. hinc in *quæſt.* 52. Dat Scotus rationem ex eo, quod illud, quod reperitur in effectu, & cauſa, nobilius, & excellentius reperiatur in cauſa, quam in effectú; quia excellere effectum, videtur eſſe de ratione cauſæ: ſi ergo aliqua proprietas cauſetur in aliquo ab aliqua cauſa, ſi illa proprietas in tali cauſa vnivocé reperiatur, (hanc ſolam conditionem approbat nobiſcum Dionyſ. vbi ſupra) excellentius, quam in effectu, reperietur in cauſa: ergo &c. Hoc ſimiliter per exemplum ſuadet Scotus: quia ſi Magiſter diligatur propter diſcipulum, tunc diſcipulus magis diligetur. Sed tamen ſuam reſolutionem plené Scotus explicans, notat, quod præfatum axioma eſt intelligendum in cauſis vnivocis, & per ſe; non autem in cauſis æquivocis, & per accidens; quia in has, vt patet, maioris, perfectioris, & intenſioris denominationis non poteſt dari firma, & conſona reſolutio: in cauſis enim æquivocis deficit conſonantia, ſicuti in de per accidens deficit firmitas.

40 Reſpondendo deinde ad ea, quæ in argumentis ſuperfuerunt oppoſita, dicitur ex Scoto ad primum, quod Sol non diſſolvit glaciem, & conſtringit lutum, niſi per accidens; propria enim operatio cauſata à Sole, eſt per lucem calefacere: at vero glaciem diſſolvit per accidens, quia calidum liquabilia diſſolvit per accidens. Similiter per accidens conſtringit lutum, quia per calorem exhalat ſubtile, & derelinquitur groſſum. Ad illud aliud, quod ſuperfuerat circa ferrum ignitum a ligno calido, elevatum per inſtantiam ignis, qui de per ſe eſt cauſa caloris, reſpondet Scotus, veré ſequi, quod ignis ſit magis calidus, quam ferrum ignitum; pro quo citat tacitus quemdam expoſitorem. Et ad vltimam probationem contra hoc ait, quod ſtat ſimiliter, quod ignis ſit magis calidus qualitativé, quam ferrum, & tamen quod maior ſit caliditas in ferro ignito ſecundum quantitatem. Vnde dicitur, quod illa *maioritas* in ferro ignito eſt propter comparationem partium materialium ferri: quare non ſequitur, in ferro eſt *maior* caliditas: ergo ferrum eſt *magis* calidum. Denique ad illud aliud de ſcientia concluſionis derelictum, reſpondet Scotus, non ſequi, *concluſiones ſciuntur propter principia ſcientia maximè propriè dicta: ergo principia maximè ſciuntur*: hinc enim non arguitur in vnivocis, cum ſcire maximé, non competat vnivocé concluſionibus, & principijs; concluſionibus ſiquidem competit formaliter, & principijs ſolum competit (puta de *ſcire maximè propriè*) effectivé. Sed tamen loquendo de *ſcire*,

quod

quod eſt apprehenſio neceſſariorum, ſive ſint principia, ſive concluſiones, hoc modo ſcire vnivocé competit principijs, & concluſionibus: quomodo principia ſunt magis ſcita, quam concluſiones; & hoc ſic ab Ariſt. intelligi, & à Lincon. exponi, firmiter ſcribit Scotus.

41 Notandum eſt in fine, quod dum ab Scoto dicitur, principia non ſciri magis, ſciẽtia maximé propria, debet id attendi iuxta formalitatem axiomatis, quod hinc exponit. Exponebat enim Scotus, quod ad verificandum axioma requirebatur vnivocatio, ſecundum quod deduxit, quod etſi concluſio ſciatur maximé proprié propter principia, non ſequi, quod ſcientia maximé proprié ſciantur magis principia, quia principijs nunquam maximé proprié ſciri, poteſt competere, cum repugnet eis ſciri per cauſam. Sed tamen exiſtimo, quod etſi principia non ſciantur magis, quam concluſio, maximé proprié; poſſe tamen dici, quod ſciantur magis, quam illud, quod maximé proprié ſcitur, etſi illud magis ſit diſparatum, vel aliter comparabile, etſi ſic, non ſit comparabile vnivocé. Sic enim ſi dicatur, quod Beati amant Deum, quia Deus ſe amat, vel quia Deus vult, ſequeretur, quod Deus erat in ſe magis amatus, quam à Beatis; & tamen diſparati forent amores. Vel ſic, *Deus amat Beatos propter ſe*, tunc Deus amaretur magis, quam amaret Beatos; & tamen primus amor foret neceſſarius, & ſecundus contingens; ſicque illa maioritas diſparaté caderet ſupra contingens. Et quia forté dicetur ab aliquo, quod concluſio ſcitur formaliter, & principia ſolum effectivé, & ſic non ſcientur magis, vide dicta ſupra in hac *quæſt. 2. argum. 3.* & ea nimis nota. Vide etiam dicta *ad primum argum. in ſolutione ad tertium.*

QVÆST. III.

De ſcientia comparata ad oppoſita.

42 CUm ſcientia iuxta Ariſtot. definitionem ſoleat exponi per eſſe cognitionem certam, & evidentem per viam diſcurſivam deductam, ſequitur inde, quod actu, & habitu aliqua ſibi oppoſita concernat. Illud igitur erit ſcientiæ oppoſitum, cui ratione formidinis, deficiat firmitas, ſeu certitudo; ſicuti, & cui ratione obſcuritatis, & inevidentiæ deficiat claritas. Dignoſcitur ergo, quod ſint actus ſcientiæ oppoſiti fides, & opinio: prima namque defectu claritatis, & evidentiæ, ſicuti ſecunda defectu evidentiæ, & firmitatis. Dixi enim, quod actu, & habitu ſint oppoſita: propter quod ſolet adverti, quod concluſio derivata ex ſyllogiſmo demonſtrativo dicitur ſcientia: derivata ex ſyllogiſmo fidei, dicitur fides: & ex probabili dicitur opinio. Omnes igitur tres prædictæ formalitates actu percipiuntur quando vnaquæque accipitur pro aſſenſu ipſo, actu formato propter ſpeciale motivum: v. g. aſſenſus, qui formatur circa obiectum, cuius medium claré, & ſine partis contrariæ formidine movet, dicitur actualis ſcientia, & é contra formatus aſſenſus dicitur actualis opinio. Similiter aſſenſus de obiecto, cuius medium, ſeu medij applicatio, ex terminis non claret; tametſi ex motivo firmetur, dicitur actualis fides. Deinde ſicuti ex frequentia actuum in cuiuſvis lineæ exercitio gignuntur facilitates, ſeu habitus virtuosé ad conſimiles actus inclinantes potentias; ſic omnes prædicti ſyllogiſmi ex frequentia, & exercitio generant in intellectu ſpecialem facilitatem, ſeu habitum, ad ſimiles actus eum inclinantem, & propendentem: vnde habitus genitus, à demonſtratione ad concluſionem propendens, dicitur habitus ſcientiæ, ſeu ſcientia habitualis; ſicuti concluſio ipſa, actualis ſcientia dicebatur, & ſic pariter de alijs fidei, & opinionis inclinationibus dicitur. Cum igitur prædicti actus opponi videantur, & in ſuis ſpecialibus rationibus contrariari; nec non habitus ipſi, diſtinctæ facilitates appareant, cum diſtinctiſſimis inclinationibus intellectum relinquant informatum, & propenſum, inquiritur hinc, an tanta ſit talium actuum, & habituum oppoſitio, quod circa idem obiectum tam naturaliter, quam ſupernaturaliter non valeant inſimul compati, aut combinari? Circa quod

43 Reſolvo 1. prædictas formas habitualiter, eſſe adhuc naturaliter compatibiles. Ita videtur deduci ex Scoto *in 3. d. 24. verſ. ad aliud dico*, vbi licet de cauſis, ſeu medijs, vt cauſantibus inſimul, exprimat repugnantiam, ſecus de ipſis in ſe, & ſine comparatione ad actus cauſatos. Et ratio eſt; quia in principijs minus viget oppoſitio, quam in principiatis, ſeu in actibus ipſis: ergo tametſi actus eſſent incompatibiles, ſecus autem habitus ipſi. Suadetur antecedens ratio in voluntate, cuius indiviſibilis virtus eſt amoris, & odij inſimul, dum actu amor, & odium ſolum poſſunt eſſe diviſim; ita vt amo-

ris, & odij oppoſitio per modum virtutis, & principij ab eadem potentia ſuſtineatur: ergo quia in principijs minus viget oppoſitio, quam in principiatis Suadetur eadem antecedens ratio in intellectu, qui naturaliter ſuſtinet inclinationem ad obiectum naturale, & ad ſupernum, ita vt per modum inclinationis vtrũque ſuſtineat; & tamen per modum actus vtrumque in ipſo incompatibile reddatur; ſed etiam habitualitates prædictæ inſtant in potentia per modum inclinationis: ergo. Suadet id omne naturalis formarum incompatibilitas in eadem materia prima, dum tamen per modum appetitus, & inclinationis, omnis oppoſitio evincitur; ad omnes igitur inclinatur, dum omnium actus repugnentur: ergo.

44 Deinde, quia quilibet habitus manet intellectui innixus ex ſimilium actuum frequentatione: ergo ex frequentatione actuum diſsimilium non abolebitur, ſaltim dum numerus actuum oppoſitorum non excedat eum. Explico, & adapto rationem, ſupponendo, quod opinionis habitus ſit genitus ex octo actuum frequentia, & quod ex ſeptem actuum frequentia ſit iam generatus habitus ſcientiæ. Nunc ſic: dato, quod facilitas ad opinionem aboleretur per contrariæ facilitatis ſcientificæ actus, non veró aboleretur per ſeptem ſcientiæ actus; quia ſic prodeſt opinionis exercitium ad facilitandum in illa linea, ac proſit ſcientiæ exercitium ad deſtruendum: ergo dum per octo opinionis gradus extitit facilis, per ſeptem ſcientiæ non reddetur difficilis; ſed ad ſummum, vnum facilitatis exercitium poſſet evinci per vnum aliud difficultatis: ergo vſque tunc forent habitus compatibiles. Dixi ad *ſummum*, quia adhuc poſſem plura petere; nam ſi dicas, quod dum generatur habitus ſcientiæ, nõ ſolum reddit talis habitus intellectum facilem ad ſcientiam, ſed & difficilem ad opinionem; ac proinde, quod generatio vnius eſt corruptio alterius: dicam ex oppoſito, quod dum genitus fuit habitus opinionis, non ſolum remanſit intellectus facilis ad opinionem, ſed etiam difficilis ad ſcientiam; ſicque eadem, æqualiſque vis daretur ex oppoſito, vt per modum virtutis æqué ab intellectu ſuſtineretur. Tum etiam, quia dato, quod aliquid poſſet evincere habitus ſcientifici generatio, ſat foret, quod evinceret difficultatem ad ſcientiam, non autem facilitatem ad opinionem. Hæc nota, ſi forte circa hoc aliquis inſiſtere prætendat

45 Reſolvo 2. prædictas formas intentionales per modum actus inſimul, & de eodem obiecto intellectum informare, naturaliter repugnare. Ita Scotus vbi ſupra, nec non videtur colligi ex *q. 54. Elench.* vbi loquendo de Scuto, ſi forté foret album & nigrum ſimpliciter, deducit repugnantiam *§. ad quæſtionem, quia tunc contraria ſimul eidem ineſſent*, ſed aſſenſus contractus ad formidinem contrariatur cum aſſenſu formidinem evacuante, & expellente: ergo. Confirmari poſſet id ex illo Pauli 1. *ad Corinth.* 11. diviné philoſophantis: dicebat enim, quod cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt: vnde erudité diſcernebat intelligentiæ ſtatus, reſolvens, quod aliter loquebatur vt parvulus, ac dum erat factus vir, expellens enigma ante claritatis faciem; ſed intellectus dum opinans, intelligit vt parvulus, quia trepidatur per diſcurſus viam, quouſque per ſcientiæ vires in via diſcurſiva ſentit firmitudinis, & claritatis incrementum, expellens viæ obſcuritatem, & enigma per ſolidum ſcientiæ ſplendorem: ergo quia ſic repugnat ſcire, & opinari, ac inſimul eſſe parvulus, & vir; nec non videre obiectum idem, inſimul per ſpeculum, & facie ad faciem.

46 Prob. 2. aliquibus rationibus conciſſé formatis. Prima, quia repugnat, quod idem ſubiectum quieſcat, & inſimul moueatur; (quidquid ſit ſuperné, diſſolvitur a pluribus *in 4. Phyſ.*) ſed intellectus ſciens quieſcit intentionaliter, ſecus autem opinans, imó, & credens, quia vſque ad Deum inquietum eſt cor ex illo Auguſtini: ergo. Secunda, quia ſic intellectus adæquatur ſplendidé ſcientia, ac oculus viſione; ſed repugnat, quod oculus producat viſionem meridianam, & nocturnam circa idem: ergo. Tertia, quia etſi non repugnet motus rectus inadæquaté, vtpoté per pedem, & inadæquaté circularis, vtpoté per manum; repugnat tamen motus rectus, & circularis adæquaté; ſed motus ſcientificus eſt rectus, & opinativus eſt circularis: ergo. Quarta, quia repugnat naturaliter, quod aliquis ſit inſimul ſanus, & infirmus; ſed habens ſcientiam, habet (hæc eſt Ariſt. phraſis, apud Scotum paſsim) ſanum intellectum; ſecus autem habens opinionem: ergo. Quinto à paritate aliorum ſubiectorum, vtpoté aqua, quantitas, &c. quorum primo, repugnant inſimul frigus, & calor: ſecundo, penetrari, & impenetrari; ſed intellectus caleſit per ſcientiam, ſicuti frigeſit per opinionem; nec non per ſcire penetrantur termini, ſecus autem per opinari: ergo.

47 Dices, plura ex adductis eſſe invalida; quia per ea arguimus à formis inſubordinatis ad ſubordinatas, vt ſunt ſcientia, fides, & opi-

nio-

Digitized by Google

nio;opinio enim eſt diſpoſitio ad ſcientiã;quia antequã aliquid ſciamus, de eo habuimus dubitationem, prout toties diximus in *q.q. anteced* cum Scoto tenente, quod per ſcientiam certificamur de illis, quæ dubitabamus: vnde ad ſcientiam, verum dubitabile requirebat. Deinde ſunt aliquæ rationes impares; quia aqua, &c. eſt determinata ad vnum, vtpoté frigus, & ſic, nil mirum, quod non poſsit cum alio inſimul combinari; ſecus autem intellectus, qui eſt indifferens ad omnia: ergo.

48 Sed contra, & do libenter, quod opinio ſit ſcientiæ diſpoſitiva: arguo ſic; ſed diſpoſitio ad formam, In nullo genere cauſæ realis manere poteſt naturaliter inſimul cum illa: ergo. Minor patebit diſcurrenti per ſingulas: diſpoſitio enim ad formam, eſt via ad terminum, & ad eſſe in facto; ſed repugnat inſimul eſſe aliquid in via, & in termino, prout adhuc patet apud nos viatores: ergo. Deinde contra ſecundum etiam manet ratio in vi ſua: quia in primis homo eſt indifferens ad eſſendum in hoc loco, vel in illo, nec non ad flendum, vel ridendum; & tamen nec poteſt eſſe in duplici loco, nec ſimul eſſe flens, & ridens. Tum, quia intellectus ſemel conſtitutus in ſcientia, non minus manet determinatus ex illa forma, ac aqua ex frigore. Tum denique, quia prout ly. *ex ſe* prætenditur in aqua reſpectu frigoris, etiam poteſt præſumi in intellectu reſpectu ſcientiæ; quia intellectus ex ſe, vel non eſt propenſus ad opinari, vel ſaltim eſt propenſior ad ſcire, vt ad verum perfectius: ergo &c. Ad illud Scoti, ſufficientes expoſitiones reliquimus; dicimus tamen hinc, quod Scotus dixit, ſcientiam eſſe veri dubitabilis, non quia ſcientiam cum dubitatione componeret, ſed quia nunquam præcognoſcitur in præmiſsis formaliter, quod inde in concluſione ſcitur: quare, vt intellectus aſſentiat alicui propoſitioni, inquirit medium, & applicat præmiſſas, vſque tunc dubitans propoſitionem; at ſemel poſito medio, &c. iam non manet, nec manere poteſt dubius: ſic ergo intellectus certificatur de eo, cuius antea non habebat certitudinem.

49 Reſolvo 3. prædictos actus poſſe divinitus inſimul circa idem coëxiſtere. Ita cenſet Scotus, & propugnatur ab aliquibus ex noſtris noviſsimé. ſic Maſtrius *diſp. 14. Log. q. 2 n* 8. quem ſequitur, & citat Antonius Groſſo *Differt. 21. Elucid. vltim.* ſed exiſtimo, præſentem reſolutionem, nullo alio deberi, nec melius poſſe defendi, quam illo formarum poſitivarum, apud quas invencibilis divinitus non intuetur oppoſitio. Tota enim controverſiæ difficultas, prout in Authoribus notavi, præciſé ſtare videtur in hoc, an ſcilicet, oppoſitio prædictorum ſit contraria, vel contradictoria? & vlterius, an contraria oppoſitio valcat evinci ſuperne? Quare

50 Suadere prædictum præciſé intendam. Quod igitur prædictæ formæ ſint poſitivæ ſuadetur in primis; quia habitus fidei, & opinionis quid poſitivum ſunt, prout patet: ergo & actus, cum ſint, vel ab eis geniti, vel eos congenerantes. Tum, quia quando intellectus, nec credit, nec opinatur, poteſt percipi præciſé cum formalitate privationis: ergo non ſic percipi debet, dum opinatur, & credit. Prob. anteced. quia quando credit, vel opinatur, vel aſſentit, vel diſſentit; ita, vt præciſé *non aſſentire*, non habeat; ſed præciſé non aſſenſus eſt formalitas privativa: ergo ſolum quando nec credit, nec opinatur, poteſt percipi cum formalitate privationis. Maior eſt certa, aliàs dum aliquis dormiret, crederet, vel opinaretur, cum *non aſſentire* adſit. Tum etiam, quia negat, vel affirmat: ergo quia aſſentit, vel diſſentit, quin non aſſenſu præciſé contingatur. Minor prob. quia ſi vltra non aſſenſum, etiam diſſentire haberet eſſe privativum reſpectu aſſenſus, idem foret non aſſenſus, ac diſſenſus; aliàs, ſi diſſentire quid vltra diceret ſupra *non aſſenſum*, diſſentire non foret pura aſſenſus privatio, vt eſt non aſſenſus; ſed quod ſit idem, repugnat: ergo. Patet min. quia per diſſentire privatur, & expellitur non aſſenſus, & nil eſt ſui ipſius privatio: ergo.

51 Deinde prob. inſimul quod contradictorié non opponantur: quia reſpectu ſubiecti ſolum illa, ſtricta contradictione videntur opponi, ſine quorum aliquo, nec poteſt eſſe, nec intelligi ſubiectum; ſed poteſt eſſe, & intelligi in quolibet ſtatu intellectus, quin opinetur, credat, aut ſciat; ſecus autem in vllo ſtatu poteſt eſſe, aut intelligi, quin opinetur, aut non opinetur: credat, aut non credat: ſciat, aut non ſciat: ergo. Maior videtur conſona omnibus formis contrarié ſolum oppoſitis; album enim, & nigrum ſunt contraria reſpectu hominis, ideoque ſine albedine, & nigredine poteſt eſſe, & intelligi: ſimiliter aqua, quin ſit frigida, nec calida; ſecus autem poteſt eſſe, aut intelligi homo, quin ſit albus, aut non albus; ſimiliterque aqua, quin ſit frigida, aut non frigida: vnde iſtud eſt contradictionis oppoſitum. Minor claret, quia in pluribus ſtatibus intellectus, nec credit, nec ſcit, nec opinatur; in nullo autẽ poteſt eſſe, nec intelligi, in quo non ſit cum opinione, aut cum non opinione; cum fide, aut cum non fide: ergo &c.

His

52 His ita propugnatis, reſtat ſuadere, quod expulſio formarum poſitivarum poſsit à Deo evinci; quod poſſe ſatis conſonum videtur reſpectu ſubiecti, cuius eſſe intrinſeco ſic accidunt, quod cum eo, nec ſpeciem, nec aliquod, quod ad eſſentiam ſpectet, adhuc ex parte attingant, & conſtruant. Hoc dixi notanter; quia improbé argueretur ex rationali, & rugibili, quæ etiam ſunt formæ poſitivæ: iſtæ enim conſtituunt eſſentiam, ſunt gradus primi ad ſubiectum, nec non ſunt neceſſarij: quare ex his circūſtantijs oppoſitio formarum poſitivarum redditur vis contradictoriæ: imó rectè poteſt argui ex eis, quia ſic debent aliqua eſſe leviora ad pugnam inter ſe, ſicuti ſunt in concordia, & intimitate ad ſubiectum; ſed formæ prædictæ ſic concordant, & intimantur ſubiecto, quod abſque alicuius intrinſeci diminutione poſsint abeſſe ab illo: ergo & ſic in eo leviter pugnabunt, quod abſque vllius intrinſeci repugnantia poterunt combinari, & adeſſe ad illud.

53 Prob. intentum ex eo, quod in ſeparabilibus à ſubiecto, ea omnia fieri poſſe à Deo debet concedi, quæ ipſis non repugnant per locum intrinſecum; ſed prædicta inſimul combinari per locum intrinſecum non repugnat: ergo. Suadetur minor; nam non repugnat ex parte intellectus, iſte ſiquidem opinatur, & ſcit; quare ſi ex parte ſciti, & opinati non repugnaret ſimultas, intellectus inſimul poſſet ſcire, & opinari. Deinde nec repugnat ex parte obiecti, cum idem poſsit à duobus inſimul ſciri, & opinari. Denique nec repugnat ex parte ſcientiæ, & opinionis, quia eſtó à Deo impediatur expulſio, nec ſcientia rationem ſcientię, nec opinio rationem opinionis deperderet: ergo.

54 Dices, repugnare, quod non expellantur; quia opinio ad præſentiam ſcientiæ non haberet eſſe opinionis, & é contra ſcientia ad præſentiam opinionis. Contra, ex eo quod peterent expelli, ſolum ſequitur, quod ſi non expellerentur, haberent in eodem vires contrarias; ſed ex eo quod haberent vires contrarias, non ſequeretur, quod non haberent vires: ergo non repugnat inexpulſio, quia opinio ad præſentiam ſcientiæ non haberet eſſe opinionis, & é contra. Id confirmo, repugnat quod opinio ad præſentiam ſcientiæ non expellatur: ergo quia opinio haberet vim opinionis ad præſentiam ſcientiæ: ergo expulſione impedita, tam ſcientia, quam opinio vim propriam, & ſpecialem ſcientiæ, & opinionis conſervarent: ergo &c. Prima conſequentia patet; quia ſi opinio ad præſentiam ſcientiæ non haberet vim opinionis, ſcientia non peteret expellere opinionem: ergo quia opinio haberet vim opinionis ad præſentiam ſcientiæ. Noto hinc non ignorare, poſſe has rationes in materia metaphyſica inſtari. Sed tamen illas poſui, quia prout ſupra præveni, impar foret inſtantia reſpectu ſeparabilium, accidentalium &c.

ARGVMENTA PRINCIPALIA ſolvuntur.

55 Obijcies 1. contra 2. reſolutionem: non implicat, quod intellectus inſimul habeat apprehenſionem, & iudicium de obiecto: ergo nec implicabit, quod de eodem inſimul habeat ſcientiam, & opinionem. Reſpondent aliqui, & noviſsimé Groſſo, negando conſequentiam, quia apprehenſio, & iudicium ſunt actus inter ſe ſubordinati; at verò opinio, & ſcientia ſunt actus inter ſe contrarij. Fateor ita debere dici, quia in his, & in omnibus alijs ex ſubordinatione, & ex inſubordinatione, ſeu contrarietate debet deduci diſparitas; ſubordinata enim mutuo ſe compatiuntur, ſicuti contraria mutuo ſe expellunt. Sed tamen in præfata ſolutione, propé petitionem ſignabunt contrarij; dicent namque, quod etiam opinio & ſcientia ſunt ſubordinata; ſeu, quod talia non ſunt apprehenſio, & iudicium; ideoque aliquid eſt congrué ſuperaddendum.

56 Reſpondendo igitur, exiſtimo, diſparem eſſe rationem; & in primis poteſt deduci propé ſenſibilis diſparitas ex his, quæ intentionaliter experimur, & ab effectu certificamur. Certificatur enim, quod apprehenſio ſit actus ad omnia indifferens, & circa omnia applicabilis; poteſt namque aliquis apprehendere diſcurſum, apprehendere fidem, opinionem, ſcientiam, &c. ſecus autem ſic communiter cæteri actus, vtpoté opinio, & ſcientia illabuntur. Tum, quia circa eoſdem, & ex eiſdem terminis, ex quibus formatur apprehenſio, formatur & iudicium; & ſic ex eiſdem, ex quibus iudicium, formatur & diſcurſus; (idem eſt argumentum de iudicio cum diſcurſu compatibili) ſecus tamen evenit in opinione, & ſcientia, in quibus, ſaltim terminus medius, ſeu tertius variatur, præterquamquod & cæteri. Tum, quia tametſi aliqua diſtinctio inſpiciatur in iudicio, & apprehenſione, ea invenitur in linea priori, & poſteriori, inquam, in ſuperiori, & in inferiori; non autem inæquali, vt opinio, & ſcientia, quæ ſunt

in

in linea æquali diſcurſus: in hoc enim non parva diſparitas cognoſcitur apud Logicos, prout circa ſubalternas, & æquales differentias diſcurrunt; diſtinguitur enim differentia ſuperior ab inferiori; ſunt tamen compatibiles, vt patet in ſpecifica, & numerica: at duæ æqué inferiores, ſic diſtinguuntur, quod veluti primó diverſæ non compatiantur, vt patet in duplici numerica. A ſimili ergo apprehende, & iudica.

57 Obijc. 2. fides divina, & demonſtratio inſimul de eodem obiecto non implicãt: ergo neque opinio, & demonſtratio. Prob. antecėd. quia de Dei exiſtentia inſimul cum fide habemus demonſtrationem (habemus fidem, quia datur per ſcripturam revelatio: habemus & ſcientiam, quia eius tametſi à poſteriori, datur per demonſtrationem cognitio): ergo. Reſpondendum ſentio, negando antecedens, & ad præſumptum ex ſcriptura, & demonſtratione dico, quod tametſi aliquando demonſtretur, & aliquando Deitas credatur, inſimul tamen nunquam demonſtratur, & creditur. Dices, quid ergo expedietur, dum vtrumque ocurrat? Reſponderi poteſt, quod tunc intellectus à medio fortius, & perfectius movente, & illuſtranti determinabitur, & ſic ex illo operationem circa propoſitum formabit. Vbi noto, quod ſi forté in illo occurſu cupias ſcientiæ dare operationem, id compones dicendo, tale dare, non implicare contra meritum fidei; ſufficeret enim pia eius affectio, videlicet, quod crederes, ſi evidenter non ſcires: quare dices, ſcripturam, exiſtentiam deificam non ſuperfluė revelare; quia non eſt omnibus facilė per ſcientiam ad Deum venire, vt patet de illiteratis; ſicque revelat, ne vniverſale medium alicui deficiat. Sic, tametſi capiti, vtpoté Chriſto, ſuperflua foret miſteriorum Dei revelatio, ea tamen propter membra imperita revelavit; quia tametſi caput ſit præcipuum, ſed tamen tanto Proviſori competebat, omnibus vniverſalizare notitiam.

58 Obijc. 3. ſimplex complacentia in poſſeſſione mercium poteſt compati cum volitione efficaci proijciendi illas, ſeu cum nolitione efficaci illarum: ergo & ſcientia cum opinione; ita enim ſe habere videntur. Hoc argumentum proponit hinc Magiſter Dionyſ. Blaſco, intendens nobiſcum probare, quod ſcientia, & opinio ſint divinitus compatibiles. Exiſtimo tamen, quod ſi ex tali argumento aliquid probat, probat etiam, quod naturaliter ſint compatibiles ſcientia, & opinio, ſicuti naturaliter ſunt compatibiles complacentia ſimplex, & nolitio efficax; ideoque argumentum ab eo ſolvendum reſtabat, ſicuti ob idem à nobis ſolvi reſtat. Reſponderi poteſt negando conſequentiam; diſparitatem ſigno in hoc, quod ſimplex complacentia non perveniat ad tam profundum, & formatum ſtatum in linea voluntatis, ac pervenit opinio in linea intellectus. Intellectus enim dum opinatur, tranſit à ſimplicibus, & progreditur vſque ad lineam diſcurſus, quæ eſt vltima reſpectu ipſius, ſaltim ratione formalitatis, ita vt formaliter ſit in linea efficaci; at veró voluntas dum complacet, manet in ſimplicibus, & debiliſsimis, ita vt non progrediatur ad ea, quæ ſunt vltimæ, & profundioris ſphæræ, prout ſunt actus abſque conditione formati: vnde ſic ſe habet complacentia ſimplex in voluntate reſpectu volitionis efficacis, ac ſimplex apprehenſio in intellectu reſpectu diſcurſus; ſicque ſicuti compatibilis eſt diſcurſus cum ſimplici apprehenſione, ſic compatibilis erit volitio formata cum ſimplici complacentia: & é contra, ſicuti vnus vltimus actus volitionis eſt incompatibilis cum alio, ſic vnus vltimus actus opinionis erit incompatibilis cum vno alio vltimo ſcientiæ. Tum etiam poteſt dici, diſparem eſſe rationem ex natura ipſarum potentiarum; intellectus enim eſt ex ſe determinatus ad vnum; voluntas veró maiorem ampliationem habet, ſicque erga ineſſicaciter oppoſita poterit facilius combinari.

59 Obijc. 4. in eodem intellectu definiente, eiuſdem rei datur conceptus clarus, & confuſus: ergo &c. Reſpondetur negando conſequentiam; quia confuſio, & claritas ex definitione, & ex definito ſic componuntur, quod ex vtriuſque conceptu maneat intellectus firmiter, & ſummé determinatus; at autem ſic ſunt incõpatibiles inevidentia, & claritas ſcientiæ, & opinionis, quod ex claritate maneat ſummé determinatus, & ex inevidentia indifferens, veluti opinans; ſicque huiuſmodi confuſio, & claritas contradicunt, prout indifferentia, & eiuſdem determinatio contradicere ſolent. Deinde poteſt reſponderi iuxta doctrinam Scoti hinc in d. 1. q. 2. *in reſolut.* quod tametſi conceptus definiti, & definitionis tendant ad eamdem rem, ſedtamen ita, quod pront vnus conceptus eſt clarus, & alter confuſus non habeant eamdẽ rem pro obiecto; quia obiectum eſſe vnius conceptus eſt res ſub ſecunda quadam diſtincta intentione, ſcilicet *definibilis*, & aliud ſub intentione *definitivi*; ſicque res, & intentio *definibilis* eſt obiectum vnius; & res, & intentio *definitivi* eſt obiectum alterius, ſicque non eſt idem obiec-

Digitized by Google

obiectum,ſicuti neque concretum.

60 Objiciet forté aliquis vltim. ex illo Geneſ. 1. vbi dicitur, quod Deus diviſit lucem à tenebris:ergo erant inſimul; ſed non poteſt dari maior oppoſitio inter ſcientiam, & opinionem,quam inter tenebras,& lucem: ergo. (Scio certé, me apud Tertulianum vidiſſe, tenebras eſſe quid poſitivum; ac proinde aſſerentem,tenebras apertis oculis videri,ipſaſque in potentiam viſivam imprimere ſpeciem, tametſi aliorum ab ipſis non imprimant; ſicque tenebras videri. Hæc igitur legiſſe ſcio; etſi, quia tunc ab horum cura abſtractus,vbicationis verborum Tertul. extiterim obliviofus. Nota tamen ea, quia forté divinitus intendet aliquis plura diſſolvere.)Reſpondendum ſentio, tenebras,& lucem non fuiſſe inſimul, tametſi eas diviſiſſe dicat; diviſio enim illa non eſt intelligenda pro ſeparatione duorum, vtriuſque exiſtentiam ſupponente; ſed ſolum eſt intelligēda pro expulſione vnius per exiſtentiam alterius ſupra faciem abiſsi: quo pacto dum per formam caloris expellitur forma frigoris, poteſt dici, quod agens ſupra faciem materiæ diviſit frigus à calore. Tum etiam poteſt dici,quod in mundi exordio miracula, & prodigia ſuperné abundarunt;tunc enim,vt dicit Angelica ſchola,formæ, quæ nunc educuntur,fuerunt concreatæ.

61 Objic. 1. contra tertiam reſolutionem: ex eo,velut de principali, prædictarum formarum oppoſitio, divinitus evincitur, quia non eſt cōtradictoria;ſed eſt talis:ergo. Prob. min. quia ſcientia dicit carentiam formidinis; opinio dicit formidinem; ſed formido, & eius carentia opponuntur contradictorié: ergo. Reſponderi poteſt, quod carentia formidinis valet dupliciter conſiderari,videlicet vna, quam dicit ſcientia in ſe, ſecundum quam ipſi ſecundum ſe repugnat eſſe opinionem;hæc repugnantia eſt contradictoria, ſed non eſt ad rem; quia ſimiliter frigus dicit carentiam caloris taliter, quod ipſi repugnet eſſe calorem, & contradictorié opponuntur reſpectu eſſe vniuſcuiuſque. Poteſt aliter carentia conſiderari reſpectu ſubiecti, in quo quęlibet forma fundat carentiam formę contrariæ; quomodo ſcientia exigit in ſubiecto carentiam formidinis,non autem eſſentialiter dicit formidinis carentiam;ſicuti calor exigit in ſubiecto carentiam frigoris,(eſt enim ſatis tritum, quod actus exigentiarum aliter ſe habeant,ac exigentiæ,vt patet in quanto,quali, &c.) non autem eſſentialiter dicit talem carentiam, quia divinitus frigus in ſummo poteſt cum calore in ſummo in eodem ſubiecto compati. Et vt vno verbo dicam, calor v.g. opponitur contradictorié cum frigore,quoad eſſe frigus per eſſentiam; ſecus autem, quoad eſſe cum frigore per actualitatem.

62 Dico itaque, quod ſi dum album, & nigrum v.g.eſſent in eodem ſubiecto,quia nigrum dicit carentiam albi, ſequeretur, quod album, & hæc carentia contradictorié opponerentur, nulla daretur oppoſitio contraria in formis, ſed omnis oppoſitio foret contradictoria;omnes ſiquidem formæ contrariæ talem carentiam dicunt. Quapropter noto, quod carentia albi opponitur contradictorié cum albo, quando carentia albi non eſt ex præciſa præſentia nigri,quæ eſt albi carentia; ſed quando carentia albi eſt ex abſentia albi, quia hoc modo album, & carentia albi opponuntur contradictorié;ſecus autem album, & carentia albi,id eſt,album,& nigrum,quod eſt albi carentia:album enim,& nigrum, non eſt album & non album, vt ſupra, ſed eſt album & nigrum,prout nunc.Et ratio eſt; quia album, & carentia albi ex præſentia nigri, non ſunt formalitates in indiviſsibili;ſed reſpectu duorum entium; nam carentia albi ex nigro deducta,non conſequitur,neque ineſt in albo, ſed in nigro, ſicque formalitas albi eſt in albo, & formalitas illius carentiæ albi eſt in nigro,quæ in duobus contemplantur;at autem ſi carentia albi,non oriatur ex præſentia nigri,debet oriri ex abſentia ipſius albi, & ſic datur contradictio, quia tunc circa idem ens aſſentitur album,& eiuſdem carentia, ab ipſo derivata,& ad ipſum conſequuta.Hæc nota, quibus plura diſſolves.

63 Objic.2. inſimulque inferre intendes, quod ex tertia noſtra reſolutione ſequeretur etiam, quod idem numero actus poſſet realiter eſſe ſcientia,& opinio,ſicuti viſio,& fides; hoc repugnare videtur,adhuc divinitus: ergo &c. P. Dionyſ. Blaſco hinc *in* §. 3. ſequelam concedit; ego autem eam repugno. Signo rationes; quia nunquam in actu, vtpoté determinante potentiam, congruit dare tantam extenſionem,& capacitatem,ac in potentia ipſa:ergo dum ſat eſt, quod adhuc ſuperné duplex forma ſit in vna potentia, repugnabit, quod ſit in eodem actu ſeu forma. *Secunda ratio*;quia adhuc ſuperné principia opinionis, & ſcientiæ,non poſſunt magis combinari,quā lumen ſupernum cum intellectu; ſed repugnat,quod actus productus ab intellectu, & lumine ſit inſimul naturalis,& ſupernus: ergo. *Tertia ratio*; quia tametſi forent in eadem voluntate superné compatibiles actus amoris, & odij,vt Dionyſ.dicebat ſupra in proiectione

ne mercium; adhuc tamen ſuperné, difficile poſſet teneri, quod idem numero actus foret amans, & nollens: ergo. *Quarta*; quia licet ſimplex apprehenſio, & iudicium ſint naturaliter inſimul compatibilia, & adhuc naturaliter ſic non ſint ſcientia, & opinio; nec ſuperné poſſet idem numero actus eſſe ſimplex apprehenſio, & iudicium, ſicuti nec poſſet eſſe ſimplex apprehenſio, & ſimpliciſſima: ergo multominus &c. Quinta, & vltima ratio deducitur ex firmis Logicorum principijs; actus enim ille foret idemptitatis extremorum inter ſe: nunc ſic; idemptitas foret intêr ſe vnica; ſed tertium non foret vnicum; quia debebat præſupponi medium ad ſcientiam, & medium ad opinionem; aliàs, vel ſcientia, vel opinio ſine medio formarentur: qualiter ergo ille aſſenſus formaretur vnicus inter ſe, & duplex in tertio? Fateor difficilem hoc habere combinationem. Nec rationes in contrarium multum vrgent.

QVÆTIO IV.

De comparatione ſcientia ad ſubalterna.

64 Circa præſentis quæſtionis elaborationem exiſtimo, principalem curam eſſe ponendam, non ſic in propugnando, quam in doctrinas, & graciles intelligentias exponendo: tum, quia in eius terminatione plures intelligendi moventur viæ: tum, quia vt aliqui notarunt, (noviſsimé Mag. Blaſco in 2. *d.* 3. *q.* 1.) plura reſolvenda obijciuntur, in quibus denomine adeſt difficultas. Subalternatio igitur communiter in ſcientijs amplectitur, & ſolet dici coëxigentia, ſeu reſpectus alicuius dependentis ab alio. Quæ enim alteri ſubalternantur, ab illo dependent ſecundum illum modum, ſecundum quem ſubalternationem exprimunt. Nec vllo melius ſubalternationis patet expoſitio, quam illo æquipollentium verſ. ſcilicet: Præ, contradic: poſt contra: Præpoſtquæ *ſubalter*, cuius vox vltima literaliter percepta, ſubalternationis quæſitum eviſcerat. *Subalter* ergo ponitur compendioſé pro *ſubalternis*; quo depromitur, tunc dari propoſitiones ſubalternas, quando vna, ad ſui perfectam notitiam, requirit noſci *ſub altera*. Sic iſtæ propoſitiones, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, dicuntur ſubalternæ, quia vna, vtpoté particularis continetur ſub altera, vtpoté vniverſali. Ex quibus vniverſaliter inferri videtur, quod ad ſubalternationem requiratur continens, & contentum: nec non, prout dicetur, evidenter colligitur, quod illæ ſcientiæ ſubalternantur, quarum rationes, & proprijſsima principia ſunt minus vniverſalia; ac proinde ſic ſubalternantes erunt omnes illæ, quarum principia ſint vniverſaliora: ideoque primo enti, primoque principio, & cauſæ omnia ſubalternantur.

65 Subalternari veró pluribus modis dicitur. Primo dicitur, vnã ſcientiam ſubalternari alteri ex eo, quod ſuum obiectum ſit contentum ſub obiecto alterius; quomodo Phyſica dicitur Metaphyſicæ ſubalternari; quia ens naturale, ſeu mobile continetur ſub ente. Secundo dicitur ſubalternari ex eo, quod alteri famuletur; quomodo Ars frænifactoria dicitur ſubalternari æqueſtri, & lateritia dicitur ſubalternari domifactoriæ. Tertio dicitur ſubalternari ex eo, quod vna ſcientia dependeat ab alia, quoad vnam, vel plures præmiſſas, & hæc ſolet dici propria ſubalternatio; quomodo Medicina ſubalternatur Phyſicæ, quia v. g. ad concludendum Medicina, quod *contraria contrarijs curantur*, dependet ab hac præmiſſa phyſica, *contraria mutuo ſe expellunt*.

66 Iuxta quæ congrué dignoſci ſolet, quod ſcientia ſubalternata incipit, vbi ſubalternans deſinit; quod poteſt oſtendi ex ſubalternatione in obiectis. Phyſica, quæ in obiecto eſt Metaphyſicæ ſubalternata, habet obiecti rationem ſpecialem, incipientem ab illa ratione obiecti, in qua ſpecialiter quievit Metaphyſica; quia obiectum Phyſicæ dicitur ens mobile; vbi Metaphyſica quieſcit in ente, & Phyſica poſt illud immediaté agens, à mobili ſpecialiter incipit. Sic ergo pariter in expreſſa ſubalternatione præmiſſarum philoſophantes, eſt diſcurrendum: ſicque dicendum, quod ſcientia ſubalternata incipit à concluſione ſpeciali ſcientiæ ſubalternantis; quia ſcientia ſubalternans quieſcit in concluſione: ergo ab iſtius quiete movebitur ſcientia ſubalternata: v. g. Ars Chirurgica vult demonſtrare, vulnus rotundum eſſe difficilé ſanabile; aſſumit pro medio hanc concluſionem demonſtratam in Geometria: *Omnis circulus habet latera æqualiter diſtantia; ſed omne vulnus rotundum eſt circulus: ergo omne vulnus rotundum habet latera æqualiter diſtantia*: tunc accedens Chirurgus, incipit vbi Geometer deſinit, & demonſtrat ſic: *Omne vulnus rotundum habet latera æqualiter diſtantia;*

ſed omne vulnus tale, eſt difficile ſanabile: ergo omne vulnus rotundum eſt difficilè ſanabile.

67 Dices ſtatim, præfatam expoſitionem non eſſe conformem dictis; diximus enim, quod Ars Frenifactoria ſit ſubalternata Æqueſtri; nec nõ talis ſit ars Lateriria reſpectu Domifactoriæ; ſed in his non verificatur doctrina, Incipiendi ſubalternata, vbi deſinit ſubalternans: ergo. Exemplo patet minor; quia vbi deſinit frænum, incipit æqueſtre; ſicuti & à latere facto, incipit domus: ergo. Reſponderi poteſt, ſalvam adhuc præformatam doctrinam manere, quod, vt ita videatur, eſt notandus ille ordo intentionis, & executionis, iuxta quem, quæ ſunt poſteriora in executione, ſunt priora in intento, & ratione finis; taliter, quod ſic, incipiat exercitium, vbi quievit intentio. His ita ſuppoſitis reſpondetur, quod dum dicebatur, vnam ſcientiam alteri ſubalternari ex eo, quod alteri famuletur, & ſic ſcientiam famulam, & pediſequam eſſe ſubalternatam alteri, veluti principali, loquebatur de dependentia ſubalternationis ratione finis, & termini præcipui intenti; quo pacto, cum finis ſubalternatæ ſit vſus ipſe ſubalternantis, ſecundum hanc notionem, prius debet percipi ratio ſpecialis ſubalternantis, quam ſubalternatæ; ac proinde hæc incipere, vbi finis, & ratio intenta alterius deſinit.

68 Nec valet, ſi dicas, quod hoc pacto etiam Metaphy. ſubalternabitur Phyſicæ, cum intentum ſit Phyſicæ præbere principia &c. Non enim valet, quia Metaphyſica de per ſe non intenditur propter Phyſicam &c. ſed propter ſe; Metaphyſica enim habet finem intrinſecum, & abſolutum; ſecus autem prædictæ artes. Ratio poteſt derivari ex ratione Artis liberalis, quæ primó, & de per ſe intendit perficere animum; ſecus autem aliæ, quæ primó intendunt perficere opus, aut ſenſum: vnde Metaphyſica ſemper haberet ex quo poſſet perficere animum, tametſi Phyſica ignoraretur, quin perfectio Metaphyſica foret ſuperflua animo; at autem cum ſenſibilia, non ſic abſoluté perficiant, deducitur, quod præfatæ Artes ſecundum ſe nullam perfectionem derivare valeant, quæ ſuperflué non appareat. Patet, quia ſi non daretur Ars Æqueſtris, ſuperflua foret Frenifactoria; ſicuti & ſuperflua forent latera, ſi non daretur domifactio. Ex quibus videtur inferri, quod licet ordine executionis huiuſcemodi Artes videantur priora; proprié tamen loquendo, adhuc ſic videtur, non debere dici ſubalternantes; quia adhuc ſic, ſic viget vis finis, & intenti, quod ſibi ſubalternantis rationem abſorbeant, eo quod propter ipſa de per ſe exercitia illa intendãtur; ſecus è contra. Neque hæc plus intendo; forté enim quæſtioni nominis occurremus.

69 Ergo concluſio ſcientiæ ſubalternantis debet eſſe principium præmiſſum, vt ex ipſo oriatur ſcientiæ ſubalternatæ concluſio. Sic cenſet Scotus in *quæſt.* 3. *prolog. in fine, & in* 3. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. Et ratio eſt; quia concluſio ipſa intra ſubalternantia principia deducta, eſt ſcientia ipſa ſubalternans (in quavis enim linea ſcibili, ſcientia eſt apud concluſionem, quia principiorum ſolus adeſt ſimplex intellectus, ſeu intuitio de per ſe nota): ergo ſcientia, ſi ſubalternata debeat eſſe, non debebit eſſe ex principijs immediatis ſubalternantis, nam ſic, non foret ſubalternata, ſed ſubalternans; ſed debebit eſſe ex effectu principiorum ſubalternantium, qui eſt concluſio; quæ, tametſi poſſit reſpectu ſuorum principiorum dici ſubalternata, prout eſt eorum effectus; ſedtamen valet dici ſcientia ſubalternans reſpectu ſcientiæ, & concluſionis inferioris, & minus vniverſalis, prout ſcilicet reſpectu iſtius, aliquam differentiam ſubordinaté addentis, eſt principium, cui immediaté ſubalternatur. Sic enim forma in phyſicis eſt effectus verſus materiam, & eſt principium verſus compoſitum, quod minus vniverſaliter habetur.

70 Dixi, quod ſcientia ſubalternata addit aliquam differentiam, & meritó, quia minus vniverſale ex determinatiori differentia conſtituit ſubiectum, ſeu obiectum inferius; aliàs non foret inferius, ſed æquale, & ſic non foret ſubalternatum vniverſaliori, prout hoc patet reſpectu ſcientiæ ſpecialis cuiuſcumque ex quinque prædicabilibus, & reſpectu ſcientiæ vniverſalis vt ſic. Additur igitur aliqua differentia, quæ eſt medium, vt principium ſcientiæ vniverſalioris, vtpoté ſubalternantis, applicetur, & approprietur, vt aliquid de ſubiecto determinatiori, vtpoté ſcientiæ ſubalternatæ, aliquod proprium, & ſpeciale, ſeu minus commune concludatur. Sic cum Ariſt. Scotus in *quæſt.* 11. *Poſter.* vbi ad intentum hæc habet: *Cauſa, vt communis eſt, non eſt cauſa effectus particularis appropriaté; ſed oportet antequam cauſet, quod ad hunc effectum determinetur, &c.* Neque hoc punctum poteſt hinc melius à nobis exponi, quam prout expoſitum

re-

reliquimus in *lib. 8. diſt. 1. q. 1. à §. Deinde ad reliqua argumenti &c. num.* 10. Videantur illa, ſiquidem feré totam præſentem *quaſt.* apud Scotum circunſtant.

71 Sed pro plena intelligentia poteſt hinc inſimul adverti, quod obiectum ſubalternæ, prout contentum ſub obiecto ſubalternantis, dupliciter poteſt addere differentiam. Vno modo, ſi determinet ſubalternantis obiectum per differentiam eſſentialem: v.g. animal per rationale ad hominem; quomodo ſolent ad eamdem ſcientiam pertinere. Alio modo, ſi determinatio ſit per differentiam accidentalem; quomodo Muſica v. g. ſubalternatur Ariſmethicæ; vtriuſque enim obiectum eſt numerus, ſed Muſica ſupra numerum addit differentiam accidentalem ſonori. Et hoc modo, vnam, aut alteram additam differentiam reſpectu omnium ſcientiarum ſubalternatarum invenies, ita vt non poſsit ſcientia aliqua, aliquid ſpecialiter demonſtrare, quin vnam, aut alteram rationem ſpecialem, & ſub qua afferat; prout etiam patet in vulnere circulari, quod prout figura circularis pertinet ad Geometrum, & vt vulnus ad Chyrurgum: & ſic de ente mobili, ente intentionali, &c.

72 Nunc igitur principalis difficultas ſtare videtur in hoc, an ſcilicet, ſcientia ſubalternata poſsit dici ſcientia *propter quid*; an vero ſolum valeat dici ſcientia *Quia*? Et vis difficultandi ex duplici motivo enervari poteſt. Primo enim ex eo, quod ſcientia ſubalternata habeat principia a ſcientia ſubalternante probabilia; ſed principia ſcientiæ *propter quid* probari non poſſunt, cum eorum concluſio ſit *ex primis veris &c.* & aliàs proceſſus foret infinitus; ſicque ſciretur nil: ergo ſcientia ſubalternata, non videtur eſſe ſcientia *propter quid*. Secundo é contra videtur enervari ex eo, quod ſcientia ſubalternata ſit effectus, ſeu concluſio demonſtrationis, in qua effectus, ſeu paſsio aliqua ſubiecti probatur de eo per definitionem, ſeu per principia, & cauſas; non autem cauſa probatur per effectum; ſed cõcluſio huiuſcemodi demonſtrationis ſolet ſtabiliri ſcientia propter quid: ergo talis ſtabiliri poterit ſcientia ſubalternata. En difficultatem formatam, quam ſuaviter componere intendam: & in primis

73 Exiſtimo non poſſe negari, quod ſcientia ſubalternata requirat vt talis, quod idem intellectus omnium principium ſubalternantium habeat intuitionem. Ratio eſt in promptu; quia concluſio eſt ſcientifica in virtute principiorum, ita vt non poſsit concluſio ſciri, & principia ignorari; ſed principia ſcientiæ ſubalternatæ non poſſunt plené, & firmiter ſciri, quin ſciantur omnia illa, à quibus evidentia mendicatur, & in quæ firmiter reſolvitur: ergo. Ita enim deducit Scotus in *q. 1. Poſter*, ſecundum reſolutionem Ariſtot. & Themiſtij tenentium, quod concluſionem ſcientificam cognoſcimus, quia cognoſcimus principia; & principia cognoſci, quia cognoſcimus terminos; & terminos, quia cognoſcimus ſigna; aliter enim ſciremus abſque ſignis, abſque terminis, & abſque principijs. Nec valet dicere, ſufficere habere notitiam ſubalternantium per fidem à Magiſtro, vel aliter ſic: non enim valet; quia talis aſſenſus ſemper foret fidei; ac proinde quidquid ex illo deductum, potius principijs fidei, quam ſcientiæ ſubalternaretur; quod multis probari poſſet. Itaque demonſtratio eſt vita intellectiva, ſicuti ſenſibilis informatio eſt vita corporis: vnde ſicuti membra non vivent, mortuo corde, in quo eſt primum ſignum, & vivendi principium, à quo cætera vivunt: ſic ignoratis illis, quæ ſunt principia prima, à quibus reliqua ſciri mendicant, debebunt & ipſa ignorari.

74 Exiſtimo deinde, quod ſi in ſtrictiori independentis quidditatis prioritate ſit loquendum; ſolum illam ſcientiam poſſe dici *propter quid*, cuius principia ita ſunt primo prima, quod per alia non valeant probari, nec eorum poſsit dari ſcientia, ſed ſimplex intellectus, ſeu terminorum penetratio. Exiſtimatio eſt evidens; quia omnia, quæ probantur, ſunt aliquomodo propter aliud; at veró principia, quæ iam probari non valent, ſunt propter ſe; ſed *propter quod vnumquodque eſt &c.* Illud eſt magis: ergo in linea primitatis, & propter quid immediationis &c. illa ſcientia anteibit, cuius principia in probatione non habeant plus vltra. Sic Scotus in *quaſt.* 13. *Poſter.* vbi dat ſtrictiorem notionem concluſioni in vniverſaliori demonſtratione n. 1 v. Sed expreſsius in *q.* 11. *Poſt.* mentem Ariſtor. eviſcerans, & exponens. Vnde notabis, quod hoc pacto ſolum dabitur vna ſcientia, vtpoté illa, quę tradit primó prima eſſendi principia, & quæ primo modo eſſendi probat paſsiones de ente, quin nec ſubiectum, nec principia *quid* vltra ſupponant; & hæc erit Metaphyſica iuxta illud principium, *impoſsibile eſt idē eſſe, & non eſſe &c.* Sicque reliquæ ſcientiæ non ſic erunt propter quid, cum addant in ſubiecto aliquid; nec non in paſsione quæ de illo probant, quæ addita, ens & paſsionem abſque addito ſupponunt. Et vt vno verbo dicam, ſic hinc philoſopha, ac ſtricta primitate

Digitized by Google

philoſophando, phyloſopharētur dé prædicamentis, & de principijs entis naturalis, inſtar quod diceretur, quod primoprimum, ſola materia eſſet principium; nec non ſic, vnum in prædicamentis ſtabiliretur caput.

75 Sed Scotus ſupra in *q.* 51 illam particulam *ex primis veris* demonſtrationis *propter quid* iuxta Ariſtot. exponens, ait, quod non debet ſic intelligi, vt aliqui, qui exiſtimabant, quod ſolum illa, quæ abſoluté intelligebantur prima, debebant eſſe demonſtrationis principia; quia ſi ſic demonſtratio deberet eſſe ex primis ſimpliciter, & extra genus ſpeciale ſubiecti ſcibilis, non eſſet niſi vna demonſtratio, vel ſaltim (inquit ſemper Scotus) non eſſet niſi vna ſcientia. Itaque Ariſtot. (exponit Scotus) intellexit, quod demonſtratio ſit ex primis in illo genere; & ſic, quod in diverſo genere ſciti, diverſa ſint principia, iuxta quorum diverſitatem, diverſæ erunt demonſtrationes, & ſcientiæ, ad quarum effectionem ſufficiet, quod principia in illo genere ſint prima; ſicuti etiam de genereitate ſuprema, & capitali cuiuſvis prædicamenti dicitur. Quod etiam attingit Scotus *in* 1. *Report. quæſt.* 2. vbi, etſi breviter rationem ſcientiæ circunſtat.

76 Exiſtimo ergo, ſupra formatam difficultatem poſſe componi ita, vt dicatur, quod nec ſimpliciter debeat ſcientia ſubalternata dici ſcientia *propter quid*, propter dicta: nec ſimpliciter poſsit dici ſcientia *Quia* propter hæc vltima Scoti; nec non, quia in re, non probatur quidditas per paſsionem, ſed contra: ſicque ſaltim negative poterit dici ſcientia *propter quid*, cum ſaltim eſſe ſtrictum demonſtrationis *Quia* non habeat; quæ poterit dici *demonſtratio media* inter primo primam demonſtrationem *propter quid*, & inter vltimo vltimam demonſtrationem *Quia*. Sic enim forma poteſt dici principium medium, quia non eſt primo prima ſicuti materia, quę abſoluté eſt prima; & deinde nec eſt vltimo vltima vt effectus, ſeu compoſitum, cum in linea formali ſit eſſentialiter prima.

77 Ex quibus tamen iuxta propenſiorem animum Scoti exiſtimo reſolvendum, ſcientiam ſubalternatam poſſe dici ſciētiam eſſentialem, & licet non potiorem, ſin autem potiſſimam. Congruentiam ſigno; tum quia probat de ſubiecto paſsionem per ſubiecti quidditatem, ſeu additam differentiam, quæ in illa linea habet rationem cauſæ, & primæ. Tum quia licet principia ſpecialia ſupponant alia vniverſaliora, tamen ſic ea determinant, & genuina, atque directa applicatione ſibi appropriant, quod eadem facilitate, & ſuavitate applicatum illud per ſe notum intueatur; v. g. *Impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*; & hoc applicans: *Impoſsibile eſt vrinam eſſe ſanam, & non eſſe ſanam*; ſeu *idem eſſe frigidum ad præſentiā caloris &c.* ſeu vt Scotus applicat ad Geometriam illud principiũ ipſa vniverſalius, videlicet, *Si ab æqualibus æqualia demas*: en, *Si ab æqualibus lineis, æqualia demas &c.* Idem inſpicies in alijs differentijs ad vniverſaliora principia additis, cum quibus ſic appropriatum genus relinquunt, quod vnum, & indiviſibile principium videatur.

78 Tum, quia poſſet dici, quod *quodquid*, ſeu medium, ea ratione, qua eſt medium, ſeu *quodquid*, debet ſupponi, & per aliquod prius non probari, prout laté diximus. Vnde debes notare, quod etſi ens mobile v. g. poſsit probari à ſcientia ſubalternante, vtpoté à Metaphyſica; probabitur ab ea, prout entis habet paſsiones; non autem prout paſsiones habet mobilitatis; ens enim mobile prout mobile, non habet in Metaphyſica, nec alibi principium, cum reſpectu motus, primum principium ſit ipſum; quod ſolum à poſteriori poteſt probari, vtpoté per ſpeciales mobilis effectus, & accidentales actus; ſicuti & rationale deducitur per accidentia diſcurſus. Sed ſic deduci, non impedit, vt deinde terminis penetratis, poſsit per ipſius mobilis principia aliquid *propter quid* probari; quod patet in rationali deducto per ſpecialia accidentia, & tamen deinde in radice diſcurſus penetrato, valet vt per ipſum aliquid de homine *propter quid* probetur, quin ad id obſtet, quod ex ratione communiori, vtpoté entis, alijs vniverſalioris ſcientiæ principijs ſubordinetur.

79 Dices, levi nota poſſe, imó & debere totam præſentem difficultatem reſolvere per diſeretum auffugium, dicentes, quod ſcientia ſubalternans, & ſubalternata ad eundem habitum pertinent; ſicque, quod ad ſummum, ſolum materialiter differunt, quia concluſio particularis ſpectat ad eumdem habitum, ad quem vniverſalis. Reſpondetur, quod abſque doctrinæ nota, nunquam tale auffugium ſubſiſtere valebat; quia concluſio vniverſalis ſcientiæ ſubalternantis, non ſolum infert cōcluſionem in materia determinata in ſcientia ſubalternata; ſed etiam proprietatem ſpecialem, & propriam obiecti, ſecundum illud ſpecialiter additum, ſecundum quod à ſcientia ſubalternata attingitur; quæ ſpecialis illatio de ſuo obiecto pertinet ad ſpecialem habitum ſcientificum illius obiecti; ergo quia conclu-

cluſio ſubalternata pertinet ad proprium, ſeu appropriatum ſcientiæ ſubalternatæ habitum.

80 Tum etiam, quia tametſi principium ſubalternas ſummoperé cum differentia ſubalternatæ commiſceatur, tamen intra ſuum eſſe vniverſale ſic ſpecialiter poteſt à cognitione exerceri, quod nunquam alicuius ex ſubalternata memoretur, ſed ſpeciales ſubalternantis ſcientiæ ſemper inferat concluſiones, prout patet in puro Metaphyſico, ſeu in Metaphyſico, qui tametſi foret omnia ſciens, ſed tamen ſolum in Metaphyſicis exerceretur: ergo quia ſpeciales habitus ad vtrumque diſtinctè haberet, tametſi in aliquo vnus alteri foret ſubalternus.

81 Dices; (& præcipuè contra doctrinam in initio expoſitam) Ariſt. 1. *Poſt. c. 7. & 20.* tenere, Muſicum, & Perſpectivum poſſe demonſtrare, quæ ad Geometrum, & Ariſmethicum pertinent: ergo eadem eſt concluſio ſcientiæ ſubalternatæ, & ſubalternantis; quia Muſicus ſubalternatur Ariſmethico, & Perſpectivus Geometro. Huic rationi reſpondent aliqui, (noviter hinc Antonius Groſſo ex noſtris, & Dionyſ. Blaſco ex alienis) dicentes, poſſe id demonſtrare cognitione experimentali, non veró cognitione ſcientifica à priori: ſicuti Chyrurgus poteſt per experientiam cognoſcere, quod partes vulneris circularis maximé diſtant: hoc autem non eſſet ad rem; quia tunc non diceretur ſcientia ſubalternata; dicitur enim ſubalternata, quia alia eget, & illi ſubordinatur, vt concluſiones ſuas per principia demonſtrat.

82 Semper ſto in hoc, quod in quam pluribus ſcientiarum exercitijs, nil eſt potentius, quam Philoſophorum vſus. Nec intendo datam ſolutionem infringere; ſed tamen ſentio, quod poſſet forté aliquis dicere, quod illa experimentalis cognitio ſpectabat ad perfectam conditionem, & miniſterium Chyrurgi, ex qua experientia poſſet venire ad ipſum principium per terminorum penetrationem, vt dicebamus de rationali per actum diſcurſus; ac proinde, quod intra conditionem propriæ ſcientiæ haberet, quidquid ad evidenter inferendam concluſionem requirebatur. Imò forſan dicet, non ſolum poſſe, ſed & debere ad accidentia, & ceteros actus ſenſibiles recurrere, vt ex proprijs primum, & ſpeciale principium comparet.

83 Nec valeret dicere, quod etſi Chyrurgica ex proprio, ſenſibilique effectu illud evidens, & penetrabile principium compararet, quod ſemper diceretur principium ſubalternantis ſcientiæ, vtpoté Geometricæ. Id dicere non valeret, quia ille aliquis forté diceret, eſſe proprium Chyrurgicæ tale principium, vtpoté ex proprijs accidentibus Chyrurgicæ acquiſitum, vel ſaltim ex appropriatis; nec non metas Chyrurgicæ non excedẽs, ſed intra eas inventum. Tum etiam forté diceret, quod ad cuivis ſcientiæ plenitudinem ſpectat omnia ad ſummam evidentiam neceſſaria ad eam, inquirere, ſicque illud principium Geometricæ comparare eſſe proprium Chyrurgicæ, nec non, prout tunc vincit Chyrurgicæ finis, & intentum, debere dici principium Chyrurgicæ; & idem diceret de quacumque alia ſcientia.

84 Itaque, ne dicas, quod vna ſola ſcientia daretur tunc, diceret aliquis ille, quod omnes ſcientiæ, quæ nunc dantur, darentur tunc, tametſi vnaquæque ſibi propria cenſeret, & nominaret, quæcumque requiſita ad habendam plenam evidentiam, & penetrationem terminorum eorum, ex quibus ſpeciales ſuas concluſiones demonſtraret. Diceret enim, quod intellectus eſt Princeps, & diſcretus Iudex, & arbiter ſcientiarum omnium propter plura, quæ facilé poſſent combinari; ſicque intellectus attenderet finem comparantis, & ſcientis intentum: vnde ſi intelligeret ex fine, & intento comparandi ſcientiam, vulneris v. g. tunc omnia requiſita veluti attributionis finalis obiecto, ei appropriarentur, & iuxta rectum intellectus iudicium, & plenam ipſius applicationem, Chyrurgica dicerentur omnia; nec non ad hanc ſcientiam omnia inquirere, ſpectare, veluti ipſius propria, & requiſita. Defectu enim horum, vſque adhuc, nec adæquatum Chyrurgum, nec Medicum &c. vidi.

CIRCA LOGICAM EXPENDITVR expoſitio.

85 DVb. quid de ſubalternatinne verſus Logicam ſit ſentiendum? Ante reſponſionem noto, eſſe in memoriam revocandum illam ſubalternationis acceptionem, videlicet in eſſe principij, ſeu præmiſſæ, & in eſſe materiæ, ſeu famulandi. Illis ibi. Reſpondendum exiſtimo, Logi[illegible] eſſe principij, ſeu premiſſæ, & cauſæ re[illegible] nullius ſcientiæ eſſe ſubalternãtem. R[illegible] quia ſubalternantis formalitas, vel debet ſumi ratione præmiſſarum ſcientiæ, vel ratione obiecti; ſed ex nullo Logica eſt alijs ſubalternans: ergo. Prob. quoad primam partẽ in his Logicæ principijs: *Omnis*

ſyl-

ſyllogiſmus habens rectam diſpoſitionem extremorum cum medio, concludit formaliter; ſed ſyllogiſmi in quatuor modis primæ figuræ eam habent: ergo *concludunt formaliter.* Nunc ſic, vt expoſuimus ſupra, dum datur ſcientia ſubalternans, debet incipere ſubalternata, vbi illa deſinit; ſed nulla ſcientia incipit à præformata concluſinne, in qua deſinit Logica: ergo quia reſpectu nullius eſt Logica ſubalternans.

86 Prob. quoad ſecundum; quia obiectum ſpeciale Logicæ eſt ſecunda intentio ſyllogiſticæ formalitatis; ſed tali obiecto, nulla vlterius additur differentia, quia ibi clauditur omnis ordo intentionalitatis, & rationis: ergo reſpectu nullius alterius obiecti eſt ſubalternans, cum nullum aliud per ſpeciale additum incipiat ab eſſe, in quo Logicæ obiectum deſinit. Hac ratione poterat comprobari prima, quia principia ſcientiæ conditionem obiecti ſervant.

87 Circa eſſe ſubalternatum exiſtimo, Logicam eſſe ſubalternatã Metaphyſicæ, tam in eſſe principij, quam obiecti. Suadetur facile; quia tunc aliqua ſcientia in eſſe principij ſubalternatur alteri, quando eius principia poſſunt probari per principia alterius; ſed principia Logicæ poſſunt probari per principia Metaphyſicæ: ergo. Prob. minor; quia *dici de omni, dici de nullo* ſunt principia logicæ; ſed iſta poſſunt probari per *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: quodlibet eſt, vel non eſt*, quæ ſunt principia Metaphyſicæ: ergo. Prob. quoad ſecundum; quia etſi ratio intentionis accidat enti, tamen ipſi addita percipitur, v.g. *ens intentionale*, ita vt intentio incipiat, vbi ens reale, ſaltim fundamentaliter deſinit; ſed ens intentionale eſt obiectum Logicæ, & ens vt ſic, eſt Metaphyſicæ: ergo. Ex qua ratione ſatis clare infertur, omnes ſcientias tam in obiecto, quam in principio eſſe Metaphyſicæ ſubalternatas; ac proinde Metaphyſican omnium ſcientiarum eſſe Reginam.

88 Dices, Logicam eſſe omnibus ſcientijs vtiliſſimam, & omnes ſic à Logica dependentes, quod nulla ſcientia poſſit abſque ea comparari: ergo quia ei omnes ſubalternantur. Nec valet dicere, quod materialiter dependẽt, vt Equeſtris à Frænifactoria; quia Logica non præſtat eis materiam: ergo quia dependens ab eius principijs. Exiſtimo dicendum, nec dependere vt à principio, prout diximus; nec vt à materia, prout probant; ſed præciſé, vt ab inſtrumento: quare ſicuti nil poteſt abſque inſtrumentis comparari in Equeſtri, Domificatoria, &c. ſic abſque inſtrumentis logicis, nil poteſt ſciri: quia ſic implicat, quod aliqua ſcientia formetur abſque inſtrumentis Logicæ, ac quod abſque inſtrumentis fiat domus &c. Exiſtimo tamen, quod ex hoc, potius Logica videtur ſubalternari principijs aliarum, cum inſtrumenta, etſi neceſſaria, principijs principalibus ſubalternari debeant, ſicuti, & materialia domus ſubalternantur Domifactoriæ, etſi ad domificandum neceſſaria. Sin autem dicere intendas, quod ſaltim vt ab inſtrumento reliquæ ſcientiæ pendent à Logica, & ſic quod Logicę ſubalternari debebunt, ſaltim vt inſtrumento; bené poteris, ſed quæſtionem de nomine excitabis, prout circa materialia diximus, & in initijs quæſtionis notavimus. Noto tamen in fine, quod etſi Logica, vt inſtrumentum ad alias alijs ſubalternetur, & ſic alijs impoſſibilibus ſuperflua foret logica inſtrumentio; tamen Logica habet, & haberet ſuum obiectum, circa quod laboraret, & in quo, nec dependet, nec dependeret. Et hæc pro Logicæ complemento ſufficiant, ad maiorem gloriam Omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, SS. Matris, & eius candidiſſimi Sponſi.

TIBI, O PVRVM, SEV MARIANVM INSTANS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

400.448

IN-

Digitized by Google

INDEX.

LIBRORVM, DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM.

Quæ in hoc primo tomo continentur.

DIſtinctio 1. de Logica terminis. pag. 1.
Quæſt. 1. Quid ſit terminus Logicus?
Quæſt. 2. De terminorum diviſione aliqua expenditur notitia, & incidens reſolvitur dubitatio.
Diſt. 2. De proprietatibus termini Logici. pag. 5
Quæſt. 1. Quid ſuppoſitio ſit?
Quæſt. 2. De ſuppoſitione, quæ reſtabant reſolvens.
Diſt. 3. De nomine, verbo, & oratione. pag. 7
Quæſt. 1. Specialis nominis expenditur notitia.
Quæſt. 2. De verbo Logico.
Quæſt. 3. De oratione
Diſt. 4. De modo ſciendi, & de aliquibus ſpeciebus illius in communi. pag. 10
Quæſt. 1. Quid modus ſciendi ſit?
Quæſt. 2. Quot ſpecies modus ſciendi habeat?
Diſt. 5. De definitione. pag. 14
Quæſt. 1. Quid ſit definitio?
Diſt. 6. De Diviſione. pag. 16
Quæſt. 1. Quid ſit diviſio, & quales eius conditiones?
Quæſt. 2. In qua duplex dubium expenditur.
Diſt. 7. De propoſitionis quidditate, & diviſione. pag 18
Quæſt. 1. Quid ſit propoſitio?
Quæſt. 2. Quanam ſit forma propoſitionis?
Quæſt. 3. Vtrum propoſitio negativa, Logica propoſitio ſtrictè dicenda ſit?
Quæſt. 4. De diviſione propoſitionis.
Diſt. 8. De motu entis ſecundo intentionalis. pag. 26
Quæſt. 1. Circa oppoſitionem propoſitionum cathegoricarum ex communi intelligentia ſit præambulum.
Quæſt. 2. An omnes prædictæ oppoſitiones, propriæ ſint?
Totius controverſiæ argumenta diluuntur.
Dubium incidens, cum quo tota quæſtio reſolvitur.
Quæſt. 3. De motu æquipolenti propoſitionum cathegoricarum, ex quo aliqua reſolvuntur.
Quæſt. 4. De motu converſivo propoſitionum abſolutarum.
Quæſt. 5. De contrarietate modorum entis ſecundo intentionalis.
Diſt. 9. De figura, & loco entis ſecundo intentionalis. pag. 36
Quæſt. 1. Quid, & quotuplex argumentatio ſit?
Quæſt. 2. Quid de modis, & figuris ſyllogiſticis ſit exactius dicendum?
Quæſt. 3. De multiplici figurarum variatione.
Quæſt. 4. De motu reductivo ſyllogiſmorum.
Quæſt. 5. Pro perfecta figurarum intelligentia expenduntur aliqua generalia.
Quæſt. 5. Pro fallaciarum intelligentia, aliqua alia generaliter expenduntur.

LIBER I.

De ente intentionali.

DIſt. 1. De eſſe motivo, & obiectivo entis intentionalis. pag 47
Quæſt. 1. An de quibuslibet entibus notionem ſecundo intentionalem poſſit formare intellectus?
Quæſt. 2. Quid ſint entia rationis cum fundamento?
Art. 1. Quæſtionis veriſimilior reſolutio amplectitur, & combinatur.

Art.

Art. 2. *Quæſtionis veriſimilior reſolutio expenditur, erga ens rationis ſine fundamento.*

Quæſt. 3. *An eſſe obiectivum, ſeu extrinſecè denominans ſit reale, vel rationis.*

Art. vnic. proponitur quæſtionis reſolutio, & probabiliſsima amplectitur.

Subart. vnic. Ex dictis vlterius ampliatur roſolutio.

Principalia argumenta ſolvuntur, quoad eſſe obiectivi ſpeciale quæſitum.

Quæſt. 4. *In qua de actu comparante, & de relatione vniente plura requiſita expenduntur.*

Art. 1. *Circa contingentiam prædicti actus comparativi expenditur reſolutio.*

Art. 2. *Circa qualitatem actus comparativi expenditur reſolutio, & prius eviſceratione prævenitur.*

Quæſt. 5. *Prædictarum doctrinarum praxis expenditur.*

Diſt. 2. *De ſtrictiori eſſe, & norma ſecundarum intentionum. pag.* 70

Quæſt. 1. *De intelligentia comparationis.*

Diluuntur aliqua, quæ poſſunt opponi contra nunc ſuppoſita.

Quæſt. 2. *An ſecunda intentio per actum directum cauſetur?*

Art. 1. *In quo prima via curſu problematico percurritur.*

Art. 2. *In quo altera via ſimili curſu percurritur.*

Quæſt. 3. *De ordine ſervando inter eſſe, & intentionaliter denominari; & an idem ſit eſſe aptum ad eſſe intentionaliter in aliquo, ac eſſe aptum ad prædicandum de illo?*

Quæſt. 4. *An per indiviſibilem comparationem in extremis comparatis, ſecunda intentionalitas ponatur?*

Quæſt. 5. *An dentur ſecundæ intentiones grammaticales?*

Quæſt. 6. *Reſolvens ſecundas intentiones eſſe entia rationis.*

Diſt. 3. *De cauſis, & cauſantibus ens ſecundo intentionale. pag* 91

Quæſt. 1. *Quæ ſunt de ſphera intellectiva examinantur.*

Reſolvitur, quibus actibus comparatio competat.

Quæſt. 2. *Quæ ſunt de ſphera volitiva examinantur.*

Quæſt. 3. *De cauſantibus ens rationis, & præcipuè ſine fundamento.*

Art. 1. *An Deus, & Angeli vtrumque ens rationis poſsint cauſare?*

Art. 2. *Quæ ſunt de irrationali ſphera expenduntur.*

Quæſt. 4. *Complens, quæ pro diviſione entis rationis reſtant, & quid ſit ens rationis ſine fundamento inferens.*

Quæſt. 5. *Exambiens corolarijs aliqua diſperſa, quæ pro huius libri complemento reſtabant.*

LIBER II.

De obiecto, & natura ſcientiæ entis intentionalis in ſpeciali.

Diſt. 1. *De exiſtentia Logicæ, & de eius diviſione. pag.* 107

Quæſt. vnica. De multiplici Logicæ diviſione.

Art. 1. *De diviſione Logicæ in naturalem, & artificialem ſit examen.*

Art. 2. *De diviſione Logicæ in naturalem, & ſupernaturalem.*

Art. 3. *De diviſione Logicæ in practicam, & ſpeculativam.*

Subart. 1. *Quid ſit praxis explicatur.*

§. 1. *Examinantur aliqua circa prædictam doctrinam occurrentia.*

§. 2. *De ſecundo occurſu ſit prima reſolutio.*

§. 3. *De primo occurſu ſit ſecunda reſolutio, & impugnatione, prius eviſceratur occurſus.*

§. 4. *Reſolvitur an Logica ſit practica, vel ſpeculativa.*

Subart. 2. *An ad praxim requiratur contingentia in principio.*

Expenditur illatio notabilis valdè.

Art. 4. *De diviſione Logicæ in docentem, & vtentem.*

Permittitur, & propugnatur reſolutio.

Argumenta contraria ſolvuntur.

Art. 5. *De diviſione Logicæ in Divinam, Angelicam, & humanam.*

Diſt 2. *De obiecto Logicæ. pag.* 139

Quæſt. 1. *Explicantur præfata requiſita ad notitiam obiecti præambula.*

Secundum præambulum acceptiones obiecti recitans.

Digitized by Google

Tertium preambulum conditionum obiecti adæquati expoſitivum.
Ex dictis infertur, & formatur corgrua, & utilis eruditio.
Quæſt. 2. *Quodnam ſit in Logica primum, & adæquatum ſubiectum.*
Art. 1. *Examinatur Doct. Subtilis cum ſuorum expoſitionibus.*
Art. 2. *Exponitur Scotus, & genuinior interpretatio amplectitur.*
Art. 3. *Solvuntur aliqua, ex quibus amplius explicantur prædicta.*
Art. 4. *Obiectum adæquatum Logicæ rationibus confirmatur.*
Art. 5. *Obiectum Logicæ, ex attributione adæquatum, comprobatur.*
Art. 6. *Reſolutio in prædictis habenda expenditur.*
Quæſt. 3. *Expenduntur quæ de obiecto materiali, & formali reſtabant.*
Quæſt. 4. *An Logica habitualis ſit ſimplex qualitas.*
Solvuntur contrariorum rationes.
Altera expenditur, & explicatur reſolutio.
Quæſt. 5. *Aliqua dubia breviter reſolvens.*

LIBER III.

De Logicis Vniverſalibus in communi.

DIſt. 1. *De Vniverſali phyſico. pag.* 181
Quæſt. 1. *An a parte rei dentur naturæ, quæ denominantur univerſales.*
Quæſt. 2. *An ex natura rei detur communitas in natura, quæ univerſalis denominetur.*
Quæſt. 3. *In qua examinatur qualiter iuxta Scotum ſit prædicta communitas intelligenda.*
Art. 1. *Explicatur Scotus de triplici naturæ ſigno, & ſolvuntur aliqua in explicationem obiecta.*
Art. 2. *In quo Scoti reſolutio firmatur, & inſimul contrariorum calumnia reiiciuntur.*
Art. 3. *Aliqua obiecta ſolvuntur.*
Art. 4. *In quo alterius doctrina probabilitas cum Scotiſtis confertur.*
Subart. 1. *Reſolutio circa primum opinandi modum.*
Subart. 2. *Circa ſecundum opinandi modum prævenitur reſolutio, propoſitis obiectionibus Authorum primi modi.*
Subart. 3. *Ex Scotiſtarum dictis reſolvitur probabilius.*
Art. 5. *In quo ex dictis opinio Bachonij reiicitur.*
Diſt. 2. *De Vniverſali Metaphyſico. pag.* 211
Quæſt. 1. *De unitate præciſionis exhibetur notitia.*
Quæſt. 2. *An prædicta unitas præciſionis inſerviens ad univerſalitatem, abſtracta ab uno individuo ſufficiat.*
Art. 5. *Eviſceratur difficultas, reſolvenda deinceps.*
Subart. 1. *Circa hoc punctum eviſceratur difficultas.*
Subart. 2. *Proponitur abſolutè huius ſecundæ eviſcerationis iudicium, & circa eviſceratum in primo articulo ſit reſolutio.*
Subart. 2. *Proponitur ex ſuppoſitione iudiciũ.*
Quæſt. 3. *An poſſit præſcindi natura ab unico individuo, cæteris impoſſibilibus; & quid, cæteris poſſibilibus, ſit dicendum.*
Quæſt. 4. *Quid de prædictis naturis in ordine ad univerſalitem ſit ſentiendum.*
Diſt. 3. *De Vniverſali Logico. pag.* 236
Quæſt. 1. *De unitate ad univerſale Logicum requiſita expediuntur aliqua.*
Propugnatur habenda reſolutio, & ex ipſa cætera reiiciuntur.
Solvuntur argumenta contraria.
Quæſt. 2. *Eviſceratur difficilimum multiplicitatis punctum.*
Eviſceratur, & reſolvitur, an actuali communicatione unitas poſitiva conſervetur.
Reſolutio quæſtionis.

LIBER IV.

De Logicis Vniverſalibus in ſpeciali.

DIſt. 1 *De Genere. pag* 255
Quæſt. 1. *Quid ſit genus.*
Quæſt. 2. *Quodnam ſit definitum in definitione generis?*
Quæſt. 3. *An genus plures ſpecies requirat?*
Art. unic. Aliquorum intelligentiam examinans.

Digitized by Google

Quæſt. 4. *Quanam individua habeat genus immediatè.*
Quæſt. 5. *Aliquas dubitationes reſolvens.*
Diſt. 2 *De ſpecie.* pag.278
Quæſt. 1. *Quid ſit ſpecies ſubijcibilis, & an ſit univerſalis?*
Reſolutio circa ſecundum.
Quæſt. 2. *De ſpeciei prædicabilis quidditate, & multiplicitate.*
Quæſt. 3. *De individuo ſecundo intentionaliter conſiderato.*
Art. 1. *An individuationis, ſeu hæcceitatis, dabilis ſit conceptus communis?*
Subart. 1. *In quo cum doctiſsimis Scotiſtis, reſolutionis ſcotizanda, controverſia formatur*
Subart. 2. *Unicum diluitur argumentum.*
Art. 2. *Expenduntur quæ de individuo pro nunc reſtant.*
Diſt. 3. *De Differentia.* pag.298
Quæſt. 1. *Diviſione differentiæ, in communem, propriam, & propriſſimam.*
Proponitur argumentum nimis moleſtum.
Expenduntur reſolvenda, & probabilioribus favet reſolutio.
Quæſt. 2. *De conſtitutivo differentiæ ad tertium prædicabile pertinentis.*
Quæſt. 3. *De differentia tripliciter comparata.*
De differentia in ordine ad genus.
De differentia in ordine ad ſpeciem.
De differentia in ordine ad individua.
Diſt. 4. *De proprio, & accidenti ſecundo intentionaliter ſumptis.* pag.319
Quæſt. 1 *Quid ſit proprium exponens.*
Quæſt. 2. *De proprij univerſalitate.*
Quæſt. 3. *De accidenti.*
Art. 1. *Quid ſit accidens ſecundo intentionale exponitur.*
Art 2. *De univerſalitate accidentis.*
Reſolutio circa ſecundum
Diſt. 5. *De Prædicabilium unitate, & multiplicitate.* pag.334
Quæſt. 1. *De prædicabilium multiplicitate.*
Quæſt 2 *De prædicabilium unitate.*
Diſt 6. *De principalibus Univerſalium prædicationibus.* pag.344
Quæſt. 1. *Præcipuas acceptiones prædicationis, & concretionis, iuxta communiorẽ Noſtratum phraſim recitans.*
Quæſt. 2. *Qualiter ſuperius de inferiori prædicetur.*
Quæſt. 3. *De praxi habenda in prædicatione concreti de concreto, abſtracti de concreto, & abſtracti de abſtracto.*
Art. unic. Habendæ reſolutiones formantur.

LIBER V.

De ente in prædicamentis, & poſtprædicamenta conſiderato.

DIſt. 1. *De prædicamentis in communi.* pag.358.
Quæſt. 1. *De prædicamentorum multitudine.*
Quæſt. 2. *De collocandis in prædicamento.*
Quæſt. 3 *De prædicamentorum univocatione.*
Art. 7. *An decem generaliſſimis aſsignabile ſit aliquod prædicatum univocum.*
Diſt. 2. *De ſubſtantia prædicamento primo.* pag.364
Quæſt. 1 *Exponitur ſubſtantia conſtitutivum.*
Quæſt. 2. *Aliqua ſcotica exponuntur in huius, & præcedentis diſtinctionis confirmationem.*
Quæſt. 3. *Proprietates ſubſtantiæ breviter recitans.*
Diſt. 3. *De quantitate.* pag.368
Quæſt. 1. *De conceptu primario quantitatis.*
Quæſt. 2. *An quantitas à rebus materialibus diſtinguatur.*
Quæſt. 3. *De extenſione ſubſtantiæ materialis.*
Principaliora argumenta ſolvuntur.
Quæſt. 4. *De ſpeciebus quantitatis.*
Art. 7. *Veritas quantitatis continuæ examinatur.*
Quantitas continua
Continua permanens.
Continua ſucceſsiva.
Quantitas diſcreta.
Diſcreta permanens.
Diſcreta ſucceſsiva.
Quæſt. 5. *De proprietatibus quantitatis.*
Diſt. 5. *De Relatione.* pag.386
Quæſt. 1. *Terminos, & relativorum differentias vulgariter ſignans.*
Circa ſecundum traditur vulgarior expoſitio.

Art.

INDEX.

Art 1. *De diviſione relationis in realem, & rationis.*
Art. 2. *De diviſione relationis in prædicamentalem, & tranſcendentalem.*
Subart. 1. *De relationis prædicamentalis ſtructura.*
Secundus exponendi modus reiſcitur.
Tertius exponendi modus reiſcitur.
Quartus exponendi modus reiſcitur.
Noſter dicendi modus ſtabilitur.
Principaliora argumenta ſolvuntur.
Subart. 2. *De relatione prædicamentali contrapoſita tranſcendentali.*
Art. 3. *De diviſione relationis in triplex genus.*
Primum genus.
Secundum genus.
Tertium genus.
Quæſt. 2. *An relatio terminetur ad abſolutum.*
Principaliora ſolvuntur.
Quæſt. 3 *Plures alias relativorum difficultates reſolvens.*
Diſt. 5. *De qualitate.* pag. 414
Quæſt. 1. *De qualitatis conſtitutivo.*
Quæſt. 2. *De qualitatis ſpeciebus.*
Primum genus.
Habitus, & diſpoſitio.
Secundum genus.
Naturalis potentia, & impotentia.
Tertium genus.
Paſsio, & patibilis qualitas.
Quartum genus.
Forma, & figura.
Quæſtionis expoſitiva deciſio.
Quæſt. 3. *De proprietatibus qualitatis.*
Diſt. 6. *De ſex vltimis prædicamentis.* pag. 420.
Quæſt. 1. *De veritate relationis extrinſecus advenientis.*
Quæſt. 2. *Sex prædicamentorum in ſpeciali expenditur notitia.*
Actio, & paſsio.
Vbi, & ſitus.
Quando, & habitus.
Diſt 7. *De poſt prædicamentalibus.* pag. 425
Quæſt. Vnica Difficultatum poſtprædicamentalium expenditur notitia.
De oppoſitis.
De prioritate, & ſimultate.
De motu.
De habere.

LIBER VI.

In Perihermenias.

Diſt. 1. *De ſigno.* pag. 429
Quæſt. 1. *Communem ſigni varietatem recitans, & ſignum vt ſic deſcribens.*
Quæſt. 2. *De primo vocum, ſeu nominum ſignificato.*
Expenditur iudicium circa problema.
Quæſt. 3. *Vtrum facta tranſmutatione circa rem, quæ ſignificatur, fiat tranſmutatio in ſignificatione vocis.*
Quæſt. 4. *De differentia, quam habent voces, & literæ cum rebus, & earum paſsionibus.*
Quæſt. 5. *Signi ſpeciales differentias ſufficienter inferens.*
Signi naturalis, & ad placitum conſtitutiva adaptantur.
Signi formalis, & inſtrumentalis conſtitutiva adaptantur.
Diſt. 2. *De ſignificato nominum ad enuntiationem comparato.* pag 444
Quæſt. 1. *De veritatis enuntiativa conſiſtentia.*
Art. 1. *Iuxta veriorem Scoti doctrinam formantur reſolvenda.*
Art. 2. *Aliqua obiecta ſolvuntur.*
Quæſt. 2. *An propoſitiones de futuro contingenti debeant eſſe determinatè falſa, vel vera.*
Solvuntur oppoſita, ex quibus melius reſolutio adaptatur.
Quæſt. 3. *An eadem propoſitio poſſit tranſire de vera in falſam.*
Quæſt. 4. *An veritas, & falſitas ſuſcipiant magis, & minus.*
Quæſt. 5. *Aliqua dubia breviter reſolvens.*

LIBER VII.

De priori Analyſi.

Diſt. Vnic. Quæ ad principalem ſyllogiſmi vt ſic intelligentiam ſpectant, reſolvens. pag 473
Quæſt. 1. *Diffinitionis Ariſt. doctrina Scoti, expoſitiva.*
Quæſt. 2. *An cognitis præmiſsis, ſimul cognoſcatur concluſio.*

Sub

Digitized by Google

Sub ſecundo ſenſu expenditur quæſtionis difficultas.
Quæſt. 3. In quo formaliter ſyllogiſmus conſiſtat.
Principales dicendi modi eviſcerantur.
Reſolutio quæſtionis formatur.
Quæſt. 4. De neceſsitate præmiſſarum circa concluſionis aſſenſum.
Solvuntur argumenta contraria.
Quæſt. 5. De concurſu præmiſſarum ad concluſionem.
Reſolutioni probabili adaptatur expoſitio, ex qua ſyllogiſtica harmonia dignoſcetur.
Quæſt. 6. An concluſionis aſſenſus attingat præmiſſas.
Solutione oppoſitorum amplius exponitur reſolutio.
Quæſt. 7. Duplex ſyllogiſticum principium exponitur, & quoddam axioma explicatur.
Dici de omni: Dici de nullo.
Quæcumque uni, & eidem ſunt eadem, iſta inter ſe ſunt eadem.
Axioma ſyllogiſticum breviter exponitur.

LIBER VIII.
De Poſteriori Analyſi.

D*iſt. 1. De his, quæ principaliter expectant ad notionis demonſtrativæ principia. pag. 510*
Quæſt. 1. Prioris, & potiſsima demonſtrationis expoſitiva.
Quæſt. 2. De medio ad potiſsimam demonſtrationem ſpecialiter requiſito.
Reſolutio Scoti proponitur.
Quæſt. 3. An per omnes cauſas valeat demonſtrari.
Quæſt. 4. De demonſtratione Quia.
Art. 1. Circa expeditionem demonſtrationis Quia aliqua exponuntur
Subart. Unic. Reſpondens difficultati de præcognitione paſsionis.
Art. 2. Exponitur, quare quidditas rei ſolum demonſtratione Quia valeat concludi.
Art. 3. Aliqua dubia pro quæſtionis complemento breviter expenduntur.
Diſt. 2. De illis, quæ principaliter expectant ad notionis demonſtrativæ effectum. pag. 531
Quæſt. 1. Scientiæ exponitur definitio.
Aliqua dubia conſequenter reſolvuntur.
Quæſt. 2. De ſcientia comparata ad principia.
Exponitur pro complemento quæſtionis iuxta Scotum, illud dictum: Propter quod unumquodque eſt &c.
Quæſt. 3. De ſcientia comparata ad oppoſita.
Argumenta principalia ſolvuntur.
Quæſt. 4. De comparatione ſcientiæ ad ſubalterna.
Circa Logicam expenditur expoſitio.

ERRATA.

CUM alicuius ſpeculationis opera, tametſi imbecillia, ſui Authoris munimine, quouſque terminata quieſcunt, depoſcant, nonque prælo adeſſe valerem, nonnulla, differte Lector, ingenti meo dolore invenies, omnia ſuffer, & corrige. Nec non adverte, quod dum in *Diſt. 2 Periherm. quæſt. 1. art. 2. num. 25.* citatur quæſtio antecedens, vt percipiatur doctrina *de eſſe nominali & verbali* huius propoſitionis *Cæſar eſt homo*, talis citata quæſtio tranſlata fuit ad *Diſt. 4. Metaph. quæſt. 2.* cum ibi, aptior, & proprior illi doctrinæ deinceps notaretur locus, tametſi veteres eam in Periherm. collocaſſent, prout & ego in manuſcriptis. Sic rogo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA CORRIGES, SI LEGAS LINEAM PROVT hinc iacet, & corrigendo verbum, quod cum infra poſitis coincidat.

NOTA.

In compendio Pag. eſt Pagina, col. columna, §. *Paragraphus, lin. linea, L. Lege.*

PAg. 7. col. 1. §. 4. lin. 6. L. ſuppoſitionis.
Pag. 8. col. 2. §. 3. lin. vlt. L. conſiderarunt.
Pag. 9 col. 2. §. 1. lin. 10. L. eo quod ſanctitatem, non habeat tunc.
Pag. 10. col. 1. §. 4. lin. 9. L. ex quorum partium.
Pag. 11. col. 1. §. 4. lin. 11. L. repugnet.
Pag. 16. col. 1. §. 1. lin. vlt. L. conſtitutivi.
Pag. 17. col. 1. §. 1. lin. 3. L. applicatas, quarum diverſitatem.
Pag. 19. col. 1. §. 3. lin. 6. L. vel falſa non ſit, neque vlla.
Pag. 21. col. 2. §. 3. lin. 3. L. poſſet dari animal.
Pag 23. col. 2. §. 3. lin. 4. L. poſsibili proportione.
Et ibidem §. 4. lin. 7. L. intentionis proportionem.
Pag. 29. col. 1. §. 3 lin. 3. L. propriétales eſſe.
Pag. 33. col. 2. §. 3. lin. 12. L. aliquis homo non, non.

Ad Logicæ Errata nota.

N. eſt numerus, & aliquando ponetur, dele, *quod indicet, auferre illam dictionem.*

Pag. 47. n. 1. lin. 7. L. eſſe vocatnr.
Pag 48. n. 6 lin. penult. L. animã non poteſt.
Pag. 57 n. 64. lin. 6. L. é contra primæ.
Pag. 57. n. 65. lin. 23. L. actu & reale.
Pag. 59. n. 78. lin. 14. L. ſimpliciter removeantur.
Pag. 60. n. 81. lin. 11. L. comparatione minuitur.
Pag. 60. n. 85. lin. vlt. dele, ly non.
Pag. 62 n. 95. lin. 17 L. eo quod tali forme.
Pag. 63. n. 98. lin. 8. L. ſtat in pondere difficultas.
Pag. 63. n. 100. lin. 14. L. tunc eſt forma videndi. Et lin 16. L. ſed vt vnio.
Pag. 64. n. 102. lin pen. dele ly ad evadendum.
Pag. 64. n. 104. lin. 17. L. ſic ſine ſecunda relatione poteſt eſſe prima.
Pag. 65. n. 108. lin. 15. L. intendam, vtrumque.
Pag. 66. n. 116. lin. 2. L. infra, modum.
Pag. 73. n. 17 lin. 4. L. rationis relatio.
Pag. 75. n. 26. lin. 9. dele ly. ex ſe.
Pag. 83. n. 67. lin. 2. L. eo modo quo.
Pag. 84. n. 69. lin. 14. L. inferiores ambos.
Pag. 85. n. 74. lin. 2. dele ly quod.
Pag. 86. n. 81. lin. vlt. L. deambulavimus.
Pag. 88. n. 91. lin. 4. L. citatis videantur
Pag. 90. n. 103. lin. 3. L. ad quæ natura.
Pag. 92. n. 4. lin. 5. L. in ipſo ſiſtat. Et lin. 15. L. cognoſcitur, nil.
Pag. 96. nn. 22. lin. 1. L. Reſolvendum eſt. Et lin. 4. L. de ſecundo dico.
Et nu. 24. lin. 12. L. talis malus, & é contra.
Pag. 100. titulum ſic L. De irreti . nali ſphæra. Et n. 44. lin. 10. L. intellectivus non poterit.
Pag. 103. n. 54. lin. 4. L. quod ſit fundamento.
Pag. 111. n. 13. lin. 2. L. vt hac noſtra.
Pag. 119 n. 44. lin. 16. L. & ſic practicus.
Pag. 122. n. 52. lin. 22. L. quia ſicut eſt impoſsibile, quod actus ſpeculativus tranſeat ad id, ad quod actus ille practicus, ſic eſt impoſsibile quod actus ille practicus tranſeat ad id ad quod actus ille ſpeculativus; non enim.
Pag. 128. n. 71. lin. 5. L. inferes.
Pag. 132. n. 87. lin. 25. L. quia etiam ſic datur.
Pag. 134. n. 95. lin. 7. L. ſit pura cõſuetudo.
Pag. 143. n. 17. lin. 26 dele ly. non.
Pag. 187. n. 29. lin. 19. L. repugnat communitas.
Pag. 190. n. 40. lin. 2. L. habet eſſe vna.
Pag. 212. n. 3. lin. 9. L. nixi.
Pag. 289. n. 56. lin. 5. Dele ly!
Pag. 304. n. 27 lin. 12. L. diſtincta numero.
Pag. 316. n. 72. lin. 34. L. vnum munus.
Pag. 318. n. 76. lin. 6. L. ipſa ratione.
Pag. 324. n. 26. lin. 31. L. tum deſinunt.
Pag. 340. n. 26 lin. 19. L. attingens Scotus.
Pag. 351. n. 28. lin 8. L. ambo extrema.
Pag. 353. n. 36. lin. 14. L. animalitatem nõ.
Pag. 354. n. 39. lin. 11. L. tantam vim.
Pag. 366. n. 11. lin. 5. L. potes.
Pag. 372. n. 18. lin. 3. L. & ſi non diſtinguatur. Et lin. 19. dele ly. abſque.

Pag.

Pag. 384. *n*. 76. *lin*. 1. L. forma ſpecifica.
Pag. 385. *n*. 82. *lin*. 28. L. ex diſcretione.
Pag. 387. *n*. 5. *lin*. 8. L. potes.
Pag. 389. *n*. 20. *lin*. 1. L. intendit dare.
Pag. 390. *n*. 25. *lin*. 11. L. intellectiva perfectiorem ſenſitivam.
Pag. 395. *n*. 50. *lin*. 16. L. valeat dici.
Pag. 399. *n*. 71. *lin*. 6. *dele ly*. quod.
Pag. 407. *n*. 113. *lin*. 21. L. diſtincte ab Scoto.
Pag. 415. *n*. 7. *lin*. 16. L. ſuſtineat.
Pag. 432. *n*. 17. *lin*. 11. L. potes.
Pag. 463. *n*. 71. *lin*. 2. L. conſiderari. *Et n*. 22. *lin*. 2. L. conſiderare.
Pag. 465. *n*. 80. *lin*. 3. L. de veris in falſas.
Pag. 466. *n*. 83. *lin*. 7. L. poteſt eſſe aliter.
Pag. 472. *n*. 101. *lin*. 12. L. inferri.
Pag. 476. *n*. 18. *lin*. 7. L. concluſio ſub propria.
Pag. 489 *n*. 75. *lin*. 3. L. non debet.
Pag. 490. *n*. 76. *lin*. 2. L. infringi.
Pag. 491. *n*. 81. *lin*. 10. L. eliciendo.
Pag. 492. *n*. 84. *lin*. 5. L. illuminantis.
Pag. 494. *n*. 94. *lin*. 2. L. totius phyſici.
Pag. 497. *n*. 105. *lin*. 22. L. repreſentativæ.
Pag. 510. *n*. 1. *lin*. 10. L. conſumpſit.
Pag. 515. *n*. 26 *lin*. 6. *dele ly*, quod.
Pag. 521. *n*. 51. *lin*. 27. L. in perfectiori.
Pag. 530. *n*. 90. *lin*. 20. *dele ly*. nullum. *Et* L. neminem.
Pag. 531. *n*. 1. *lin*. 14 L. qui eſt.
Pag. 533. *n*. 14. *lin*. 28. L. & Scoto.
Pag. 547. *n*. 73. *lin*. 3. L. principiorum.

In fine curſus, verbo *Errata*, *lin* 1. L. *munimen*, & vbi de Divino Verbo loquatur, pone V. maiuſculam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Google

Digitized by Google